

John Carter Brown.

6p.

BRASILIA PONTIFICIA.

Entd in Lernaup. Bibl
Nov. 93.

BRASILIA PONTIFICIA,

SIVE

SPECIALES FACULTATES PONTIFICIÆ,

QUÆ

BRASILIÆ EPISCOPIS

conceduntur,

ET SINGULIS DECENNIIS RENOVANTUR,

cum Notationibus evulgatæ,

ET IN QUATUOR LIBROS DISTRIBUTÆ

PER

R. P. SIMONEM MARQUES

CONIMBRICENSEM SOCIETATIS JESU,


IN PROVINCIA BRASILICA, DIOECESIS FLUMINENSIS EXAMINATOREM Synodalem, olim in Collegio Januarienſi ſacræ Theologiæ Primarium Profeſſorem, poſtea vero in eodem Collegio Studiorum generalium Decanum.

ACCESSIT APPENDIX

Pro caſibus in Braſilia reſervatis cum deſiderata eorum expoſitione.

OPUS

OMNIBUS CONFESSARIIS, PAROCHIS, CAUSIDICIS, ET JUDICIBUS Ultramarinis, præſertim Eccleſiaſticis, in utraque India tam Orientali, quam Occidentali perquam utile, ac neceſſarium.



ULYSSIPONE.

Ex Typis MICHAELIS RODRIGUES,

Eminentiſſimi Domini Cardinalis Patriarchæ Typogr.

M. DCC. XLIX.

Cum facultate Superiorum.

AMPLISSIMO,
AC
REVERENDISSIMO DOMINO

D. LAURENTIO
DE VALLADARES VIEIRA

Sedis Fluminenſis in Braſilia Theſaurario Maiori, Tribunalis S. Inquiſitionis Ulyſſiponenſis Commiſſario fidiſſimo, Protonotario Apoſtolico ex numero participantium, Regalis Collegii Sebaſtianopolitani Societatis JESU Conſervatori Apoſtolico &c.

DEliberandum diu non fuit, Ampliſſime, ac Reverendiſſime Domine, cuinam potius è tot ampliſſimis viris,

ris,

*ris, quibus Braſilia noſtra maximè cla-
reſcit*, Braſiliam *noſtram* Pontificiam
*jure merito nuncuparem. Enim verò ex
quo illam mente concepi, ſtatim unus
præ cæteris in illius Patronum eligen-
dus occurriſti. Nec me (ſi vera fatear)
ad erigendum qualecumque hoc meæ erga
Te obſervantiæ monumentum impulit (ut
pleriſque Authoribus mos eſt in ſuis lu-
cubrationibus dicandis)* Domus *Tuæ hæ-
reditaria Nobilitas, quamquam hæc illuſ-
tris admodum habeatur, & in* Interam-
*nenſi Provincia inſignibus Militiæ Duci-
bus, ac integerrimis Senatoribus præcla-
ra ſemper extiterit: ea quippe fuit Tuæ
virtutis induſtria, ut Tuis Maioribus ve-
re magnis maior fieres, ex quo pater-
nam domum, ubi vitalem in lucem felici-
ter prodiiſti, magnæ Luminum Matri,
Sanctiſſimæ nimirum Deiparæ ſine origi-
nali labe conceptæ, in templum erexiſti:
ubi pulchrè adeo certant ars, & operis
materies, ut jure dubitandum ſit, quænam*

potius

potius alteri antecellat: citra dubium vero utrique præſtat, quod annuis de tua liberali pietate redditibus in perpetuum conſtitutis plura ibi Deo Optimo Maximo ſacrificia quotidie offerantur, ac maximæ Dei Matri, quæ meretur, venerationis officia cultu perpetuo conſecrentur. Felicem dicam millies Domum Tuam, quæ non alio jure deſiit eſſe Tua, niſi ut cæleſtis juris eſſet: felicem ſane Domum, in qua Divis cæleſtibus complacet habitare! Quin potius feliciorem Te prædicabo, Reverendiſſime Domine, qui Natali Domo privari gaudes, ut, quæ locum in diverſorio non invenerat Cælorum Regina, ampliſſimam in Domo Tua Regiam habeat. Quis Te amodo hominem ditiſſimum non dicat, qui Cælorum Reginam Domus debitricem facis? Crederet imprudenter aliquis antiquam Gentis tuæ Domum corruere, quando illam ſolo penitus æquaſti, ut inde ſe ipſa ſublimior cælo ſurgeret, non Tuo jam,

jam, ſed Immaculatæ Virginis nomine inſignita: Tu vero, & Domui tuæ, & tuo Nomini in facto hujuſmodi præclare conſuluiſti: eo ſiquidem in magno nomine nomen Tuum leget Poſteritas, & quæ laudes ſuperis per dies in ſacra Æde decantantur, eædem tuæ laudes erunt, quæ venerandam tui memoriam æternum ſonabunt.

Non etiam me, ut te in Mecenatem adſciſcerem, movere potuerunt, quibus fungeris, vel quibus à prima juventute functus es, Eccleſiaſticæ Dignitates; nullæ enim Tibi ſunt, licet magnæ omnes, ac illuſtri viro dignæ, quæ Tuis non ſint meritis inferiores. Unde factum credo, quod nunquam Tu Dignitates, ſed Te illæ potius ambierint. Vix etenim emenſis Philoſophiæ, Theologiæ, ac Juriſprudentiæ curriculis, ſic ad omnia Eccleſiaſtica munia obeunda mirifice inſtructus apparuiſti, ut ſtatim pro Eccleſiaſticis litibus diri-

mendis

mendis Judex creatus fueris; protinus ad ſanctæ hujus Cathedralis Archidiaconatum promotus, ſæpe Parochiarum Viſitatorem egeris, ſæpe Vicarium Generalem: dumque per hoſce laborioſi honoris gradus immorabaris ſupra modum adeo Tua in rebus pertractandis dexteritas ſingularis, Tua in cauſis cognoſcendis ſublimis perſpicacia, Tua in judicando inflexibilis rectitudo, Tua in omnibus inviolata morum integritas emicuere, ut ad altiora natus omnium judicio crederéris. Te maximo deinde Theſaurario, mirum ſane, quantum ſanctæ hujus Sedis creverint annui redditus haud alia quidem, quam Tua providentia in perpetuum ſtabiliti. Viſus propterea de cœlo virtutem locupletandi Eccleſiam habere præ manibus, quò decentior cultus Numini exhibeatur.

Hæc autem, quæ præ oculis late patent, neutiquam latere potuerunt Excellentiſſimum, ac Reverendiſſimum Do-

minum D. Fr. Antonium de Guadalupe hujuſce Januarienſis Epiſcopatus non extinguendæ memoriæ Præſulem meritiſſimum, cordis mei indelebile deſiderium; qui Tibi, ne pro ſua in aurifodinas abſentia, ut eſt humanæ fragilitatis in peius ſemper prona conditio, ſerperet morum corruptela, regimen ſpirituale commiſit: certiſſima quidem ſpe fretus, quod, Te regente, deſiderandus non eſſet optimus animarum Rector, qui probatæ vitæ norma ſuis præiret Diæceſanis, eosque intra Chriſtianæ Religionis fines contineret: conceptæ vero de Te ſpei optatus reſpondit eventus; compoſitis interea ad virtutem animis, aut frænatis ſaltem improborum vitiis, ne inſolentius pullularent. Ea propter tanti Prædeceſſoris dignus Succeſſor Excellentiſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus D. Joannes à Cruce exemplum ſecutus, eamdem Tibi gubernationem ſemel, & iterum delegavit,

quam

quam modo omnium plauſu tenes, omnium approbatione exerces: approbant namque primæ nobilitatis viri, quos Tua devincis comitate: approbant de Eccleſia optime meriti, quibus opportuna confers præmia: approbant Confraternitates, quibus de Tua munificentia ſplendorem auges: approbant miſeri, quorum neceſſitatibus abunde ſubvenis: approbant vel ipſi criminum rei, quibus juſtam correctionem Tua humanitate demulces: plaudunt vero univerſi, quia indefeſſo Tuæ vigilantiæ lumine vitia procul fugas, ſanctiſſimosque mores, quantum fieri, ſperarive poteſt, omnibus ſuaviter inſtillas: ſic enim in illis admovendis magnopere invigilas, ſic in his promovendis conſtanter inſudas, ut nemo ſubditorum ita improbus ſit, ut Te non timeat; nemo probus, qui Te non amet; quin potius nemo, qui Præſulem ſuſpiret abſentem, dum Te præſentem intuetur.

Cæte-

Cæterum haud mens erat per res tuas optime geſtas ſpatiari; ſcio namque Tuis oculis ingratiſſimam fore propriarum laudum ſcripturam ſponte tamen ſua fluxit calamus, & incautum manuduxit, quo nolebam. Porro non ea, quæ de Te hactenus leviſſimo qualicumque ſtilo attigi, ſed nec altiora plura, quæ Tuo indulgens genio conſultius omiſi, in cauſa fuere, (quemadmodum ingenue faſſus ſum) ut Tuum in hujus operis fronte nomen inſcriptum vellem. Illud ergo (ut tandem ad motricem cauſam veniam) illud me admotis impulit ſtimulis, quod cum amicitia Tua non niſi viri aut probitate venerabiles, aut claro ſanguine illuſtres, aut literatura inſignes gaudeant, mihi tantillo ignota de plebe homini inter amicorum ſubſellia locum non ultimum præſtitiſti. Potuiſti in hoc, ſi falli potes, errorem pati, quòd me nempe alium à me ipſo putaveris: reor autem meam mihi ſortem

tem immerito indulſiſſe, quod aliis egregia merita pepererunt. At quis, ex quo Te primum vidi, ex quo Tuam omni pretio maiorem propenſiſſimam erga me voluntatem aperuiſti, ex quo veræ amicitiæ vincula, quæ una mors diſſolvet, contraximus; quis, inquam, pro dignitate explicet, quis debitis proſequatur laudibus, quis meritis gratiis exæquet tot, tamque ingentia beneficia, quæ hucusque in me de Tua benevolentia uberrimo ſemper flumine promanarunt. Enimvero plura ſunt, quam ut numero concludantur; & maiora ſane, quam ut meis vocibus exornari queant. Longe vero plura forent, indiesque maiora, ſi à mea poſſent exiguitate capi. Illud vero præ omnibus maximum ſemper duxi, quod Tuus ſum, & Amicus dicor.

Ne tamen omnino mihi plauderem, nihil unquam, quod poſtulaverim, à Te negatum fuiſſe, vel citra difficultatem conceſſum, unum, idque enixe roganti

negandum fore judicaſti, copiam ſcilicet dicandi Tibi Braſiliam *noſtram* Pontificiam. *Renuiſti ſane, Reverendiſſime* Domine, *quaſi quidquam humanæ laudis, aut gloriæ ex hocce qualicumque meæ gratitudinis monumento Tibi creſceret. Verum (liceat ita ſemel loqui) Tuam in hac parte modeſtiam nimis difficilem ſe præbuiſſe crediderim, cum non meum aliquid Tibi conſecrem: Tuum ſiquidem eſſe, ac dici debet, quod Tuis ſumptibus prælo mittitur haud ſecus publicam lucem viſurum; quod tamen minimum eſt (ſciat enim ſiquis hæc legat) ex innumeris beneficiis, quæ de Tua profuſiſſima liberalitate in me hactenus profluxere. Quibus cum nunquam aliter reſpondere poſſim, quis mihi jure ſuccenſeat, ſi aliquali iſtud obærati animi vectigal ad Tuos pedes reverenter exolvam? Accipe itaque, Reverendiſſime* Domine, *in meæ erga Te obſervantiæ Teſſeram hunc mei laboris fructum.*

(quid

(*quid enim nudus rerum homo præter ſuas offerat cogitationes?*) *Accipe, rogo iterum, quod* Tuis *ſumptibus feciſti* Tuum; *& gratiſſimo, quo res meas intueri soles, vultu aſpice. Quod ſiquid cenſura tua dignum introſpicias, quod multum fore non inficior, Præſul es, reumque amicum habes genuflexum, quem abſolvas.* Tandem *eo ſaltem accipe de titulo, quod nimirum communi bono, cui magnopere conſulis, quodammodo poſſit inſervire. Vive diu* Reipublicæ, *& amicis* Tuis. Vale

D. T.

Multis nominibus addictiſſimus, & obſequentiſſimus

Simon Marques è S. J.

AD

AD LECTOREM.

NOSTI plane, quicumque ſis, amice Lector; ad hunc propemodum finem inventos fuiſſe Prologos, ut enormes notæ, quibus paſſim libri ſcatent, quodammodo excuſentur; etenim nemo fere, aut rarus certe tam ſui contemptor erit Author, qui errores ſuos protegere, ſi poſſit, vel ſi nequeat, excuſare non velit. Verùm haſce non petitas excuſationes nihil eſſe aliud, quam pro ſanandis librorum infirmitatibus remedia prorſus inania quis Medicus non videt? Ecquis enim ob præmiſſas excuſationes inventis unquam erroribus pepercit? Nemo herclè, experientia magiſtra; cùm nemo ſcribentem unquam coegerit, ut male ſanos prodat, ſive incorrectos edat in lucem libros. Quid ergò de te nunc benignius expectandum, ſi manum ultimam huic Operi imponere, tum propter ægram valetudinem, cum propter temporis anguſtias, non licuiſſe dicam? Ita porrò, ſi fidem præſtas, ſe res habuit: enim verò cum nati Dei anno 1737. hujus Operis initium fecerim, en tibi, vix quatuor menſibus elapſis, ſtatim Moderatorum juſſu ad graviores curas deſtinatus ab incepto deſiſtere coactus ſum ad annum uſque 1742. quo tandem habita aliquantiſper quieſcendi facultate, ne otio interea putreſcerem inutili, ad relictum iter redire ſtatui. Redii quidem, reſumptis animis, (neſcio, an quid mens futuræ inquietudinis præſagierit) calamo ſic velociter currente, ut

conceptam ultra ſpem brevi ad exitum pervenerim.

Revocandum itaque erat opus ad incudem, ut valdè multa, quæ feſtinans calamus neglexerat, exactius corrigerentur: amplius exponerentur plura, quæ nimia brevitas obſcurat: contraherentur alia, quæ fuſius, quam par erat, pertractantur; & quæ confuſe diſponuntur, ad aptiorem reducerentur ordinem; alia tandem firmius ſtabilirentur, quæ minus ſolida videbuntur. Illa verò temporis intercapedo, quæ ad otiandum mihi permiſſa fuerat, & quam Operi conficiendo decreveram, tam cito evanuit, ut vix biennium adimpleverit: quod multo minus eſſe, quam perfecta Operis elucubratio exigebat, nullus inficiaberis: jam verò ad alia longe diſſita, quæ cum librorum compoſitione neutiquam cohærent, non mea quidem ſponte, fateor, ſed obedientiæ nutu ductus feror; unde neceſſe erit hæc penitus omittere.

Verumtamen quamquam hæc vera omninò ſint, nunquid bene tacitus diſſimulabis, ſi tibi librum ſiſtam haud accuratè perpolitum, nec numeris omnibus abſolutum, ſed rudem potius, indigeſtamque molem? Ne de tua quidem benignitate, nec de mea ſorte tantam audeo ſperare indulgentiam: ſcio namque ſemper cautius vaticinari, qui malum ſperat, quandoquidem peius plerumque accidit, quam timetur. Tua igitur licentia utere: ſuccenſe, oblitera, expunge, & acuto dente dilacera, quidquid plena offenderis litura dignum. (Nec opus quidem erit, ut te ad hæc invitem.) Siquid autem criminis in hoc ultra juſtam criſim committas, tantum efficies, ut habeam, quod tibi facile condonem.

Cur autem (rogas) quando ab inſtituto fine devio Prologum præmittere non omiſerim? Ut nimirum tibi notum faciam, quare Spartam hanc adornandam ſuſceperim; item quare ſic maturaverim, ut illimatum opus prælo

com-

committam. Primi ergo, niſi te nimium fatigo, cauſam habe. Cum enim, dum per decennium in hoc Januarienſi Collegio ſacræ Theologiæ Lectorem agerem, ſæpe ſæpius conſultus fuerim de Fluminenſis Epiſcopi, & Capituli, Sede vacante, extraordinaria poteſtate circa nonnullas diſpenſationes, quas Diœceſani pro vitandis aliquot ſpiritualibus incommodis, necnon pro quibusdam temporalibus commodis lucrandis poſtulabant; reperi bonam hominum, etiam ex bene literatis, partem Pontificia Indulta ignorare, quæ ſingulis decenniis à Sede Apoſtolica ultramarinis Epiſcopis concedi ſolent. Unde fit, ut Excellentiſſimi, ac Reverendiſſimi Præſules crebrò vexentur importunis poſtulationibus, quibus vel annuere non poſſunt, vel circa quas non ſemel de ſuæ poteſtatis extenſione jure dubitant. Haud contemnendum ergò ultramarini Orbis partibus beneficium me facturum duxi, ſi præfata Indulta, nonnullis, prout uniuſcujuſque materia poſtulat, adnotationibus adjunctis, evulgarem, quo facile ſubditis pateret, quid ab Excellentiſſimis, ac Reverendiſſimis Dominis petere, & obtinere poſſint.

Vanæ tamen meæ forent cogitationes, nec unquam ad effectum pervenirent, niſi protinus acceſſiſſent vota (dicam melius imperata) Excellentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini D. Fr. Antonii de Gaudalupe, immortalis memoriæ Epiſcopi Fluminenſis, quibus reluctari non licebat. Quid enim Excellentiſſimo Præſuli negare poſſem, cui non vulgaribus beneficiis obſtrictus eram? Acceſſerunt inſuper amici plures, tum domeſtici, cum etiam extranei, viri magna attentione digni, publici boni amatores, quorum ſuaſionibus haud parum incitatus, manum tabulæ admovi pro præfatis tranſmarinorum Præſulum indultis utcumque elucidandis. Quibus interferenda cenſui, prout ſe locorum opportunitas offerret, aliquot Societatis JESU

Pontificia privilegia circa varias materias, ſed præſertim circa matrimoniales neophytorum diſpenſationes, ut iis inſimul præli opera propalatis, ſedari poſſint ſcrupuli, quibus non pauci Excellentiſſimorum Præſulum torquentur affatim, quandiu ſuis tranſmarinis Diœceſibus recentes præſunt: dum enim interea vident Societatis Patres cum prædictis neophytis diſpenſare in quocumque, ſeu quibuſvis, excepto primo, conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus, ut matrimonium inter ſe contrahere, ac in eo, etiam ſcienter contracto, remanere valeant: tantam Societatis poteſtatem aut ægre ferre, aut de illa potius dubitare videntur, donec temporis decurſu noſtrorum privilegiorum certiores fiant.

Quod autem ad ſecundum attinet, de immatura ſcilicet libri editione, paucis dicam: ſexagenaria nimirum, qua ſeneſcor, ætas, & qua cite nimis ad communis fati neceſſitatem approximari videor; necnon curæ aliæ proxime venturæ, quarum onus vix ferre potero, in cauſa fuerunt, cur ſic feſtinaverim prælo mandare incorrectam operam: cenſeo namque præſtantius fore ſtatim edere imperfectam, ſi nihilominus publicæ utilitati inſervire poſſit, quam ſcrinio detinere perficiendam ad incertum tempus, ſub certo periculo perdendi oleum, & operam, venturæ mortis cauſa: novi ſiquidem viros aliquot hujus Provinciæ doctiſſimos opera prælo digna reliquiſſe poſt obitum; quæ tamen vel expenſarum metu, vel negligentia Superiorum cum ſuis Authoribus ſepulta jacent, perpetuis damnata tenebris. Habes itaque integram rationem ſcribendi ſcilicet, & maturandi incorrecti Operis editionem; quam tamen ſive approbes, ſive reprobes, amicus ero tuus cras, quemadmodum & nudiuſtertius amicus eram.

Vale.

FA-

FACULTAS
RELIGIONIS.

EGO Joannes de Seixas, Societatis JESU in Provincia Luſitana Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reverendo admodum Patre noſtro Franciſco Retz, Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut liber, cui titulus *Braſilia Pontificia*, à Patre Simone Marques noſtræ Societatis compoſitus, & ejuſdem Societatis gravium, doctorumque hominum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus. Ulyſſipone in Domo Profeſſa D. Rochi 3. Novembris anno 1746.

Joannes de Seixas.

FA-

FACULTAS
TRIBUNALIS FIDEI.

CENSURA REVERENDISSIMI P. M. D. ANTONII ALOYSII Villares Divinæ Providentiæ Clerici Regularis, ſancti Officii Conſultoris, necnon Regalis Academiæ Hiſtoriæ Luſitaniæ Socii.

EMINENTISSIME, NECNON REVERENDISSIME DOMINE.

EMinentiæ veſtræ juſſis obtemperans, libenter perlegi librum, cui titulus *Braſilia Pontificia*, in eo nihil offendo puritati fidei diſſonum, aut pietati morum; immò, quæ continet, omnia perutilia, & neceſſaria plura præſertim Braſiliæ incolis. Reverendo igitur admodum Patri Magiſtro Simoni Marques Societatis JESU, utpotè hujus tantæ, tam præclaræ, tamque venerandæ Parentis legitimæ proli, viro probatiſſimo, eruditiſſimo, ſapientiſſimo, illius Authori debet eſſe, jure merito, deſiderata facultas, ſic ſentio, ſalvo &c. Ulyſſipone: in hac domo Dominæ noſtræ à Divina Providentia nuncupata die 8. Decembris anno 1746.

D. Antonius Aloyſius Villares, Clericus Regularis.

CENSURA REVERENDISSIMI P. M. Fr. TIMOTHEI à Conceptione ex Ordine Sancti Antonii Capuccinorum, in ſacra Theologia Jubilati, ſanctique Officii Qualificatoris.

EMINENTISSIME DOMINE.

VOlumen iſtud præclarum, & opus maximè eruditum, nempe *Braſilia Pontificia, ſive ſpeciales Facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur*, ab adm. R. P. M. Simone Marques Societatis JESU, ſacræ Theologiæ Primario profeſſore profundiſſimo, &c. conſcriptum, juſſu Eminentiæ veſtræ mihi commiſſum, ſumma aviditate legi, maiorique cum jucunditate præcurri, & inveni, quòd non ſolum continet ſummam in enodandis difficultatibus Theologicis ſubtilitatem, ac maximam in exponendis Bullis ſoliditatem, ſed etiam omnes ſapientiæ aquas, quas gens ſitibunda maximè in partibus ultramarinis haurire poteſt. Eſt enim liber hic, velut amnis in Januarienſi natus, à quo dimanant fluenta doctrinæ, ut mentium agri irrigentur, & in terra ſitienti fœcunda reddantur animorum arva: ſiquidem eſt alter Nilus, cui in ſacris literis aſſimilatur ſapientia; qui ſicut in Nilo ſunt mira incrementa, & quanto augentur aquæ, tanto creſcunt in Ægypto deliciæ, ita etiam in

illo

illo quanto excreſcunt doctrinæ latices, tanto amplius augetur mentium hilaritas, & exuberat animorum voluptas. Sunt igitur Opus, & Author omni laude digni, ſed ejus laudationi parco invitus, ne tranſgredi videar Cenſoris munus. Ob id igitur, & quia Authoris reſolutiones conformes ſunt Orthodoxæ fidei principiis, ſacrorum Canonum ſanctionibus, SS. Patrum, graviſſimorumque Theologorum doctrinæ, opus utiliſſimum judico, & prælo dignum cenſeo. Hoc meum judicium, ſalvo ſemper meliori. Ulyſſipone in Conventu Divi Antonii, vulgo *dos Capuchos*, die 18. Januarii 1747.

Fr. Timotheus à Conceptione.

VIſtas as informaçoens, póde imprimirſe o livro, de que ſe trata, e depois de impreſſo tornará conferido para ſe dar licença, que corra, ſem a qual naõ correrá. Lisboa 24. de Janeiro de 1747.

Alencaſtre. *Sylva.* *Abreu.* *Almeida.*

ORDINARII.

CENSURA FRANCISCI XAVERII A' SYLVA, meritiſſimi Senatoris Nuntiaturæ, Protonotarii Apoſtolici Suæ Sanctitatis, Matrimoniorumque Judicis.

EXCELLENTISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE.

LIber, cui titulus *Braſilia Pontificia*, conſcriptus à R. P. M. Simone Marques ex illuſtri Societate JESU, meo examini committitur, ut quid de eo cenſeam, aperiam. Illum enim accurate legi, & apprimè elaboratum, ac ſubtili calamo exaratum inveni; unaque valde neceſſarium ad praxim Indulti Pontificii, ſeu Facultatum ſpecialium Excellentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Epiſcopis Braſiliæ à Summis Pontificibus conceſſarum eſſe duxi. Operis utilitas, & præſtantia per ſe commendatur, cum meis vocibus extolli queat; & ſi fas eſſet de judicio cenſoreo in elogium R. Authoris declinare, plura, quamvis non omnia, dicerem: ut tandem mei muneris vices impleam, eumdem librum doctiſſimum prædico, digniſſimumque luce publica cenſeo. Iſta mea mens eſt, ſalva ſemper meliori. Lisbonæ 23. Martii 1747.

Franciſcus Xaverius à Sylva

VIſta a informaçaõ, pódeſe imprimir o livro, de que trata a petiçaõ, e depois torne conferido para ſe dar licença, para que corra. Lisboa 24. de Março de 1747.

D. J. A. de Lacedemonia.

SUPRE-

SUPREMI, AC REGII SENATUS.

CENSURA R. P. AC SAPIENTISSIMI MAGISTRI IN SACRA Theologia Doctoris Fr. Joſephi à Sanctis, in ſacra Theologia olim in ſuo Collegio Conimbricenſi Primarii Lectoris, trium Ordinum Militarium Examinatoris, ex Ordine Sanctiſſimæ Trinitatis &c.

DOMINE.

NIhil continet contra fidem, aut bonos mores, nec Regias Majeſtatis veſtræ Ordinationes oppugnat; ſed utile nimis eſt opus iſtud, ut typis mandetur. Ita cenſeo. In Conventu Sanctiſſimæ Trinitatis Uliſbonenſi 6. die Junii anno 1747

Doctor Fr. Joſephus à Sanctis.

QUe ſe poſſa imprimir, viſtas as licenças do ſanto Officio, e Ordinario, e depois de impreſſo tornará a eſta Meſa para ſe conferir, e taxar, e dar licença para correr, ſem a qual naõ correrá. Lisboa 9. de Junho de 1747.

Vaz de Carvalho. Almeida. Carvalho. Mouraõ.

HOc exemplar archetypo cohæret. Lisbonæ in hac Domo Dominæ noſtræ à Divina Providentia nuncupata. Die 18. Aprilis anno 1749.

D. Antonius Aloyſius Villares Cleric. Reg.

VIſto eſtar conforme com o ſeu original, póde correr. Lisboa 22. de Abril de 1749.

Alencaſtre. Sylva. Abreu. Almeida. Trigoſo.

VIſto eſtar conforme com o ſeu original, póde correr. Lisboa 24. de Abril de 1749.

Sylva.

QUe poſſa correr, e taixaõ eſte livro em 1200. reis em papel. Lisboa 6. de Mayo de 1749.

Caſtro. Mouraõ.

SERIES

SERIES, ET ORDO

LIBRORUM, DISPUTATIONUM, ET SECTIONUM, quæ in hoc volumine continentur.

Litera N. indicat numerum marginalem.

LIBER I.

Continet Proemialia ad univerſas Falcultates Pontificias, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, & præterea Notationes ad priores quinque Facultates.

DISPUTATIO I.

De Proemialibus ad univerſas Facultates Pontificias, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur.

SECTIO I. *PRæmittuntur Facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur*, num. 1.

SECTIO II. *Quid ſignificent Facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur*? n. 2.

SECTIO III. *Ex quo tempore valeant Facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur*? num. 13.

SECTIO IV. *Quomodo computandum ſit decennium in prædictis facultatibus præſcriptum*? n. 29.

SECTIO V. *Qui Epiſcopi prædictis facultatibus uti poſſint*? n. 47.

SECTIO VI. *Quando expirent prædictæ Facultates*? num. 55.

DISPUTATIO II.

De prima Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *QUid, & quotuplex ſit Ordo? Quænam Tempora? Et Interſtitia?* num. 65.

SECTIO II. *Quomodo ſervari debeant Tempora, & Interſtitia?* num. 72.

SECTIO III. *De Interſtitiorum diſpenſatione, & cauſis ad illam ſecundum jus commune*, num. 82.

SECTIO IV. *De Temporum diſpenſatione, & cauſis ad illam juxta Facultates Pontificias, Braſiliæ Epiſcopis conceſſas*, n. 90.

SECTIO V. *De Interſtitiorum diſpenſatione, & cauſis ad illam juxta facultates Pontificias, Braſiliæ Epiſcopis conceſſas*, num. 94.

SECTIO VI. *De commenſuranda*

**** *Sacer-*

Sacerdotum neceſſitate, num. 101.
SECTIO VII. *De perſonis, cum quibus Epiſcopus diſpenſare poteſt in Temporibus, & Interſtitiis*, num. 120.
SECTIO VIII. *De feſtis diebus, quibus Ordines conferri poſſunt*, num. 142.
SECTIO IX. *An prædicti dies feſti debeant eſſe continui, vel potius interpolati?* num. 160.

DISPUTATIO III.

De ſecunda Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *Quid ſit Irregularitas?* num. 165.
SECTIO II. *Quotuplex ſit Irregularitas?* num. 170.
SECTIO III. *De diſpenſatione Irregularitatis in communi*, n. 173.
SECTIO IV. *De diſpenſatione Irregularitatis in particulari*, num. 184.
SECTIO V. *Quid, & quotuplex ſit Bigamia?* num. 202.
SECTIO VI. *Reſolutiones aliquot circa Bigamiam*, num. 204.
SECTIO VII. *De diſpenſatione Bigamiæ*, num. 209.
SECTIO VIII. *Quid, & quotuplex ſit Homicidium voluntarium* num. 213.
SECTIO IX. *De diſpenſatione homicidii voluntarii*, num. 217.
SECTIO X. *De conditionibus requiſitis ad diſpenſandum in homicidio voluntario*, num. 222.
SECTIO XI. *De ſubjectis, & forma diſpenſationis hujuſmodi*, num. 232.

DISPUTATIO IV.

De tertia Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *De ætate ad Ordines requiſita*, num. 236.
SECTIO II. *Qualiter ætas ad Ordines computari debeat?* n. 241.
SECTIO III. *Dubium indicens, & curioſum*, num. 245.
SECTIO IV. *De ætate ad Ordines diſpenſanda ſecundum jus commune*, num. 248.
SECTIO V. *De ætate ad Ordines diſpenſanda juxta Facultates Pontificias, Braſiliæ Epiſcopis conceſſas*, num. 249.
SECTIO VI. *De cauſa ad præcedentem diſpenſationem requiſita*, num. 258.
SECTIO VII. *De perſonis in ætate diſpenſandis*, num. 262.

DISPUTATIO V.

De quarta Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *Quid ſit Votum*, num. 281.
SECTIO II. *Quotuplex ſit Votum*, num. 284.
SECTIO III. *Quid ſit diſpenſatio, & commutatio Votorum*, n. 289.
SECTIO IV. *Qualiter differant inter ſe poteſtas diſpenſandi, & commutandi Vota*, num. 291.
SECTIO V. *Quid de jure poſſint Epiſcopi circa diſpenſationem, & commutationem Votorum*, n. 293.
SECTIO VI. *Quid ſpecialiter poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa diſpenſationem, & commutationem Votorum*, num. 297.

SE-

SECTIO VII. *De cauſis diſpenſandi in Voto ſimplici caſtitatis*, num. 302.
SECTIO VIII. *De cauſis diſpenſandi in Voto ſimplici Religionis*, num. 315.

DISPUTATIO VI.

De quinta Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *Quid ſit Simonia*, num. 324.
SECTIO II. *Quotuplex ſit Simonia*, num. 328.
SECTIO III. *De pœnis Simoniæ impoſitis*, num. 336.
SECTIO IV. *An reſtitui debeant ſimoniace accepta*, num. 344.
SECTIO V. *Cui reſtitui debeant ſimoniace accepta*, num. 349.
SECTIO VI. *De poteſtate diſpenſandi cum ſimoniacis ſecundum jus commune*, num. 352.
SECTIO VII. *De poteſtate diſpenſandi cum Simoniacis juxta Facultates Pontificias, Braſiliæ Epiſcopis conceſſas*, num. 356.

LIBER II.

Complectitur Notationes ad ulteriores ſex Facultates Pontificias, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur.

DISPUTATIO I.

De nonnullis ſupponendis ad ſextam Facultatem Pontificiam, Braſiliæ Epiſcopis conceſſam.

SECTIO I. *Quid ſit Matrimonium?* num. 1.
SECTIO II. *Quid ſit impedimentum matrimonii?* num. 4.
SECTIO III. *Quotuplex ſit impedimentum matrimonii?* n. 6.
SECTIO IV. *De Cognatione legali*, num. 9.
SECTIO V. *De Cognatione ſpirituali*, num. 15.
SECTIO VI. *De Cognatione carnali*, num. 16.
SECTIO VII. *De impedimento Criminis*, num. 22.
SECTIO VIII. *De Cultus diſparitate*, num. 25.
SECTIO IX. *De Honeſtate*, n. 27.
SECTIO X. *De Affinitate*, n. 28.

DISPUTATIO II.

De nonnullis aliis ſupponendis ad ſextam Facultatem Pontificiam, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *Quid de jure poſſint Epiſcopi circa impedimenta matrimonii dirimentia?* num. 31.
SECTIO II. *Quid poſſint Epiſcopi circa matrimonium jam contractum cum impedimento occulto?* num. 32.
SECTIO III. *Quid poſſint Epiſcopi circa matrimonium futurum cum impedimento occulto?* n. 51.
SECTIO IV. *Quid poſſint Epiſcopi circa matrimonium cum impedimento*

dimento occulto, quando intervenit mala fides ex parte unius contrahentis? num. 67.
SECTIO V. *Quid poſſint Epiſcopi circa matrimonium cum impedimento occulto, etiam quando intervenit mala fides ex parte utriuſque contrahentis?* n. 75.
SECTIO VI. *Quid poſſint Epiſcopi circa matrimonium, quando impedimentum eſt publicum?* n. 87.
SECTIO VII. *Quid poſſint Epiſcopi circa matrimonium cum impedimento criminis?* num. 95.
SECTIO VIII. *Conſectaria ad præcedentes Notationes*, num. 100.

DISPUTATIO II.

De ultimis ſupponendis ad ſextam Facultatem Pontificiam, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *PRoponitur Bulla Pii IV.* num. 106.
SECTIO II. *De poteſtate, ſeu juriſdictione in Bulla Pii IV. contenta quoad Capitulum, Sede vacante*, num. 108.
SECTIO III. *De poteſtate, ſeu juriſdictione in Bulla Pii IV. contenta quoad Ordinarios, quorum Eccleſiæ de novo fundantur*, num. 125.
SECTIO IV. *Recenſentur privilegia in Bulla Pii IV. conceſſa*, num. 137.
SECTIO V. *Solvitur difficile dubium*, num. 147.

DISPUTATIO IV.
De ſexta Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopi conceditur,

SECTIO I. *EXplicatur ſexta Facultas Pontificia, & quid ejus virtute poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa matrimonii diſpenſationes*, num. 165.
SECTIO II. *Dubium ſecundum, & reſponſum ſacræ Congregationis de Propaganda Fide*, n. 178.
SECTIO III. *De uſu prædictæ facultatis circa gradus miſtos*, num. 185.
SECTIO IV. *Quid poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa neophytorum matrimonia ex privilegiis Societati conceſſis?* num. 199.
SECTIO V. *De poteſtate diſpenſandi cum neophytis in aliis impedimentis*, num. 218.
SECTIO VI. *De Capitulo, Sede vacante*, num 222.
SECTIO VII. *Quid veniat nomine Dietæ?* num. 225.
SECTIO VIII. *Quantum viæ ſpatium importent ducenta millia paſſuum?* num. 233.
SECTIO IX. *An, & ubi poſſit Braſiliæ Epiſcopus ſe ſolo, diſpenſare cum neophytis?* n. 235.
SECTIO X. *Dubia obiter reſolvenda*, num. 241.
SECTIO XI. *De his, qui in ordine ad privilegia neophytorum participanda pro neophytis reputantur*, num. 248.
SECTIO XII. *Quæſtiones aliæ circa neophytos*, num. 285.
SECTIO XIII. *De Cognationis gradibus apud Indos extinctis*, num. 296.
SECTIO XIV. *De Cognationis gradibus apud Æthiopes extinctis*, num. 300.
SECTIO XV. *De Cognationis gradibus apud Miſtos extinctis*, num. 305.

DISPU-

DISPUTATIO V.

De cauſis diſpenſandi ſuper impedimentis matrimonii.

SECTIO I. *Notantur aliqua circa cauſas diſpenſandi ſuper impedimentis matrimonii*, num. 357.
SECTIO II. *De cauſa ob infamiam ex copula*, num. 374.
SECTIO III. *De cauſa ob vitanda ſcandala*, num. 387.
SECTIO IV. *De cauſa ob anguſtiam loci*, num. 396.
SECTIO V. *De cauſa ob incompetentiam dotis*, num. 418.
SECTIO VI. *De cauſa ob ætatem*, num. 455.
SECTIO VII. *De cauſa pro viduis*, num. 464.
SECTIO VIII. *De cauſa pro neophytis*, num. 475.
SECTIO IX. *Aliarum cauſarum compendium*, num. 478.

DISPUTATIO VI.

De ſeptima Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *Quid, & quotuplex ſit publica honeſtas*, num. 485.
SECTIO II. *Ad quotum uſque gradum dirimat publica honeſtas*, num. 492.
SECTIO III. *Ex quibus ſponſalibus oriatur publica honeſtas*, num. 495.
SECTIO IV. *De poteſtate diſpenſandi ſuper impedimento publicæ honeſtatis*, num. 505.

DISPUTATIO VII.

De octava Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *Quid, & quotuplex ſit impedimentum Criminis*, num. 516.
SECTIO II. *Quomodo contrahatur impedimentum Criminis*, num. 521.
SECTIO III. *De poteſtate diſpenſandi ſuper impedimento Criminis*, num. 534.
SECTIO IV. *De poteſtate diſpenſandi cum neophytis ſuper impedimento Criminis*, num. 545.
SECTIO V. *Quid ſit, & in quo fundetur jus petendi debitum conjugale*, num. 554.
SECTIO VI. *Quando omittatur jus petendi debitum conjugale*, num. 557.
SECTIO VII. *De poteſtate diſpenſandi ad petendum debitum*, num. 601.

DISPUTATIO VIII.

De nona Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *Quid, & quotuplex ſit cognatio ſpiritualis*, num. 614.
SECTIO II. *Peculiares caſus circa cognationem ſpiritualem*, num. 619.
SECTIO III. *De poteſtate diſpenſandi in impedimento cognationis ſpiritualis*, num. 627.

DISPUTATIO IX.

De decima Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *De Raptu*, num. 642.
SECTIO II. *Priora facultatis verba declarantur*, num. 656.
SECTIO III. *Poſteriora facultatis verba declarantur*, num. 661.

DISPUTATIO X.

De undecima Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *De vinculo matrimonii inter fideles*, num. 665.
SECTIO II. *De vinculo matrimonii inter infideles*, num. 671.
SECTIO III. *Præſentis facultatis amplificatio*, num. 677.

LIBER III.

Comprehendit Notationes ad ulteriores novem Facultates Pontificias, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur.

DISPUTATIO I.

De duodecima Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *Proponitur, & explanatur præſens Facultas Pontificia*, num. 1
SECTIO II. *Quid in præſenti Facultate Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur*, num. 14.
SECTIO III. *Quando liceat olea ſacra conficere extra diem Cœnæ Domini*, num. 18.
SECTIO IV. *Reſolutiones de Chriſmate miniſtrando ſingulares*, num. 26.
SECTIO V. *Reſolutiones de Extrema Unctione ſingulares*, num. 41.

DISPUTATIO II.

De decima tertia Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *De benedicendis paramentis, & aliis utenſilibus ad ſacrificium Miſſæ neceſſariis*, num. 61.
SECTIO II. *Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur circa benedicenda paramenta, & alia utenſilia ad ſacrificium Miſſæ neceſſaria*, num. 78.
SECTIO III. *Præmittuntur variæ Notationes ad reconciliationem Eccleſiæ pollutæ*, num. 84.
SECTIO IV. *Quid jure poſſint Epiſcopi circa reconciliationem Eccleſiæ ſolum benedictæ*, n. 97.
SECTIO V. *Quid jure poſſint Epiſcopi circa reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ*, num. 103.
SECTIO VI. *Quid ſpecialiter poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ*, num. 107.

SE-

SECTIO VII. *Quid ſpecialiter ſervandum in reconciliatione Eccleſiæ pollutæ ex ſepultura infidelis, aut excommunicati*, num. 125.
SECTIO VIII. *An, & quomodo reconciliandum ſit Cœmeterium*, num. 132.

DISPUTATIO III.

De decima quarta Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *Quid, & quotuplex ſit Indulgentia*, num. 139.
SECTIO II. *Quis poſſit Indulgentias concedere*, num. 153.
SECTIO III. *Quas Indulgentias poſſit concedere Summus Pontifex, & quas Epiſcopus*, n. 155.
SECTIO IV. *An, & quomodo poſſint Braſiliæ Epiſcopi Indulgentiam plenariam concedere*, num. 162.
SECTIO V. *De conditionibus ad lucrandam indulgentiam plenariam requiſitis*, num. 174.

DISPUTATIO IV.

De decima quinta Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *Quid ſit hæreſis*, num. 199.
SECTIO II. *Quotuplex ſit hæreſis*, num. 209.
SECTIO III. *Quid ſit Apoſtaſia à Fide*, num. 213.
SECTIO IV. *Quid ſit Schiſma*, num. 216.
SECTIO V. *De pœnis, quibus hæretici ſubjacent*, num. 219.
SECTIO VI. *De pœnis, quas incurrunt apoſtata à Fide, & ſchiſmaticus*, num. 229.
SECTIO VII. *Qui dicantur proprie hæretici, apoſtatæ, & ſchiſmatici ad incurrendas pœnas talibus impoſitas*, num. 231.
SECTIO VIII. *Quid jure poſſint Epiſcopi circa hæreſis, apoſtaſiæ, & ſchiſmatis abſolutionem*, num. 237.
SECTIO IX. *De abſolutione hæreſis in articulo mortis*, num. 247.
SECTIO X. *Quid ſpecialiter poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa hæreſis, apoſtaſiæ, & ſchiſmatis abſolutionem*, num. 255.
SECTIO XI. *Quid ulterius poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa hæreſis, apoſtaſiæ, & ſchiſmatis abſolutionem*, num. 264.
SECTIO XII. *Quid poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa relapſos in hæſim, apoſtaſiam, & ſchiſma*, num. 271.
SECTIO XIII. *Quid veniat nomine Miſſionum*, num. 274.

DISPUTATIO V.

De decima ſexta Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *Quid, & quotuplex ſit reſervatio*, num. 280.
SECTIO II. *Caſus Sedi Apoſtolicæ reſervati in Decretalibus*, num. 289.
SECTIO III. *Caſus Sedi Apoſtolicæ reſervati in Clementinis, & Extravagantibus*, num. 290.
SECTIO IV. *Caſus Sedi Apoſtolicæ reſervati extra corpus Juris, & Bullam Cœnæ*, num. 291.
SECTIO V. *Caſus Sedi Apoſtolicæ re-*

cæ reſervati intra Bullam Cœnæ, num. 292.
SECTIO VI. *An, & quomodo poſſint Braſiliæ Epiſcopi abſolvere à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis*, num. 293.
SECTIO VII. *An præter Epiſcopos ſint etiam in Braſilia, qui à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis poſſint abſolvere*, num. 309.

DISPUTATIO VI.

De decima ſeptima Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *De primo converſis ab hæreſi*, num. 322.
SECTIO II. *Praxis, & formula hæretici cum Eccleſia Catholica reconciliandi*, num. 329.
SECTIO III. *Quibus perſonis in articulo mortis concedenda ſit Indulgentia plenaria*, num. 345.
SECTIO IV. *Qualiſnam ſit articulus mortis, in quo concedenda eſt Indulgentia plenaria*, n. 360.

DISPUTATIO VII.

De decima octava, ac decima nona Facultatibus Pontificiis, Braſiliæ Epiſcopis conceſſis.

SECTIO I. *De Oratione 40. horarum, ejuſque primæva inſtitutione*, n. 371.
SECTIO II. *Quæ conditiones requirantur ad Indulgentiam lucrandam in triduo Bacchanalium*, num. 384.
SECTIO III. *De Oratione 40. horarum, quam indicere poſſunt Braſiliæ Epiſcopi*, num. 394.

DISPUTATIO VIII.

De vigeſima Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *Quid ſit Purgatorium: ubi exiſtat. Et quid animæ in eo detentæ patiantur*, num. 406.
SECTIO II. *An animæ in Purgatorio detentæ poſſint juvari fidelium ſuffragiis, & quomodo*, num. 412.
SECTIO III. *De conditionibus requiſitis ex parte offerentis, ut ſuffragia proſint defunctis*, num. 425
SECTIO IV. *De conditionibus requiſitis ex parte defunctorum, pro quibus ſuffragia offeruntur*, num. 430.
SECTIO V. *Qualiter Miſſa proſit animabus Purgatorii*, n. 433.
SECTIO VI. *An Miſſa de Requiem magis proſit defunctis, quam Miſſa de die. Et an magis Miſſa, cui annexa eſt Indulgentia plenaria, quam ſine illa*, num. 445.
SECTIO VII. *Quid ſit Altare portatile, & qualiter eo uti poſſint Epiſcopi*, num. 452.
SECTIO VIII. *Quot animæ liberentur à Purgatorii pœnis per unam Miſſam de Requiem, cui annexa eſt Indulgentia plenaria*, num. 462.
SECTIO IX. *Quibus diebus poſſint Braſiliæ Epiſcopi, celebrando Miſſam de Requiem, liberare animas à Purgatorii pœnis*, num. 467.
SECTIO X. *Reſolvuntur obiter nonnulla dubia de aliis Miſſis celebrandis*, num. 495.

LIBER

LIBER IV.

Amplectitur Notationes ad poſteriores novem Facultates Pontificias, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur.

DISPUTATIO I.

De vigeſima prima Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *De pœnis ſtatutis contra libros prohibitos*, num. 1.
SECTIO II. *Qui, & ſub quibus pœnis prohibeantur hæreticorum libri*, num. 9.
SECTIO III. *Quid, & ſub quibus pœnis prohibeantur libri de Religione tractantes*, num. 20.
SECTIO IV. *Qui, & ſub quibus pœnis prohibeantur libri de Aſtrologia tractantes*, num. 24.
SECTIO V. *Quæ, & ſub quibus pœnis prohibeatur librorum damnatorum lectio*, num. 38.
SECTIO VI. *Quæ, & ſub quibus pœnis prohibeatur librorum damnatorum retentio*, num. 57.
SECTIO VII. *Quibus perſonis prohibeatur librorum damnatorum lectio, & retentio*, num. 71.
SECTIO VIII. *Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur circa librorum damnatorum lectionem, & retentionem*, num. 79.

DISPUTATIO II.

De vigeſima ſecunda Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *Quid ſit Parochus, & Parochia*, num. 93.
SECTIO II. *Qualiter Examinatores debeant digniores Epiſcopo renuntiare*, num. 99.
SECTIO III. *Quis nomine dignioris intelligatur*, num. 107.
SECTIO IV. *De electione digni, omiſſo digniori, ad Parochias*, num. 112.
SECTIO V. *An Regularis poſſit Parochus inſtitui*, num. 123.
SECTIO VI. *An poſſint Braſiliæ Epiſcopi ſuis Parochiis præficere Regulares*, num. 126.
SECTIO VII. *An poſſit Epiſcopus Parochos examinare*, num. 139.

DISPUTATIO III.

De vigeſima tertia Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *An, & quando teneatur Sacerdos celebrare*, num. 163.
SECTIO II. *An poſſit Sacerdos celebrare bis in eadem die, ſi neceſſitas urgeat*, num. 181.

SE-

SECTIO III. *Qualis debeat eſſe neceſſitas, ob quam Sacerdos celebrare poſſit bis in eadem die*, num. 190.
SECTIO IV. *Qua hora, & loco celebrandum ſit*, num. 205.
SECTIO V. *De Miniſtro, Altari, & reliquiis in altari reponendis*, num. 221.
SECTIO VI. *Quibus perſonis prohibeatur ſacrificio Miſſæ aſſiſtere*, num. 237.
SECTIO VII. *Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur quoad Miſſæ iterationem*, num. 251.
SECTIO VIII. *Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur quoad tempus celebrandi*, num. 263.
SECTIO IX. *Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur quoad Miniſtrum, & locum celebrandi*, num. 271.
SECTIO X. *Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur quoad Altare, Sanctorum reliquias, & perſonarum aſſiſtentiam ad ſacrificium Miſſæ*, num. 279.
SECTIO XI. *Specialis cura Braſiliæ Epiſcopis commiſſa pro cognoſcendis, & approbandis cauſis reſpectu Sacerdotum, qui ab eiſdem Epiſcopis, vel à Sede Apoſtolica facultatem obtinuerint celebrandi bis in die*, num. 285.

DISPUTATIO IV.

De vigeſima quarta Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *Præſentis indulti praxis*, num. 298.
SECTIO II. *De ſumptione Viatici iteranda*, num. 301.
SECTIO III. *De tempore inter unam, & aliam Viatici ſumptionem interponendo*, num. 305.
SECTIO IV. *De nova ſumptione Viatici, ſi infirmus incidat in peccatum mortale*, num. 315.
SECTIO V. *De Viatico conferendo, quando aliquis mane communicavit, & poſt prandium incidit in articulum mortis*, num. 320.
SECTIO VI. *De Viatico ad mortem damnatis miniſtrando*, n. 333.
SECTIO VII. *De tempore, quo damnatis ad mortem miniſtrandum ſit Viaticum*, num. 336.

DISPUTATIO V.

De vigeſima quinta, & vigeſima ſexta Facultatibus Pontificiis, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur.

SECTIO I. *Uſus veſtium ſæcularium Braſiliæ Epiſcopis conceditur*, n. 347.
SECTIO II. *Roſarium, & aliæ preces loco divini Officii recitandæ*, num. 350.
SECTIO III. *Quid Braſiliæ Epiſcopis concedatur circa divinum Officium recitandum*, num. 362.

DISPUTATIO VI.

De vigeſima ſeptima Facultate Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa.

SECTIO I. *Quid, & quotuplex ſit Jejunium*, num. 366.
SECTIO II. *Qui ſint dies jejunii*, num. 374.

SE-

SECTIO III. *Quid veniat nomine carnis in jejunio prohibitæ*, num. 383.
SECTIO IV. *De lacticiniis*, num. 405.
SECTIO V. *Quis poſſit diſpenſare in jejunio*, num. 415.
SECTIO VI. *An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in eſu carnium*, num. 420.
SECTIO VII. *An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ad edenda lacticinia*, num. 438.
SECTIO VIII. *Quando expediat diſpenſare in eſu carnium*, num. 460.

DISPUTATIO VII.

De vigeſima octava Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *De poteſtate Facultates Pontificias communicandi*, num. 481.
SECTIO II. *Quibus perſonis poſſint Braſiliæ Epiſcopi Facultates Pontificias communicare*, n. 490.
SECTIO III. *Quando poſſint Braſiliæ Epiſcopi Facultates Pontificias communicare*, num. 498.
SECTIO IV. *Quid poſſint Epiſcoporum delegati, quibus Facultates Pontificiæ communicantur*, num. 514.

DISPUTATIO VIII.

De vigeſima nona Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

SECTIO I. *Quo intuitu debeant Braſiliæ Epiſcopi Facultates Pontificias exercere*, num. 521.
SECTIO II. *An extra fines ſuæ Diœceſis poſſint Braſiliæ Epiſcopi Facultates Pontificias exercere*, num. 527.
SECTIO III. *Quandiu poſſint Braſiliæ Epiſcopi Facultates Pontificias exercere*, num. 549.
SECTIO IV. *Quandiu poſſint Epiſcoporum delegati Facultates Pontificias exercere*, num. 559.

APPENDIX.

Pro caſibus in Braſilia reſervatis cum deſiderara eorum expoſitione.

SECTIO I. *Quid, & quotuplex ſit reſervatio*, num. 1.
SECTIO II. *Quando incurratur reſervatio*, num. 6.
SECTIO III. *Quæ peccata reſerventur*, num. 13.
SECTIO IV. *Proponuntur caſus in Braſilia reſervati*, num. 22.
SECTIO V. *Quid reſervetur in Braſiliæ per homicidium voluntarium*, num. 24.
SECTIO VI. *Quid reſervetur in Braſilia per veneficium*, num. 42.
SECTIO VII. *Quid reſervetur in Braſilia per furtum rei ad Eccleſiam pertinentis*, num. 54.
SECTIO VIII. *Quid reſervetur in Braſilia per juramentum falſum in judicio*, num. 68.
SECTIO IX. *Quid reſervetur in Braſilia per abortum*, num. 79.
SECTIO X. *Quid reſervetur in Braſilia per incendium*, n. 93.
SECTIO XI. *Quid reſervetur in Braſilia per decimas non ſolutas*, num. 106.
SECTIO XII. *Quid reſervetur in Braſilia per retentionem alieni, cujus dominus ignoratur*, n. 122.

SE-

SECTIO XIII. *Quid reſervetur in Braſilia per excommunicationem maiorem à jure, vel ab homine alteri non reſervatam*, num. 143.

SECTIO XIV. *Qui ſint exempti à Braſiliæ reſervatis*, num. 154.

SECTIO XV. *Qui ſubjacenat Braſiliæ reſervatis*, num. 159.

SECTIO XVI. *Quis poſſit abſolvere à Braſiliæ reſervatis*, num. 164.

BRA-

BRASILIÆ PONTIFICIÆ

LIBER PRIMUS: PROŒMIALIA

Ad univerſas facultates Pontificias,

QUÆ

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDUNTUR:

ET PRÆTEREA NOTATIONES

Ad priores quinque Facultates Pontificias comprehendens.

Dividitur in diſputationes ſex. Prima agit de Proœmialibus ad univerſas Facultates Pontificias, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur. Secunda de Facultate conferendi Ordines extra Tempora, & non ſervatis interſtitiis. Tertia de Facultate diſpenſandi in quibuſcumque Irregularitatibus. Quarta de Facultate diſpenſandi ſuper defectu ætatis unius anni ad Sacerdotium. Quinta de Facultate diſpenſandi, & comutandi vota ſimplicia. Sexta de Facultate abſolvendi, & diſpenſandi in quâcumque ſimonia.

DISPUTATIO PRIMA.

DE PROŒMIALIBUS

Ad univerſas facultates Pontificias,

QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDUNTUR.

SECTIO I.

Præmittitur Facultatũ Catalogus.

1 INDULTIS Apoſtolicis, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, Notas additurus, abs re non erit, ſi eorum catalogum fronti operis præfigam. Tum quia ita poſtulat ſcribendi ratio, ac methodus uſitatiſſima, ut, qui exponendi ſunt, Textus præmittantur: tum quia ſiquis genus hoc ſcriptionis faſtidiat, & vix Indultorum Catalogum deſideret; liberius ipſe, & ſtatim, cùm ſeorſim, & in fronte habeat, Notationibus noſtris ſuperſedeat. In-

dulta igitur Apoſtolica, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, & ſingulis decenniis renovantur, ſunt tenoris ſequentis.

1 *Conferendi Ordines extra Tempora, & non ſervatis Interſtitiis uſque ad Presbyteratum incluſivè, ſi Sacerdotum neceſſitas ibi fuerit.*

2 *Diſpenſandi in quibuſcumque Irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex Bigamia vera, vel ex Homicidio voluntario proveniunt, & in his etiam duobus caſibus, ſi præciſa neceſſitas operariorum ibi fuerit, ſi tamen quoad Homicidium voluntarium ex hujuſmodi diſpenſatione ſcandalum non oriatur.*

3 *Diſpenſandi ſuper defectu ætatis unius anni ob Operariorum penuriam, ut promoveri poſſint ad Sacerdotium, ſi alias idonei fuerint.*

4 *Diſpenſandi, & commutandi vota ſimplicia in alia pia opera, & diſpenſandi ex rationabili cauſa in votis ſimplicibus Caſtitatis, & Religionis.*

5 *Abſolvendi, & diſpenſandi in quacumque ſimonia, & in reali dimiſſis Beneficiis, & ſuper fructibus malè perceptis injuncta aliqua eleemoſyna, vel pœnitentia ſalutari arbitrio diſpenſantis, vel etiam retentis Beneficiis, ſi fuerint Parochialia, & non ſint, qui Parochiis præfici poſſint.*

6 *Diſpenſandi in 3. & 4. Conſanguinit. & Affinit. ſimplici, & miſto tantùm, & in 2. 3. & 4. miſtis, non tamen in 2. ſolo quoad futura Matrimonia: quo verò ad præterita etiam in 2. ſolo, dummodò nullo modo attingat primum gradum, cum his, qui ab Hæreſi, vel Infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, & in præfatis caſibus prolem ſuſceptam declarandi legitimam.*

7 *Diſpenſandi ſuper impedimento publicæ Honeſtatis, juſtis ex ſponſalibus proveniente.*

8 *Diſpenſandi ſuper impedimento Criminis, neutro tamen conjugum machinante, & reſtituendi jus petendi debitum amiſſum.*

9 *Diſpenſandi in impedimento Cognationis Spiritualis, præterquàm inter levantem, & levatum.*

10 *Hæ verò diſpenſationes matrimoniales, videlicet 6. 7. 8. & 9. non concedantur, niſi cum clauſula, dummodo mulier rapta non fuerit, vel ſi rapta fuerit, in poteſtate raptoris non exiſtat, & in diſpenſatione tenor hujuſmodi facultatum inſeratur cum expreſſione temporis, ad quod fuerint conceſſæ.*

11 *Diſpenſandi cum Gentilibus, & Infidelibus plures uxores habentibus, ut poſt converſionem, & Baptiſmum, quam ex illis maluerint, ſi etiam ipſa fidelis fiat, retinere poſſint, niſi prima voluerit converti.*

12 *Conficiendi Olea Sacra cum Sacerdotibus, quos potuerint habere, & ſi neceſſitas urgeat, etiam extra diem Cœnæ Domini.*

13 *Delegandi ſimplicibus Sacerdotibus poteſtatem benedicendi paramenta, & alia utenſilia ad Sacrificium Miſſæ neceſſaria, ubi non intervenit S. Unctio, & reconciliandi Eccleſias pollutas aqua ab Epiſcopo benedicta, & in caſu neceſſitatis etiam aqua non benedicta ab Epiſcopo.*

14 *Largiendi ter in anno Indulgentiam plenariam, contritis con-*

confeſſis, ac Sacra Communione refectis.

15 *Abſolvendi ab Hæreſi, & Apoſtaſia à Fide, & a Schiſmate quoſcumque etiam Eccleſiaſticos tam Sæculares, quam Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi S. Officium exercetur, niſi in locis Miſſionum, in quibus impunè graſſantur Hæreſes, deliquerint, nec illos, qui judicialiter abjuraverint, niſi iſti nati ſint, ubi impunè graſſantur Hæreſes, & poſt judicialem abjurationem, illuc reverſi in hæreſim fuerint relapſi, & hos in foro conſcientiæ tantùm.*

16 *Abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis.*

17 *Concedendi Indulgentiam plenariam primò converſis ab Hæreſi, atque etiam fidelibus quibuſcumque in articulo mortis, ſaltem contritis, ſi confiteri non poterunt.*

18 *Concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione 40. horarum ter in anno indicenda diebus Epiſcopo bene viſis contritis, & confeſſis, & ſacra Communione refectis, ſi tamen ex concurſu populi, & expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti nulla probabilis ſuſpicio ſit ſacrilegii ab Hæreticis, & Infidelibus, aut Magiſtratibus offenſum iri.*

19 *Lucrandi ſibi eaſdem Indulgentias.*

20 *Singulis Secundis Feriis non impeditis officio 9. lectionum, vel eis impeditis, die immediatè ſequenti, celebrando Miſſam de Requiem in quocumque Altari, etiam portatili, liberandi animas ſecundùm eorum intentionem à Purgatorii pœnis per modum ſuffragii.*

21 *Tenendi, & legendi, non tamen aliis concedendi, libros Hæreticorum, vel Infidelium de eorum Religione tractantium ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinei, Nicolai Machiavelli, & libros de Aſtrologia judiciaria principaliter, vel incidenter, vel aliàs quovis modo de ea tractantes; ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur.*

22 *Præficiendi Parochiis Regulares, eiſque ſuos deputandi Vicarios in defectu Sæcularium, de conſenſu tamen ſuorum ſuperiorum.*

23 *Celelebandi bis in die, ſi neceſſitas urgeat, ita tamen, ut in prima Miſſa non ſumpſerit ablutionem, per unam horam ante auroram, & aliam poſt meridiem, ſine Miniſtro, & ſub dio, & ſub terra, in loco tamen decenti, etiam ſi altare ſit fractum, vel ſine reliquiis Sanctorum, & præſentibus Hæreticis, Schiſmaticis, Infidelibus, & Excommunicatis, & aliter celebrari non poſſit. Caveat verò, nè prædicta facultate, ſeu diſpenſatione celebrandi bis in die aliter, quam ex graviſſimis cauſis, & rariſſimè utatur, in quo graviter ipſius conſcientia oneratur. Quod ſi hanc eamdem facultatem alteri Sacerdoti juxtà poteſtatem inferius apponendam communicare, aut cauſas ea utendi alicui, qui à S. Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare viſum fuerit; ſeriò ipſius conſcientiæ injungitur, ut paucis dumtaxat, iiſque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui abſolutè neceſſarii ſunt, nec pro*

 qua-

quolibet loco, ſed ubi gravis neceſſitas tulerit, & ad breve tempus eamdem communicet, aut reſpectivè cauſas approbet.

24 *Deferendi Sanctiſſimum Sacramentum occultè ad infirmos ſine lumine, illudque ſine eodem retinendi pro eiſdem infirmis, in loco tamen decenti, ſi ab Hæreticis, aut Infidelibus ſit periculum ſacrilegii.*

25 *Induendi veſtibus Sæcularibus, ſi aliter, vel tranſire ad loca eorum curæ commiſſa, vel in eis permanere non poterunt.*

26 *Recitandi Roſarium, vel alias preces, ſi Breviarium ſecum deferre non poterunt, vel Divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.*

27 *Diſpenſandi quando expedire videbitur ſuper uſu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore jejuniorum, & Quadrageſimæ.*

28 *Prædictas Facultates commnicandi, non tamen illas, quæ requirunt ordinem Epiſcopalem, vel non ſine Sacrorum oleorum uſu exercentur, Sacerdotibus idoneis, qui in eorum Diœceſibus laborabunt, & præſertim tempore ſui obitus, ut Sede Vacante, ſit, qui poſſit ſupplere, donec Sedes Apoſtolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit per Legatos, vel per unum ex eis, alio modo provideat: quibus Delegatis authoritate Apoſtolica facultas conceditur, Sede Vacante, in caſu neceſſitatis; conſecrandi Calices, patenas, & altaria portatilia ſacris oleis, ab Epiſcopo tamen benedictis.*

29 *Et prædictæ facultates gratis, & ſine ulla mercede exerceantur, & ad annos decem tantum conceſſæ intelligantur, nec illis uti poſſit extra fines ſuæ Diœceſis.*

Feria quinta die 22. Februarii an. 1725. in Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum coram SS. D. N. D. Benedicto, Divina Providentia PP. XIII. ac Emminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis SS. D. N. Papa prædictus N. Epiſcopo S. Sebaſtiani in Indiis Occidentalibus ſupradictas facultates ad decennium conceſſit, ita tamen, ut iis nullo modo uti poſſit extra fines ſuæ Diœceſis.

D. Cardinalis Judice.

Antonius Lancionus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

SECTIO II.

Quid ſignificent Facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur?

2 INdulta Apoſtolica, quæ Braſiliæ Epiſcopis concedi ſolent, ſectione proxima vidimus: modo de illorum Notis agendum: ſed antequam ad ſingulas Notas in particulari deveniamus, aliqua prius in communi, veluti principia generalia, & omnium Indultorum praxi utilia, expediamus. Sit igitur.

3 Notatio Prima. Quid ſignificent

cent Facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur? ℞. nomine *Facultatum* venire hic ſpeciales quaſdam, & extraordinarias Gratias, ſeu privilegia latè dicta, quæ in bonum ſpirituale Braſilienſium concedunt Pontifices, idque ad decennium, quo finito, iterum renovantur eædem Gratiæ. Nam ſicut nomen *Facultas* idem interdum ſonat, ac *facilitas agendi*, Calep. verb. *Facult.* ita per hujuſmodi facultates, ſeu Indulta Apoſtolica facile reddunt Pontifices, & fieri poſſe concedunt, quod aliàs non poſſent Braſiliæ Epiſcopi.

4 Cùm enim Braſiliæ Epiſcopi per longos maris tractus, & multa leucarum centenaria ab Europa diſtent, ita ut difficillimus ſit ad Romam recurſus, immò & moraliter impoſſibilis in caſu urgentis neceſſitatis: idcircò convenientiſſimum fuit, ut Paſtores Summi, quibus incumbit fidelium cura, in ſalutem Braſilienſium aliqua indulgerent, & veluti relaxarent, quæ anteà jure antiquo, & moderno Tridentini coarctaverant, & ſibi ipſis ſpecialiter reſervaverant: ſimilia Indulta Apoſtolica novæ Hiſpaniæ Epiſcopis conceſſa tangit *Solorzan. de Indiar. jure tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 7. *n* 24. Atque etiam his affinia teſtantur conceſſa Germaniæ Epiſcopis *Pignat. tom.* 7. *Conſultat.* 53. *&* *LaCroix lib.* 6. *part.* 3. *n.* 846.

5 Notatio Secunda. An prædictæ Facultates pertineant ad juriſdictionem ordinariam Epiſcoporum? ℞. maiori ex parte non pertinere. Ratio eſt; quia juriſdictio ordinaria eſt perpetua, quatenùs à lege datur, & deſcendit, *Barboſ. de Offic. & Poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 54. *n* 32. *&* 33. Facultates verò, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, non ſunt perpetuæ, ſed temporales, ut expreſſè conſtat ex ipſo Facultatum Catalog. n. 29. *Ad annos decem tantùm conceſſæ intelligantur.* Deinde à nulla lege dantur, nec deſcendunt, ſed à ſola Gratia ſpeciali, & benigno favore Pontificum: ergo.

6 Dixi: *Maiori ex parte*, quia in prædictis Facultatibus aliqua continentur, quæ competunt Epiſcopis de jure communi, atque adeò etiam ante conceſſas facultates prædictas ſunt v. g. diſpenſare in Interſtitiis, ſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas expoſcat. *Trid ſeſſ.* 23. *cap.* 11. *de Reformat.* Diſpenſare cum illegitimis ad Ordines Minores, ad Beneficium ſimplex, & cap. *Is, qui.* De Filiis Presbyt. in 6. & hujuſmodi alia.

7 Dices. Quid igitur ſpeciale concedit Pontifex, dùm Braſiliæ Epiſcopis facultatem concedit diſpenſandi v. g. in interſtitiis, cùm illegitimis ad Ordines &c. ſi hæc, & ſimilia competunt Epiſcopis de jure communi, atque adeò ante conceſſas prædictas facultates? ℞. in his, & ſimilibus ſemper aliquid de novo concedi. *Anaclet. tom.* 1. *l.* 1. *Decret. tit.* 3. *de Reſcriptis* §. 5. *n.* 137. Ratio eſt; quia Gratia ita accipienda eſt, ut ſemper aliquid operetur, ſeu conferat, *Card. Tuſcus lit. V. Concl.* 85. *n.* 65. Alioquin inutilis eſſet Gratia conceſſa, ut habetur cap. *His* 30. De Privileg. ibi: *Ita quòd dicti Fratres aliquam ex Indulgentia noſtra videantur in hoc gratiam conſecuti.* Ubi Gloſſ. inquit: *Indulgentia enim ſemper debet aliquid conferre: aliàs deluſoria eſſet Indulgentia Principis.*

8 Undè minus ſcrupuloſi eſſe debent, & minus ſoliciti, quàm ſolent Braſiliæ Epiſcopi in examinandis

nandis cauſis pro ſuarum facultatum praxi, & uſu licito quoad ea ſcilicet, quæ ex jure poſſunt, & ſimul ex ſpeciali favore Pontificum. Pontifices enim, quando facultates ſpeciales concedunt, ſemper aliquid amplius credendi ſunt concedere, quàm de jure poſſunt Epiſcopi: alioquin inutiles eſſent Gratiæ Apoſtolicæ, & Pontifices in eis concedendis deluſorii, quod tamen neque de Pontificibus, neque de eorum Indultis præſumi debet.

9 Notatio Tertia. An in omnibus his facultatibus, & Gratiis diſpenſandi in irregularitatibus, ſimonia, votis, abſolvendi à reſervatis, & quæ ſunt hujuſmodi, in quibus nec determinantur perſonæ, nec earum ſtatus, ſed loquuntur indefinitè, & univerſaliter, ſicuti ſunt plures earum à 1. uſque ad 17. incluſivè, poſſint, aut debeant, ſervando in reliquis earum tenorem, & reſtrictionem, extendi ad omnes perſonas, etiam non ſubditas prædictis Epiſcopis, nempè peregrinos, exteros, advenas, Moniales, & Religioſos, etiam Societatis JESU, ita ut omnes, etiam ſuis Prælatis ignorantibus, aut contra eorum voluntatem, poſſint à prædictis Epiſcopis abſolvi à quibuſcumque cenſuris, & peccatis, prout in *n.* 16. continetur, etiamſi ad ſpeciale regimen ſuarum Religionum ſint reſervata: & eadem ratione diſpenſari in irregularitatibus, ſimoniis, & ad eum modum, quo poſſent in anno Jubilæi abſolvi, vel à Pœnitentiariis Summi Pontificis, vel à quocumque Confeſſario approbato ab Ordinario virtute Jubilæi, dum tamen prædicti Epiſcopi in propriis Diœceſibus exiſtunt, & prædicti Religioſi, peregrini, & advenæ ſimiliter reperiuntur in iiſdem Diœceſibus, maximè ſi non per fraudem, & ad prædictas abſolutiones, & diſpenſationes ſolùm ad eas appulerint, ſeu pervenerint?

10 Ita in terminis proponit cit. *Pignat.* circa Indulta Apoſtolica, Germaniæ Epiſcopis conceſſa, & quoad omnia reſpondet affirmativè loco citato *n.* 1. *ad* 1. dummodò non in fraudem juxta Conſtitutionem Clementis X. anno 1. ejus Pontificatus, §. *Et an habentes facultatem abſolvendi.*

11 Hæc Pignat. quoad Indulta Apoſtolica Germaniæ Epiſcopis conceſſa. Jam verò quoad Indulta Braſiliæ Epiſcopis conceſſa, eadem ratio militat: ſunt enim Indulta fermè eadem, & poteſtas in utriſque contenta non eſt Epiſcopis ordinaria, ſed extraordinaria. Nihilominùs videatur *La Croix lib.* 6. *part.* 3. *n.* 852. qui licet ibi nihil reſolvat, ibi tamen ſe remittit *ad lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1464.

12 Nec ideò Prælati Regulares, præſertim Europæi, qui ſubditis ſuis facultatem faciunt in Braſiliam conveniendi, & non raró in Provincias illas remotiſſimas, immenſi auri, & pretioſiſſimorum adamantum matrices fœcundiſſimas, vulgò *Minas Geraes*, *Serro do Frio*, *Guayaz*, *Cuyabà &c.* Nec ideò, inquam, Prælati Europæi ſententiæ *Pignat.* contraire debent, nec de illa eſſe inviti: melius enim eſt eorum ſubditos, dum tam longe à Clauſtris peregrinantur, promptum habere remedium, ſi opus ſit, quàm illo penitùs deſtitui, modò ſerventur quæ ad finem dubii cauta ſunt.

11 Cùm de Regularibus dixi ſupra: *Invitis eorum Prælatis*, intellige irrationabiliter; inviti enim irrationabiliter videbuntur, ſi uſus talis facultatis nec eſt contra Ordinis

nis ſtatuta, vel obſervantiam Regularem, nec Prælati Regulares habent ex privilegio ſimiles facultates, quas habent Epiſcopi; vel ſi habent, non datur ad eos facilis recurſus. Et ita quoad Regulares in hoc ſenſu tantummodo admitto opinionem Pignatelli ſupra.

SECTIO III.

Ex quo tempore valeant Facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur.

13 NOtatio Prima. Ex quo tempore valeant Facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur? An ſtatim à tempore Datæ, id eſt, à die, quo Romæ conceduntur, & expediuntur; an potiùs à die, quo in Braſiliam perveniunt, & ad manus Epiſcoporum?

14 Ratio dubitandi eſt; quia in ſimili materia variè loquuntur Textus, & in utroque ſenſu intelligi poſſunt. Nam quòd Indulta Apoſtolica valeant ſtatim à die conceſſionis, & datæ, habetur in cap. *Eam te*: ibi: *Datam literarum.* Et in cap.ult. De Reſcript.ibi: *Tempore impetrationis* eod. titul. & in multis aliis.

15 Quòd autem valere incipiant à die, quo perveniunt in Braſiliam, & ad manus Epiſcoporum, probant cap. *Audita* 4. ibi: *Ante poſteriorum literarum receptionem.* De Reſtit. ſpoliat.& cap.*Ut debitus* 59. De Appellat. & cap. *Super eo* verſ. *Si autem* eod. titul.

16 Diſtinctione igitur utendum eſt. Aut enim loqui poſſumus de Indultorum ſubſtantia, valore, & eſſentia, aut de illorum uſu, praxi, & exercitio. Si loquamur primo modo, dicendum eſt, Indulta Apoſtolica valere ſtatim à tempore datæ; ſi verò loquamur ſecundò modo, dicendum eſt, Indulta Apoſtolica valere incipere à die, quo in Braſiliam perveniunt, & ad manus Epiſcoporum. Et ſic conciliantur Textus, qui pro utraque parte pugnare videntur.

17 Et hanc quidem diſtinctionem, & veluti contrariorum Textuum concordiam primus invénit quidam ingenioſiſſimus Magiſter Franciſcus Vaz de Gouvea, per Univerſitatem Conimbricenſem in Jure Canonico Doctor, conſultus à *Themud. tom.*4. *Deciſ.*60. *n.*9. qui hanc etiam diſtinctionem approbavit, juridicam appellavit, & latè promovit *loc. cit. à n.* 15. Dicamus igitur de Indultis in primò ſenſu: de illis verò in ſecundò ſenſu dicemus ſectione ſequenti.

18 Notatio Secunda. Indulta Apoſtolica, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa, quoad ſui ſubſtantiam, valorem, & eſſentiam valent ſtatim à tempore Datæ, id eſt, à die, quo Romæ conceduntur, & expediuntur. *Ita Pignat. tom.* 7. *Conſultat.* 53. *n.* 9. ad 9. *Anaclet. lib.* 5. *Decretal. tit.*33. §. 2. *n.* 46. *& DD.* communiter. Ratio eſt; quia Indultum Apoſtolicum eſt veluti quædam donatio, quæ ſtatim valet, ubi primum fit, & acceptatur. Arg. L. *Abſenti* ff. De donation: quoties autem Pontifex concedit, ſtatim adeſt Epiſcoporum acceptatio: Ergo.

19 Notatio Tertia. Eadem eſt reſolutio, ſivè Epiſcopus ſupplicet, & acceptet per ſe, ſivè per alium, quem ad id conſtituat procuratorem. *Anaclet. loc. cit.* Procurator enim eſt perſona conjuncta cùm conſti-

 tuente,

tuente, *Sanch. lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 6. *n.* 30.

20 Notatio Quarta. An Epiſcopus dictis facultatibus uti poſſit ante notitiam conceſſionis? ℞. negativè. Id patet 1. ex declaratione Sacr. Congr. infra *num.* 31. videnda. 2. quia uſus dictarum facultatum ante notitiam conceſſionis eſſet temerarius, ac proinde illicitus ob periculum gerendi actum invalidum, ſi forte illæ per id temporis nondum fuiſſent conceſſæ. Unde quamvis ipſæ quoad eſſentiam valere incipiant à die conceſſionis, & acceptationis, prout ſupra dictum eſt, tamen ipſe valor manet veluti impeditus, ac ſuſpenſus, nè ad uſum, ac praxim deducatur, antequam Epiſcopo præſententur, ſivè notum fiat eas conceſſas fuiſſe.

21 Hinc infert 1. Anacletus cùm aliis valere Matrimonium, cui ſimplex Sacerdos interſit poſt petitam à ſe, mediantibus literis, aut procuratore, & conceſſam à Parocho, vel Ordinario licentiam aſſiſtendi, quamvis de tali conceſſione nondum factus ſit certus: ſecus, ſi dictam licentiam nullo modo petierit.

22 Infert 2. Valere abſolutionem à reſervatis, vel excommunicatione, quandò licentia abſolvendi per internuntium fuit petita, & à Superiore jam conceſſa, licèt nuntius nondùm redierit. Et quamvis uſus talis licentiæ ante acceptam de illa notitiam certam, ſit temerarius, adeoque illicitus, adhuc tamen actum geſtum fore validum tenet *Anaclet loc. cit.*

23 Dices 1. Siquis abſenti ſervo ſcribat, ut liber ſit, non acquiritur ſervo libertas, niſi pro eo tempore, quo ſervus de hoc factus eſt certus. L. *Qui abſenti ff.* De acquirend. Poſſeſſ. 2. quia dignitas Conſularis primùm acquiritur à literis præſtitis, id eſt, præſentatis. *L ult. C De Conſul. L.* 12. *juncta Gloſſ. ibidem* 3. quia donatio non confert jus aliquod donatario ante acceptationem, & conſequenter notitiam ipſius. L. *Abſenti* ff. de Donation. Ergo ſimiliter.

24 ℞. In adductis exemplis, & ſimilibus ideò requiri alterius partis notitiam; quia hæc, & ſimilia aliquam ſecum trahunt mutuam obligationem. Sic ſervus manumiſſus tenetur ad jus Patronatus, Conſul ad onera conſulatùs, & donatarius ad evitandam ingratitudinem. At verò Epiſcopus præter facultatum ſuarum uſum rectum ad nihil amplius tenetur; nec aliud ab eo requiritur, cùm tales facultates ex mera Pontificis benevolentia, & paternali providentia erga animas Braſilienſium proveniant, & concedantur abſque ullo onere.

25 Notatio Quinta. Quid, ſi in mari naufragium faciat, aut aliàs deperdatur Indultorum Catalogus? ℞. Adhuc poſſe Epiſcopos Indultis ſuis uti, quatenùs ad privilegii valorem conveniunt DD. non eſſe neceſſariam ſcripturam. Ratio eſt; quia privilegium eſt favor Principis; favor autẽ Principis non indiget ſcriptura, ut valeat. Sic Pontifex quando aliquid concedit, ut gratia dicatur facta, ſatis eſt, quod dicat: *Fiat. Nogueir. de Bull. Cruciat. diſp.* 6. *Sect.* 1. *n.* 4.

26 Notatio Sexta. An verò tam pro foro interno, quàm pro externo vigeat tradita reſolutio? ℞. affirmativè. Ratio eſt; quia licèt aliqua privilegia non valeant, niſi ſcripta inſpiciantur, *Caſtro Pal. tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 3 §. 1. *àn.* 2. hoc tamen intelligitur de privilegiis, quæ probanda, vel oſtendenda ſunt. *Anaclet.*

let. cit. n. 31. In privilegiis autem, ſeu Indultis, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, ſimiles qualitates non reperiuntur.

27 Dices. Stylus Curiæ habet, ut Gratiæ Apoſtolicæ dicantur informes, & nulli ſuffragentur ante literarum expeditionem, ut habetur Reg. Cancell. 27. ibi: *Cùm ante confectionem literarum Gratiæ Apoſtolicæ ſint informes.* Et concordat Regul. 52, ejuſd. Cancell. Apoſtol. ibi: *Nulli ſuffragetur diſpenſatio, niſi literis confectis*: Ergo.

28 ℞. Confectionem literarum non eſſe neceſſariam quoad ſubſtantiam, & valorem, ut tenet communis DD. ſententia, ſed ſolùm quoad aliquas circunſtantias, vel qualitates, v. g. oſtenſionem, vel probationem, ſi opus ſit. *Anaclet. cit. n.* 29. cùm autem non ſit apud quem Epiſcopi teneantur privilegia ſibi conceſſa oſtendere, vel probare: ideò &c. Tandem hujuſmodi privilegia ſupponuntur Romæ expedita, adeòque non informia, ſed ſolùm caſualiter amiſſa, quod eſt valdè diverſum.

SECTIO IV.

Quomodò computandum ſit decennium in Facultatibus præſcriptum?

29 SEctione præcedenti locuti ſumus de tempore, ex quo valeant Indulta Apoſtolica Braſiliæ Epiſcopis conceſſa, quoad ſui ſubſtantiam, valorem, & eſſentiam: in præſenti veró dicemus de tempore, ex quo valere incipiant quoad ſui uſum, praxim, & exercitium juxta diſtinctionem ſuprà datam à n. 14.

30 Notatio unica. Decennium in Indultis præſcriptum quoad ſui uſum, praxim, & exercitium computandum eſt à die, quo in Braſiliam perveniunt, & ad manus Epiſcoporum. Favet primo Text. in *cap. ſuper eo.* 2. de Appellat. ibi: *Si autem intra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit cùm judices contigerit literas accepiſſe.* Quem textum tanquam capitalem adducit Speculator de Reſcript. præſentatione, in §. Ratione autem impetrantis, n. 9. ibi: *Quià tempus in literis comprehenſum cōputatur à tempore, quo reſcriptum judicibus præſentatur.*

31 Favet ſecundò declaratio Sacræ Congregat. de Propaganda Fide, die 13. Auguſti, anno 1670. apud *Pignat. cit.* Interrogata enim Sacra Congregatio à Miſſionariis pro declaratione: *An tempus præſcriptum in facultatibus ſibi conceſſis currere inciperet à die expeditionis, vel adventus eorum in Miſſiones? Sacra Congregatio reſpondit: Quòd facultates currerent à die, quo perveniunt ad locum Miſſionum*: Ergo ſimiliter.

32 Probatur modò ratione: quia non eſt præſumendum de intentione Pontificis concedentis Indulta Braſiliæ, velle ſe, ut per minùs, quàm decennium illis utantur Epiſcopi: ſed hoc verificari non poteſt, ſi decennium in Indultis præſcriptum, quoad ſui uſum, praxim, & exercitium non ita computetur, ut currere incipiat à die, quo in Braſiliam perveniunt, & ad manus Epiſcoporum: Ergo.

33 Colligitur maior, primò ex eo, quòd in Facultatum Catalogo n. 29. bis moneantur Epiſcopi, nè dic-

dictis Indultis utantur ultrà decennium, ibi *Ad annos decem tantum conceſſæ intelligantur*: & in fine: *Supradictas facultates ad decennium conceſſit, ità tamen &c.* Ergo ſicut de intentione Pontificis non eſt, quod ultrà decennium, ita etiam non eſt, quòd per minus, quàm decennium Indultis utantur Epiſcopi: aliàs non eſſet ſincera Pontificis indulgentia, quòd tamen non eſt dicendum.

34 Colligitur maior ſecundò ex eo, quòd ad interpretandam mentem Pontificis multùm conducat teſtificatio Notariorum. Hi autem affirmant hanc eſſe communem praxim, & uſum in Curia Romana receptum. *Themud. cit. n.7.* ut ſcilicet conceſſiones datæ cum limitatione temporis currere incipiant à die præſentationis, & non à die datæ. Non eſt igitur præſumendum de intentione Pontificis concedentis Indulta Braſiliæ, velle ſe, ut per minus, quàm decennium, illis utantur Epiſcopi.

35 Colligitur maior tertiò ex eo, quòd Indulgentia alicui Eccleſiæ, vel pio loco conceſſa ad ſeptennium ita accipienda eſt, ut intelligatur duratura ad ſeptem annos integros, & completos, quamvis tale ſeptennium interrumpatur per annum Jubilæi, quo ſuſpenduntur omnes Indulgentiæ. *Ita cum Gobat, P. Viva tom. 1. Theſium Damnatar. in fine de ſuſpenſione Indulgentiar. art.5. àn. 5.* Ergo ſimiliter Facultates ad decennium conceſſæ ita accipi debent, ut quoad ſui uſum, praxim, & exercitium, durent ad decem annos integros, & completos, quamvis à die datæ uſque ad diem, quo in Braſiliam perveniunt, tempus aliquod abſumatur.

36 Neque obſtat diſcrimen inter ſeptennium, & ſeptem annos; quatenùs ſeptennium ſignificat ſeptem annos continuatos; ſeptem verò anni ſignificant annos etiam interpolatos, ut obſervavit *Paſqualig.* quæſt. 752. Undè infert, quòd Indulgentia ad ſeptennium conceſſa, ſi interrumpatur per annum Jubilæi, intelligi debeat duratura ad ſex tantùm annos, & non ampliùs. Non, inquam, id obſtat: quià in noſtro Facultatum Catalogo etiam exprimitur clauſula *ad decem annos*: undè ly *ad decem annos* in Catalogo exponit ly *ad decennium* in noſtro ſenſu, adeòque decem anni computandi ſunt integri, & completi, non à die datæ, ſed à die, quo in Braſiliam perveniunt Facultates Pontificiæ.

37 Probatur minor primò: quia in Braſiliam raró, aut nunquàm perveniunt negotia Romæ expedita, quin annus, & ampliùs in itinere abſumatur, ut experientia conſtat: Ergò ſi decennium in Indultis Braſiliæ præſcriptum, quoad ſui uſum, praxim, & exercitium non ita computetur, ut currere incipiat à die, quo in Braſiliam perveniunt, non poterunt Epiſcopi per decennium illis uti.

38 Probatur eadem minor ſecundò: quia legitimè impedito ad utendum gratià ſibi conceſſa non debet præjudicare impedimentum ipſum, juxta *Text. in leg. Annus, ibi: Si modò poteſtas ei fuerit experiundi. ff. de calumniat. l. 1. §. ult. in fin. ibi*: *Quis enim incuſare eos poterit, ſi hoc non fecerint, quòd et ſi maluerint, minimè adimplere, lege obviante, valebant.* Atqui, dùm in Braſiliam non perveniunt Indulta Apoſtolica, Epiſcopi ſunt legitimè impediti ad illorum uſum, praxim, & exercitium: Ergò Epiſcopis præ-

præjudicare non debet impedimentum ipſum: præjudicaret autem, ut patet, ſi ita computaretur decennium, ut currere inciperet à die datæ.

39 Limita, ſi aliundè per procuratorem, vel aliam perſonam loco procuratoris ſubſtitutam habeatur notitia prævia de Indultis jam conceſſis, & Romæ expeditis: & deinde cùm hac notitia Indultis uti cæpiſſent Excellentiſſimi: ut jam fortè contigit, & fieri poſſe colligitur ex dictis à n. 14. In hac enim hypotheſi ita computandum eſt decennium, ut currere incipiat à die, quo Indultis uti cæperunt Excellentiſſimi: & non à die, quo poſteà in Braſiliam perveniunt Indulta, & ad manus Epiſcoporum.

40 Ratio eſt: quia ſicut Epiſcopi privandi non ſunt, quòd per decennium Indultis utantur, ita Indultis uti non poſſunt ultrà decennium, ut ibidem cavetur: ſi autem à die, quo Excellentiſſimi habuerunt notitiam conceſſionis, Indultis uti cæpiſſent; & poſtea à die, quo in Braſiliam perveniunt, iterum computarent decennium in Indultis præſcriptùm, tunc ultrà decennium tràſcurrerent, quod tamen facere non poſſunt.

41 Objicies tamen. Conceſſiones, & Gratiæ Apoſtolicæ de ſtylo Curiæ Romanæ incipiunt habere vigorem à die datæ: ergò. Antecedens probatur exemplo Epiſcoporum, qui, ſi non conſecrantur intra tres menſes ſecundum datam Romæ, tenentur iterùm adire Romanum Pontificem, & alias pœnas ſubire, juxtà *Text. in cap. Quoniam quidam Diſtinct.* 100. *verſ. ſi vero, & in Trid. ſeſſ.* 7. *cap.* 9. *& ſeſſ.* 23. *cap. Ergò.*

42 ℞. diſting. anteced. Incipiunt habere vigorem à die datæ, quoad ſui ſubſtantiam, valorem, & eſſentiam, conced. quoad ſui uſum, praxim, & exercitium, neg. anteced. Diſtinctio claret ex dictis.

43 Ad exemplum Epiſcoporum reſpondet *Themud. cit. n.* 23. dari ſpecialem rationem, ut tempus Epiſcoporum conſecrationi præſcriptum currere incipiat à die datæ, nempè ob periculum viduarum Eccleſiarum, de quo eſt *Text. in cap. Quoniam quidam Diſtinct.* 100. *ibi. Ac per hoc Epiſcoporum conſecratio viduatis Eccleſiis non ſine periculo protelatur.* Quapropter intra breve tempus tenentur Epiſcopi conſecrari.

44 Atque ut hoc ita fiat, Epiſcopis graves pœnæ in eodem Textu imponuntur, videlicet, quòd ſi intra tres menſes non conſecrentur, fructibus privantur: & ſi intra alios tres menſes conſecrari neglexerint, Eccleſias ipſo jure amittunt. At verò in noſtro caſu non datur ſimile periculum, nec præjudicium tertii. Undè juxta juridicam diſtinctionẽ, quam ſuprà amplexati ſumus.

45 ℞. ſecundò, conceſſo antecedente, neg. conſeq. Diverſa ratio eſt: quia conſecratio Epiſcoporum non eſt ad tempus, ſed perpetua, eſt enim Spiritualis diſponſatio Sponſi cùm Sponſa: è contrà verò Indulta Apoſtolica, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, non ſunt perpetua, ſed temporaria, eſt ad annos decem tantùm conceſſa.

46 Nos autem, quando dicimus, quòd tempus literarum, quoad ſui uſum, praxim, & exercitium non à die datæ, ſed à die præſentationis attendendum ſit: loquimur de literis, Gratiis, & Indultis Apoſtolicis, quæ cum limitatione temporis conceduntur, ut Indulta Braſilica:

ca: in his enim, (quidquid ſit de aliis) ut habet praxis Romana, & teſtantur Notarii Apoſtolici apud *Themud.cit.* incipit tempus currere à die, quo literæ præſentantur. Unde non tenet exemplum Epiſcoporum.

SECTIO V.

Quinam Epiſcopi prædictis Facultatibus uti poſſint?

47 NOtatio Prima. An Epiſcopus confirmatus, & non conſecratus, dictis facultatibus uti poſſit? Ratio dubitandi eſt: quià dictæ facultates ſunt extraordinariæ, ſaltem maiori ex parte, ut diximus n. 5. Epiſcopus verò confirmatus, & non conſecratus, ea tantum poteſt, quæ ſunt juriſdictionis ordinariæ: *Barboſ.p.* 2. *alleg.* 36. *n.* 6. Ad punctum.

48 ℞. affirmativè. Ratio eſt primò: quia licet facultates non ſint ordinariæ, ſed extraordinariæ, tamen reducuntur ad Gratias factas, quæ ſimpliciter, & abſolutè dantur ei, in cujus gratiam concedũtur. *Sanch. tom.* 3. *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 28. *quæſt.* 3. *n.* 48. Gratia autem facta ſtatim valet à tempore conceſſionis, & acceptationis, ut oſtendimus n. 18.

49 Ratio eſt ſecundò: quia Privilegium, quod nemini nocet, & cedit in favorem cauſæ piæ, licét aliquo modo deroget juri communi, eſt amplè interpretandum. *Caſtr. Pal. de Privileg. diſp.*4. *punct.* 10. *n.* 5. Indulta autem noſtra nemini nocent, & præterèa ſunt in favorem cauſæ piæ, quatenus ſunt in bonum animarum: unde ſunt amplè interpretanda, & ut ſtatim valitura à tempore ſuæ conceſſionis.

50 Excipe, quæ ordinem Epiſcopalem requirunt: hæc enim conſecrationem expectare debent; ut patet. Unde reſolutio de his intelligenda eſt, quæ non requirunt Ordinem Epiſcopalem, in quo ſenſu affirmamus: quatenus hæc etiam, & ſimilia Indulta conceduntur RR. PP. Franciſcanis, vulgò *Barbadinhos*, qui ad Miſſiones Angollæ veniunt ex Italia, & hac tranſeunt, & hic commorantur: qui tamen, ſi neceſſitas exigit, talibus privilegiis utuntur, quin ſint Epiſcopi conſecrati. Et hinc patet ad rationem dubitandi n. 46.

51 Notatio ſecunda. An etiam Archiepiſcopus, ante receptionem Pallii, dictis facultatibus uti poſſit? Ratio dubitandi oritur ex *Text.* in *cap. Niſi ſpecialis de auctor. & uſu Pallii* ibi: *Non tamen deberet ſe Archiepiſcopus appellare, priuſquàm à nobis Pallium ſuſcepiſſet, in quo Pontificalis officii plenitudo cùm Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur.* Ex hoc enim Textu videtur non eſſe integrum Archiepiſcopo talem ſe nominare, nec juriſdictione aliqua uti, ante Pallii ſuſceptionem. Videatur *Sanch.* infrà citand. His non obſtantibus.

52 ℞. affirmativè cùm *Sanch. in præcept. decalog. tom.* 2. *lib.*7. *cap.* 5. *n.* 66. *& tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 38. *n.* 9. *Barboſ. p.* 3. *alleg.* 99. *n.* 4. Ratio eſt: quia Archiepiſcopi tantùm interdicuntur ante Pallii receptionem cogere Concilium, & exercere, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis: non autem ea, quæ ſunt juriſdictionis ordinariæ; hæc enim, facta confirmatione, etiam ante Pallii receptionem, poteſt Archiepiſcopus exercere, ſicut de Epiſcopo dixi-

diximus Notatione proxima. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt Textus in contrarium adductus numer. præcedenti.

53 Dices tamen. Anno Salutis 1640. Illuſtriſſimum D. Didacum Salcedo Beancos, Epiſcopum electum Eccleſiæ Auſturicenſis, miſit Rex Hiſpaniarum Philippus IV. cùm ſchedula, ut Capitulum Auſturicenſe eum reciperet, dicendo: *Venerable Dean, y Cavildo de la Sancta Igleſia Cathedral de Aſtorga, Sede Vacante. Ya ſaveis, como haviendo yò apreſentado à eſſa Igleſia a D. Diego de Salcedo Beancos, ſu Sanctidad la paſſò en ſu favor hà muchos dias, y ſe le expedieron las Bulas, las quales por algunos accidentes, que ſe offerecieron, ſe han perdido &c. Fermoſinus tract.* 1. *de Capitulo, Sede Vacante, quæſt.* 5. Et tamen Auſturicenſe Capitulum, Sede Vacante, Illuſtris. D. de Salcedo non recepit, imò ſe excuſavit à mādatoRegio per Extravag. *Injunctæ*: Ergó vel Epiſcopus confirmatus, & non conſecratus, non poteſt, quæ ſūt juriſdictionis ordinariæ, vel Indulta Apoſtolica non vigent, cùm deperduntur.

54 ℟. exemplum adductum non procedere in terminis noſtræ quæſtionis: ſupponimus enim Epiſcopum, vel Archiepiſcopum Braſiliæ confirmatum, & non conſecratum, in pacifica poſſeſſione Eccleſiæ ſuæ per literas expeditas, & præſentatas Capitulo; neque enim Epiſcopus poteſt aliter Epiſcopatum adminiſtrare. *Barboſ.* 3. *p. allegat.* 54. *n.* 161. & prout ſic dicimus vigere Indulta Apoſtolica, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa, eſto in mari naufragium fecerint, aut aliter perierint, dummodò de eorum expeditione conſtet. At verò litigium, de quo argumentum erat de adeunda poſſeſſione, vel Gubernatione Epiſcopatus; quod eſt longe diverſum.

SECTIO VI.

Quando expirent Facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur?

55 Notatio Prima. An Indulta Braſilica expirent morte concedentis? Et omiſſa diſtinctione inter Gratias factas, & Gratias faciendas, quarum priores non expirant morte concedentis, etiam re integra: maximè verò poſteriores, re integra: ſecus, ſi res non erat integra: *Sanch. lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 28. *quæſt.* 3. *n.* 64. Atque etiam independenter à quæſtione illa: An Indulta Braſilica reduci debeant ad gratias factas, an potiùs ad gratias faciendas? Ad quæſitum propoſitum ℟. negative. Ratio eſt: quia initio cujuſque Pontificatûs promulgatur regula Cancellariæ, quæ habet ſic:

56 *Item revocat quaſcumque facultates conceſſas quibuſvis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis, & Perſonis, necnon Apoſtolicæ Sedis Nuntiis, ac fructuum, & proventuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum Collectoribus, de diſpenſando cùm quibuſvis perſonis ſuper matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac ſuper natalium, & ætatis defectibus, & de incompatibilibus beneficiis Eccleſiaſticis inſimul retinendis, necnon Notariis publicis creandis, aliàs à præmiſſis officio ipſorum Nuntiorum, & Collectorum directè non concernentes quoad omnia, in quibus*

bus facultates ipſæ non ſunt ſortitæ effectum, etiam Nuntiis ejuſdem dictæ Sedis Legatis de Latere competens fuerit conceſſa facultas.

57 Hinc pro Germaniæ Epiſcopis, quorum privilegia ſunt eadem cùm iis, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, ut notavimus *n.* 11. dubitatum eſt anno 1700. cùm novus eſſet Pontifex: videlicet; *an relatæ facultates Epiſcoporum* (Germaniæ,) *& Nuntii Apoſtolici revocatæ eſſent?* Et interrogata Roma, reſpondit: *Facultates illas, quæ à S. Officio conceſſæ ſunt, quales ordinariè ſunt, quæ Nuntiis Apoſtolicis, & Epiſcopis mittuntur, non revocari per illam regulam, ſed eas tantum, quæ ab Anteceſſore Papa ipſo immediate conceſſæ erant.* Ita in terminis *Lacroix lib.* 6. *part.* 3. *n.* 848.

58 Ex quibus ſubſumo: Atqui ex facultatibus, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, aperté conſtat, quòd per S. Officium conceſſæ fuerint, ibi in fine: *In Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum coràm SS. D. N. D. Benedicto Divina Providentia PP. XIII. ac Emminentiſſimis, & Reverendiſſimis D. D. S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Chriſtiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis*: Ergò.

59 Notatio ſecunda. An prædicta Indulta expirent morte Epiſcopi, cui conceduntur. ℞. affirmativè. Ratio eſt primò: quia prædicta Indulta non ſpectant ad juriſdictionem ordinariam Epiſcopi, ſaltem maiori ex parte, ut diximus *n.* 5. ac proinde non ſunt perpetua, cùm juriſdictio ordinaria, & perpetua recurrant, ut diximus eod. loco: ergò expirant morte Epiſcopi, cui conceduntur.

60 Ratio eſt ſecundò: quia in Facultatum Catalogo *n.* 28. confertur Epiſcopis poteſtas communicandi eaſdem facultates, iis exceptis, quæ requirunt ordinem Epiſcopalem: ergò quia prædicta Indulta expirant morte Epiſcopi, cui conceduntur: aliàs ſuperfluò daretur Epiſcopis ſpecialis poteſtas communicandi. Quo autem modo, & quibus Perſonis poſſit Epiſcopus communicare? Dicemus ſuo loco.

61 Notatio Tertia. An ſaltem mortuo Epiſcopo, cui conceduntur, tranſeant aliqua ex prædictis Indultis in Capitulum, Sede Vacante? ℞. cúm diſtinctione, & dico primò: Indulta, quæ in Catalogo continentur, & non competunt Epiſcopis de jure communi, non tranſeunt in Capitulum; Sede Vacante. Ratio eſt: quia in juriſdictione delegata non ſuccedit Capitulum, Sede Vacante. *Barboſ. part.* 2. *allegat.* 36. *n.* 10. in fine, & per Indulta, de quibus agimus, confertur Epiſcopis juriſdictio delegata.

62 Ratio eſt ſecundò: quia in Indultorum Catalogo *n.* 28. confertur Epiſcopis poteſtas alteri communicandi, præſertim tempore ſui obitûs; iiſque, quibus Epiſcopi communicaverint, concedit Sedes Apoſtolica, tanquàm delegatis ſuis (non Epiſcoporum), & authoritate ſua confirmat eaſdem facultates, donec eadem S. Sedes certior facta de obitu Epiſcoporum per delegatos, vel per unum ex eis, alio modo provideat; ſi autem mortuo Epiſcopo, cui conceduntur, tranſirent prædictæ facultates, & Indulta Apoſtolica in Capitulum, Sede Vacante;

cante ; ſupervacaneum eſſet concedere Epiſcopis facultatem ſpecialem communicandi alteri, ſeu perſonæ diſtinctæ à Capitulo, Sede Vacante.

63 Notatio Quarta. Dico ſecundò : Indulta, quæ in Catalogo continentur, & competunt Epiſcopis de jure communi, tranſeunt in Capitulum, Sede Vacante ; ut ſunt v g. diſpenſare in Interſtitiis. *Barboſ. p.* 2. *allegat.* 18. *n.* 6. diſpenſare cùm illegitimis ad Ordines Minores, & Beneficium Simplex, & hujuſmodi alia, in quibus ſuccedit Capitulum, Sede Vacante. *Barboſ. p.* 2. *allegat.* 45. *n.* 25.

64 Ratio eſt : quia Capitulum, Sede Vacante, repræſentat defuncti perſonam, & ſuccedit in omnibus, (exceptis caſibus in jure expreſſis) quæ ſunt juriſdictionis Ordinariæ. *Barboſ. p.* 2. *allegat.* 45. *n.* 27. Poteſtas verò diſpenſandi in Interſtitiis pertinet ad juriſdictionem Ordinariam Epiſcopi, per *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 11. *&* 14. de Reformat ; & poteſtas diſpenſandi cum illegitimis, per cap. *Is, qui de Filiis Presbyt. in* 6. *Barboſ. p.* 2. *allegat.* 45. *n.* 9. & ſic in hujuſmodi : Ergò.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE PRIMA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Ordo ? quænam Tempora, & Interſtitia ?

PRima Facultas Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur, ſic habet : *Conferendi Ordines extra Tempora, & non ſervatis Interſtitiis uſque ad Presbyteratum incluſivè, ſi Sacerdotum neceſſitas ibi fuerit.*

65 Notatio Prima. Quid ſit Ordo ? ℞. Ordo eſt Sacramentum, quo traditur poteſtas circa Euchariſtiam ritè adminiſtrandam. Ita communiter.

66 Notatio ſecunda. Quotuplex ſit Ordo ? ℞. Ordines ad inſtitutum noſtrum ſpectantes eſſe ſeptem, videlicet, Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri. *Ita Concil. Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 2. aſſerens, ab ipſo Eccleſiæ initio dictorum Ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria in uſu fuiſſe. Tonſuram enim, de qua *Trid. cit. cap.* 4. non eſſe Ordinem, ſed meram diſpoſitionem ad Ordines, conveniunt Theologi contrà Canoniſtas. *Anaclet. tom.* 6. *tract.* 14. *diſtinct.* 12. *de Sacram. Ordin. quæſt.* 1. *n.* 10. Hinc dari poteſt Tonſura quocumque die, hora, & loco,

loco, ut conſtat ex Pontificali Romano.

67 Dixi: *Ordines ad Inſtitutum noſtrum ſpectantes*: ut interim præſcindamus à controverſia illa celebri: An Epiſcopatus ſit Ordo diſtinctus à Sacerdotio? Nam cùm Ordines, ad quorum diſpenſationes faciendas Epiſcopis eſt facultas, non ſint Epiſcopales, ſed ſolùm Sacerdotales, ibi: *uſque ad Presbyteratum incluſivè, ſi Sacerdotum neceſſitas &c.* ideò ſupervacaneum eſt diſputare: an Epiſcopatus ſit Ordo á Sacerdotio diſtinctus?

68 Sciendum tamen obiter Canoniſtas apud *Barboſ. p. 2. allegat.* 1. *n.* 18. affirmare ex *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 4. *& rurſùs can.* 7. & cum Canoniſtis nonnullos Theologos, quorum *Decaſtil. tom.* 1. *tract.* 6. *de Sacram. Ordin. diſp.* 1. *dubitat.* 3. partem affirmativam latè probat. Partem verò negativam tuentur *Bonac de Sacram. diſp.* 8. *quæſt. unica, punct.* 1. *n.* 3. *Filliuc. tom. tract.* 9. *n.* 12. *& alii Theologi. Caſtr. Pal. tract.* 27. *punct.* 13. *n.* 4. addit eſſe ſententiam communem. Legantur citati DD.

69 Notatio Tertia. Quænam ſint Tempora? ℞. eſſe Feriam Quartam, Sextam, & Sabbatum poſt Feſtum Exaltationis S. Crucis, poſt Diem Cinerum, poſt Pentecoſten, & poſt Feſtum S. Luciæ, habet antiquus ille verſus: *Poſt Crux, poſt cineres, poſt Spiritus, atque Luciæ.* Adde, quòd Temporum Sabbatis æquiparentur Sabbata ante Dominicam Paſſionis, & Paſchæ; in his enim Sabbatis poſſunt etiam celebrari Ordinationes, ex cap. *quòd ſicut*, de elect.

70 His non obſtantibus, Ordines Minores dari poſſunt in quibuſcumque Dominicis, aut feſtis diebus, ut habetur in Pontificali Romano. Itē abſque Miſſa, & a non jejuno. *Barboſ. p.* 2. *alleg.* 11. *n.* 14 Quinimò veſperè cujuſcumque Sextæ feriæ, quæ eſt proxima Sabbato Ordinationi peragendæ, vel etiam feriâ Quartâ quatuor Temporum, ex communi conſuetudine, & praxi. *Caſtr. Pal. cit. n.* 2. §. Diem feſtum, in fine.

71 Notatio Quarta. Quænam ſint Interſtitia? ℞. eſſe illa temporis intervalla, quæ current ab uno Ordine ad alium ſuſcipiendum. Sic à ſuſceptione ultimi Ordinis Minoris ad Subdiaconatum currere debet unus annus; à Subdiaconatu ad Diaconatū alius annus; & à Diaconatu ad Presbyteratum alius item annus. *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 11. 13. *&* 14. de Reformat. Hic autem annus non eſt computandus naturaliter, ſed more Eccleſiaſtico, id eſt, à jejunio quatuor Temporum hujus præſentis anni uſque ad ſimile jejunium anni ſequentis. *Caſt. Pal. cit. n.* 5.

SECTIO II.

Quomodò ſervari debeant Tempora, & Interſtitia?

72 NOtatio Prima. An omnes Ordines Minores uno die conferri poſſint? Dico primò: Attento jure *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 11. de Reformat. etiam ab uno Gradu Minorum ad alium Gradum recipiendum ſervari debent Interſtitia. *Trid.* ibi: *atque ita de gradu in gradum aſcendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina maior accreſcat.*

73 Dico ſecundò. Si tamen conſuetudo ſit, omnes Ordines Minores, & ſimul Tonſura eodem die con-

conferri poſſunt. *Barboſ. part.* 1. *allegat.* 11. *n.* 19. *Caſtr. Pal. n.* 5. Idque jam hodie, præſertim in Diœceſibus amplioribus, magis expedire viſum eſt. *Anaclet. tom.* 6. *tract.* 14. *de Sacram. diſtinct.* 12. *quæſt.* 5. *n.* 61.

74 Dico Tertio. Etiamſi non ſit conſuetudo, ſiquis uno, eodemque die omnes Minores, vel primam Tonſuram cum Minoribus recipiat, nullam incurrit irregularitatem. Cum multis *Barboſ. cit.*

75 Notatio Secunda. An omnes Ordines Minores, & ſimul Subdiaconatus eodem die dari poſſint? Dico primò: ſtando juri communi, dari nequeunt. Conſtat ex *cap. literas*, *ex capit. Dilectus*; *de Temporib. Ordinat*; & poſtremo ex *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 11. *de Reformat.*

76 Dico Secundo: ſtando conſuetudini in quibusdam Diœceſibus introductæ dari poſſunt. Ita cum *Navarr. Henriq. Vaſq. Suar. Sà*, *Laym. Buſembaum*, *Lacroix. lib.* 6. *p.* 2. *n.*2214. *fuſiùs tamen n.* 2296. *Et cum Villalob. Caſtr. Pal. qui ita ſæpè in Hiſpania factum eſſe teſtatur. n.* 5.

77 Notatio Tertia. An duo Sacri Ordines eodem die conferri poſſint. ℞. Duos Sacros Ordines nemini, etiam Regulari, eodem die conferri poſſe, non obſtantibus quibuscumque privilegiis, ac Indultis, ex *cap. literas*, *ex cap. Dilectus*, & ex *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 13. *de Reformat.* Atque ita tradere DD. affirmat *Caſtr. Pal. n.* 8. Hinc ſiquis eodem die duos Sacros Ordines ſuſciperet, ſuſpenderetur ipſo facto ab exercitio ſaltem ultimi Ordinis ſecundùm Avers; imò & utriuſque, ſecundum *Caſtr. Pal. num.* 14.

78 Notatio Quarta. An ſaltem unus Ordo Sacer conferri poſſit Sabbato, & ſequenti Dominica alius Ordo Sacer, continuato jejunio? ℞. negativè. Ratio eſt: quia ſic Ordinans cenſeretur duos Sacros Ordines eodem die conferre, quatenùs fictione Canonica ad Sabbatum retrotrahitur Dominica. *Sanch. lib.* 7. *Conſil. cap.* 1. *dub.* 51. *Laym. tract.* 9. *de Ordin. cap.* 8. *n.* 5. *Caſtr. Pal. n.* 3. *in fine.*

79 Notatio Quinta. Tradita reſolutio viget, quamvis Epiſcopus ex Indulto Apoſtolico facultatem habeat ordinandi extrà Tempora, & non ſervatis Interſtitiis. Ratio eſt eadem: nam cùm per continuationem jejunii adSabbatum retrotrahatur Dominica, & reputetur unus tantum dies; ideò eſſet contra Indultum dans facultatem Ordinandi in tribus feſtis diebus. *Pignat. tom.* 4 *Conſultat.* 228. *n.* 4. Quas verò pænas incurreret ſic Ordinans, & ſic Ordinatus? Refert *Pignat. n.* 5.

80 His non obſtantibus, permittitur Epiſcopis, ut vel partem ordinationis differant, vel ordinationes omnes Sabbato faciendas ad ſequentem Dominicam transferant, ex cauſa aliqua rationabili: qualis eſſet, ſi v. g. ob infirmitatem tùm Ordinantis, tùm Ordinandi, vel ob multitudinem Ordinandorum, Sabbato non potuiſſent Ordines peragi.

81 Debent tamen Ordinans, & Ordinandi jejunium Sabbati præcedentis continuare ob rationem proximè datam, videlicet, ut unus tantúm reputetur dies. *Caſtr. Pal. n.*3. *Anaclet. tom.*1. *lib.*1. *Decretal. tit.* 11. §. 2. *n.* 36. An autem jejunium debeat eſſe naturale, vel potiùs Eccleſiaſticum? Diſcrepant DD. apud *Anaclet. cit. n.*37. 38. 39.

Tandem qui ordinatur non ſervatis interſtitiis, quamvis non incurrat ſuſpenſionem, aut irregularitatem, graviter tamen peccat. *Barboſ. Ricc. Averſ. Lacroix.n.* 2302.

SECTIO III.

De Interſtitiorum diſpenſatione, & cauſis ad illam ſecundùm jus commune.

82 NOtatio Prima. Quid ſufficiat ad diſpenſandum in Interſtitiis pro Minoribus? ℞. arbitrio Epiſcopi id relinqui *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 11. Undè ſufficit conſuetudo, uti habet *Caſtr. Pal. n.* 5. vel qualiſcumque cauſa, aliquo modò rationabilis, & prudens, ut ex *Sanch. & Avers tenet Lacroix. n.* 2296.

83 Notatio Secunda. Quid requiratur pro diſpenſatione Interſtitii inter Minores, & Subdiaconatum? ℞. requiri neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ. *Trid. cit.* Undè non requiritur utraque copulativè, ſed ſufficit quælibet disjunctivè, id eſt, vel ſola neceſſitas, vel ſola Eccleſiæ utilitas. Imò data ſola neceſſitate, vel ſola Eccleſiæ utilitate, eodem die Sabbati, & Minores, & Subdiaconatus dari poſſunt, ut dictum eſt *n.* 76. nam, ut bene *Caſtr. Pal n.* 5. *nullus eſt Textus id interdicens.*

84 Notatio Tertia. Qualisnam cenſenda ſit neceſſitas, & utilitas Eccleſiæ? Dico primò: neceſſitas Eccleſiæ cenſetur adeſſe, primò, quãdo Ordinandus habet Beneficium, cui debeat inſervire: magis enim decens eſt, quòd ſerviat per ſe, quam per alium. Secundò: quandò deſunt idonei Miniſtri, qui ſolitis Officiis Divinis ſatisfaciant. *Caſtr. Pal. cit.* §. Neceſſitas.

85 *Addit Menochius caſu* 427. *de Arbitr. Judic. n.* 31. aliam cauſam diſpenſandi in Interſtitiis, nempè cauſam ſtudiorum, quibus promovendus incumbit.

86 Hanc etiam cauſam admittunt P. *Benedict. Pereyr. in Sum. Theologiæ Moral.part.*2.*tract.* 42. *de Ordin. n.* 1506. *Anaclet. tom.*1. *lib.*1. *Decretal.tit.* 11. §. 6. *n.*152. qui aliam deinde cauſam ſubjungit ibidem ex *Barboſ.* videlicet, ſi ætas promovendi ſit provecta, & juncta cum integritate vitæ. Ratio illi eſt: quia neceſſitas Eccleſiæ non conſiſtit in indiviſibili, ſed moraliter penſari debet, ſecundùm arbitrium boni viri.

87 Dico Secundò. Utilitas Eccleſiæ reputatur adeſſe, quando præſumitur obſequium Eccleſiæ aptius eſſe præſtandum. *Caſtr. Pal. cit.* v. g. ſi Ordinandus eſſet in Sacra Theologia Doctor, vel in Sacris Canonibus Formatus, vel aliàs vir doctus, & probus, ex cujus ordinatione ornamentum ſtatus Eccleſiaſtici, & futurum Eccleſiæ ſervitium ſperari poſſit. Ita in re DD. omnes.

88 Notatio Quarta. Quid requiratur pro diſpenſatione Interſtitii ad Diaconatum? ℞. neque neceſſitatem, neque utilitatem Eccleſiæ requiri, ſed quamlibet rationabilem cauſam arbitrio Epiſcopi ſufficere, ex *Trid. cap.* 13. *Villalob. Rodrig. Caſtr. Pal. n.* 6. ſic ſedulò incumbere Philoſophiæ, aut Theologiæ, ut cæteri provocentur ad ſtudium: eſſe idoneum ad prædicandum, aut cantandum Evangelium in ſolemnibus, & his inferiora, ſunt quidem rationabilis cauſa, ut Subdiaconus

Diaconus diſpenſetur, & citò ordinetur Diaconus.

89 Notatio Quinta. Quid requiratur pro diſpenſatione ad Presbyterarum? ℞. requiri neceſſitatem ſimul, & utilitatem Eccleſiæ. *Trid. cap.* 14. Unde pro diſpenſatione interſtitii inter Diaconatum, & Presbyteratum non ſufficit vel ſola neceſſitas, vel ſola Eccleſiæ utilitas disjunctivè, ſed requiritur utraque copulativè. *Villalob. Rodrig. Caſtr. Pal. n.* 7.

SECTIO IV.

De Temporum diſpenſatione, & cauſis ad illam ſecundum Facultates Pontificias, Braſiliæ Epiſcopis conceſſas.

90 HActenus locuti ſumus de Interſtitiorum diſpenſatione, & cauſis ad illam, ſpectato jure communi, vi cujus etiam diſpenſare poſſunt Braſiliæ Epiſcopi: nunc verò de Temporum, & Interſtitiorum diſpenſatione, & cauſis ad illam agendum venit, ſpectatis Indultis Apoſtolicis, Braſiliæ Epiſcopis conceſſis. Et hic eſt propriè arrepti laboris ſcopus, & inſtituti noſtri finis.

91 Notatio Prima. An Braſiliæ Epiſcopi poſſint conferre Ordines extra Tempora? Reſolutio affirmativa eſt omnino certa. Ratio eſt: quia ita expreſſè conſtat ex Facult. Catalog, *n* 1. *ibi*: *Conferendi Ordines extra Tempora.* Hoc igitur amplius poſſunt Braſiliæ Epiſcopi præter id, quod poſſunt ex jure communi: nam licèt Epiſcopi omnes diſpenſare poſſint in Interſtitiis ex *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 11. 13. & 14. de Reformat. tamen niſi habeant ſpeciale privilegium, Ordines extra Tempora conferre nequeunt. *La Croix lib.* 6. *part.* 2. *n.*2298.

92 Notatio Secunda. Quænam cauſa ſufficiat, ut Braſiliæ Epiſcopi conferant Ordines extra Tempora? Ratio dubitandi eſt: quia licèt Epiſcopi poſſint diſpenſare in interſtitiis per *Trid. cit.* nullibi tamen reperitur textus, vi cujus Epiſcopis permittatur conferre Ordines extra Tempora, immò ſecundum *Gobat. tract.* 8. *n.* 450. mortale eſt ordinare (vel ordinari) extra Tempora à jure ſtatuta: gravior ergò cauſa videtur requiri, ut Braſiliæ Epiſcopi conferant Ordines extra Tempora, quam ut diſpenſent in Inteſtitiis? Nihilominus.

73 ℞. Ut Braſiliæ Epiſcopi conferant Ordines extra Tempora, eadem cauſa ſufficit, quæ ſufficit ad Interſtitia diſpenſanda. Ratio eſt: quia ubi Braſiliæ Epiſcopis datur facultas diſpenſandi in Interſtitiis, ibi etiam datur facultas conferendi Ordines extra Tempora, quin requiratur diverſa cauſa ab ea, quæ requiritur ad Interſtitia diſpenſanda, ut videre eſt in facultat. Catalog. *num.*1. ergo ut Braſiliæ Epiſcopi conferant Ordines extra Tempora, eadem cauſa ſufficit, quæ ſufficit ad Interſtitia diſpenſanda.

SECTIO V.

De Interſtitiorum diſpenſatione, & cauſis ad illam ſecundum Facultates Pontificias, Braſiliæ Epiſcopis conceſſas.

94 NOtatio unica. Quænam cauſæ requirantur, ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent in Interſtitiis? Dico primò: Ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent pro Subdiaconatu, minor neceſſitas ſufficit, quam quæ à *Trid. cap.* 11 requiritur. Ratio eſt: quia interpretatio privilegii, quod nemini præjudicat, ita facienda eſt, ut non reddat privilegium inutile, *leg. non dubium C. de Legib. cùm inutilem, & fruſtraneam actionem efficere, nullo modo deceat Principem.* Braſiliæ autem Epiſcopi attento ſolo jure Tridentini *loco cit.* diſpenſare poſſunt pro Subdiaconatu, data neceſſitate: ergò ut aliquid amplius dicantur poſſe Braſiliæ Epiſcopi, quando illis conceditur nova, & extraordinaria facultas diſpenſandi pro Subdiaconatu, data neceſſitate; neceſſario dicendum eſt, quòd minor neceſſitas ſufficiat, quam quæ à Trid. requiritur. Huc pertinent quæ diximus *num.* 7.

95 Si autem quæras: Qualiſnam futura ſit hæc minor neceſſitas? ℞. cum *Anaclet. tom.* 1. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 11. §. 6. *n.* 151. hujuſmodi neceſſitatem non conſiſtere in indiviſibili, ſed moraliter penſandam eſſe ſecundum arbitrium boni viri.

96 Dico ſecundò: Ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent pro Diaconatu, minor rationabilis cauſa ſufficit, quam quæ arbitrio Epiſcopi relinquitur, *Trid. cap.* 13. Ratio data eſt proximè, & ulteriùs confirmatur: nam cùm Facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, eo tendant, ut aliquid concedant, quod aliàs eis non liceret, ſemper extendenda eſt interpretatio, quàntum fieri poteſt, ut hunc effectum operentur tales Facultates. Neque contenti eſſe debemus, ut confirment, quod aliàs Braſiliæ Epiſcopis licet, cùm ad id nulla manifeſta ratio cogat. *Navar. Salaz, Suar. Caſtr. Pal. de Privileg. tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 9. *n* 4.

97 Si autem quæras iterùm, quantula futura ſit hæc minor rationabilis cauſa? ℞. decentius eſſe arbitrio Epiſcopi id relinqui, cùm hoc non conſiſtat in indiviſibili; quam ultrò in id intromitti, & exiſtimari velle virum probum, ac prudentem.

98 Dico tertiò: Ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent pro Presbyteratu, minor cauſa ſufficit, quam quæ *à Tridentino cap.* 14. requiritur. Ratio eſt: quià ex *Tridentino loc. cit.* ſolummodo permittitur Epiſcopis diſpenſare in Interſtitio ad Presbyteratum, concurrente neceſſitate ſimul, & utilitate Eccleſiæ, ut *n.* 89. dictum eſt.

99 At verò Braſiliæ Epiſcopis conceditur diſpenſare in interſtitiis uſque ad Presbyteratum incluſivè, ſola intercedente neceſſitate, & non requiritur ſimul utilitas, ut apertè conſtat ex Facult. Catalog. *num.* 1. Ergo.

100 Si autem petas: Qualiſnam futura ſit hujuſmodi neceſſitas? Dicemus ſectione ſequenti.

SECTIO VI.

De commenſuranda Sacerdotum neceſſitate.

101 NOtatio unica. Undè commenſuranda ſit Sacerdotum neceſſitas? ℞. cōmenſurandam à numero Sacerdotum, qui per totam Diœceſim exiſtunt. Aliter. Non ſolùm in hoc, aut illo loco Diœceſis, ubi nota ſit Sacerdotum penuria, verùm etiam in quolibet Oppido, vel Civitate, ubi plures ſint Sacerdotes, tùm exteri, tùm originarii, poſſunt Braſiliæ Epiſcopi conferre Ordines extra Tempora, & non ſervatis interſtitiis, uſque ad Preſbyteratum incluſivè; dummodò verum ſit, quòd intra fines totius Diœceſis *ſit Sacerdotum neceſſitas.*

102 Ratio eſt primò: quia verba Indulti, nempè, *ſi Sacerdotum neceſſitas ibi fuerit*, ſatis, ſuperque ſignificant, quòd paucitas Sacerdotum attendenda ſit pro tota Diœceſi, non verò pro hoc, aut illo tantùm loco: quando autem verba Indulti ita ſunt clara, & diſtincta, ut ſufficienter exprimant intentionem concedentis, interpretatione non indigent *Ita cum communi DD. Caſtr. Pal. de Privileg. tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 9. *num.* 1.

103 Ratio eſt ſecundò: quia particula *ibi* in Indulto appoſita, conſiderata ejus proprietate, non aliter interpretari debet, quam ſi totam Diœceſim reſpiciat, ut vel Grammaticæ tyronibus notum eſt: at verò in privilegii interpretatione ſervanda eſt verborum proprietas, aliàs nihil in privilegiis eſſet firmum. *Bonac. Salaz. Suar. Sanch. Caſtr. Pal. dict. punct.* 9. *n.* 3.

104 Ratio eſt tertio: quia tale Indultum ſive reducatur ad privilegium perſonale, ut reduci poteſt juxta *Menochium de Arbitr. Judic. lib.* 2. *caſu* 472. *n.* 14 *& de Præſumptionibus lib.* 1. *quæſt.* 29. *n.* 7. ſive reducatur ad privilegium mixtum ex perſonali, & reali, ut reduci poteſt juxta *Caſtr. Pal. cit. punct.* 2. §. 1. *n.* 6 ſemper verba illius tùm ad dignitatem, tum ad perſonam Epiſcopi diriguntur: dignitas verò Epiſcopalis non hoc, aut illud Oppidum, non hanc, aut illam Civitatem, ſed totam Diœceſim reſpicit.

105 Ratio eſt quarto; quia Pontifex quandò Facultatem facit diſpenſandi uſque ad Presbyteratum incluſivè ſub conditione, *ſi Sacerdotum neceſſitas ibi fuerit*, perinde ſe gerit, ac ſi dicat Epiſcopo Fluminenſi v. g. Hoc tibi concedo, ſi Sacerdotum neceſſitas ibi fuerit, ibi *in tua Diœceſi*, ibi *in tuo Epiſcopatu*, ibi *ubi Epiſcopus es*, & non alibi. Declaratur: quia in Facult. Catalog. *num.* 29. prohibetur Epiſcopus hujuſmodi facultatibus uti extra fines ſuæ Diœceſis: ergo intra fines ſuæ Diœceſis talibus facultatibus uti poteſt. At verò fines Diœceſis Fluminenſis v. g. non hoc, aut illo Oppido, non una, vel altera Civitate, ſed potius tribus Civitatibus, & innumeris Oppidis circumſcribitur.

106 Dices. Ergo virtute præfati Indulti poterit Epiſcopus Fluminenſis v. g. conferre Ordines extra Tempora, & non ſervatis Interſtitiis uſque ad Presbyteratum incluſivè, etiam in Aurifodinis, in Oppido Sanctorum, in Civitate S. Pauli, immò & in hac Civitate Epiſcopali S. Sebaſtiani, aliàs Fluvii

Ja-

Januarii : ſequela eſt abſurdiſſima : ergo & illud, ex quo ſequitur.

107 Oſtenditur abſurdum ſequelæ quoad primam partem : quia in ea Braſiliæ parte, qua patet Aurifodinarum Provincia, vulgò *Minas Geraes*, & territorium vulgò *Serro do Frio*, adamantum ſeminarium à ſæculis abſconditum, ſed tamen ætate noſtra repertum, & anno 1730. divulgatum : quod ſanè in Potentiſſimi Luſitaniæ Regis Joannis V. fortunam cumulatiſſimam, & in obſequium Excellentiſſimi, ac Reverendiſſimi DD. Fr. Antonii à Guadalupe, qui primus ea loca, ne ab Anteceſſoribus ſalutata quidem, ſpretis itinerum incommodis viſitaverat anno 1726. ac præſentia ſua illuſtraverat, Cœlum, ejuſque providentia ad hæc uſque tempora reſervavit.

108 In ea, inquam, Braſiliæ parte à mari remotiſſima, aſt inter maritimas Civitates Fluminenſi viciniore, multi ſunt Sacerdotes, tùm Sæculares, tùm Regulares, qui auri ab anno 1698. inventi ſacra fame, nunc verò adamantum amore, & numero plurium, & magnitudine, pondere, ſplendore, & pretio Aſiaticis longè æſtimabilium, illac confluunt.

109 Oſtenditur abſurdum ſequelæ quoad ſecundam, & tertiam partem : quia in Oppido Sanctorum, ultra Sacerdotes Sæculares, quatuor numerantur Familiæ Religioſæ, nempè Carmelitana, Benedictina, Paduana, & Jeſuitica, è quibus plures ſunt Sacerdotes : & licèt ab Ordinario exempti, Diœceſi tamen, & populo, juxta Inſtituta, & Miniſteria ſingulis Ordinibus propria, inſerviunt. Jam verò de Civitate S. Pauli, Aurifodinarum inventarum parente, idem dicendum eſt ; cùm ibi etiam numerentur tot prædictorum Ordinum Cœnobia, quot in Oppido *Sanctorum*, à maiori tamen numero Sacerdotum habitata.

110 Oſtenditur abſurdum ſequelæ quoad quartam partem : nam hæc Civitas Fluminenſis, præter Carmelitanam domum, in medio propè urbis ſituatam, Monaſteriis Benedictino, Paduano, Jeſuitico, quodlibet in ſuo colle ad pulchritudinem erecto, & amplitudine, magnificentia, & habitatorum multitudine inter ſe certantibus, tribus velut munitiſſimis arcibus, decoratur, circumſcribitur, coronatur. Merent ſubinde in Regia Miſericordiæ Domo viginti Sacerdotes, quorum tredecim ex Inſtitutione, & perennibus legatis cujuſdam Emmanuelis Pinto à Sanctis, Vimaranenſis, viri ſoluti, & mercatoriæ cohortis urbani ducis, choro quotidiano ; reliqui verò cæteris tùm Eccleſiæ, tum Xenodochii miniſteriis deſtinantur.

111 In Parochia à Domina de Candelaria nuncupata ſimiliter ex Inſtitutione, & perennibus legatis alterius Emmanuelis Pinto Eduardi, Villamienſis, olim in hac urbe Arcis Regiæ à S. Jacobo Præſidis, ejuſque uxoris D. Antoniæ de Abreu, Januarienſis, choro aſſiſtunt tredecim Sacerdotes. Adde, quòd ibi pluribus aliis Sacerdotibus ad cætera Parochialia officia obeunda, quæ aliquoties choro addicti ſupplent, locus ſit. Quid referam quamplurimos alios Sacerdotes, tùm ejuſdem Civitatis originarios, tùm exteros, & peregrinos, qui fortunæ tentandæ cauſa, ut aiunt, & beneficii in Aurifodinis conſequendi ſpe, modò ex aliis Braſiliæ Diœceſibus,

ceſibus, aliquandò ex Africa, & Aſia, & quotidiè ex Portugallia hùc convolant?

112 ℞. negando minorem. Ad probationem ℞. negando primum abſurdum ſequelæ; quia licet per vaſtiſſimam Aurifodinarum Provinciam innumeri vagentur Sacerdotes, tum Regulares, tùm Sæculares, nulli tamen ſunt manentes, & de quibus certa ſpes ſit, quòd ibi in perpetuum habitabunt. Imò experientia conſtat illorum quemque, facta opum acceſſione, in proprium domicilium ſe recipere. Deindè rariſſimi, quos ſciam, paucis exceptis, qui Religiones ingreſſi ſunt, illius Provinciæ originarii hùc uſque facti ſunt Sacerdotes. Adeò auro vileſcunt literæ. Undè conſtat in Aurifodinarum Provincia deeſſe Sacerdotes, originarios ſcilicet, qui ibi cum animo permanendi commorentur, adeòque tales, quos Excellentiſſimi huic, vel illi officio poſſint immobiliter præficere. Et ſanè ſi hi eſſent, & cum externis concurrerent, præferri deberent juxtà ſpeciales Conſtitutiones hujus Epiſcopatus. *lib.* 3. *tit.* 26. *num.* 530.

113 Ad Secundum abſurdum ſequelæ ℞. illud etiam negando: licèt enim in Oppido *Sanctorum* quatuor numerentur Ordines, quorum Religioſi Parochos juvant, & bono animarum cooperantur; eos tamen, ut exemptos, nequit Ordinarius huic, vel illi officio ad arbitrium deſtinare. Et quamvis juxta Facult. 22. eos poſſit Parochiis præficere, ſuóſque deputare Vicarios, (id, quod ego in Parochia, Braſilicè *Itanhaè*, & alibi non ſemel practicatum vidi) tamen neceſſarius eſt Superiorum Regularium conſenſus, qui non eſt in manu Epiſcopi.

114 Ad tertium abſurdum ſequelæ idem à fortiori dicendum eſt: cùm ſub ditione Civitatis S. Pauli, ejuſque ſuprema Gubernatione, ultra Aurifodinas *Paranapanema, Guayàz, & Cuyabà*, ubi partim aurum effodiunt, & partim negotiantur multa hominum millia; ſint etiam Indorum novem Pagi, & non Indorum ſeptem ſuprà triginta Oppida, quorum aliqua populoſa. Si tamen numerum Sacerdotum ſpectes, aliqua ſunt Oppida, ubi ſæpè nullus, ut in Inſula S. Catharinæ, modò ſolus Parochus, interdùm unus, vel alter reperitur Sacerdos.

115 Ad quartum abſurdum ſequelæ ℞. illud ſimiliter negando: Epiſcopatus enim Fluminenſis ad oram maritimam per tot Leucas extenditur, quot à Porto Securo numerantur uſquè ad Novam Coloniam Sacramenti incluſivè: quà vero in loca mediterranea vergit, adhuc ignoratur ejus terminus. *Portus* autem *Securus* à linea Æquinoctiali ad Auſtrum verſùs jacet ad decimum ſeptimum gradum ſolarem, ad trigeſimum autem quintum *Nova Colonia Sacramenti.*

116 Et in tanta locorum diſtantia, & populorum multitudine (cùm tamen maior pars Diœceſis adhuc inculta ſit, & habitatoribus vacua.) heu! Quanta Sacerdotum paucitas! Quanta Miniſtrorum penuria! Quæ cum humano modo intelligi debeat, ut benè advertit P. Benedict. Pereyr. etiam locutus ſolum ſecundum jus commune Tridentini in *ſumm. Theolog. Moral. p.*2. *tract.*42. *de Ordine n.*1506. §. Tunc erit Eccleſiæ utilitas, ibi: *Ita ut quamvis Eccleſia actualiter Miniſtris non indigeat, nihilominus erit cauſa diſpenſandi, ſi Epiſcopus judicet prudenter fore, ut acci-*

accidant caſus, in quibus indigeat, v.g. ſi detur abſentia, vel morbus Miniſtrorum.

117 Idcircò poteſt Excellentiſſimus etiam cum hujus *Fluvii Januarii* originariis diſpenſare, Ordines extra Tempora, & non ſervatis interſtitiis, uſque ad Presbyteratum incluſivè, conferendo. Excellentiſſimi enim eſt non ſolum præcavere, nè Miniſtri deficiant Diœceſi, ſed etiam per loca diſtribuere, ubi de facto non ſunt: id autem commodiùs præſtare non poteſt, quam cum hujus Civitatis originariis, quos ad manum habet, diſpenſando. Aliter præſto non erunt, quibus pro occaſione uti poſſit, & huic, vel illi loco deſtinare, huic, vel illi Capellæ præficere. Hæc de jure: quidquid ſit de facto.

118 Tandem pro notitiæ hujus corona, & Sacerdotum neceſſitate prudenter commenſuranda, hoc unum ſubjicio ex *Anaclet.* Neceſſitas (inquit) Eccleſiæ urget, quandò non ſolum adſunt pauci Eccleſiæ Miniſtri, ſed etiam deficiunt idonei, per quos Eccleſiæ onera, tam in celebratione Miſſarum, quam in aliis Eccleſiaſticis Miniſteriis ritè adimpleri poſſunt. Atque iſtud accidere poteſt, non ſolum ex eo, quia tales omninò non exiſtunt, ſed etiam quia ob alias legitimas occupationes, aut infirmitatem, cæteri non reſident: nam hujuſmodi neceſſitas, & utilitas non conſiſtit in indiviſibili, ſed moraliter dijudicari debet ſecundùm arbitrium boni viri. *Ita cum Fr. Emmanuel Rodrig. Miranda, Barboſ. & aliis Anaclet. tom.* 1. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 11. §. 6. *n.* 151. *Locutus* ſecundum jus Tridentini, & poteſtatem diſpenſandi omnibus Epiſcopis communem.

119 Quid ſi *Anaclet.* loqueretur ſecundum Indulta Apoſtolica Braſiliæ Epiſcopis conceſſa? Quæ ſunt adeò ampla, ut ſemper aliquid de novo conferant, ut alibi diximus, attenta Miniſtrorum paucitate, qui in Braſilia ſunt, præſertim in hac Fluminenſi Diœceſi, cujus diſtantiæ metiuntur non per dies, aut hebdomadas, ſed per menſes, ita ut aliqua ejus loca, ut *Guayàz*, & *Cuyabà* nemo hinc adeat, quin tres, quatuor, & plures menſes in itinere ponat. Quid, inquam, diceret *Anàclet*; ſi in Braſilia ſcripſiſſet, & ſecundùm ejus Indulta Apoſtolica? Diceret utique per Fluminenſem Diœceſim ita paucos exiſtere Sacerdotes, & Miniſtros idoneos, ut plures, & plures indiès ſint neceſſarii: & quantum ex hoc capite poſſe Excellentiſſimos abſque ſcrupulo conferre Ordines extra Tempora, & non ſervatis interſtitiis uſque ad Præsbyteratum incluſive: ſed quorſum hæc? ſi hæc omnia dixit *Anaclet.* cum dixit: neque neceſſitatem, neque utilitatem Eccleſiæ conſiſtere in indiviſibili, ſed moraliter penſandas eſſe ſecundùm arbitrium boni viri. Quid enim amplius dici poterat? Quidvè ad tollendos ſcrupulos favorabilius?

SECTIO VII.

De Perſonis, cum quibus Epiſcopus diſpenſare poteſt in Temporibus, & Interſtitiis.

120 NOtatio Prima. An cum ſuis ſubditis poſſit Epiſcopus diſpenſare? ℟. affirmativè. Ratio eſt: quia facultas diſpenſandi

di conceditur Epiſcopis, ut ea utantur cũ perſonis, quas juriſdictione ordinaria ordinare poſſunt, undè in Facult. Catalog. bis dicitur: *Nè dictis facultatibus utâtur extra fines ſuæ Diœceſis*: at verò Epiſcopus juriſdictione ordinaria ſubditos ſuos ordinare poteſt, imó, & hos tantum, ut in Conſtitutione ſua *Speculatores Domus Iſrael*, noviſſimè declaravit Innocent. XII. Quis autem ſit ſubditus Epiſcopi, vel ratione originis, & domicilii, vel titulo Beneficii? Non eſt hujus loci diſputare. Videantur interim *Lacroix lib. 6. part. 2. n. 2165. Pignat. tom. 9. conſultat.* 189. *& tom.* 10. *Conſultat.* 13. *& Conſultat.* 150. *n.* 91.

121 Notatio ſecunda. An quãdo Epiſcopus ſubditos ſuos non ordinat, Dimiſſorias tamen dat, ut ab alio ordinentur, poſſit cum illis diſpenſare? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia dimiſſus, tum quoad actum Ordinationis, quæ alteri committitur, tum quoad actum diſpenſationis, eſt ſubditus dimittentis: ergò poteſt dimittens cum dimiſſo diſpenſare. Hinc curandum, ut Dimiſſoriis addatur: *Etiam extrà Tempora, & non ſervatis Interſtitiis. Navar. Sanchez, Jord. Avers. Gobat*; *quos citat. & ſequitur Lacroix. num.* 2299.

122 Notatio tertia. An etiam cum Regularibus poſſit Epiſcopus diſpenſare? ℞. affirmativè cum *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. part. 2. alleg.* 18. *n.* 10. *Lacroix cit. n.* 2300. Ratio eſt: quia per literas Prælati Regularis, in quibus rogatur Epiſcopus, ut cum dimiſſo diſpenſet, fit Regularis quodammodò ſubditus Epiſcopo: ergò.

123 Notandum tamen ex declaratione Sacræ Congregationis, non eſſe Epiſcoporum quoad cauſam iſtius diſpenſationis judicium facere, ſed debere ſe conformare cum atteſtatione Superiorum Regularium; ad hos enim pertinet, & non ad Epiſcopos, providere, & judicare circa utilitatem, & neceſſitatem Eccleſiarum ſuarum. Ita AA. citati.

124 Notatio Quarta. An etiam cum eo, qui ab Ordinario ſuo Dimiſſorias præſentat, in quibus rogatur Epiſcopus, ut cum dimiſſo diſpenſet? ℞. affirmativè. Ratio eſt; quam dedimus *n.* 122. videlicet: quia per literas dimittentis, in quibus rogatur Epiſcopus, ut cum dimiſſo diſpenſet, fit dimiſſus quodammodò ſubditus Epiſcopi Ordinantis, etiam quoad actum diſpenſationis. Hinc Dimiſſoriis addi ſolet: *Etiam extrà Tempora, & non ſervatis Interſtitiis*. Videatur *num.* 121.

125 Notatio Quinta. An etiam cum eo, qui ab Ordinario ſuo Dimiſſorias præſentat, ex quibus tamen non conſtat, an diſpenſatus accedat; nec deindè rogatur Epiſcopus, ut cum dimiſſo diſpenſet? De hoc caſu conſultus *Gobat, ut ipſe teſtatur tract.* 8. *n.* 493. an ſcilicet conſilium aliquod bonum, vel auxilium præſtaret? Reſpondit, nullum poſſe à ſe præſtari.

126 Imò ex Jordan. Ita in terminis tranſcribit Gobat. In concedendis Dimiſſoriis ſemper opus eſſe diſpenſatione expreſſa; vel quòd Ordinatori ſpecificè facultatem concedat. Talis enim diſpenſandi poteſtas pertinet ad concedentem Dimiſſorias, non ad Ordinantem. Ità Sacra Congregat. *Concil. Trid.* teſte Piaſecio, ibidem.

127 Deindè proſequitur Gobat. Ego quidem minimè dubito, quin is, qui Maroni dedit Dimiſſorias, fuiſ-

ſet additurus diſpenſationem, ſi veniſſet in mentem: ſed video Dominos Ordinarios non libenter uti in ejuſmodi caſibus, præſumpta voluntate dimittentis, niſi habeant claram authoritatem. *Hæc Gobat. cit.*

128 His tamen non obſtantibus, cenſeo valdè probabile poſſe Epiſcopum diſpenſare in præſenti caſu. Ratio eſt primò: quia Indulta Apoſtolica, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa, quoad ea, in quibus non determinantur perſonæ, nec earum ſtatus, ſed loquuntur indefinite, & univerſaliter, ſicuti ſunt plura eorum *à n.* 1. *uſque ad n.* 17. extenduntur etiam ad omnes perſonas etiam non ſubditas prædictis Epiſcopis, nempè peregrinos, exteros, & advenas, ita ut etiam cum his practicari poſſint, ut in ſimili tenet *Pignat.* prout illum citavimus *à n.* 9. Primùm autèm Indultum Apoſtolicum, Braſiliæ Epiſcopis conceſſum, eſt *conferendi Ordines extrà Tempora, & non ſervatis Interſtitiis uſque ad Presbyteratum incluſivè.*

129 Nam ſi quoad abſolutionem à cenſuris, & peccatis, imò & quoad diſpenſationes Irregularitatis, Simoniæ, & ejuſmodi, poſſunt Epiſcopi talibus Indultis uti etiam cum Regularibus, etiam eorum Prælatis ignorantibus, aut etiam contrà eorum voluntatem, quamvis ad ſpeciale regimen ſuarum Religionum peccata ſint reſervata, ut tenet *Pignat. cit.* (cujus tamen opinionem tam amplam non admiſi ſuprà *num.* 12. ſed cùm limitatione) quantò magis poterunt diſpenſare in Interſtitiis cum exteris, peregrinis, & advenis, qui ab Ordinario ſuo Dimiſſorias præſentant, neque hùc cum dolo accedunt, ſed ſolùm cum Dimiſſoriis, in quibus non exprimitur, ut Epiſcopus cum dimiſſo diſpenſet, quod potiùs oblivioni dimittentis, quàm alii vitio tribuendum eſt.

130 Ratio eſt ſecundò: quia de Ordinario Ultramarino, qui Dimiſſorias concedit, præſumendum eſt velle in tali caſu, quòd cum dimiſſo ſuo diſpenſetur, ob locorum diſtantiam, pericula maris, & ampliores ſumptus, quos faciunt Ordinandi, cùm navigant de una Diœceſi in aliam: ergò prudenter diſpenſatur cum tali dimiſſo.

131 Antecedens deſumitur ex doctrina *Avilæ part.* 7. *diſp.* 10. *dubitat.* 6. §. *Tertio notandum eſt*, *ibi*: Præterea dico cum *Henriq. cap.* 18. *n.* 4. quòd dùm Prælatus Religionis, aut Epiſcopus mittit ſubditum, ut ordinetur, cenſetur concedere ſuas vices Epiſcopo ordinanti, ut diſpenſet in defectu occurrenti, aut oblito: ergò de Ordinario Ultramarino, qui Dimiſſorias concedit, prudenter præſumitur velle in tali caſu, quòd cum dimiſſo ſuo diſpenſetur in Interſtitiis. Quod ſi non ita expreſſit in Dimiſſoriis, id potiùs inadvertentiæ, aut oblivioni, quàm malevolentiæ, aut alii vitio dimittentis tribuendum eſt.

132 Ratio eſt tertiò: quia Ordinarius ultramarinus, qui Dimiſſorias concedit, id facit in Gratiam, & favorem dimiſſi ſui: ſed ſi in noſtro caſu non eſſet diſpenſandum cum dimiſſo, Dimiſſoriæ potiùs cederent in ejus detrimentum, quàm in ejus Gratiam, & favorem: ergò. Maior conſtat ex praxi, & uſu communi: nam qui ſubditis ſuis dant Dimiſſorias, ideò dant, quia cedere intelligunt in ſubditorum ſuorum Gratiam, & favorem.

133 Minor patet: maiora enim incom-

incommoda pateretur dimiſſus, ſervando Interſtitia extrà propriam Diœceſim, etiam obtentis Dimiſſoriis; quàm ſi intra propriam Diœceſim expectaret Tempora Ordinationum, & Interſtitia ſervaret; Dimiſſoriis non obtentis; cùm peregrinari á domo, adire pericula maris, & extraordinarios ſumptus facere in navigatione, ſuſtentatione, & habitatione in aliena Diœceſi, citrà dubium ſint maiora incommoda, quàm Interſtitia ſervare intra propriam Diœceſim, Dimiſſoriis non obtentis: ergò ſi cum tali dimiſſo non eſſet diſpenſandum in Interſtitiis, Dimiſſoriæ potiùs cederent in ejus detrimentum, quàm in ejus Gratiam, & favorem, quod tamen eſt contrà *Regul.* 61. *jur. in* 6. ubi dicitur, *non eſſe in alicujus diſpendium retorquendum, quod in ejus Gratiam conceſſum fuit.*

134 Ad id, quod ex Piaſecio affert Gobat, reſpondetur ita quidem eſſe de modo ordinario, & non ſuppoſitis defectibus, qui paſſim contingunt, & omnino vitari non poſſunt, ut ſilentium de diſpenſatione jam facta, vel facienda cum dimiſſo, quod potius inadvertentiæ, & oblivioni, quam malevolentiæ, aut alii vitio dimittentis tribuendum eſt.

Id, quod colligitur ex praxi, & uſu communi: nam Epiſcopi Ultramarini, quoties ſubditis ſuis Dimiſſorias concedunt, toties cum illis diſpenſant, aut eos, ad quos mittuntur, rogare ſolent, ut cum dimiſſis diſpenſent. Undè licèt poteſtas diſpenſandi pertineat ad dimittentem, & non ad Ordinantem, ut declaravit Sacra Congregatio; tamen in noſtro caſu diſpenſaret Ordinans, non ex ſe, ſed ex præſumpta voluntate dimittentis.

135 Ad ſcrupulum, quo angitur P. Gobat, reſpondetur Dominos Ordinarios Germaniæ, ubi Gobat natus eſt, vixit, & ſcripſit, prudenter ſe gerere, quatenùs in ejuſmodi caſibus non libenter utuntur præſumpta voluntate dimittentis: quia ſcilicet eorum Diœceſes, & alienæ, quò mittuntur Ordinandi, non multum diſtant, & ſiquis ſuboriatur ſcrupulus, intrà paucos dies, & ad plurimum hebdomadas, tolli poteſt. In partibus verò Ultramarinis, ubi per leucarum centenaria diſtant inter ſe Excellentiſſimi, & multa ſunt incommoda in tranſfretatione de uno in alium Epiſcopatum, etiam prudenter ſe gerent, qui in ejuſmodi caſibus utantur præſumpta voluntate dimittentis: tum quia Ordinarii Ultramarini, quoties Dimiſſorias concedunt, toties cum dimiſſis diſpenſant, aut ſaltem eos, ad quos mittunt, rogare ſolent, ut cum dimiſſis diſpenſent: tum quia ſiquis de oblivione, aut ſimili defectu oriatur ſcrupulus, non niſi poſt multos menſes, & fortaſſé poſt annum, tolli poteſt.

136 Deindè Sacra Congregatio, & P. Gobat loquuntur de Dominis Epiſcopis, qui ſolam habent juriſdictionem ordinariam: aſt Braſiliæ Epiſcopi extraordinariis gaudent privilegiis, & tam amplis, ut affirmaverit *Pignat. cit.* poſſe Epiſcopos, quibus ſimilia conceſſa ſunt, illis uti cum peregrinis, advenis, & exteris, imò etiam cum Regularibus, etiam eorum Prælatis ignorantibus, aut contrà eorum voluntatem, ut videri poteſt *loc. citato.* Hoc autem militare videtur in noſtro caſu, maximè cùm Ordinandi, oſtenſis Dimiſſoriis, non hùc accedant per dolum, aut fraudem.

137 Notatio Sexta. An etiam cum eo, qui aliò dimiſſus fuit, & hùc appulit? Ante reſolutionem ſciendum eſt; an aliò dimiſſum, & hùc appulſum poſſit Epiſcopus ordinare? Figurat caſum *Lacroix. lib.* 6. *part.* 2. *num.* 2241. & circà illum habet ſequentia. Si Ordinandùs ex ſpeciali cauſa, quam habuit ejus Ordinarius, aliò dimiſſus fuit, ita ut noluiſſet hùc dimittere; tunc dimiſſus nequit ab hoc Epiſcopo ordinari. Ratio eſſe poteſt: quia Epiſcopus ordinare non poteſt ſubditum alienum contra voluntatem ejus ſuperioris: at verò ſuperior dimiſſi ita illi Dimiſſorias conceſſit, & aliò dimiſit, ut noluiſſet hùc dimittere.

138 Si verò nullam ſpecialem cauſam habuit Ordinarius, ſed idèo Ordinandum aliò dimiſit, vel quia alius Epiſcopus erat vicinior, vel quia Ordinandus ita petivit, tunc dimiſſus poteſt ab hoc Epiſcopo ordinari. Ratio eſt: quia in Gratiam Ordinandi fuerat deſignatus alius Epiſcopus vicinior: quod autem in Gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum, juxta *Regul.*61.*jur. in* 6. His poſitis, ad dubium.

139 ℟. cum diſtinctione, & dico primò: ſi Epiſcopus aliò dimiſſum, & hùc appulſum ordinare nequit, nequit etiam cum illo diſpenſare. Ratio eſt: quia Epiſcopus cum illo poteſt diſpenſare, quem poteſt ordinare; cum Ordo ſit materia, circa quam verſetur diſpenſatio: ergò ſi Epiſcopus aliò dimiſſum, & hùc appulſum ordinare nequit, nequit etiam cum illo diſpenſare.

140 Dico ſecundò: ſi verò Epiſcopus aliò dimiſſum, & hùc appulſum ordinare poteſt, poteſt etiam cum illo diſpenſare. Ratio eſt: quià vel ex Dimiſſoriis conſtat, quòd dimiſſus diſpenſatus accedit, vel in eis rogatur Epiſcopus, ut cum dimiſſo diſpenſet: quocumque autem ex his duobus modis poteſt Epiſcopus diſpenſare, juxta ea, quæ hactenus diximus.

141 Addo; quòd ſi ſententiæ Pignat. ſtandum ſit, non ſolùm in hac ſecunda conſideratione, verùm etiam in prima, poteſt Epiſcopus cum tali dimiſſo diſpenſare. Ratio eſt: quià ſtando ſententiæ *Pignat. cit. n.* 9. poteſt Epiſcopus aliò dimiſſum, & hùc appulſum ordinare, etiam contra voluntatem ejus ſuperioris; ergò etiam poterit cum illo diſpenſare: admiſſo enim, quòd Epiſcopus ſic aliò dimiſſum ordinare poſſit, cùm in Ordine ponatur fundamentum diſpenſationis, ſequitur juxta ſententiam Pignat. quòd etiam cum illo diſpenſare poſſit.

SECTIO VIII.

De Feſtis diebus, quibus Ordines conferri poſſunt.

142 UT certa ab incertis ſeparemus, certum eſt primò: Ordines, qui ex Indulto Apoſtolico conferuntur extra Tempora, & non ſervatis Interſtitiis, dari poſſe in quibuſcumque Dominicis, & feſtis diebus, quibus populus ab operibus abſtinet ex præcepto Eccleſiæ. *Ita cum Barboſ. Cardin. de Lug.* qui ſolúm in præfatis diebus conferendos eſſe Ordines mordicùs defendit *lib.* 1. *Conſil. dub.* 34.

143 Certum eſt ſecundò: per hujuſmodi dies non eſſe intelli-

gen-

gendos dies feſtos ex ſolemnibus, qui ubique per totam Eccleſiam, aut integrum Regnum celebrantur, ſed ſufficere, quòd in Diœceſi, in qua Ordines conferuntur, ſit dies feſtus, in quo populus ab operibus ſervilibus vacet. *Ita cum aliis Barboſ part.* 2. *allegat.* 11. *n.* 22. *in fine, Caſtr. Pal. tract.* 27. *punct.* 13. *n.* 2. Quinimò doctiſſimus Corona apud *Gobat. tract.* 8. *n.* 479. ait ſufficere pro Regularibus, ſi in eorum Monaſterio, aut Religione celebretur aliquod feſtum, & non alibi. Hæc ſunt communia apud AA. adeòque moraliter certa.

144 Incertum tamen eſt: an nomine diei feſti ſufficiat intelligere diem feſtum in choro, id eſt, diem feſtum in ordine ad Officia Divina, quamvis in tali die non vacetur in foro, nec teneatur populus à labore, & operibus ſervilibus ceſſare? Pro cujus parte affirmativa promovenda, ac ſtabilienda ſit,

145 Notatio unica. Etiam in præfatis diebus poteſt Epiſcopus Ordines conferre. Et in primis Lacroix, qui in ſeveriorem ſententiam plerumque abit, *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 2293. cum aliis ibi relatis habet ſequentia. Practicè probabile eſt, quòd Epiſcopus poſſit conferre Ordines in feſto duplici, etiam ſi non celebretur in foro, ſed in choro tantùm, & ad libitum, imò, & ſi ſolemniter celebretur in ſolo illo loco, in quo ordinat, & ita videmus fieri ab optimis Epiſcopis.

146 Deindè *Barboſ. quamvis part.* 2. *allegat.* 11. *n.* 22. teneat ſententiam contrariam, tamen *allegat.* 17. *n.* 7. §. *an autem*, prædictam ſententiam vocat non improbabilem, tum quia *Clement. Unica de Reliquiis, & venerat. Sanctor.*, feſta Doctorum Eccleſiæ, & Evangeliſtarum æquiparantur feſtis Apoſtolorum, non quidem in feriatione horum feſtorum, ſed in celebratione eorum ſub officio duplici: tum quia Eccleſia celebrat feſta S. Lucæ Evangeliſtæ, S. Ambroſii, Bonaventuræ, & S. Thomæ Aquinatis ſub officio duplicis & tamen in dicta *Clement. unicâ* hi dies horum Sanctorum, dies feſti appellantur. Ita in terminis citatus Barboſ.

147 Fagundes verò in quinque Eccleſ. *præcept. lib.* 1. *cap* 2. *n.* 12. *cum Fr. Emmanuel. Rodrig. tom.* 3. *quæſt. Regul. quæſt.* 23. *art.* 5. expreſſé dicit, hanc ſententiam eſſe veriorem, & probabiliorem. Ratio illi eſt: quia ille eſt dies feſtus, qui ut talis appellatur in jure: at verò in jure appellatur dies feſtus non ſolum ille, qui à laboribus feriatus eſt, ſed etiam ille, qui à laboribus feriatus non eſt, ut conſtat ex his, quæ proximè adduximus ex *Barboſ. & hic ex Fagund. & Suar. qui tom.* 1. *de Religion. lib.* 2. *de diebus feſtis cap.* 9. *n.* 22. notat in *Clement. Unica* (adeòque in jure) appellari dies feſtos etiam illos, qui à laboribus feriati non ſunt, ut dies Evangeliſtarum &c. His præſuppoſitis,

148 Ratio noſtra ſit. Sententia certò, & abſolutè probabilis licitè in praxim deducitur, etiam in occurſu probabilioris: atqui ſententia de Ordinationum celebratione in die feſto duplici, etiam non feriato, eſt certò, & abſolutè probabilis: ergò licitè in praxim deducitur. Maior eſt doctrina probabiliſtarum, præcipuè à fine ſæculi proximè elapſi, & labentis exordio. Minor conſtat ex eo, quòd eam teneant, ut practicè probabilem,

bilem, ut non improbabilem, imò ut probabiliorem oppoſita. *Rodrig. Fagund Barboſ. & cum Tamburin. Gobat. & aliis P. Lacroix* ubi ſuprà. Prætereà *Dian. Homobon. Tanner, Franciſcus Hallier, & Joan. Præpoſit*; *quos refert Cardin. de Lug.* Cum tamen pauciores Doctores ſufficiant, ut opinio aliqua, in quam conveniunt, præſumatur certò, & abſolutè probabilis intrinſecè, & conſtituatur probabilis extrinſecè, ut etiam apud Probabiliſtas commune eſt.

149 Neque obſtat propoſitio ab Innocencio XI. damnata, videlicet: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Non, inquam, id obſtat: quià eſt diverſa ratio inter opinionem probabilem, ſpectantem ad materiam, aut formam Sacramenti, & opinionem probabilem, ſpectantem ad juriſdictionem, idque ſive juriſdictio dicatur eſſentiale requiſitum ad Sacramentum, ut docent communiùs, ſive etiam conſtituat Sacramentum. Quandò enim opinio verſatur circa materiam, & formam Sacramenti, tunc illud exponitur periculo fruſtrationis, & incertum manet: an Sacramentum conficiatur? Cùm de ratione opinionis ſit incertitudo. At verò quandò opinio probabilis verſatur circà juriſdictionem, tunc Sacramentum non exponitur periculo fruſtrationis, quia certum moraliter eſt, tunc juriſdictionem ab Eccleſia Parente pientiſſimà ſuppleri, ſi forte deſit. Ita in terminis *cum Lug. Suar. & Sanch. P. Viva tom.* 1. Theſium Damnat. in Expoſition. primæ Prapoſitionis ab Innocent. XI. damnatæ num. 20.

150 Dices tamen primò cum Cardin. de Lug. In nova recognitione, & correctione Pontificalis Romani, in Titulo de Ordinibus conferendis, juſſu Urbani VIII. expreſſè additum fuit: *Ordines Minores conferri poſſe omnibus Dominicis, & diebus feſtis ex præcepto*, ut nemo ampliùs poſſet prætendere ibi etiam comprehendi dies, qui in Breviario appellantur *feſta*: ergò Ordines conferri nequeunt, niſi in Dominicis, & diebus feſtis ex præcepto. ℞. primò: Pontificem non declaraſſe, an pro diebus feſtis ex præcepto uſurpari debeant dies feſtivi ex præcepto in foro, vel potiùs ex præcepto in choro tantùm, cùm tamen utrumque intelligi poſſit: nam ſicut ſunt dies feſtivi ex præcepto in foro v. g. Natalitia Apoſtolorum, ita etiam ſunt dies feſtivi ex præcepto in choro tantùm v. g. dies Evangeliſtarum, aut aliorum Sanctorum, qui ſub ritu duplici celebrantur. At verò juxta *Regul.* 55. *jur. in* 6. contrà eum, qui mentem ſuam non expreſſit, cùm poſſet, facienda eſt interpretatio. *Suar. Bonac. Caſtr. Pal. tract.* 3. *de Privileg. diſp.* 4. *punct.* 6. *n.* 1.

151 ℞. ſecundò: Pontificem locutum fuiſſe de Collatione Ordinum Minorum, ut conſtat ex Rubrica Pontificalis Romani, ibi: *Ordines verò Minores poſſunt dari &c.* non verò de Collatione aliorum Ordinum. Dato igitur, & non conceſſo, quòd per ordinem ad Collationem Minorum de diebus feſtis ex præcepto in foro, intelligendum eſſet additamentum Pontificis, adhuc tamen intelligi non debet, nec extendi ad Collationem Ordinum Maiorum; cùm hujuſmodi extenſio ſit odioſa, & odia ſint reſtringenda, maximè in privile-

giis

giis, quæ conceduntur intuitu cauſæ piæ; qualiter noſtra conceduntur, & ideo ſunt amplè interpretanda; ut alibi diximus.

152 ℞. Tertio: Pontificem locutum fuiſſe de Ordinatione regulariter celebranda, & tanquam de jure Ordinario juxta Rubricam Pontificalis Romani: non autem de Ordinatione extraordinariè celebranda, & ſecundùm Indulta Apoſtolica ſpecialiter conceſſa, vel concedenda: in his enim, cùm concedatur id, quod eſt maius, nempè conferre Ordines extra Tempora, & non ſervatis Interſtitiis, denegandum non eſt, quod eſt minus, nempè conferre Ordines in quibuſcumque diebus feſtivis ex præcepto, etiam in choro tantùm; idque ob aſſignatas rationes. Prima reſponſio procedit juxtà doctrinam communem; ſecunda verò, & tertia juxtà noſtram doctrinam particularem.

153 Dices ſecundò cum eodem Cardin. de Lug. In vulgari ſignificatione, & locutione, feſti nomine intelligitur dies, in quo ab operibus ſervilibus vacandum eſt, *ut conſtat ex toto titulo de feriis*: ergò non intelligitur dies feſtus in choro tantùm. Probatur primò *ex Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* ubi præcipitur, ut denunciationes fiant publicè in Eccleſia tribus diebus feſtivis, quod ſemper intelligitur de diebus feſtivis ex præcepto in foro, ut declaravit *Concil. Mediolan. teſte Dian. part.* 5. *tract.* 13. *reſolut.* 97.

154 Probatur idem antecedens ſecundò: quia nomine feſti, vel diei feſtivi in ordine ad recitandum Officium Divinum, non ſolùm venit dies feſtus duplex, ſed etiam ſemiduplex, vel ſimplex, ut conſtat ex Rubricis Miſſalis, & Breviarii: ergò ſi latè accipiatur hæc vox *feſtum*, non ſolum in die feſto duplici, ſed etiam in ſemiduplici, & ſimplici, poterunt Ordinationes celebrari.

155 Probatur idem antecedens tertiò: quia ſtando juri, ſeu communi modo loquendi in jure relatè ad Ordinationum celebrationem, pro diebus feſtivis uſurpandi non ſunt dies feſti, qui tales ſunt in choro, ſed ſolum ii, qui tales ſunt in foro. Oſtenditur hoc. Quia licet in Rubricis Miſſalis, & Breviarii nomen *feſti* accipiatur, prout contradiſtinguitur à *diebus ferialibus*, ſeu *feriis*, in quibus non fit de aliquo Sancto; tamen in jure uſurpantur feriæ pro diebus feſtivis; in quibus à labore, & aliis operibus ſervilibus vacandum eſt, *ut conſtat ex toto titulo de feriis*: ergò ſtando juri, ſeu communi modo loquendi in jure relatè ad Ordinationum celebrationem, pro diebus feſtivis uſurpandi non ſunt dies feſti, qui tales ſunt in choro, ſed ſolum ii, qui tales ſunt in foro.

156 ℞. negando antecedens. Ad primam probationem ℞. negando conſequentiam. Diverſa ratio eſt: quia neceſſitas, quæ urget ad primum, non urget ad ſecundum. Neceſſitas ad primum urget, né irrita fiant Matrimonia: opus eſt igitur, ut denunciationes fiant publicè, quando in Eccleſiam convenit maior pars populi, ut manifeſtentur impedimenta, quæ aliàs matrimonium dirimerent: ad ſecundum autem non urget ſimilis neceſſitas: quia inquiſitiones de vita, & moribus Ordinandorum ſupponuntur jam factæ.

157 Si

157 Si tamen dies feſtus requiratur ob alium finem, huic æqué attenditur, ſive dies ſit feſtus in foro, ſive in choro tantùm; maximè cùm in Capella ſpeciali, & privatà Domus Epiſcopalis Ordinationes celebrantur, ut plerumque fit, & fieri poteſt. *Henriq. Barboſ. Villalob. Caſtr. Pal. n.* 9. Tunc enim licèt ſit dies feſtus de præcepto in foro, non plures adſunt ferme teſtes, quam Ordinandorum cognati, amici, & Miniſtri neceſſarii ex Familia Epiſcopopali.

158 Ad ſecundum probationem ℟. negando conſequentiam. Ratio eſt: quia in Rubrica Pontificalis Romani, in qua præcipuè fundatur ſententia contraria, habetur expreſſè: *Minores verò Ordines poſſunt dari ſingulis Dominicis, & feſtivis diebus duplicibus*: ergò licet in ordine ad ritum recitandi officium accipiatur hæc vox *feſtum*, tam pro feſtis duplicibus, quam ſemiduplicibus, & ſimplicibus: tamen in ordine ad Ordinationum celebrationem non ita accipi poteſt, cum in Rubrica exprimatur, quòd in duplici conferantur Ordines, & non exprimatur, quòd futurum ſit duplex ex præcepto in foro, aut in choro tantùm.

159 Ad tertiam probationem ℟. negando antecedens; ſiquidem in jure appellatur dies feſtus non ſolùm ille, qui talis eſt in foro, & à labore feriatus, ſed etiam ille, qui talis eſt in choro tantùm, & à labore non feriatus, ut conſtat ex *Clement. Unica*, adeòque ex jure, ubi dies feſti appellantur feſta Doctorum Eccleſiæ, & Evangeliſtarum, SS. Bonaventuræ, & Thomæ Aquinatis, ut cum *Suar. Fagund*; *& Barboſ.* ſuprà notavimus: & tamen dies feſti horum Sanctorum, non ſunt dies feſti in foro: ergò non ſolum in Miſſali, & Breviario, ſed etiam in jure accipitur hæc vox *feſtum* pro feſto in choro. Et hinc patet ad antecedentis probationem.

SECTIO IX.

An prædicti dies feſti debeant eſſe continui, vel potiùs interpolati?

160 NOtatio unica. An prædicti dies feſti debeant eſſe continui, vel potius interpolati? ℟. ejuſmodi dies debere eſſe interpolatos, non verò continuos, niſi ex ſpeciali privilegio. *Ita Gobat tom.* 3 *tract.* 8. *n.* 464. *Lacroix. lib.* 6. *part.* 2. *n.* 230. Ratio eſt: quia facultas conferendi, vel recipiendi Ordines tribus diebus feſtis, etiam continuis, eſt favor ſpecialis, & gratia paucis conceſſa, ut conſtat ex variis Indultis Apoſtolicis apud *citat. Gobat*: ergò rectè infertur, quód ſi aliquando privilegium concedatur Ordines conferendi, vel recipiendi tribus diebus feſtivis, ſemper hi dies ſubintelligi debeant interpolati.

161 Dixi: *niſi ex ſpeciali privilegio*: quia extra Tempora, & non ſervatis Interſtitiis, in tribus Dominicis, aut diebus feſtis, etiam continuis, ordinari poſſunt Societatis JESU Religioſi ex ſpeciali privilegio, quod afferunt *Fagund. in quinque Eccleſ. præcept. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 13. *Barboſ. part.* 2. *allegat.* 17. *n.* 7. *& noviſſimè Lacroix*, *qui lib.* 6. *part.* 2. *n.* 2194. privilegium affert, videlicet.

Decreta

Decreta Sanctiſſimi, ſuarumvè Congregationum, in cauſis inſraſcriptis Societatis JESU.

BEATISSIME PATER.

Societas JESU ex Sedis Apoſtolicæ benignitate à ſæculo, & ultrà utitur privilegio, quod Sanct. Mem. Greg. XIII. eidem Societati conceſſit in ſua Conſtit. 77. Bullarii Rom. tom. 2. die 22. Sept. 1582. *ut nimirum ejuſdem Societatis Religioſi prævia ſuorum Superiorum facultate, ad quoſcumque tam Minores, quam Sacros Ordines promoveri valeant à quolibet Epiſcopo, & Antiſtite, gratiam, & communionem dictæ S. Sedis habente abſque ulla functione, inquiſitione de idoneitate, aliiſque requiſitis, & ſignanter abſque ulla interſtitiorum obſervatione, in tribus Dominicis, vel aliis feſtis diebus etiam continuis. Quod indultum Greg. XIV. & Paulus V. Sanct. mem. cum cæteris eidem Societati a Summis Pontificibus anteà conceſſis planè confirmarunt. Quoniam verò die* 14. *Decemb.* 1693. *Congregatio particularis à Sanctitate veſtra deputata decretum edidit ſuper moderatione indultorum ſuſcipiendi Ordines extra Tempora à jure ſtatuta, quamvis dicta Societas nec explicitè, nec implicitè videatur in eodem decreto comprehenſa, nihilominus, ad omnem hæſitationem, quæ contingere poſſet, removendam, Thyrſus Gonzalez, Præpoſitus Generalis ejuſdem Societatis, humilimè ſupplicat S. V. ut dignetur declarare diſpoſitionem præfati decreti nullatenus involvere dictam Societatem, quod ſperat, &c. Quam Deus &c.*

Commiſſio Sanctiſſimi ad Relationem Illuſtr. & Reverendiſſ. Dom. Secretarii memorialium.

Ad Dominum Vices-gerentem cum Sanctiſſimo.

Carolus Auguſtinus Fabronus.

DECERTUM.

Sanctiſſimi D. N. Innocentii Papæ XII. referente Illuſtr. & Reverendiſſ. Dom. Epiſcopo Interamnenſi Vices-gerente, die 17. *Aug.* 1695.

Facto verbo cum Sanctiſſimo D. N. Sanctitas ſua prævia declaratione, quòd in decreto de Sacris Ordinationibus edito die 14. *Decembr.* 1693. *non comprehendantur Clerici Societatis JESU, ſpecialiter, & expreſſè mandavit in eis ad Ordines promovendis ſervari Conſtitutionem Greg. XIII. quæ incipit*: Pium, & utile, *datam* 22. *Sept.* 1582.

Sperellus Epiſcopus Interamnenſis Vices-gerens.

Gregorius Papa XIII. ad futuram rei memoriam.

Pium, & utile Societatis JESU inſtitutum non patitur certa quædam ab eis, qui ſub ejus vexillo, & diſciplina ſalutari militant, obiri, quæ in Sacris ineundis generaliter præſcribuntur.

Quocirca cùm dictæ Societatis, ac diſciplinæ alumni nulli Eccleſiæ, nullivè loco certo mancipati ſint, ut ibi permaneant, ſed veluti viatores omni tempore parati, expectanteſque diem, & horam,

quæ

qua vel ad extremas Orbis regiones, cùm venit uſus, emittantur, ubi quiſque pro captu ſuo, & juxtà datam ſibi à Domino ſapientiam ſeſe in vinea Domini excolenda exerceat, ejuſque rei cauſa fel. record. Paulus Papa III. Præpoſito ejuſdem Societatis conceſſerit, ut idoneos, & comprobatos ab ipſa Societate, quibuſcumque mallet Catholicis Antiſtibus, & gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus præſentare poſſet, qui illos ſic præſentatos abſque ulla promiſſione, vel obligatione ad Ordines hujuſmodi promoverent.

Nonnulli tamen Antiſtites poſt Conc. Trid. decreta eos ſic præſentatos priùs in cujuſque tam Minorum, quam Sacrorum Ordinum hujuſmodi præſcripto munere exercitatos, temporumque determinatorum poſt ſuſceptos præſcriptum finem, antequam ad ſuperiores Ordines aſcendant, omninò expectandum, eoſque eorundem Ordinum functionibus, chorique officiis plenè inſtructos, & denique ſuper eorum vita, moribus, ætate, & natalibus ad Parochi inquiſitionem, aut aliàs teſtimonium, & certa alia requiſita habenda eſſe contendunt, quamvis non niſi ad eoſdem Ordines ſuſcipiendos numeris alioqui omnibus idonei dimittantur.

Nos his incommodis, quantum in nobis eſt, occurrere volentes, omnibus Epiſcopis, & aliis Antiſtibus præſentibus, & futuris in perpetuum præcipimus, atque interdicimus, nè ab hujuſmodi promovendis, qui licentiam à Præpoſito Generali dictæ Societatis pro tempore exiſtente, vel ab eo delegatis habuerint, quicquam prædictorum requirant, vel exigant, ſed ipſos etiam abſque ulla functione in Ordinibus ipſis, interſtitiorumque ad illos ſuſcipiendos obſervatione, aut inquiſitione de cantu, officiis, & cæremoniis Eccleſiaſticis, idoneitate, proprii Ordinarii licentia, & aliis in aliis requiſitis, ad Minores, ac etiam extrà Tempora à jure ſtatuta, tribuſque Dominicis, aut aliis feſtis diebus etiam continuis ad Sacros etiam Preſbyteratus Ordines promoveant, ac ſi omnibus illis præditi eſſent: nos enim illis Ordines omnes prædictos ſic ſuſcipiendi, ac prædictis Antiſtitibus eos ipſis conferendi facultatem tribuimus.

Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque: præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua privilegia cum ipſa Societate copioſe participant, & participare poterunt quomodolibet in futurum, fieri omninò prohibemus. Cæterum quia difficile eſſet præſentes, quocumque illis opus erit, deferre.

Volumus, ut earumdem præſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam dicti Præpoſiti muniis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris die 22. Septemb. 1582. Pontificatus noſtri anno XI.

Ordinationis Mechlinienſis.

ARchi-Epiſcopus Mechlinienſis per libellum à Sanctiſſimo remiſſum, Oraculum S. Congregationis Conc. Trid. exquiſivit ſuper jura

jura examinandi, & ad Ordines promovendi Religioſos Societatis JESU, duplici dubio propoſito.

Primum dubium. An Clerici Societatis JESU Sacros Ordines ab Epiſcopo Mechlinienſi ſuſcepturi, debeant ſe ſubjicere examini, prout cæteri Regulares?

Die 5. Julii 1681. S. Congret. Concilii reſpondit negativè, niſi adſit conſuetudo in contrarium.

Secundum dubium. An Clerici Societatis JESU, habitantes in Diœceſi Mechlinienſi, Archi-Epiſcopo Ordinationem habente, poſſint extra Diæceſim Mechlinienſem ordinari ab alio Epiſcopo in propria Diœceſi?

Dicta die 5. Jul. 1681. & 8. Maii 1683. Sacra Congreg. reſpondit affirmativè.

162 Non obſtante, quòd Pontifex ſuprà dicat: *Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua privilegia cum ipſa Societate copioſè participant, & participare poterunt quomodolibet in futurum, fieri omninò prohibemus.* Hoc, in quam, non obſtante; *P. Eſcobar in ſua Theolog. Moral. lib.* 23. *cap.* 6. *n.* 88. nominat alias Religioſas familias, quibus etiam eſt directè præſtita hæc Gratia. Quinimò *Gobat cit.* §. *Quin vidi ipſe*, ſimilem Gratiam cuidam Helvetio è plebe conceſſam ab Alexandro VII. die 10. Julii, anno 1660. ſe vidiſſe teſtatur.

163 His tamen prætermiſſis, & redeundo ad Societatis privilegium, adhuc circà illud dubitari poteſt de illis feſtivis diebus etiam continuis: An debeant eſſe à laboribus feriati? an ſufficiat, quòd ſint feſti in choro tantùm; & in ordine ad Officium duplex? Et licèt hoc dubium jam ſuprà reſolutum maneat, ubi generaliter diximus ſufficere, ſi dies dicantur feſti in ordine ad Officium duplex: nunc tamen in particulari, & determinatè quoad Societatis privilegium, iterùm dicimus ſufficere, ſi dies ſint feſti in choro tantùm, & in ordine ad officium duplex, & non requiri, quòd ſint à laboribus feriati, & feſti etiam in foro. In cujus confirmationem, ut debita fides adhibeatur, nihil ex me, ſed omnia ex Fagund. adducam loco citato.

164 Privilegium Societatis eſt in viridi obſervantia, & uſu confirmatum: nam tribus diebus duplicibus ordinatus fuit P. Emmanuel Vieyra ejuſdem Societatis Conimbricæ à Domino Alfonſo ab Albicaſtro, Conimbricenſi Epiſcopo, non feriatis: tribus item diebus duplicibus non feriatis ordinati fuère Amææ (vulgò Portalegre) duo Patres Societatis JESU, me præſente, ab Illuſtriſſimo Domino D. Roderico à Cunha, Epiſcopo Amienſi, poſtea meritiſſimo Portuenſi, examinato priùs noſtro privilegio, & diligenti præmiſſo ſtudio ſuper hanc rem, & ſæpè hoc vidi fieri in noſtra Societate. Hæc laudatus Fagund.

DISPUTATIO TERTIA.

DE SECUNDA FACULTATE PONTIFICIA,

QUÆ

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid ſit Irregularitas?

165 SEcundum Indultum Apoſtolicũ, Braſiliæ Epiſcopis conceſſum. *Diſpenſandi in quibuſcumque Irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex Bigamia vera, vel ex Homicidio voluntario proveniunt, & in his etiam duobus caſibus, ſi præciſa neceſſitas operariorum ibi fuerit, ſi tamen quoad Homicidium voluntarium ex hujuſmodi diſpenſatione ſcandalum non oriatur.*

166 Notatio Prima. Undè dicatur Irregularitas? ℞. dici ab *In*, & *Regula*, quod idem eſt, ac ſine regula: nam præpoſitio *In* vim habet ſignificandi privationem. Undè ſicut vox *irregulare* ſignificat, quod eſt extrà regulam, & à ſenſu contrario regulare, quod eſt ſecundùm regulam. *l. Regulariter. ff.* de Pet. hæred. ità etiam vox *Irregularitas* ſignificat, quod eſt extrà regulam ratione alicujus impedimenti, quo homo ſit incapax illius gradùs, & actionis, quæ aliis communis eſt, adeòque extra cõmunem, & generalem regulam collocatur.

167 Notatio Secunda. Quomodò definiatur Irregularitas? ℞. definiri: Impedimentum Canonicum ex facto, vel defectu proveniens, quo quis ad Eccleſiaſticos Ordines promoveri, & jam promotus in iiſdem miniſtrare prohibetur. Traditur communiter à Theologis, & Juriſtis, & deducitur ex cap. *Significaſti*, & ex cap. *Ad audientiam de Homicid.* Aliter etiam deſcribi poteſt: Moralis quædam Incapacitas, & Inhabilitas ad Ordinem Eccleſiaſticum ſuſcipiendum, aut, ſi jam ſuſceptus fuerit, exercendum, propter aliquam maculam, & indecentiam ex culpa, aut quovis alio defectu contractum *Gibalin. lib. ſingular. de Irregularit. quæſt.* 1.

168 Particula -- *Impedimentum* ponitur loco generis: per illam enim convenit Irregularitas cum cenſura, & quolibet defectu naturali, v. g. cum cæcitate, quæ etiam eſt impedimentum. Ubi notandum ex Doctoribus in definitione non poni particulam -- *pœna* -- quia Irregularitas aliquando incurritur abſque ulla culpa propria, nec aliena, reſpectu cujus dicenda ſit pœna. Particula -- *Canonicum* -- ponitur, ut diſtinguatur Irregularitas ab impedimentis, quæ jure Divino, aut naturali poſita ſunt: nam fœmina v. g. & mas membris omnibus captus, aut truncus, arcentur ab Ordinibus; & tamen non dicuntur propriè

priè irregulares. Irregularitas enim ſolo jure Humano, & Eccleſiaſtico inducta fuit, ut tradit Innocent. cap. *ad audientiam de* Homicid. & DD. communiter.

169 Reliquæ particulæ ſunt loco differentiæ, ut Irregularitas diſtinguatur ab excõmunicatione, ſuſpenſione, & interdicto, quæ licèt impediant receptionem, vel uſumOrdinũ, non tamen quatenùs Ordines ſunt, ſed ſub aliis rationibus, v. g. Excommunicatio privat receptione, & uſu Ordinum, quatenus receptio, & uſus Ordinum eſt quædam communicatio cum fidelibus: ſuſpenſio privat Ordinis uſu, & non ſuſceptione, cùm Ordinem ſupponat: & Interdictum aliquandò privat uſu Ordinum, non ut Ordo eſt, ſed ut eſt quoddam Officium Divinum. *Avil. de Cenſur. p. 7. à quæſt.* 1. An verò Irregularitas, ſaltem quæ ex facto oritur, ſit cenſura? Non eſt inſtituti noſtri examinare. Videatur *Gibalin. cit.* & alii communiter contrà Thomiſtas.

SECTIO II.

Quotuplex ſit Irregularitas?

170 NOtatio Unica. Quotuplex ſit Irregularitas? R. Irregularitatem dividi primò in eam, quæ eſt ex delicto, & in eam, quæ eſt ex defectu. Secundò in totalem, & partialem. Totalis eſt, quæ omni Ordine ſuſcipiendo, & ſuſcepti exercitio privat, v. g. Homicidium, Bigamia. Partialis verò, quæ aliquo tantum Ordinis miniſterio privat, vel ſolo aſcenſu ad Ordinem ſuperiorem. Sic Sacerdos, qui manibus truncatur, inhabilis ſit ad Miſſam, non tamen ad Confeſſiones audiendas; & Diaconus, qui ſiniſtro oculo orbatur, incapax ſit Sacerdotii, non autem miniſtrandi in ſuo Ordine.

171 Inter Irregularitates ex delicto numerantur, quæ contrahuntur primò ob iterationem Baptiſmi. Secundò, ob violationem cenſuræ, quoties ea innodatus aliquem actum Ordinis ſolemniter exercet. Tertiò, ob peccatum, quo Clericus actum Ordinis Sacri, quem non habet, ſolemniter exercet. Quarto, ob delictum, quo quis male ſuſcepit Ordines, v. g. in excommunicatione, ſuſpenſione, vel per ſaltum, vel ante legitimam ætatem, vel ſine Dimiſſoriis, vel furtivè, Epiſcopo neſciente, nec approbante. Quintò, propter enormia crimina, quæ à jure habent annexam infamiam, ut adulterium publicum, raptus, inceſtus, & perjurium in judicio. Sexto, ex injuſta mutilatione alicujus membri principalis, atque etiam ex homicidio, etiam indirectè tantum voluntario, extenditurque ad omnes, qui ad alterutrum, ſivè in bello injuſto, ſive extra illud, injuſtè concurrunt, conſulendo, mandando, & ſic de hujuſmodi aliis, de quibus *Avil. de Cenſur. part. 7. à diſp.* 1. *Gibalin. cit. cap.* 3. *à quæſt.* 4. *& paſſim omnes.*

172 Irregularitates ex defectu animæ contrahunt primò amentes, phrenetici, arrepticii, epileptici, illitterati, Neophyti, ſeu recenter converſi. Secundò, ex defectu corporis, cæcus, ſurdus, mutus, claudus, Hermaphroditus, notabiliter deformis, Gybboſus, Leproſus, Paralyticus, Gygas, Pygmæus. Item, qui manu, pollice, indice, oculo ſiniſtro, ſeu ut aiunt, canonis, auribus,

auribus, naſo, aut alia parte principali careat. Tertiò, ex infamia juris, quæ vel ex delicto proprio, vel parentum, vel vili conditione perſonæ naſcitur. Quartò, ex defectu libertatis, natalium, lenitatis, & ſiquæ ſunt aliæ Irregularitates, quæ ex defectu contrahantur, & videri poſſunt apud citatos AA.

SECTIO III.

De Diſpenſatione Irregularitatis in communi.

173 Notatio Unica. An in prædictis Irregularitatibus, & omnibus aliis quibuſcumque, tum ex delicto, tum ex defectu provenientibus, quarum diſpenſationes Papæ reſervantur, diſpenſare poſſint Braſiliæ Epiſcopi? Ut tamen vitentur varia dubia, quæ in hac materia paſſim occurrunt, ad reſolutionem præmittendum primò: Quid ſit dubium juris, quid dubium facti?

174 Dubium juris tunc eſt, quando dubitatur, an ſit lata lex in jure, per quam ob tale factum inducatur Irregularitas. Dubium facti eſt, quandò ſcitur quidem, quòd per tale factum inducatur Irregularitas, ſed dubitatur, an aliquis commiſerit illud factum, quod neceſſarium erat, ut incurreretur Irregularitas?

175 In dubio ſive juris, ſive facti circà Irregularitatem, vel, an hic caſus contineatur ſub lege inducente Irreglaritatem, docent *Navar. Suar. Con. Avil. Salaz. Bonac. Tambur; Sanch; Laym. Caſtr. Pal. Dicaſtil. & alii, quos refert Lacroix lib.* 7. *n.* 450. neminem cenſeri irregularem, excepto caſu dubii Homicidii. Ratio eſt: quia Irregularitas non debet cenſeri lata, niſi clarè exprimatur in jure *cap. Is, qui* De ſententia excommunicat. in 6.

176 Extenditur hæc doctrina primò, ad dubium purum, quandò ſcilicet anceps eſt animus, nec in alteram partem ullà ratione trahitur: & ad dubium non purum, quandò ſcilicet utraque, vel altera pars contradictionis apparet probabilis, & conſtitutiva opinionis; adhuc enim tunc citrà periculum culpæ poteſt deponi dubium. & eligi pars illa, quæ docet dubitantem non eſſe irregularem. *Ità cum Henriq. & aliis Avil. cit. diſp.* 2. *dub.* 5. *à* §. *Sed circà id.*

177 Extenditur ſecundò ad utrũque forum, tam internum, quàm externum: pro neutro enim tenetur dubitans ſe credere irregularem, cùm ei pro utroque foro faveat poſſeſſio. *Gibalin. cit. cap.* 2. *conſectar.* 6. & alii communiter.

178 Præmittendum ſecundò, Epiſcopos omnes poſſe diſpenſare in omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta Irregularitate, quæ oritur ex Homicidio, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum. *Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 6. *ibi*: *Liceat Epiſcopis in Irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex Homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare.* His præmiſſis.

179 Dubium ſupereſt de Irregularitatibus in jure expreſſis, aut ex delicto publico provenientibus, ad quarum diſpenſationes juriſdictionem Ordinariam non habent Epiſcopi.

copi. In hoc igitur ſenſu ad dubium propoſitum *n.* 173. ℞. affirmativè. Ratio eſt primò: quia qui totum dicit, nihil excludit ex cap. *Solitæ* De maiorit. & obedient. *Leg. Julianus, in princip. ff.* De Legat. 3. l. *Hoc articul. ff.* De hæred. Inſtit; & ex communi Doctorum; ſed facultas Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur circa Irregularitates diſpenſandas, ad omnes ſe extendit, exceptis duabus, ut ex contextu ejuſdem facultatis patet: ergò nullas excludit, ſive ex delicto, ſive ex defectu naſcantur.

180 Ratio eſt ſecundò: quia dictio, *quæcumque*, non eſt minùs univerſalis, nec minùs comprehendens, quàm dictio *quilibet*, aut dictio *quivis*: atqui dictio *quilibet*, eſt univerſalis, & omnia comprehendens, ut in leg. *Cùm quis ff.* Si certum petatur; & dictio *quivis* eſt etiam univerſalis, & omnia complectens, *leg. A Procuratore*, cap. *Mandati*, & cap. *Solitæ* De maiorit. & obedient: ergò ſimiliter dictio *quæcumque* eſt univerſalis. Subſumo: ſed quod eſt univerſale, & omnia complectens, nihil excludit: ergò ſi in Facultate Braſilica circà Irregularitates diſpenſandas apponitur dictio univerſalis, nempè *in quibuſcumque Irregularitatibus*, rectè infertur, quod nullas excludat, & ad omnes ſe extendat.

181 Ratio eſt tertiò: quia in prædicta Facultate excipiuntur Bigamia vera, & Homicidium Voluntarium, in quibus ſolùm Braſiliæ Epiſcopi prohibentur diſpenſare, niſi ſub conditionibus, & circunſtantiis ibi poſitis; atqui exceptio illa firmat regulam in contrarium pro caſibus non exceptis, ut jure tenent *Molin. Suar. Tolet. Dicaſtil. quos citat. Lacroix. lib. 7. n.* 475. ergò ſi à dictione illa univerſali *quibuſcumque* non excipiuntur Irregularitates Pontifici reſervatæ, niſi prædictæ duæ, inde firmatur, quod ad omnes alias diſpenſandas ſe extendat conceſſa facultas, & nullas excludat, ſive ex delicto, ſive ex defectu naſcantur.

182 Ratio eſt quartò: quia Summus Pontifex non ſolùm poteſt concedere, ſed etiam de facto concedit aliquibus facultatem diſpenſandi in omnibus Irregularitatibus, excepta Bigamia vera, & Homicidio voluntario. *Avil. part. 7. diſp. 6. Sect. 5. Gibalin. cit. cap. 6. quæſt. 4. Lacroix. lib. 7. n.* 443. & alii: ſed ex facultatum catalogo expreſſè conſtat ita de facto Braſiliæ Epiſcopis conceſſiſſe: ergò Braſiliæ Epiſcopi ità de facto poſſunt diſpenſare.

183 Dices. Solus Papa poteſt diſpenſare in Irregularitatibus ex defectu: ergò. ℞. Solus Papa poteſt de jure ordinario; cùm enim Papa ſit Eccleſiæ univerſalis Caput, & totius juris Eccleſiaſtici Conditor, etiam penès ipſum eſt ejuſdem juris relaxatio, quatenus ille tantùm poteſt in lege diſpenſare, qui poteſt legem condere: at verò de jure ſpeciali, & extraordinario id etiam poſſunt, quibus Papa talem facultatem concedat, ut concedit Braſiliæ Epiſcopis.

SECTIO IV.

De Diſpenſatione Irregularitatis in particulari.

184 Notatio Prima. Quid ſentiendum in particulari de Irregularitate illegitimitatis per ordi-

ordinem ad beneficia curata. Imprimis non eſt dubium poſſe Epiſcopos de jure ordinario diſpenſare cum illegitimis ad Ordines Minores, & Beneficium ſimplex, ex cap. 1. & 2. de Filiis Presbyter, idque, licèt Beneficio ſimplici ſit annexum Beneficium curatum. *Azor part. 2. lib. 6. cap. 3. quæſit.* 14. *Gobat. tract.* 8. *n.* 443. *Caſtr. Pal. de Cenſur. punct.* 9. *n.* 7.

185 Non eſt dubium ſecundò, poſſe probabiliter Epiſcopos de jure ordinario diſpenſare cum illegitimis occultis ad Sacros Ordines. *Henriq. Avil. Laym. & alii apud Dian. part.* 10. *tract.* 11. *Reſolut.* 24.

186 Non eſt dubium tertiò poſſe Pontificem diſpenſare cum illegitimis ad omnes Ordines Sacros, Epiſcopatus, Dignitates, & Beneficia Curata, ex eodem *cap.* 1. & 2. de Filiis Presbyter.

187 Non eſt dubium quartò idem etiam poſſe, qui ad id obtineant privilegium Pontificium, ut per ſe patet: cum igitur Braſiliæ Epiſcopi à Pontifice obtineant Indultum diſpenſandi in *quibuſcumque Irregularitatibus*: hinc deducitur poſſe Braſiliæ Epiſcopos diſpenſare cum illegitimis ad omnes Ordines Sacros, ut probatum manet Notat. præcedenti.

188 Præſens dubium eſt: an etiam poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare cum illegitimis ad Beneficia Curata, & alias Dignitates Eccleſiaſticas? ℞. affirmativè. Ratio eſt primò: quia Irregularitas orta ex illegitimitate non eſt Irregularitas orta ex Bigamia vera, nec ex Homicidio voluntario: atqui ſolùm hi duo caſus, ſeu Irregularitates ex his ortæ à Pontifice excipiuntur: ergò non debet cenſeri, excepta facultas diſpenſandi cum illegitimis ad quodcumque beneficium, etiam curatum.

189 Declaratur: nam licet illegitimus diſpenſatus ad Ordines Sacros, & Beneficium ſimplex, non maneat eo ipſo diſpenſatus ad Beneficium Curatum, ſed potiùs ad hoc egeat nova diſpenſatione: tamen ejuſmodi diſpenſatio, ſeu diſpenſabilitas non excipitur communiter à privilegiis, in quibus conceditur univerſalis facultas diſpenſandi in omnibus Irregularitatibus, ut ex Avil. ſuprà diximus: ergò licet illegitimus diſpenſatus ad Ordines Sacros, egeat nova diſpenſatione ad Beneficium Curatum, eam tamen dare poterit Braſiliæ Epiſcopus.

190 Ratio eſt ſecundò: quia ideò de jure ordinario nequit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimis ad Beneficia Curata, quia etiam cum illis diſpenſare nequit ad Ordines Sacros, & illorum uſum: atqui Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum illegitimis ad Oridines Sacros, & illorum uſum: ergò etiam ad Beneficia Curata, & alias Dignitates, cùm ad ejuſmodi diſpenſationes non reſtringatur facultas Braſiliæ Epiſcopis conceſſa, ut patet ex eodem Indulto.

191 Ratio eſt tertiò ex doctrina communi. Nam licèt diſpenſatio ſit res odioſa, ideòque reſtringenda; tamen poteſtas diſpenſandi eſt res favorabilis, & latè interpretanda, ideòque in dubio: an ſe extendat ad hunc, vel illum caſum? Poteſt judicari, quòd ſe extendat. Neque obſtat, quòd lex ſit in poſſeſſione: nam pro hoc caſu conſtat de benigna voluntate Principum, qui beneficium ſuum volunt amplum eſſe. *Ità cum communi DD.*

La-

Lacroix. lib. 1. *num.* 798.

192 Quod dicimus de facultate diſpenſandi cum illegitimis per ordinem ad Beneficia curata, & alias dignitates Eccleſiaſticas, extendimus etiam ad Regulares illegitimos, ſi eorum perſonis, & induſtria indigeat Epiſcopus intra propriam Diœceſim. Dato enim, quòd in Diœceſi eſſet præciſa neceſſitas operariorum, & deinde in familia aliqua Religioſa eſſet aliquis illegitimus, quem Epiſcopus vellet pro tempore deputare, & conſtituere Vicarium ſuum in hac, vel illa Parochia, in defectu tamen ſacerdotum ſæcularium, atque etiam de conſenſu ſuperiorum ipſius Regularis juxta facultatem 22. In hoc caſu cenſeo, tùm ob rationes hic factas, tum ob eas, quas dedimus *à n.* 9. quod etiam cum iſto poſſet Epiſcopus diſpenſare. Quidquid ſit de diſpenſatione ad Prælaturas Clauſtrales, quibus illegitimus non fit habilis per Profeſſionem Religioſam, quamvis habilis fiat ad Ordines Sacros. *Navar. Henriq. Avil. part.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 6. §. *Notandum eſt*, *& Text. in cap.* 1. De Filiis Presbyter.

193 Colliges primò: illegitimū diſpenſatum ab Epiſcopo ad Ordines Minores, non ideò cenſeri diſpenſatum ad Beneficium ſimplex; ſed nova ad illud diſpenſatione indigere. *Navar. Henriq. Avil. & alii communiter apud Gobat tract.* 8. *n.* 443.

194 Colliges ſecundò: illegitimum diſpenſatum ad Ordines Sacros, non manere eo ipſo diſpenſatum ad Beneficium Curatum; ſed ad illud obtinendum rurſùs diſpenſandum fore: ſicuti ſi diſpenſetur ad unum tantùm Beneficium Curatum, non manet diſpenſatus ad plura: Secùs, ſi diſpenſetur ad Beneficium incertum in cõmuni: tunc enim poteſt, relicto primo, obtinere aliud, atque aliud Beneficium abſque nova diſpenſatione. *Henriq. lib.* 13. *cap.* 57. *n.* 5. *litera S*; *& alii communiter.*

195 Colliges tertiò: pluribus Irregularitatibus incurſum totidem diſpenſationibus indigere, ſeu Irregularitates ſint ejuſdem generis, v. g. ob Homicidium ſæpiùs patratum, ſeu diverſi generis v. g. ob Homicidium, & Bigamiam. *Rodrig.* aliique multi apud *Lacroix. lib.* 7. *n.* 475. Ratio generalis eſt: quia licèt poteſtas diſpenſandi commiſſa alicui ſit latè interpretanda; ipſa tamen actualis diſpenſatio cùm ſit odioſa, ſeu contraria juri, ſtrictè interpretanda eſt. Ita omnes.

196 Notatio Secunda. An idem dicendum de Irregularitate illiteraturæ, ſive ex defectu ſcientiæ. Circa quód nota primò: illiteratos eſſe in dulplici differentia: alii enim ſunt, qui nec legere ſciunt, & alii, quamvis legere ſciant, adhuc tamen non habent, quantum doctrinæ requirit *Tridentinum Seſſ.* 23. *cap.* 11. *&* 13. Priores eſſe irregulares conſtat ex cap. *illiteratos diſt.* 36. junct. Gloſſ. & an in eorum Irregularitate poſſit Papa diſpenſare? Controvertitur inter Doctores. Negantes fundantur in eo, quòd ejuſmodi Irregularitas ſit de jure Divino. Affirmantes verò negant eſſe de jure Divino; cùm omnis Irregularitas inducta fuerit jure Humano, & Eccleſiaſtico, alioquin ſi ordinaretur puer, non maneret ordinatus. Undè in hac etiam Irregularitate (inquiunt hi AA.) poteſt Papa, quamvis ei non liceat, diſpenſare. *Villalob. tract.* 21. *Difficult.* 34. *num.* 2.

197 Nota ſecundò, etiam poſteriores eſſe irregulares ſecundùm aliquos, quatenùs ſic illiterati non habent ſcientiam, quam ab illis poſtulat Tridentinum cit. Alii verò limitant, & dicunt non eſſe irregulares, ſi aliqualem habeant ſcientiam ſufficientem, ſcilicet ad munus ſuum obeundum, eſto non tantam, quantam exigit Tridentinum. Ratio eſt: quia certum in jure eſt non dari Irregularitatem, niſi in jure exprimatur: Tridentinum autem, quamvis ſingulis Ordinibus præſcribat ſcientiam, non exprimit Irregularitatem, ſi ordinando, vel ordinato deficiat ſcientia ab eodem Tridentino requiſita. His notatis.

198 Dico primò. Braſiliæ Epiſcopus poteſt diſpenſare in omni Irregularitate illiteraturæ, ſeu ex defectu ſcientiæ, qui ſit contra Canones Eccleſiaſticos. Ratio eſt: quia Braſiliæ Epiſcopus de jure ſpeciali, & poteſtate ſibi delegata, poteſt diſpenſare in omnibus Irregularitatibus, in quibus poteſt Papa, exceptis Bigamia vera, & Homicidio voluntario modò infra explicando: ſed Papa de jure ordinario poteſt diſpenſare in omni Irregularitate illiteraturæ, ſeu ex defectu ſcientiæ, qui ſit contrà Canones Eccleſiaſticos, cùm univerſim is poſſit in lege diſpenſare, qui poteſt legem condere, ut communiter dicitur in Tract. de legib. ergò. Quando autem id liceat? Videant DD. Epiſcopi.

199 Dico ſecundò. Quoad Regulares minor debet eſſe ſcrupulus, cùm in Regularibus minor requiratur ſcientia, quàm in ſæcularibus. Ratio eſt: quia Religioſi cùm vitam communem profiteantur, & in aliorum conſortio vivant, defectum ſcientiæ ſupplent, tùm aliorum doctrina, monitis, & correctione, tùm Prælatorum cura, & diligentia, nè frequenter errorem committant, quæ in ſæculari Clerico non procedunt. Hinc *Henriq. Roderig. Mirand. Villalob. & alii* ab ipſis relati credunt Religioſo ſufficere, ut omnibus Ordinibus, etiam Presbyteratu, ordinetur, ſi Sacramenta, eorumque materias, & formas agnoſcat, & rectè legere latinè ſciat, tametſi linguæ latinæ parum intelligat. *Caſtr. Pal. tract.* 27. *diſp. unic. punct.* 8. *n.* 17.

200 Favet Text. in *cap. Nullus Epiſcopus*, De Temporib. ordinat. lib. 6. ubi *infanti, & illiterato prohibetur Epiſcopus primam tonſuram conferre, niſi Religionem intraret.* ergò Religionem intranti conferri permittitur. Et fortè hæc ſpectans Gloſſ. in cap. *Legi Epiſtolam*, verb. *Inſtructus*, agens de requiſitis ad Ordines, dixit. *Sufficit Monacho, quòd tantùm bonus ſit, licèt ſit illiteratus.* Et *Dominicus Soto* apud *Caſtr. Pal. cit.* ait: *quando Religioſi, qui curam animarum non habent, ordinantur, non requiritur alia ſcientia, quàm ut myſterium Sacramenti intelligant.*

201 Ex quibus infertur maiorem requiri ſcientiam in Religioſis, qui habent animarum curam, ut in Braſilia habent Jeſuitæ. Cæterùm quoad hos, cum Ordines poſcunt, nullus debet eſſe ſcrupulus Excellentiſſimis. Nam Religioſi Societatis JESU, qui à Præpoſito Generali, ejusvè delegatis, quales ſunt Provinciales, licentiam obtinent ad Ordines ſuſcipiendos, non debent ab Epiſcopis examinari de Cantu, Officiis, & Cæremoniis Eccleſiaſticis, & aliis in aliis ordinandis requiſitis, ex conceſſione Gregor.

XIII.

XIII. die 22. Septembris an. 1582. Quod Privilegium ad preces Reverendiſſimi Patris Thyrſi Gonçales de Santalla Bon. Memor. Præpoſiti Generalis Societatis JESU, innovavit, roboravit, & confirmavit Innocent. XII. die 17. Auguſt. an. 1695. ut vidére eſt ſupra à *n.* 161.

SECTIO V.

Quid, & quotuplex ſit Bigamia?

202 NOtatio Prima. Quid ſit Bigamia? ℞. eſſe reiterationem Matrimonii conſummati. *Lacroix. lib.* 4. *n.* 768. Nam ſicut unius uxoris vir dicitur monogamos, à *monos*, quod eſt unum, & à *Gamos*, quod eſt mulier, ſeu uxor: ità à *bis*, & *Gamos* dicitur *Bigamus*, binæ uxoris vir. Undè cùm Sacerdos deſponſetur Eccleſiæ, & repræſentet perſonam Chriſti, qui fuit unicus Sponſus unius Sponſæ Eccleſiæ, ideò ſtatuit jus commune, ut qui carnem ſuam diviſit in duas uxores, ex defectu ſignificandi iſtiuſmodi conjunctionē, ſeu Chriſtum unum deſponſatum cum Eccleſia una, ſit irregularis. Conſtat ex toto tit. de Bigamis.

203 Notatio Secunda. Quotuplex ſit Bigamia? Eſſe triplicem, veram, interpretativam, & ſimilitudinariam. Vera eſt, quando aliquis cum duabus, ſucceſſivè uxoribus conſummavit matrimonium, ſive ante, ſive poſt ſuſceptum Baptiſmum: hic enim reperiuntur duo matrimonia vera. Bigamia interpretativa dicitur, cùm quis in uxorem ducit, & cognoſcit viduamà priori viro cognitam, aut etiam non viduam, ſed priùs corruptam ab alio. Dicitur interpretativa; quià per juris fictionem cenſetur ſecundum matrimonium ex parte uxoris, quæ carnem ſuam jam diviſit cùm alio. Bigamia ſimilitudinaria datur, quoties Clericus in Sacris conſtitutus, aut in Religione profeſſus cum Virgine contrahit matrimonium, (eſto invalidè) eamque agnoſcit: nam per votum ſolemne Caſtitatis quaſi ſpitituali matrimonio copulatur Chriſto, & Eccleſiæ: & poſtea carnali matrimonio copulatur Virgini. *Navar. cum Gloſſ.* in cap. 2. de Bigamis communiter recepta, & *Avil. part.* 7. *diſp.* 8. *per totam.*

SECTIO VI.

Reſolutiones aliquot circà Bigamiam.

204 NOtatio Prima. Circà incurrendam, aut non incurrendam irregularitatem Bigamiæ, varia reſolvunt DD. Reſolvunt primò duo requiri, ut aliquis fiat Bigamus. Primum, quod bis contrahat matrimonium, validè, vel invalidè verè, vel ſimilitudinariè; ſecundū, quòd interveniat copula. Ratio hujus eſt: quia ut inquit Innocent. III. cap. *debitum* De Bigamis, Sacramentum Matrimonii ante conſumationem ſolúm ſignificat unionem verbi cum Eccleſia per charitatem: at verò poſtquam eſt conſummatum, ſignificat unionem realem Chriſti cum Eccleſia, mediante unione aſſumpta, quam nunquam dimiſit, & ideò qui contrahit duo matrimonia, ſi ea conſummet, non repræſentat perfectè hanc unionem. Ita in terminis *Avil. cit.* §.

ſequitur ſecundò ex dictis.

205 Notatio Secunda. Reſolvunt ſecundò, eodem modo reputari Bigamum quoad effectum diſpenſationis, qui cum quatuor, aut pluribus uxoribus conſummavit matrimonium, ac qui cum duabus tantum. Undè in petenda diſpenſatione ſatis eſt explicare, ſe duo contraxiſſe matrimonia, quamvis contraxerit quatuor, vel plura. *Navar. Henriq. Avil. cit.* §. *Ultima concluſio. Gibalin. cap.* 3. *quæſt.* 4. *Expoſitio, & confirmatio Propoſit. n.* 3.

206 Notatio Tertia. Reſolvunt tertiò, ſolum eſſe Bigamum interpretativè, qui duas uxores habuit, unam legitimam, & alteram invalidè, vel ſimul, quia vivebat prima, vel ſucceſſivè, propter aliquod impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, dummodò cum utraque conſummaverit. Quod *Avil.* tenet, ſivè matrimonium invalidum præcedat, ſivè ſubſequatur. Et dicitur: *Conſanguinitatis, vel affinitatis*, nam ſi unum matrimonium ſit nullum ex defectu conſenſûs, quia contraxit deluſoriè ſolùm ad obtinendam copulam, non erit Bigamus. *Avil. cit.*

207 Notatio Quarta. Reſolvunt quartò, nec interpretativè eſſe Bigamum, qui duo contraxit matrimonia, & utrumque invalidum propter aliquod impedimentum. *Ità cum Henriq. Avil. cit.* §. *Sed partem negativam.* Ratio eſt: quia non invenitur expreſſum in jure. Neque obſtat cap. *Nuper* De Bigamis, ubi decernitur, *Bigamus Sacerdos, qui contraxit invalidè.* Non, inquam, obſtat; quia Textus iſte non decidit noſtrum caſum, ut fatetur *Sotus apud Avil.* cit. nam ille Presbyter jam contraxerat matrimonium ſimilitudinarium, validum tamen. *Navar. Avil. cit.* §. *ſi objicias.*

208 Notatio Quinta. Reſolvunt quintò, non eſſe Bigamum primò, qui uxorem prius à ſe ipſo defloratam ducit; ſecundò, qui cognoſcit uxorem vi, fraude, aut dolo oppreſſam ab adultero. Tertio, qui pendente lite de adultero uxoris, illam, jubente judice, cognovit. Quartò, qui recipit uxorem ſuam, quæ ex falſa ipſius mortis fama ſecundas nuptias iniverat. Hæc, & hujuſmodi alia quam plurima reſolvit ex DD. *Gibalin. cap.* 3. *quæſt.* 4. *per totam, præſertim à n.* 25. Quia tamen noſtrum non eſt examinare: quis ſit, vel non ſit Bigamus? Sed ſolum, ſuppoſita Bigamia, diſputare: qualiter in ea diſpenſare poſſint Braſiliæ Epiſcopi? Ideò ſit ſequens.

SECTIO VII.

De Diſpenſatione Bigamiæ.

209 NOtatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in Bigamia interpretativa, & ſimilitudinaria? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia in poteſtate diſpenſandi *in quibuſcumque irregularitatibus*, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur, ſolùm excipitur Bigamia vera, non autem interpretativa, aut ſimilitudinaria: ergò in his etiam poſſunt diſpenſare, cùm exceptio firmet regulam in contrarium, ut cum communi DD. diximus *n.* 181. Accedit, quòd in Bigamia ſimilitudinaria affirmet *Avil. cit. dub.* 4. §. *Quarta concluſio*, poſſe

poſſe Epiſcopos de jure ordinario diſpenſare, & cum interpretativa mitius agendum de jure, quam cum verà, ut patet.

210 Notatio Secunda. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in Bigamia vera. ℞. affirmativè, dummodò ſit præciſa neceſſitas operariorum. Conſtat ex Indulto, ibi: *Diſpenſandi in quibuſcumque irregularitatibus, & in his etiam duobus caſibus*, (Bigamia vera, & Homicidio voluntario) *ſi præciſa neceſſitas operariorum ibi fuerit.*

211 Dices. Irregularitas Bigamiæ eſt de jure divino: ergò neque Papa, neque ejus delegatus poſſunt in ea diſpenſare. Antecedens patet ex D. Paulo 1. *ad Thimoth. cap.* 3. ubi dicit *Apoſtol.* Epiſcopum, vel Sacerdotem debere eſſe *unius uxoris virum.* Undè cap. 2. De Bigam. dicitur. *Non licet contrà Apoſtolum cum Bigamis diſpenſare, ut promoveri poſſint ad Ordines.*

212 ℞. negando antecedens. Ad probationem ℞. cum *Soto*, *Avil. cit.* §. *Sed contrà*, & cum *Leurenio*, quem citat, & ſequitur *Lacroix. lib.* 4. *n.* 769. D. Paulum loco citato non loqui tanquàm Apoſtolum promulgando jus Divinum, ſed tanquam Epiſcopum, & Paſtorem Eccleſiæ condendo leges Eccleſiaſticas, & humanas. Undè patet ad Textum in cap. 2. De Bigam. *Non licet &c.* ibi enin non dicitur Papam, aut ejus delegatum non poſſe diſpenſare, ſed tantùm inſinuatur difficultas diſpenſandi, quæ tamen tollitur in noſtro caſu, ſi fuerit præciſa neceſſitas operariorum. Quæ autem futura ſit, & undè commenſuranda talis neceſſitas? Diximus *à n.* 110.

SECTIO VIII.

Quid, & quotuplex ſit Homicidium voluntarium?

213 NOtatio Unica. Quid ſit Homicidium voluntarium? ℞. Homicidium Voluntarium aliter uſurpari à Theologis, & aliter à Juriſtis. Theologi enim Homicidium voluntarium dicunt, quod eſt volitum in ſe, vel in cauſa, directè, vel indirectè, ſive ex caſu, ſive ex propoſito contingat. Undè in acceptione Theologica etiam Homicidium caſuale dicitur voluntarium, quoties antè illius commiſſionem non adhibetur diligentia omninò neceſſaria, nè committatur. Sic ſagittam jaciens in feram, dubius, an in hominem, peccat graviter, & fit Homicida voluntarius Theologicè, ſi hominem occidat.

214 Homicidium verò caſuale, & fortuitum vocant Theologi, quod omni prorſus modo involuntarium eſt, quatenùs neque in ſe, neque in ſua cauſa, neque directè, neque indirectè volitum fuit, ſed omninò præter intentionem, & prævisionem agentis accidit; ut ſi, dum æs campanum pulſatur, caſu decidat, & ſubjectum hominem conterat, Homicidium fortuitum erit, nec pulſanti campanam poterit tribui ad culpam. Quia igitur Theologi culpam dumtaxat attendunt, omne Homicidium culpabile dicunt voluntarium, quocumque modo voluntarium ſit: quod autem expers eſt culpæ, quamvis objectivè, & materialiter iniquum ſit, dicunt caſuale, & fortuitum.

215 E contra Juriſtæ illud tantùm Homicidium voluntarium nominant,

minant, quod eſt directè volitum, ſive in ſe, ſive in ſua cauſa proxima neceſſaria, & inſeparabili, atque ut tali cognita: nam qui prout ſic vult cauſam ponere, vult etiam Homicidium ab ea inſeparabile; ut patet in eo, qui venenum præſentiſſimum propinat alteri; talis enim vult neceſſario mortem ex tali veneno certo, & neceſſario ſecuturam.

216 Homicidium autem caſuale, & per ordinem ad quæſtionem de irregularitate nominant Juriſtæ, quod eſt indirectè tantum voluntarium, & prout ſic diſtinctum à directè voluntario, ut conſtat ex *Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 7. ubi per Homicidium caſuale non intelligit Tridentinum homicidium ita caſuale, & fortuitum, ut prorſus inculpabile ſit, hoc enim nullam parit irregularitatem, ut tenent communiter Doctores; ſed Homicidium, quod aliquo modo eſt culpabile, adeòque voluntarium ſaltem indirectè, aliàs non puniretur tam gravi pœna, qualis eſt irregularitas. His notatis, ſit.

SECTIO IX.

De Diſpenſatione Homicidii voluntarii.

217 NOtatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in Homicidio voluntario? ℞. affirmativè. Conſtat ex Indulto ibi: *Diſpenſandi inquibuſcumque irregularitatibus ... & in his etiam duobus caſibus* (Bigamia uera, & Homicidio voluntario) *ſi tamen quoad Homicidium voluntarium, ex hujuſmodi diſpenſatione ſcandalum non oriatur*: ergo ſi concurrant conditiones à Pontifice requiſitæ, etiam in irregularitate Homicidii voluntarii diſpenſare poſſunt Braſiliæ Epiſcopi. Undè deducuntur ſequentia.

218 Notatio Secunda. Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum Homicida voluntario, non ſolùm ad Ordines Sacros, & illorum uſum, ſed etiam ad obtinenda, vel retinenda beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia, vel curata. Ratio eſt: quià in *Trid. Seſſ.* 14. de Reform. cap. 7. non ſolùm prohibetur Epiſcopus conferre Ordines, & illorum uſum permittere Homicidæ voluntario, ſeu etiam illi conferre dignitates, & quæcumque beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia, vel curata, aut eorum retentionem permittere: & tamen ex Indulto Apoſtolico conceditur Braſiliæ Epiſcopis conferre Ordines Sacros, & illorum uſum permittere Homicidæ voluntario, ut Notatione præcedenti vidimus: ergò etiam cum illo diſpenſare ad obtinenda, vel retinenda quæcumque beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia, vel curata, cum ad hoc nulla fiat reſtrictio in Indulto.

219 Notatio Tertia. Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare in Homicidio caſuali. Ratio eſt: quia Homicidium caſuale diſtinguitur à voluntario per hoc, quòd caſuale fiat non ex propoſito, ſed caſu, fortuito, ut in rixa ſubito contingente, quandò ſuccenſus ira occidit authorem rixæ. *Avil. p.* 7. *diſp.* 6. *Sect.* 5. *dubit.* 5. §. *ſecunda concluſio*: voluntarium verò fiat non caſu, & fortuito, ſed ex propoſito, ſeu, ut loquitur *Trid. cit.* per induſtriam, & inſidias: in privilegio autem Braſilico excipitur ſolummodò

dò Homicidium voluntarium ſub certis conditionibus, de quibus ſuo loco.

220 Notatio Quarta. Etiam in Irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis diſpenſare poſſunt Braſiliæ Epiſcopi. Ratio eſt: quia licèt occiſio juſta aliquandò dicatur Homicidium, tamen non comprehenditur in exceptione Homicidii voluntarii: Homicidium enim voluntarium, utpotè injuſtum, eſt crimen: occiſio verò juſta non eſt crimen, ut patet: ergò quamvis in Privilegio Braſilico exciperetur omninò Homicidium voluntarium, adhuc tamen non excipitur poteſtas diſpenſandi in irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis. Id, quod etiam extenditur ad poteſtatem diſpenſandi cum Judice, Teſte, & aliis, qui concurrunt ad mortem, atque etiam cum milite, qui in bello juſto alios occidit. *Ita cum Banez*, & aliis *Avil. p. 7. diſp. 6. Sect. 5. dubit. 1. §. ſecunda concluſio.*

221 Notatio Quinta. In Homicidio facto cauſa propriæ defenſionis, quamvis excedatur moderamen inculpatæ tutelæ: In mutilatione gravi alicujus membri principalis: Poſtremò in omnibus caſibus, de quibus *Barboſ. part. 2. allegat. 39. à n.* 46. diſpenſare poſſunt Braſiliæ Epiſcopi. Ratio eſt: qui Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare etiam in Homicidio voluntario, ſub certis conditionibus: ergò à fortiori in omnibus caſibus, qui non ſunt propriè Homicidium voluntarium: nam qui poteſt maius, poteſt, & minus in eodem genere, ut eſt tritum in jure. Quinam autem reputandi ſint Homicidæ voluntarii? Videatur apud AA. præſertim *Avil*, *&* *Gibalin.* ſæpè citatos.

SECTIO X.

De Conditionibus ad diſpenſandum in Homicidio Voluntario.

222 DUæ conditiones requiruntur, ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent in Homicidio voluntario. Prima eſt, quod detur præciſa operariorum neceſſitas. Secunda, quòd ex diſpenſatione ſcandalum non oriatur. De prima conditione diximus affatim *à n.* 101. Et licèt dictio *præciſa* videatur novam inducere neceſſitatem; tamen quia loco citato diximus cum *Anacleto* talem neceſſitatem non conſiſtere in indiviſibili, ſed potiùs ſuſcipere magis, & minus; ideò in ejus menſura taxanda non eſt, cur hic immoremur. De ſecunda igitur conditione requiſita.

223 Notatio Prima. An ſcandalum oriatur ex diſpenſatione Homicidii voluntarii, quod alibi eſt publicum, & hic, ubi diſpenſatur, occultum? ℞. negativè. Ratio eſt primò: quia nullum oritur ſcandalum ex eo, quòd publicè denunciatus, & vitandus in uno loco, in alio non vitetur, ubi non eſt publicè denunciatus. *Sanch. Avil. Caſtr. Pal. Burgh. apud Lacroix. lib. 7. n.* 187. ergò ſimiliter nullum oritur ſcandalum ex eo, quòd Homicidium diſpenſetur, ubi eſt occultum, licèt alibi ſit publicum. Ratio eſt ſecundò: quia ex diſpenſatione Homicidii occulti nullum eſſe poteſt ſcandalum: noſtrum autem Homicidium, ubi diſpenſatur, eſt occultum. *Avil*, *& alii* cum *Sanch.* in *Decalog. lib. 2. cap. 11. n.* 20.

224 Notatio Secunda. An ſcandalum

dalum oriatur ex diſpenſatione Homicidii voluntarii ad forum contentioſum deducti? ℞. cum diſtinctione, & dico primò. Ex diſpenſatione Homicidii, poſt litis conteſtationem, id eſt, poſtquam inter partes ſuper Homicidio commiſſo contenditur, negando, vel confitendo, quo actu inducitur litis conteſtatio, *Barboſ. part.* 2. *allegat.* 39. *n.* 29. tunc ſcandalum oritur. Ratio eſt: quia turbatur tribunal, quo inquiritur de Homicidio puniendo: hoc autem non fit ſine ſcandalo: eſt enim ratum habere Homicidium, vel ſaltem aliquo modo cooperari, nè malefactores puniantur.

225 Dico ſecundò: Ex diſpenſatione Homicidii ante litis conteſtionem, id eſt, antequam inter partes ſuper Homicidio commiſſo contendatur, negando, vel confitendo; tunc non oritur ſcandalum. Ratio eſt primò: quià forum contentioſum tidem ſonat, ac judicium: Judiciũ verò ſolummodò poſt litis conteſtationem dicitur propriè tale. Ratio eſt ſecundò: quià forum contentioſum nihil differt à lite mota; at lis non dicitur mota niſi poſtquàm inter partes contenditur, negando, vel confitendo. *Barboſ. cit.* Hoc autem intellige de ſcandalo orto ex perturbatione judicii; aliunde autem ſcandalum oriri poterit, ſiquis de Homicidio infamatus ſit; cum publica infamia de Homicidio laborare quis poterit, quamvis nunquam ejus delictum deducatur ad forum contenſioſum.

226 Notatio Tertia. An ſcandalum oriatur ex diſpenſatione Homicidii voluntarii ad forum contentioſum deducti, non tamen probati? ℞. negative. Ratio eſt: quia tale Homicidium reputatur occultum, nec dicitur deductum cum effectu, ex quo probatum non fuit. *Barboſ. cit. n.* 32. ergo ex ejus diſpenſatione ſcandalum non oritur. Quod etiam viget primò, tametſi Homicida mediis depravatis abſolvatur. *Barboſ. cit. n.* 33. Viget ſecundò, accuſator per annum tacuit. *Barboſ. cit.* 34. Ratio utriuſque eſt: quia in primo caſu per abſolutionem Judicis, & in ſecundo per taciturnitatem accuſatoris tollitur ſcandalum.

227 Notatio Quarta. An ſcandalum oriatur ex diſpenſatione Homicidii voluntarii, ad forum contenſioſum deducti, ſed jam finito judicio puniti? ℞. negativè. Ratio eſt: quia ſupplicio purgatur crimen, & nihil authoritatis detrahitur Judici, qui jam eſt functus officio ſuo, ut cum praxi tenet *Avil. part.* 7. *diſp.* 10. *dubit.* 7. §. *concluſio eſt.*

228 Notatio Quinta. An ſcandalum oriatur ex diſpenſatione cum Paulopolitanis, qui ad venandos Indos proficiſcuntur, & in eorum venatione multos occidunt. ℞. affirmative. Ratio eſt, quia licet Paulopolitani à teneris huic venationi aſſueſcant, attamen id à viris probis, & ſapientibus reprehenditur, & homicidia ab ipſis injuſte patrata judicantur: ergo cum notum eſt eos talia homicidia perpatraſſe, dabitur ſcandalum, ſi cum ipſis diſpenſetur, utpote qui publica infamia laborant: infamia autem hic ſumitur pro publica fama de crimine Homicidii, non pro ignominia, quia Homicida irregularis eſt, quamvis Homicidium illi probro, & ignominiæ non ſit.

229 Et hæc ſit ratio, ſeu regula generalis, quæ pro omnibus Notationibus de nonorto ſcandalo huc uſque factis maximè obſervari debet:

det : quia ſcilicet ſcandalum, quod vitari debet in ejuſmodi diſpenſationibus, non ſufficit eſſe qualecumque, ſed debet eſſe maximum, & ſupponens perſonam publicè infamatam ex ipſo homicidio commiſſo : quandiù enim aliquis ex crimine non laborat publica infamia, tandiù non datur ſcandalum publicum, *Henriq. Rodrig. Navar. Suar. Molin. Azor*, quos refert, & ſequitur *La Croix lib. 6. part.3. n.870.*

230 Obſervandum deindè primò, quod ſiquis duo homicidia cõmiſit, & de primo homicidio jam diſpenſatus fuit, impetratio diſpenſationis pro ſecundo homicidio non valet, niſi fiat mentio de diſpenſatione data pro primo. *Guilielm. Bald. Felin. Navar. Avil part. 7. diſp. 6. Sect. 5. §. Dubitatur tertiò.*

231 Obſervandum ſecundò, quòd qui occidit Presbyterum, & in petenda diſpenſatione ſolum dicit, ſe occidiſſe hominem, non maneat tutus; nec diſpenſatio ſit valida juxta *Navar. Avil. part. 7. diſp. 10. §. Dubitatur octavo.* Contra verò talem diſpenſationem eſſe validam, tenent *Sanch. Laym. & alii cum Dian. apud La Croix lib. 1. n.806.*

SECTIO XI.

De ſubjectis, & forma diſpenſationis.

232 NOtatio Prima. Quænam ſint perſonæ, cum quibus Epiſcopi diſpenſare poſſint? ℞. Hoc dubium jam reſolutum manet *à n. 9. & 12.* Unde nihil eſt de novo addendum præter verba, quæ juvat adducere ex *Avil.part.7.diſp. 10. dub. 6. §. Tertio notandum eſt*, ibi: *Præterea dico cum Henriq cap. 18. n. 4. quòd dum Prælatus Religionis, aut Epiſcopus mittit ſubditum, ut ordinetur, cenſetur concedere ſuas vices Epiſcopo ordinanti, ut diſpenſet in defectu occurrenti, aut oblito.*

232 Notatio Secunda. An ſi Epiſcopus diſpenſationem injuſtè neget, ideòque ejus ſubditus ad Metropolitanum appellet, poſſit Metropolitanus diſpenſare cum appellante? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia ſubditus Epiſcopi in cauſis ad Archiepiſcopum per appellationem devolutis eſt etiam ejus ſubditus, cap. 1. de Offic. delegati, cap. *duo* de Offic. ordinarii, & apertiùs cap. *Paſtoralis* eodem titul. *Cùm in eum (ſuffraganti ſubditum) exceptis quibuſdam articulis nullam habeat poteſtatem*: ex articulis autem, in quibus poteſtatem habet Metropolitanus in ſuffraganei ſubditum, unus eſt, ſi per appellationem cauſa ad ipſum deferatur, vel negata abſolutione à Suffraganeo, imploretur auxilium Metropolitani, ut ex miſericordia diſpenſet. *Henriq. lib. 14. cap. 18. n. 3. Avil. part. 7. diſp. 10. dubit 6. §. Secundò notandum eſt, Sanch. in Decalog. lib. 4. cap. 38. n. 12. Caſtr. Pal. de Cenſur. diſp.6. punct.7. n.6. &* alii, quos tacito nomine refert *La Croix lib. 7. num. 469.*

234 Notatio Tertia. An in omnibus Irregularitatibus, in quibus Epiſcopus poteſt diſpenſare cum ſuis ſubditis, poſſit etiam dare facultatem alteri, ut diſpenſet ſecum ipſo? ℞. affirmativè. Ratio generalis eſt: quia talis juriſdictio non eſt contentioſa, ſed gratioſa : ergò benè poteſt Epiſcopus eam committere alteri, ut eam exerceat in ipſummet. *Ità in terminis cum Henriq.*

riq. Palud. & Maiol. Avil. part. 7. diſp. 10. *dub. ultimo.* Ratio verò ſpecialis eſt: quia in Facult. Catalog. *n.* 28. conceditur Braſiliæ Epiſcopis, ut facultates ſibi conceſſas poſſint alteri communicare: ergò ab illo, cui communicaverint, poterunt Epiſcopi diſpenſari, aliàs deterioris eſſent conditionis, quam ejus ſubditi.

235 Notatio Quarta. An diſpenſatio irregularitatis habeat determinata verba, aut aliquam certam formam? ℞. negativè. Ratio eſt: quia nulla determinata verba, nec certa ulla forma diſpenſationis aſſignantur in jure. *Gibalin. cap.* 6. *quæſt.* 4. *in fine.* Nihilominus conveniens forma, quam ex *Henriq.* *approbat Avil. cit. part.* 7. *diſp.* 10. §. *Et inprimis*, eſſe poteſt: *Diſpenſo tecum in irregularitate, quam contraxiſti propter talem cauſam.* Si verò Irregularitates fuerint plures, forma erit: *Diſpenſo tecum in hac, & illa irregularitate, quas contraxiſti propter talem, & talem cauſam*: vel alio quovis modo, dummodò ſit intentio diſpenſandi. Videatur *Tambur. de Cenſur. lib.* 10. *tract. de Irregularit. capit.* 23. §. 4.

DISPUTATIO QUARTA.

DE TERTIA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

De ætate ad Ordines requiſita.

236 TErtium Indultum Apoſtolicum. *Diſpenſandi ſuper defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri poſſint ad Sacerdotium, ſi aliàs idonei fuerint.*

237 Notatio Prima. An Tonſura, & Ordines Minores dari poſſint ante uſum rationis? ℞. negativè cum *Sanch. lib.* 7. *conſil. cap* 1. *dub.* 33. *n.* 15. *& aliis* communiter. Ratio eſt: quia in *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 4. *de Reform.* ſtatuitur, ut Ordinandi prima Tonſura ſciant rudimenta fidei, & legere, & ſcribere, & *cap.* 5. quòd Ordinandi ad Minores Ordines bonum à Parocho, & Magiſtro ſcholæ teſtimonium habeant, & *cap.* 11. quòd ſciant Latinam linguam; ſed hæc non habentur ante uſum rationis: ergò. An verò uſus rationis veniat regulariter ſeptennio? Affirmant *Mandoſius* apud *cit. Sanch.*

238 Notatio Secunda. An Ordines Minores dari poſſint, ſeptennio completo? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia temporum Interſtitia, quæ poſtulat cap *In ſingulis* diſtinct. 77. non ſunt jam in uſu, neque ætas illic præſcripta, ut cum aliis tenet *Sanch.*

Sanch. cit. n. 17. An verò ſit mortale conferre Minores ante uſum rationis? Affirmat *Sanch. citat. n.*16. Negat vero *Henriq.* ibidem.

239 Notatio Tertia. Quænam ætas ad Sacros Ordines requiratur? ℞. ad Subdiaconatum requiri vigeſſimum ſecundum annum: ad Diaconatum vigeſimum tertium: & vigeſimum quintum ad Presbyteratum. *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 12. de Reformat.

240 Notatio Quarta. An ſufficiat ut prædicti anni ſint incepti? ℞. affirmativè: ad Subdiaconatũ enim ſufficit 21. annus, & unica dies: ad Diaconatum 22. & dies una: & ad Sacerdotium 24. & unica dies. *Sãch. cit. n.* 4. Impletur hodiè v. g. ætas 24. annorum: poteſt quis poſt mediam noctem ordinari Sacerdos. *Sanch. cit. n.*7. Ratio eſt: quia in favorabilibus dies incepta habetur pro completa. Non tamen antea, neque etiam in ipſo ultimo die, quo implentur 24. anni. *Sanch. n.*6. Ratio eſt: quia in ultimo die, in quo implentur 24. anni, nullo modo attingitur 25. annus, qui ſaltem inchoatus ad Sacerdotium requiritur.

SECTIO II.

Qualiter ætas ad Ordines computari debeat?

241 NOtatio Prima. Qualiter ætas ad Ordines computanda? ℞. computandam eſſe non à die conceptionis, ſed á die Nativitatis, etiam, ſiquis naſcatur, cæſo matris utero. *Sanch. cit. n.* 8. Ratio eſt: quia generali uſu receptum eſt ita computari, nempè, non à die conceptionis, ſed à die Nativitatis.

242 Notatio Secunda. Pro legitima ætate ad Ordines negat cum multis *Barboſ. p.* 2. *allegat.* 16. *n.* 2. Curandum eſſe de die Biſſexti. Probabiliter verò affirmant *Salmanticenſes. tom.* 2. *tract.* 8. *de Ordine, cap.* 5. *punct.* 1. *n.*33. *cum Sanch. de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 24. *n.* 22.

243 Notatio Tertia. Ætas ad Ordines requiſita, ex præcepto Eccleſiæ conſtituta eſt; *Trid. loc. cit.* Neque enim de jure Divino aliqua fuit determinata ætas ad neceſſitatem Sacramenti Ordinis. Undè ſi hujuſmodi Sacramentum pueris, furioſis, vel amentibus, qui uſu rationis carent adminiſtretur, characterem in eorum animam imprimet. *D. Bonav. Navar. Vaſq.* & alii, quos affert *Barboſ. cit. n.* 4. & 5.

244 Notatio Quarta. Non eſt noſtrum referre, quot, & quales pœnæ ſint à jure ſtatutæ contrà Ordinantes aliquem, qui non habeat ætatem ad Ordines requiſitam, nec etiam contrà ſic ordinatos. Videatur *Barboſ. cit. à n.* 7. Nihilominùs quia hic quæſtionem curioſam excitant *Salmanticenſes proximè citati n.* 34. imperare mihi non poſſum, quin eam tranſcribam, & notitiam, quam ſine fictione didici, aliis ſine invidia communicem.

SECTIO III.

Dubium incidens, & curioſum.

245 NOtatio Unica. An ſiquis Sabbato Sancto naſceretur anno, in quo Paſcha die 10. Aprilis caderet, poſſet, decurſis 24. annis, eodem die Sabbati ordinari, ſi in illo anno Paſcha incide-

ret die 10. Martii? Et videtur affirmativè reſpondendum. Primò; quia ætatis annus computari debet juxtà ritum Eccleſiæ, maximè in his, quæ ex ejus præcepto requiruntur; ſed Eccleſia annum Eccleſiaſticum computat de feſto in feſtum, & ideò eſt probabile privilegia Bullæ Cruciatæ debere intelligi de anno in annum à ſua publicatione juxta hunc modum computandi annum Eccleſiaſticum: ergò.

246 Secundò; quià annus requiſitus ad Interſtitia temporum pro Ordinibus Sacris hoc modo computari debet, & ideò ſiquis Subdiaconatum Sabbato Sancto reciperet eo anno, quo incideret Paſcha 10. Aprilis, poſſet anno ſequenti, ſervatis debitis Interſtitiis, ordinari Diaconus, ſi Paſcha incideret 10. Martii; quia annus ille ex jure Eccleſiaſtico requiſitus debet de anno Eccleſiaſtico intelligi, & juxtà computum Eccleſiæ, quæ annum Eccleſiaſticum de feſto in feſtum inſtituit: ergò eodem modo, & propter eamdem rationem philoſophandum eſt in noſtro caſu.

247 Hæc certè videbantur hanc opinionem probare; ſed quia nullum vidimus in terminis eam excitantem, aliorum judicio remittimus: maximè, quia eadem eſt ratiò in profeſſione Religioſa, ſi modo dicto emitteretur, videlicet, ſiquis in die Paraſceve, vel Sabbato Sancto ingrederetur Religionem anno, quo die 10. v. g. Aprilis incideret, & anno ſequenti die etiam Sabbati Sancti incidentis die 10. Martii profiteretur: nullus enim eſſe validam hanc profeſſionem diceret: & quia non eſt facile aſſignare diſparitatem; ideò brevitati, quam profitemur, conſulentes, à reſolutione abſtinemus, & illam aliorum placito remittimus.

SECTIO IV.

De Ætate ad Ordines diſpenſandà ſecundùm jus commune.

248 NOtatio Unica. An de jure communi poſſint Epiſcopi diſpenſare in ætate ad Ordines requiſita? ℟. negativè cum *Navar. Sylveſtr. S. Antonin. & aliis*, quos refert *Sanch. lib. 7. conſil. cap.* 1. *dub.* 33. *n.* 18. Ratio eſt: quia nullus eſt Textus, ex quo conſtet ejuſmodi poteſtatem eſſe Epiſcopis ordinariam.

SECTIO V.

De Ætate ad Ordines diſpenſanda juxta Facultates Pontificias, Braſiliæ Epiſcopis conceſſas.

249 NOtatio Prima. An Braſiliæ Epiſcopi poſſint diſpenſare in ætate ad Ordines requiſita? ℟. affirmativè: conſtat enim ex Indultò, quod habent à Sede Apoſtolica conceſſum.

250 Notatio Secunda. Qualiter poſſint diſpenſare Braſiliæ Epiſcopi? ℟. poſſe diſpenſare ſuper defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri poſſint ad Sacerdotium. Conſtat ex eodem Indulto.

251 Notatio Tertia. An ille ætatis annus, in quo diſpenſare poſſunt Braſiliæ Epiſcopi, intelligi poſſit de anno deficiente ad Subdiaconatum,

natum, vel Diaconatum, vel Sacerdotium indeterminatè? Vel potius ſumi debeat de anno deficiente ad Sacerdotium determinatè. Ratio dubitandi eſt: quia in Privilegio datur facultas diſpenſandi ſuper defectu ætatis unius anni, ut promoveri poſſint ad Sacerdotium: Subdiaconatus autem, & Diaconatus non ſunt ſimpliciter Sacerdotium. Non obſtante hac ratione dubitandi.

252 ℟. prædictum ætatis annum intelligi poſſe de anno deficiente ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, vel Sacerdotium indeterminatè. Probatur primò ex cap. *ex parte tuà.* De decimis, ibi: *quia ubi maius conceditur, minus conceſſum eſſe videtur.* Ex cap. *Per venerabilem.* Quia filii ſint legitimi, ibi: *quod in maiori conceditur, licitum eſſe videtur, & in minori*; atqui Subdiaconatus, & Diaconatus, ſunt quid minus Sacerdotio: ergò ſi Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare in uno ætatis anno ad Sacerdotium, etiam poſſunt ad Subdiaconatum, vel Diaconatum.

253 Probatur ſecundò; Nam quando minus eſt annexum cum maiori, vel in eo incluſum, tanquam pars ejus, tunc diſpenſatio in caſu maiori extenditur ad minorem: quià conceſſo toto, partes conceſſæ videntur. Ut diſpenſatio ad Sacerdotium extenditur ad omnes inferiores Ordines. Ità interminis *Dian. part.* 8. *tract.* 3. *Reſolut.* 41. §. *limitanda eſt tamen opinio noſtra.*

254 Probatur tertiò. Quia ad partes ſub toto comprehenſas extenditur diſpenſatio, juxtà Regulam 80. *in toto partem non eſt dubium contineri*, de Reg. jur. *in* 6. *Nogueyr. quæſt. ſingul. diſp.* 1. *de Sacram. quæſt.* 23. *de Ordine*, *n.* 4. Quod autem Subdiaconatus, & Diaconatus in Sacerdotio comprehendantur, & contineantur, probat cum multis *P. Amicus tom.* 5. *diſp.* 6. *Sect.* 2. *n.* 16. Et ex *Amic. & cit. Regul. concludit Dian. cit. Reſol.* 32. *ibi*: Unde ſi cum aliquo diſpenſatur in Sacerdotio, conſequenter diſpenſatur in reliquis Ordinibus à Sacerdotio præſuppoſitis. Et hinc patet ad rationem dubitandi ſuprapoſitam.

255 Confirmatur: quia diſpenſatio matrimonialis conceſſa in gradu proximiori v. g. in 2. gradu conſanguinitatis, eò ipſo cenſetur conceſſa in gradu remotiori v. g. in 3. ejuſdem conſanguinitatis, pro quo fuit ſupplicatum, & hoc; quia tertius gradus, utpotè conjunctio minor, includitur in ſecundo, tamquàm in maiori: ergò propter eamdem rationem diſpenſatio conceſſa pro Sacerdotio, benè poteſt applicari reliquis Ordinibus minus principalibus, & in ipſo Sacerdotio incluſis.

256 Si igitur Petrus v. g. habeat vigeſimum primum ætatis annum inchoatum, benè poteſt Epiſcopus illum ordinare, & promovere ad Subdiaconatum, licet ad hunc Ordinem aliundè requiratur vigeſimus ſecundus ætatis annus, ſaltem inchoatus. ſimiliter ſi Paulus v. g. habeat vigeſimum ſecundum ætatis annum inchoatum, benè poteſt Epiſcopus illum ordinare, & promovere ad Diaconatum, licèt ad hunc Ordinem aliundè requiratur vigeſimus tertius ætatis annus, ſaltèm inchoatus.

257 Ita tamen in tali hypotheſi ordinandi ſunt Petrus, & Paulus Subdiaconatu, vel Diaconatu, ut in ſuſceptione ulteriorum Ordinum ſervent

ſervent poſteà Interſtitia, nè Sacerdotium recipiant, niſi per annum ante legitimam ætatem, juxtà Indultum Apoſtolicum.

SECTIO VI.

De cauſa ad præcedentem diſpenſationem requiſita?

258 NOtatio Unica. Si autem quæras: quæ cauſa requiratur, ut Epiſcopus diſpenſet cum Petro, vel Paulo in uno ætatis anno ad Subdiaconatum, vel Diaconatum? ℞. nullam novam cauſam requiri, ſed ſufficere illam ipſam, quæ ad diſpenſandum in ætate ad Sacerdotium ſufficit, nempè operariorum penuria. Ratio eſt primò: quia nomine operariorum veniunt etiam Subdiaconi, & Diaconi, quatenus hi etiam habent diſtincta officia, & miniſteria ſingulis propria, in quibus Eccleſiæ ſerviunt.

259 Ratio eſt ſecundò: quia ſi Doctores allegati Notat. præced. per totam, dicunt diſpenſatum ad Sacerdotium, eò ipſo intelligi diſpenſatum ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, rectè infertur nullam novam cauſam requiri pro diſpenſatione ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, ſed ſufficere eamdem, quæ allegata fuit pro diſpenſatione ad Sacerdotium.

260 Declaratur. Nova cauſa ſolum eſt neceſſaria ad diſpenſationem obtinendam, non verò ad jam obtentam: ſed ſic eſt, quòd Doctores citati conveniant in eo, quòd diſpenſatus ad Sacerdotium intelligatur etiam diſpenſatus ad Subdiaconatum, vel Diaconatum: ergò non eſt, cur nova cauſa allegetur pro diſpenſatione ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, ſed ſufficit eadem, quæ pro diſpenſatione ad Sacerdotium aſſignatur, nempè operariorum penuria.

261 Poteſt igitur contingere, ut in hoc, aut illo loco, aut etiam per totam Diœceſim pauci exiſtant Sacerdotes, qui prædicando, cantando in ſolemnibus, & aliis miniſteriis Eccleſiaſticis vix ſufficiant, aut ſi exiſtant plures, fortaſſè ſint talibus officiis obeundis minus idonei, quam qui petunt fieri Subdiaconi, vel Diaconi. In hoc caſu cenſeo poſſe Epiſcopum anticipare tempus, diſpenſando in uno ætatis anno cum ſupplicantibus, eoſque promovere ad Subdiaconatum, vel Diaconatum (ſicut aliàs poteſt ad Sacerdotium) ob operariorum penuriam: quod ego in hac Fluminenſi Diœceſi ob has omninò rationes practicatum vidi.

SECTIO VII.

De Perſonis in ætate diſpenſandis.

262 NOtatio Prima. Quæ ſint perſonæ, cum quibus Epiſcopi diſpenſare poſſunt in ætate ad Ordines? ℞. ex dictis *à n.* 9. *& n.* 120. conſtare diſpenſandos ab Epiſcopo debere eſſe ejus Subditos, vel ratione originis, vel domicilii, vel titulo Beneficii, vel alio quovis titulo. Sic qui aliundè accedit cum dimiſſoriis, in quibus rogatur Epiſcopus, ut in ætate diſpenſet cum dimiſſo: aut etiam Regularis, cujus Superior idem rogat, quo ad hoc ſubjiciuntur Epiſcopo,
ut

ut ab illo diſpenſentur. Vide *loc. cit.*

263 Notatio Secunda. An Braſiliæ Epiſcopi poſſint etiam diſpenſare cum habentibus ſimile privilegium, eoque utentibus, ita ut privilegiatus ad Ordines ſuſcipiendos accedat in duplici ætatis anno diſpenſatus, altero à privilegio ſuo, altero ab Epiſcopo? Senſus eſt. Societas JESU v. g. habet privilegium, ut utriuſque Indiæ Provinciales poſſint ſubditos ſuos ad Ordines Sacros promovere per annum ante legitimam ætatem à Tridentino requiſitam. Conceſſit S. Pius V. die 4. Januarii anno 1569. & prorogarunt ejus Succeſſores uſque ad Benedictum XIII. qui die 12. Decembris anno 1729. confirmavit, & prorogavit per Bullam, quæ incipit: *Animarum ſaluti. Compend. Indic. Romæ impreſſo*, *anno* 1730. Verb. *Ordines* §. 3. & verb. *India*, §. 2.

264 Dubium modò eſt: An poſſint prædicti Provinciales cum ſuis ſubditis diſpenſare in uno ætatis anno, & deinde facta, aut etiam non facta mentione de iſtiuſmodi diſpenſatione, ulteriùs rogare Epiſcopum, ut cum ordinandis diſpenſet in alio ætatis anno, & proút ſic ordinabuntur Societatis Homines in dulplici ætatis anno diſpenſati? Ad dubium ſub his terminis propoſitum.

265 ℞. affirmativè. Probatur primò: quia ſi jam habenti privilegium celebrandi per duas horas, v. g. ante ortum ſolis, concedatur privilegium celebrandi per horam ante ortum ſolis; hora celebrandi conceſſa per novum privilegium ita accipienda eſt, ut antea privilegiatus per duas horas poſſit deinceps celebrare per tres horas ante ortum ſolis. *Rodrig. tom.* 1. *quæſt. Regul. quæſt.* 42. *art.* 2. *Suar. diſp.* 80. *de Euchar. Sect.* 4. §. *Tertia exceptio. Tambur. de jure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 7. *Filliuc. tract.* 5. *cap.* 4. *quæſt.* 7. *n.* 112. & alii quamplures apud *Paſcalig. de Sacrific. Miſſæ quæſt.* 426. *num.* 6. Sed omnibus clarius. *Caſtr. Pal. tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 7. *n.* 13. §. *Quinta ſumitur*: ergo ſimiliter, ſi cum Regulari, qui à privilegio ſuo jam eſt diſpenſatus in uno ætatis anno, velit Epiſcopus diſpenſare ſuper defectu ætatis unius anni, talis annus intelligendus eſt de anno illo, in quo Regularis nondùm eſt diſpenſatus.

266 Probatur antecedens, & conſequentia: quia Gratia ita accipienda eſt, ut aliquid operetur, ac de novo conferat, ut cum multis latè probavimus *à n.* 7. *& n.* 94. *& n.* 96. Neque contenti eſſe debemus, ut nova gratia ſolum confirmet, quòd aliàs jam nobis licitum erat, ut benè *Caſtr. Pal. de Privileg. tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 9. *n.* 4. ergo Gratia, quam Epiſcopus facere poteſt, diſpenſandi cum Regulari in uno ætatis anno, ita accipi poteſt, ut aliquid operetur, ac de novo conferat. Subſumo: Sed in figurato eventu ſolum aliquid operabitur, ac de novo conferet, ſi præter ætatis annum, in quo Regularis jam eſt diſpenſatus, in alio ætatis anno cum eodem diſpenſet Epiſcopus: ergò.

267 Probatur ſecundò eadem reſolutio: quia privilegia, quæ ſunt conceſſa in favorem publicum, ut ſunt v. g. Indulta Apoſtolica, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa, non debent cenſeri mera privilegia, & odia juris; ſed potiùs favor, & benevolentia Principis. *Anaclet. tom.*

1. *lib.*

1. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 3. *de Reſcriptis* §. 5. *n.* 139. temerarium eſt autem, & valdè abſurdum, liberalitatem Principis non ad augmentum privilegiorum, ſed ad diminutionem convertere, & interpretari velle. *L. Hac ſaluberrima*, *C.* De Præpoſ. Agent. in rebus *lib.* 12.

268 Probatur tertiò: quia Indultum Braſiliæ Epiſcopis conceſſum ita dicit: *Diſpenſandi ſuper defectu ætatis unius anni*: ergò ſi Regularis à privilegio ſuo in uno ætatis anno jam diſpenſatus accedat, adhuc poterit Epiſcopus cum eodem diſpenſare ſuper defectu ætatis unius anni, ut ait Indultum, ſi forte alter ætatis annus adhuc deſit Regulari diſpenſando. Oſtenditur conſequentia: nam jure ſuo quiſque uti poteſt, ut tenet commune axioma; atqui Prælatus Regularis, & Epiſcopus habent jus utendi privilegiis ſuis, maximè, quia privilegia ipſa non contrariantur; immò eodem tendunt, ut ſcilicet in ætate ad Ordines diſpenſetur: ergò.

269 Probatur quartò ex abſurdo, quod ſequeretur ex contrario: ſequeretur enim, quòd reſpectu Epiſcopi eſſent deterioris conditionis Regulares, quam non Regulares: ſequela eſt abſurda: ergò & illud, ex quo ſequitur. Patet ſequela: quia in figurato eventu non poſſet Epiſcopus, quamvis vellet, diſpenſare cum habentibus ſimile privilegium, eoque utentibus, ſicut diſpenſat cum non habentibus tale privilegium: ergò reſpectu Epiſcopi eſſent deterioris conditionis Regulares, qui ſimile habent privilegium, quàm non Regulares, ſeu ſimile privilegium non habentes.

270 Abſurdum etiam patet: quia in perſonis privilegiatis præſumitur meritum proprium, vel hæreditarium, & quidem Regulares ſunt de Eccleſia optimè meriti; quales fortaſſè non ſunt, cum quibus Epiſcopus diſpenſat: ergò abſurdum eſt, quod deterioris conditionis ſint Regulares, quàm non Regulares. Et hujus ratio eſt: quia interpretatio privilegii nunquam eſt facienda ita ſtrictè, ut reddat privilegium inutile, *L. non dubium*, *C.* de Legib. quatenùs inutilem, & fruſtraneam actionem efficere non decet Principem: *Caſtr. Pal. proximè cit.* Si autem Epiſcopus privilegio ſuo uti non poſſet in ſenſu quæſtionis, inutile, & fruſtraneum redderetur privilegium, ſaltem quoad tales Regulares in noſtro caſu.

271 Declaratur. Pontifex poteſt concedere Titio v. g. ut ordinetur, & fiat Sacerdos per duos annos ante legitimam ætatem à Trid. requiſitam, cum ætas ad Ordines requiſita ſolummodò ſit de jure Eccleſiaſtico, ut cum *Barboſ. diximus ſupra à n.* 243. ergò idem poſſunt duo ejus delegati, dummodo quilibet eorum habeat facultatem diſpenſandi in uno ætatis anno. Oſtenditur conſequentia à pari: ſiquidem non plus facit Sacerdos, qui Titium abſolvit à reſervatis, & ſimul non reſervatis, quàm duo Sacerdotes, quorum alter Titium abſolvit à reſervatis, & alter à non reſervatis: ergò ſimiliter non plus faciunt duo Pontificum delegati, quorum quilibet habet poteſtatem diſpenſandi in uno ætatis anno, ſi ambo cum Titio diſpenſent ſimul, ac faceret Pontifex, ſi ſe ſolo cum Titio diſpenſaret in duplici ætatis anno.

272 Hinc infertur traditam reſolutionem extendi etiam ad ſæcularem

larem ordinandum, qui jam à Pontifice, vel aliundè ſit diſpenſatus in uno ætatis anno, & deinde roget Epiſcopum, ut ſecum ipſo diſpenſet ſuper defectu ætatis unius anni, declarando, aut etiam non declarando, ſe jam eſſe diſpenſatum; imò perindé ſe gerendo, ac ſi nondùm ſit diſpenſatus. Ratio eſt: quia in tali eventu prædictæ rationes ſunt Sæcularibus, & Regularibus communes.

273 Dices primò. Stylus Curiæ eſt, etiam quando à Pontifice diſpenſatur in ætate ad Ordines; non diſpenſari; niſi pro tredecim menſibus ad ſummum, ut teſtatur *Lacroix lib. 6. part. 3. n.* 931. ergò. ℞. hunc eſſe ſtylum Curiæ, quando diſpenſatur modo ordinario, & frequenti, non autem quandò diſpenſatur modò extraordinario, & paucis conceſſo; ut in noſtro caſu: cùm conſtet ſolos Epiſcopos Ultramarinos, præter Germanos, tanto gaudere privilegio, prioribus conceſſo ob locorum diſtantiam, poſterioribus veró ob aliàs juſtas cauſas.

274 Dices ſecundò. Eſſe contrá mentem Pontificis interpretari privilegium modo dicto: ergò. ℞. negando antecedens. Ratio eſt primó: quia privilegium Braſilicũ cùm concedatur in favorem publicum, eſt benevolentia Principis: temerarium eſt autem, & valdé abſurdum, liberalitatem Principis, non ad augmentum privilegiorum, ſed ad diminutionem interpretari, ut diximus ex leg. *Hac conſultiſſima.*

275 Ratio eſt ſecundò: quia Privilegium Braſilicum, quamvis modo dicto interpretetur, nemini nocet: quando autem privilegium nemini nocet, eſt amplé interpretandum. *Caſtr. Pal. cit. n.* 2.

276 Ratio eſt tertiò: quia in Privilegio Braſilico non determinantur perſonæ, ut diximus *à n.* 9. Quoties autem in privilegio non determinantur perſonæ, laté interpretatur. *Caſtr. Pal. cit. n.* 5. Illuſtratur vulgari illo axiomate: conceſſum intelligitur, quod expreſſè non prohibetur: atqui non invenitur expreſſè prohibitum, quòd poſſit quis duobus ſimul privilegiis uti; maximé, quandò non contrariantur privilegia: ergò conceſſum intelligitur poſſe unumquemque ſuo uti privilegiò.

277 Dices tertiò. Ex hac doctrina ſequitur, poſſe ordinandum obtinere diſpenſationem à Papa, Nuntio, Prælato, & ſimul ab Epiſcopo, & prout ſic ordinabitur per quatuor annos ante legitimam ætatem à Trid. requiſitam: ſequela eſt abſurda: ergò, & illud, ex quo ſequitur.

278 ℞. primò negando maiorem; neque enim in re morali tenet hæc conſequentia, nec ſimiles. Et patet primò: nam quoad privilegiatum ad celebrandum per duas horas ante ortum ſolis, etiam tenent Doctores citati poſſe deinceps celebrare per tres horas ante ortum ſolis, ſi ei concedatur novum privilegium celebrandi per horam ante ortum ſolis: & tamen iidem Doctores non concedent poſſe ejuſmodi horas ulteriùs, & ulteriùs prorogari, ita ut privilegiatus deinceps celebret, aut dicatur celebrare poſſe ante mediam noctem ſequentis diei, cùm in hoc ſit abſurdum manifeſtum: ergò ſimiliter, licét concedamus poſſe jam diſpenſatum in uno ætatis annò, in alio ulterius diſpenſari, non idèo cogimur concedere, ità poſſe ulteriùs, & ulteriùs diſpenſari, ut ordinetur

dinetur

dinetur per plures, & plures annos antè legitimam ætatem à Trid. requiſitam, ſi in hoc ſit inconveniens.

279 Patet ſecundò: quia etiam ex hoc, & illo furto levi non reſultat peccatum mortale; nec obligatio reſtituendi ſub gravi: & tamen, quoties in materiam gravem coaleſcunt furta levia, ſtatim reſultat peccatum mortale, & obligatio reſtituendi ſub gravi, ut eſt commune DD. ergò ſimiliter, bene poteſt nullum ſequi abſurdum ex eo, quód ordinandus diſpenſetur in uno, vel altero ætatis anno, cùm ætas ad Ordines requiſita ſolùm ſit ex jure Eccleſiaſtico; maximum veró ſequi abſurdum, ſi in pluribus, & pluribus ætatis annis diſpenſetur. Quare ad argumentum.

280 ℞. ſecundó, concedendo maiorem, & negando minorem. Nullum enim ſequitur abſurdum ex eo, quòd contra nullum jus eſt, imó ex jure fit, aut ejus Indulto. Sicut nullum ſequitur abſurdum ex eo, quód ille, qui jam habet privilegium celebrandi per duas horas ante ortum ſolis, ſi eidem concedatur novum privilegium celebrandi per horam ante ortum ſolis, celebret deinceps per tres horas ante ortum ſolis, ut tenent Doctores allegati. Et hæc ſufficiant pro quæſtione in praxi ſatis utili, & quam nos ideó excitamus, ut vel poſteri indies promoveant, vel ità ſerió impugnent, ut cogamur ab ea recedere.

DISPUTATIO QUINTA.

DE QUARTA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid ſit Votum?

281 Quartum Indultum Apoſtolicum: *Diſpēſandi, & commutandi vota ſimplicia in alia pia opera, & diſpenſandi ex rationabili cauſa in votis ſimplicibus Caſtitatis, & Religionis.*

282 Notatio Prima. Quid ſit Votum? ℞. Votum eſt: *Voluntaria, & deliberata promiſſio Deo facta de meliori bono.* Priora verba, nempè *Voluntaria, & deliberata promiſſio.* ſunt loco generis, quia per illa convenit votum cum promiſſione homini facta. Poſteriora ſunt loco differentiæ: cùm per illa votum, ex eo, quòd fiat Deo, & de meliori bono, differat à promiſſione homini facta. An autem promiſſio facta Sanctis ſit votum? Diſtinguunt Authores, quos conſule in Materia de Voto.

283 Notatio Secunda. In quod differat votum à propoſito exequendi

quendi rem honeſtā in honorem Dei? ℞. differre in eo, quòd ex propoſito rem faciendi nulla oriatur obligatio, qualis reperitur in voto, quod eſt, quaſi lex privata: aliter, qui abſolutè proponeret obſervare mandata, ſtrictiùs ad illa teneretur: ad obligationem verò contrahendam non ſufficit propoſitum ſine promiſſione, aut intentione ſe obligandi.

SECTIO II.

Quotuplex ſit Votum?

284 NOtatio Prima. Quotuplex ſit Votum? ℞. dividi primò in Solemne, & Simplex. Solemne eſt illud, quod fit cum cæremoniis, & ſolemnitatibus ab Eccleſiæ præſcriptis, & ut tale ab Eccleſia acceptatur, qualia ſunt vota, quæ emittuntur in Profeſſione Religioſa: exceptis votis, quæ emittuntur poſt biennium in Societate JESU, quæ licet conſtituant verum Religioſum, ſunt tamen ſimplicia. Votum ſimplex eſt illud, quod fit authoritate particulari, & licèt fiat privatim, vel publicè, non acceptatur tanquam ſolemne ab Eccleſia.

285 Notatio Secunda. ℞. ſecundò, dividi ſecundò in Reſervatum, & non Reſervatum. Reſervata ſunt quinque, videlicet, votum Caſtitatis, Religionis, Peregrinationis ad Limina Apoſtolorum, ad S. Jacobum Compoſtellam, & Ultramarina, ſive in Terram Sanctam. Dicuntur reſervata hujuſmodi vota, quia ſolus Papa poteſt in illis diſpenſare: cum hoc tamen addito, quòd vota trium Peregrinationum non ſunt reſervata, niſi fiant devotionis cauſa. Tandem vota non reſervata ſunt omnia alia ab his quinque, in quibus Prælati Papà inferiores diſpenſare poſſunt.

286 Notatio Tertia. ℞. tertiò, dividi tertiò in Abſolutum, & Conditionatum. Illud eſt, quod fit ſine ullà conditione, ut voveo Eleemoſinam: hoc verò, quod fit cum conditione, ita ut, niſi ponatur conditio, non exurgat obligatio, & ſubdividitur in conditionale purum, & non purum. Conditionale purum eſt v. g. voveo eleemoſynam, ſi ſanitati reſtituar. Conditionale non purum (quod aliàs dicitur pœnale) eſt v. g. ſiquis dicat *promitto Religionem ingredi, ſi poſt hac luſero*; tunc enim ingreſſus Religionis vovetur in pœnam criminis ludendi.

287 Notatio Quarta. ℞. quartò, dividi quartò in Reale, Perſonale, & Mixtum. Reale eſt, cum res externa promittitur v. g. pecunia, domus, prædium. Perſonale, cùm promittitur actio emanans à perſona. Mixtum, cùm id, quod promittitur, partim eſt Reale, & partim Perſonale, ut ſi promittas dare templo ornamentum á te portandum.

288 Notatio Quinta. Datur etiam votum, quod dicitur Commune, ſeu neceſſarium, quia eſt de rebus præceptis, ſeu neceſſariis ad ſalutem, quæ omnibus communes ſunt. Et votum, quod dicitur ſingulare, ſeu liberum, quia eſt de rebus ad conſilium pertinentibus, & quarum obligatio pro ſingulorum arbitratu ſuſcipitur. Cæterum de his, & hujuſmodi aliis, utpotè ad inſtitutum noſtrum impertinentibus, videantur Authores in materia de Voto.

SECTIO III.

Quid ſit Diſpenſatio, & Commutatio votorum?

289 NOtatio Prima. Quid ſit diſpenſatio voti? ℞. diſpenſatio voti eſt integra obligationis voti ablatio, nomine Dei facta ex rationabili cauſa. *Ita cõmune Theologorum, & SS. cum D. Thoma 2. 2. q. 80. art. 2. ad tertium.*

290 Notatio Secunda. Quid ſit Commutatio voti? ℞. Commutatio voti eſt mutatio illius operis, quod voto promiſſum erat, in aliud opus, manente eâdem obligatione. Ità cõmune. Quomodò autem, & in quod poſſit quis authoritate propria cõmutare vota? Videatur apud Authores.

SECTIO IV.

Qualiter differant inter ſe poteſtas diſpenſandi, & commutandi vota?

291 NOtatio Unica. Qualiter differant inter ſe poteſtas diſpenſandi, & commutandi vota? ℞. primò: conceſſà poteſtate commutandi, non intelligitur conceſſa poteſtas diſpenſandi. *Ità Suar. lib. 6. de Voto cap. 11. n. 4. & Sanch. de Matrim. lib. 4. cap. 53. n. 2. Barboſ. part. 2. allegat. 37. n. 4.* Ratio eſt: quia poteſtas diſpenſandi, cum ſit maior, contineri nequit in poteſtate commutandi, quæ eſt minor.

292 ℞. ſecundò, conceſſâ poteſtate diſpenſandi, intelligitur conceſſa poteſtas commutandi. *Suar. cit. n. 9. Laym. lib. 4. tract. 8. n. 2. Baroboſ. cit. n. 13.* Ratio eſt: quia commutatio eſt quædam veluti partialis, ſeu diminuta diſpenſatio, cùm transferat obligationem, eam minuendo: qui autem poteſt, quod eſt plus, poteſt etiam, quod eſt minus ſub eodem ordine contentum juxtà Regulam 53.

SECTIO V.

Quid de jure poſſint Epiſcopi circa diſpenſationem, & commutationem Votorum?

293 NOtatio Prima. Quid de jure poſſint Epiſcopi circà diſpenſationem, & commutationem Votorum? ℞. de jure ordinario poſſunt Epiſcopi diſpenſare, & cõmutare omnia vota, quæ non ſunt reſervata. *Ità commune Theologorum cum Suar. lib. 6. de Voto cap. 10. Sanch. lib. 4. Moral. cap. 38. Leſſ. lib. 2. cap. 4 n. 115.* & ſequentibus. Ratio eſt: quia poteſtas diſpenſandi, & commutandi vota, convenit omnibus Prælatis, qui habent juriſdictionem ordinariam ergà ſuos ſubditos: tales autem ſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Capitulum, Sede Vacante &c.

294 Notatio ſecunda An tradita doctrina extendatur etiam ad vota de non petenda diſpenſatione, aut commutatione Votorum? ℞. affirmativè cum *Covarrub. Azor, Dian. part. 11. tract. 2. reſolut. 35.* Ratio eſt manifeſta: quia votum de non petenda diſpenſatione, nec commutatione, non eſt reſervatum: Epiſcopi autem poſſunt diſpenſare, & commutare omnia vota, quæ non ſunt reſervata. An autem, urgente

te neceſſitate, poſſint etiam diſpenre, & commutare reſervata? Vide Authores in materia de Voto.

295 Notatio Tertia. An etiam extendatur ad vota jurata, & juramenta Soli Deo facta? ℞. affirmativè cum *Suar. cit. & Sanch. de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 2. Ratio jam data eſt numero præcedenti. Ubi addendum primò, commutationem votorum fieri poſſe extrà confeſſionem. *Suar. Sanch. Henriq. Bonac. Laym. Caſtr. Pal. Dian. Gobat, quos citat, & ſequitur Lacroix lib.* 3. *part.* 1. *n.* 507. Ratio eſt: quià nullibi præſcribitur, ut in confeſſione fiat commutatio.

296 Notatio Quarta. Addendum ſecundò, poſſe commutantem dicere: commuto in hoc, quod poſtea aſſignabo. *Rodrig. Sanch. Sayr. & alii apud Lacroix cit. n.* 508. Quinimò dicere poteſt: commuto in illud, in quod vir ille doctus, quamvis Laicus, cenſuerit commutandum. *Sanch. Leſſ. Laym. Gobat apud citatum Lacroix.* Vide plura ibidem.

SECTIO VI.

Quid ſpecialiter poſſint Braſiliæ Epiſcopi circà diſpenſationem, & commutationem Votorũ?

297 Notatio Unica. Quid ſpecialiter poſſint Braſiliæ Epiſcopi circà diſpenſationẽ, & commutationem Votorum? ℞. cum diſtinctione, & dico primò: Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare, & commutare vota ſimplicia in alia pia opera. Conſtat expreſſè ex Indulto, circa quod verba illa *in alia pia opera* denotant commutationem faciendam arbitrio Epiſcopi in alia quæcumque pia opera, etiam temporaria, quæ fuerint ſuaviora, facilioris executionis, & favorabilioris voventi. Ratio eſt primò: quia Braſiliæ Epiſcopi poſſunt omninó tollere obligationem votorum per diſpenſationem: ergò á fortiori commutare vota ad arbitrium in alia quæcũque pia opera, quæ fuerint ſuaviora, facilioris executionis, & favorabilioris voventi.

298 Ratio eſt ſecundò: quia verba illa Indulti *in alia pia opera* ita accipienda ſunt, ut aliquid amplius intelligantur concedere, quàm de jure poſſunt Epiſcopi, juxta ea, quæ diximus *à n.* 9. *& à n.* 94. 96. ergò ex ſpeciali conceſſione poſſunt Braſiliæ Epiſcopi commutare vota ſimplicia in alia pia opera, etiam temporaria, quæ fuerint ſuaviora, facilioris executionis, & favorabilioris voventi, quam aliundè poſſunt ex jure.

299 Dico ſecundò: Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare, & commutare tria vota peregrinationis Hieroſolimitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ. Ratio eſt primò: quia in poteſtate delegata diſpenſandi, aut commutandi vota reſervata, nulla facta excentione, veniunt omnia. *Suar & Sanch. quos citat, & ſequitur P. Benedictus Pereyra in SummaTheolog. Moral. tract.* 31. *n.* 501. In noſtro autem Indulto nulla fit exceptio.

300 Ratio eſt ſecundò: quia ubi conceduntur vota maiora, nempè Caſtitatis, & Religionis, etiam intelliguntur conceſſa vota minora, qualia ſunt vota trinæ peregrinationis. *Pereyra cit.* §. *quid ſi Pontifex.* At verò Indultum Braſilicum etiam concedit diſpenſare, & commutare vota Caſtitatis, & Religionis.

301 Dico

301 Dico tertiò. Braſiliæ Epiſcopi poſſunt etiam diſpenſare in votis ſimplicibus Caſtitatis, & Religionis. Conſtat expreſſe ex Indulto, ibi: *Diſpenſandi ex rationabili cauſa in votis ſimplicibus Caſtitatis, & Religionis.*

SECTIO VII.

De cauſis diſpenſandi in voto ſimplici Caſtitatis.

302 QUoniam requiritur cauſa rationabilis, ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent in votis Caſtitatis, & Religionis, aliquæ aſſignandæ ſunt cauſæ, quæ videantur eſſe rationabiles. Sed antequam aſſignentur, notandum primò: votum ſimplex Caſtitatis, & votum Religionis tunc eſſe reſervata, quandò ſunt abſoluta, perfecta, & in nullo deficientia, ſecundùm Doctorum explicationes. Ratio eſt: quia reſervatio eſt odioſa, & ideò reſtringi debet. *Ità communiter DD.* cum *Sanches in Decal. lib. 4. cap. 34. n. 91. Caſtr. Pal. tract. 15. diſp. 2. punct. 11. n. 6.*

303 Notandum ſecundò: ad diſpenſandum in votis Caſtitatis, & Religionis ſemper requiri cauſam aliquo modo obſtantem executioni ipſius voti; id quod non requiritur ad commutandum, cùm ad commutandum ſatis ſit quæcumque occaſio. *Sanch. de Matrim. lib. 8. diſp. 20. n. 5.*

304 Notandum tertiò: quid teneant communiter Doctores circa vota Caſtitatis, & Religionis diſpenſanda de poteſtate Ordinaria Epiſcoporum. *Sanch. de Matrim. lib. 8. diſp. 9. n. 22.* referens alios ait *Hæc Votorum reſervatio non ità amarè, ac ſtrictè accipienda eſt quin liceat Epiſcopo diſpenſare in his votis Caſtitatis perpetuæ, & Religionis, quandò magnum incontinentiæ periculum imminet, nec facilis aditus ad Pontificem patet, præ paupertate, vel alia cauſa: quia jure optimo credi poteſt non eſſe mentem Pontificis velle in tali caſu reſervare ſibi hæc vota, neque eſt veriſimile velle eum, ut animæ laqueis irretitæ in tanto periculo „ verſentur.* Et infrà, *imò ob eaſdem rationes dicendum eſt idem, quamvis non immineat periculum incontinentiæ ex morà, ſi aliud quodcumque grave periculum immineat, ut gravis ſcandali, vel magni damni tertiæ perſonæ.*

305 Idem docet Leſſius, ſi non ſit facilis recurſus ad Papam, vel ejus Delegatum. *Item Gracia. Torrecrem, Ledeſm; Dian; Paſq.* quos refert. *Moya tom. 2. diſp. 1. q. 2. à n. 10.* Prætereà *Sylveſtr. Navar. Henriq. Valent. Sà, Suar. Laym. Caſtr. Pal. aliique cum Carden. in 1. criſi diſput. 79. n. 17.* qui dicunt non eſſe credendum, quòd Papa velit ſibi cum damno ſalutis animarum reſervare illam poteſtatem à Chriſto Domino in bonum animarum conceſſam. His diligenter obſervatis ex communi DD.

306 Notatio Prima. An proclivitas in luxuriam ſit rationabilis cauſa diſpenſandi in voto ſimplici Caſtitatis? ℞. affirmative cum DD. proximè citatis. Ratio eſt: quia quandò vovens Caſtitatem eſt ita proclivis in luxuriam, ut ſalubriùs videatur inire Matrimonium, datur ſufficiens cauſa, ut cum illo diſpenſet Epiſcopus de jure communi. Imò addit

addit *Moya tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 1. *q.* 1. *n.* 23. in his circumſtantiis neque votum Caſtitatis, neque votum Religionis eſſe reſervata: ergò à fortiori datur rationabilis cauſa, ut cum tali diſpenſet Epiſcopus ex Indulto ſpeciali, quod habet. Et quod dicitur de voto Caſtitatis, intelligitur etiam de voto Religionis, tametſi proclivitas illa ſuperveniſſet poſt emiſſum votum. *Moya* citatus.

307 Advertendum tamen primò: quòd diſpenſatus in voto Caſtitatis, ad effectũ ineundi matrimonium, mortua uxore, iterũ obligatur voto, nec ſecundas nuptias inire poteſt. *Ità Card. de Lug. lib.* 6. *reſponſ. Moral. dub.* 1. Contrarium tamen tenet *Caſtr. Pal. de Privileg punct.* 15. *n.* 7. *ad* finem.

308 Advertendum ſecundò: quòd diſpenſatus ad effectum ineundi matrimonium ob periculum incontinentiæ peccat contrà votum Caſtitatis, ſi habeat pollutionem, aut rem cum fœmina extra matrimonium. *Sanch. de Matrim. diſp.* 9. *n.* 26. *Caſtr. Pal. de voti relaxatione diſp.* 2. *punct.* 12. *n.* 6.

309 Notatio Secunda. An ſi uterque conjux, ante, vel poſt conſummatum matrimonium, cùm animo tamen habitandi ſimul, voviſſent ex mutuo conſenſu, & contractu irrevocabili, quo ceſſiſſent jure ſuo, in quo caſu *Navar. Sylveſtr. Rodrig. Sà, Dian.* & alii cõmuniter apud *Lacroix lib.* 3. *part.* 1. *n.* 560. tenent votum eſſe reſervatum. An, inquam, in tali caſu daretur rationabilis cauſa diſpenſandi in voto Caſtitatis? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia periculum incontinentiæ eſt ſufficiens cauſa diſpenſandi etiam de jure communi, ut dictum eſt *à n.* 304. At verò in noſtro caſu propter ſimultaneam cohabitationem ſemper adeſſet (moraliter loquendo) periculum incontinentiæ: ergò.

310 Notatio Tertia. An ſiquis in gravi periculo, aut infirmitate voviſſet Caſtitatem, addendo, aut etiam non addendo, *ſi evaſero*, *ſi convaluero*, detur rationabilis cauſa; ut cum illo diſpenſetur? Antè reſponſionem notandum primò talia vota eſſe conditionata, & non abſoluta, cùm non fuerint plenè voluntaria, quatenus ad illa emittenda principaliter moverit gravis neceſſitas corporis. *Sanch. Leſſ. Caſtr. Pal. Dian. Tamb.* aliique communiter apud *Lacroix lib.* 3. *part.* 1. *n.* 544. Vota autem conditionata non ſunt reſervata, ut tenent *Suar. Sanch.* & alii cum *Moya tom.* 2. *diſp.* 1. *q.* 1. *n.* 23. quamvis, cum poſteà impletur conditio, putent *Leſſ. & Moya*, votum conditionatum tranſire in abſolutum, adeòque in reſervatum.

311 Notandum ſecundò: idem dicendum de voto Religionis, quod ſub ſimili conditione emiſſum fuit: cùm adhuc poſt impletam voti conditionem communiùs affirment Doctores non reſervatum eſſe, quatenus ab initio non fuit reſervatum; undè nec tale fit poſt impletam conditionem, cùm nulla nova voluntas accedat. Imò addit cum multis *Dian. part.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 3. votum conditionatum non eſſe reſervatum, quamvis poſt impletam conditionem fuiſſet confirmatum: quià confirmatio ſemper cadit ſuprà idem votum à principio conditionale, niſi poſteà eſſet emiſſum independentèr à primo voto. His notatis, ad quæſitum *n.* 310.

312 ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia in dubio, an Votum ſit reſervatum,

vatum, ſive ſit dubium facti, ſivè juris, votum non eſt reſervatum, ut tenet Commune DD. atqui circà Votum Caſtitatis, aut Religionis modo dicto emiſſum, eſt dubium juris, quatenùs alii affirmant, & alii negant eſſe reſervatum, etiam poſt impletam conditionem: ergò vel abſolutè tenendum eſt tale Votum non eſſe reſervatum, vel ſaltem fatendum ejuſmodi dubium eſſe rationabilem cauſam, ut in illo diſpenſetur.

313 Notatio Quarta. An ſi ille, qui vovit Caſtitatem, eſſet morti proximus, & niſi fœminam duceret, relinqueret filios illegitimos, daretur rationabilis cauſa diſpenſandi cum illo? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia legitimatio cedit in magnum bonum prolis, quatenus indè fit, ut maneant legitimati abſque infamia, quin etiam cum aptitudine ad honores publicos juxtà leges poſitivas; atqui ſi in noſtro caſu celebretur matrimonium, reſultat ejuſmodi tantum bonum prolis: ergò. Confirmatur: quia poteſtas diſpenſandi datur in ſalutem animarum: at verò reſpectu moribundi de prole ſuperſtite cogitantis, ſalubrior eſt diſpenſatio, ut patet.

314 Notatio Quinta. An ſit rationabilis cauſa diſpenſandi in Voto Caſtitatis infamia puellæ, orta ex frequenti ingreſſu viri alicujus in domum patris ejus? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia ejuſmodi cauſa judicatur ſufficiens, ut cum puella diſpenſetur in impedimentis matrimonii, eique concedatur nubere etiam conſanguineo, vel affini ſuo intrà gradus à jure Eccleſiaſtico prohibitos: ergò etiam erit rationabilis cauſa, ut cum eadem diſpenſetur in Voto Caſtitatis ad nubendum viro, ex cujùs ingreſſu in domum ſuam infamata eſt: vel etiam ad diſpenſandum cum viro, ſi is fuiſſet, qui voviſſet Caſtitatem.

SECTIO VIII.

De Cauſis diſpenſandi in Voto ſimplici Religionis.

315 NOtatio Prima. An ſit rationabilis cauſa diſpenſandi in Voto ſimplici Religionis, ſi in ejus executione ſuperveniat magna difficultas? ℞. affirmativè. Ratio eſt primò: quia tunc illud Votum eſt ferè voventi inutile, & potiùs deſervit, ut ſacrilegiis, illud violando, implicetur. Ratio eſt ſecundò: quia experientia ipſa hoc teſtatur: paſſim enim Pontifex ex hac ſola cauſa diſpenſat in votis Religionis, & Caſtitatis. *Ita fermè Sanch. de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 20. *n.* 18.

316 Sic qui vovit Religionem, & voti executionem per multos annos ferè uſque ad ſenectutem diſtulit, quando jam merito dubitari poteſt, an ferre valeat communes Religionis obſervantias? Aut qui vovit Religionem Minimorũ, Carthuſianorum, aut Dominicanorum, in quibus á carnibus abſtinetur, & poſtèa factus fuit ità debilis ſtomachi, ut dubium ſit, an eam abſtinentiam ferre valeat? Utrumque hoc dubium eſt rationabilis cauſa ad diſpenſandum in Voto Religionis. *Sanch. citatus n.* 22.

317 Notatio Secunda. An ſit rationabilis cauſa diſpenſandi neceſſitas conſervandæ progeniei alicujus nobiliſſimæ familiæ? ℞. cum diſtinctione, & dico primò: niſi etiam

etiam admiſceatur aliqua commutatio, diſpenſari nequit. Ratio eſt: quia ejuſmodi cauſa eſt merè temporalis: at veró cauſa merè temporalis non eſt rationabilis ad diſpenſandum in Voto Religionis. *Sanch. citatus num.* 25.

318 Dico ſecundó: admixta veró aliqua commutatione, tunc diſpēſari poteſt. Ratio eſt: quia ejuſmodi cauſa eſt ſufficiens ad diſpenſandum in impedimentis matrimonii intrà gradus à jure Eccleſiaſtico prohibitos: ergó etiam erit rationabilis cauſa ad diſpenſandum in Voto Religionis, ſi admiſceatur aliqua commutatio. *Sanch. ibidem.*

319 Neque obſtat, quód minor cauſa ſufficiat ad diſpenſandum in impedimentis Matrimonii, utpote jure Eccleſiaſtico inductis, quàm ad diſpenſandum in Votis, quæ ſunt de jure Divino. *Sanch. cit. diſp.* 18. *n.* 4. Non inquam, id obſtat: nam ſit admiſceatur aliqua cōmutatio, benè fieri poteſt diſpenſatio, quatenùs permixta commutatione, non tollitur omninò obligatio, ſed ſolùm mutatur in aliam materiam: at veró ratio naturalis dictat, ut bonum commune, quamvis ſolum obliget ex lege poſitiva, aliquandó præferatur bono particulari, quod obligat ex lege naturali.

320 Notatio Tertia. An ſit rationabilis cauſa diſpenſandi, ſi vovens conferat magnam pecuniæ ſummam, & nulla ſit cauſa executioni voti obſtans? ℞. negativè. Ratio eſt: quia omnes DD. dicunt, quód ad diſpenſandum in Voto Religionis aliqua ſemper cauſa executioni voti obſtans intervenire debeat. *Sanch. cit. n.* 6.

His non obſtantibus, ſi eleemoſyna eroganda reputetur æqualis obſequi Divini, ac Votum, puta, ſi applicetur alicui templo reſtaurando, aut de novo conſtruendo, aut hujuſmodi, tunc fieri poſſet cōmutatio. *Sanch. citatus.*

321 Notatio Quarta. An ad diſpenſandum in Voto Religionis, aut Caſtitatis, requiratur certitudo de rationabilitate cauſæ, an potiùs ſatis ſit, ſi prudentis arbitrio dubium ſit, an cauſa rationabilis ſit? ℞. Satis eſſe, ſi prudentis arbitrio dubium ſit, an cauſa rationabilis ſit. Ratio eſt: quia aliàs inutilis eſſet diſpenſandi poteſtas, cùm raró conſtaret de rationabilitate cauſæ: ergó in dubio in mitiorem partem inclinandum eſt. *Sanch. de Matrim. l.* 8. *diſp.* 20. *n.* 10.

322 Otioſum eſt igitur de cauſis diſpenſandi in Voto Religionis, & Caſtitatis ulteriùs inquirere, quæ rationabiles ſint? Cùm hoc ab Epiſcopi arbitrio pendeat, & in dubio, an cauſæ rationabiles ſint? Poſſit Epiſcopus (imó aliquandó ex charitate paternâ tenetur) in benigniorem, & mitiorem partem inclinare.

323 Nihilominùs, ut benè notat *Sanch. cit. n.* 28. quia rationabilis cauſa omninó diſpenſandi in Voto Religionis, ſaluberrimum erit, ſi Votum ipſum partim diſpenſetur, & partim commutetur: ſic enim vitantur ſcrupuli, qui de cauſarum rationabilitate oriri poſſunt. Videatur *Sanch. cit.*

DISPUTATIO SEXTA.

DE QUINTA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid ſit Simonia?

324 QUintum Indultum Apoſtolicum : *Abſolvendi , & diſpēſandi in quacumque Simonia, & in reali, dimiſſis Beneficiis , & ſuper fructibus malè perceptis , injuncta aliqua eleemoſyna , vel pænitentia ſalutari arbitrio diſpenſantis , vel etiam retentis beneficiis , ſi fuerint Parochialia , & non ſint , qui Parochiis præfici poſſint.*

325 Notatio Prima. Quid ſit Simonia? ℞. Simonia eſt ſtudioſa voluntas vendendi , aut emendi pretio temporali aliquid ſpirituale , vel ſpirituali annexum. *Ità commune Theologorum cum D. Thom. in 4. diſt. 25. quæſt. 5. art. 1. Suar. tom. 1. Relig. tract. 3. lib. 4. cap. 1.* Simoniam deſcribit in hunc modum: Simonia eſt ſacrilegium , quod cōmittitur in emptione , & venditione ; ſeu in contractu quolibet , quo res ſpiritualis, ut talis eſt , pro temporali commutatur.

326 Notatio Secunda. Particulæ *ſtudioſa voluntas* ponuntur loco generis , tum quia omne vitium habet voluntatem pro ſubjecto proprio , tum quia ſtudioſa voluntas , idem eſt , ac voluntas deliberata , quæ reperitur in omni vitio. *Leſſ. lib. 2. cap. 33. n. 3.* Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ , cùm per illas differat Simonia ab aliis vitiis , & ſacrilegiis.

327 Notatio Tertia. Quale autem peccatum ſit Simonia? Et an detur in parvitate materiæ , & undè nomen trahat? Tradunt Authores. Nihilominus notitiæ gratia , dico primo : Simonia eſt peccatum contrà virtutem Religionis. *Suar. lib. 4. de Simonia , cap. 2.*

Dico ſecundò. Simonia ſemper eſt peccatum grave , etiam in parvitate materiæ. *Sanch. in Decalog. lib. 1. cap. 4. & Suarius cit. cap. 3. n. 5.*

Dico tertiò. Simonia nomen trahit à Simone Mago , qui primus in lege Gratiæ peccavit ſaltem affectu , intentione , & conatu emendi , & vendendi Spiritum Sanctum. nempè , illam poteſtatem communicandi Spiritum Sanctum , quam videbat relucere in Apoſtolis. *Act. 8.*

S E-

SECTIO II.

Quotuplex ſit Simonia?

328 NOtatio Prima. Quotuplex ſit Simonia? ℞. multipliciter dividi: dividitur enim primò in eam, quæ eſt juris naturalis divini, & in eam, quæ eſt juris poſitivi Eccleſiaſtici. *Suar. Leſſ. Caſtr. Pal. tract. 17. diſp. 3. punct. 2.* Simonia juris naturalis Divini datur, quando res aliqua de ſe ſpiritualis venditur, aut emitur, ut ſi vendantur Sacramenta.

329 Simonia juris poſitivi Eccleſiaſtici eſt, quæ à ſola lege Eccleſiaſtica ortum habet: unde *cap. quæſitum, & cap. cùm olim* De rerum permutatione, prohibetur, commutatio rerum Spiritualium, hoc eſt, Beneficiorum. Et *cap. ſiquis Epiſcop. & cap. Salvator*, ſtatuitur eſſe Simoniacum, qui vendit Æconomi, Sacriſtæ, & ſimilia officia; cùm hujuſmodi venditio, juxta *Leſſ. lib. 2. cap. 35. n. 26.* non ſit contra jus Divinum: ſunt enim temporalia hujuſmodi officia.

330 Notatio Secunda. Dividitur ſecundò Simonia in mentalem, cōventionalem, & realem. Mentalis eſt, propoſitum internum, quo quis, ſine ullo tamen pacto externo, cùm confert alteri ſpirituale, intendit illum obligare ad reddendum temporale, vel è contrà, ut ſiquis ſerviat Epiſcopo ea intentione, ut in mercedem ei conferat Beneficium, & tandem Beneficium conferatur, nulla tamen exteriùs facta conventione. Vocatur mentalis, quia licèt externum effectum habeat, malitia non ſe prodit exteriùs, ſed in mente manet.

331 Notatio Tertia. Conventionalis dicitur illa, in qua fit conventio, ſeu pactum dandi ſpirituale pro temporali, vel è converſo, nondum tamen ad executionem perducta eſt per traditionem, & duplex eſt, altera purè conventionalis, & altera conventionalis non purè, ſed mixta, utpotè mandata executioni ex altera tantùm parte, ut ſi pactione initá conferatur beneficium, alterá parte nondum ſolvente pretium; aut è converſo.

332 Notatio Quarta. Realis eſt quando pactio ex utráque parte completa eſt ſaltem inchoatè, ut ſi conferatur Beneficium, & ſaltem pars pretii ſolvatur. Undè realis diſtinguitur á conventionali per hoc, quòd ſuprà conventionem addat traditionem rei. Sub his continetur Simonia ficta, & confidentialis. Ficta dicitur, quandò fit exteriùs promiſſio rei temporalis pro ſpirituali, vel ſpiritualis pro temporali, ſine intentione tamen implendi promiſſum.

333 Notatio Quinta. Confidentialis, quæ humano jure fuit introducta, & eſt vera Simonia, habet pro ſpeciali materia Renuntiationes, & Collationes Beneficiorum, & committitur tùm à Renuntiante, tum à Providente Beneficium. A' Renuntiante tripliciter committitur: primò, per acceſſum, ſecundò, per regreſſum: tertiò per ingreſſum. Per acceſſum, cùm Caius v. g. cupit provideri Titio, qui nondùm habet ætatem: & tunc Caius hoc beneficium petit ſibi, & ſuum renunciat Sempronio, cum pacto, ut Sempronius tandiù eo fruatur, ſed poſteà renunciet Titio, cùm ætatem habuerit.

334 Per regreſſum, uti ſiquis renunciet in favorem alteriùs cum

certa confidentia, quòd ille poſteà renunciabit, vel ipſi renuncianti, vel in favorem alicujus ejus nepotis, tunc enim ob ſpem dicitur Beneficium regredi. Per ingreſſum, quandò quis habet Beneficium jam collatum, & nondùm poſſeſſum, & illud alteri renunciat, reſervando per ſimilem confidentiam jus ingrediendi poſteà in poſſeſſionem ejus; tunc enim dicitur Beneficium ingredi.

335 Tandem à Providente, vel à concurrentibus ad proviſionem Beneficii committitur Simonia confidentialis, præſentando, nominando, eligendo, conferendo, commendando, quandò dicti aliquam ex his actionibus faciunt cum confidentia, quòd ille, quem eligunt, præſentant, confirmant, inſtituunt, vel cui conferunt, vel commendant, poſtea illud renunciabit, vel dimittet aliquo modo in alterius favorem, vel fructus ejus, aut partem illi perſolvet. *Ità fermè ex Suar. Leſſ. Caſtr Pal. & aliis P. Benedict. Pereyr. in Sum. Theolog. Moral. tract.* 33. *quæſt.* 2. *per totam à n.* 588.

SECTIO III.

De pœnis Simoniæ impoſitis.

336 Poſt factam Simoniæ diviſionem, diſputandum erat, an, & quomodò incurratur? At quoniam de abſolutione, & diſpenſatione Simoniæ Indultum loquitur, ſuppoſita jam Simoniæ incurſione; feſtinandum nobis eſt ad cenſuras, & alias pœnas Eccleſiaſticas, quibus ſubjacent ſimoniaci, ut indè intelligatur, in quid cadat talis abſolutio, & diſpenſatio.

337 Pro quo notabis, nullam incurri pœnam ipſo jure latam, niſi ob Simoniam in tribus caſibus cõmiſſam, nempè in Ordine, Beneficio Eccleſiaſtico, & Religionis ingreſſu. *Navar. cap.* 23. *n.* 111. *Ugolin. lib.* 1. *Tab.* 1. *cap.* 12. *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 35. *Suar. lib.* 4. *cap.* 55. *n.* 5. Ratio eſt: quia nullum apparet jus, quod pœnam ipſo facto Simoniacis infligat, niſi in tribus aſſignatis materiis. His poſitis.

338 Notatio Prima. Quibus pœnis ſubjaceant Simoniaci ex Religionis ingreſſu? ℟. ſubjacere tribus: primò enim excommunicantur perſonæ aliquid ab ingreſſuro exigentes, in *Extravag.* 1. De Simonia. Secundò, ſuſpenditur Capitulum, ſeu Conventus, qui in hanc Simoniam conſentit. Tertiò, tenetur ingrediens è Monaſterio egredi juxta *cap. quoniam* De Simon. Cæterùm ejuſmodi pœnæ raiò incurruntur, vel ob tenuitatem Monaſterii, vel ob contrariam conſuetudinem receptam. *Suar. lib.* 4. *cap.* 56. & 57. *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 23. *Laym lib.* 4. *tract.* 10. *cap. ultimo.* § 7.

339 Notatio Secunda. Quas pœnas incurrant Ordines Simoniacè dantes, & ſuſcipientes? Quoad dantes, ℟. quatuor pœnas incurrere. Prima eſt excommunicatio Papalis, in *Extravag.* 2. *cùm deteſtabile* De Simon. Secunda eſt ſuſpenſio ipſo jure à Collatione Ordinum, & exercitio Pontificalium. Tertia eſt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. Quarta eſt ſuſpenſio à regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, & perceptione fructuum omnium ſuorum Beneficiorum, ſi violabitur interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ.

340 Quoad ſuſcipientes verò ℟. præ-

præter excommunicationem ipſo facto incurrere ſuſpenſionem ſuorum Ordinum. *Ità in Extravag. ſuprà citatâ.* An verò ejuſmodi ſuſpenſio ſit ſolius Ordinis, qui ſuſcipitur, an etiam omnium aliorum Ordinum? Variant Doctores. *Caſtro Pal. tract.* 17. *diſp.* 3. *punct.* 24. *n.* 3. probabile dicit, quod ſuſpenſio illa ſiſtat in Ordine Simoniacè accepto, & non extendatur ad alios.

341 Aliqui exiſtimant in Bullâ Sixti V. reſervari Pontifici abſolutionem harum Cenſurarum, & inhabilitatum, ſimulque revocari facultates conceſſas Religioſis, & conceſſas Epiſcopis in *Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 6. de Reformat. Nihilominùs *Caſtr. Pal. cit. n.* 4. *Leſſ. citat. n.* 134. in fine, & *Sà. V. Simonia, n.* 12. dicunt Bullam illam in hac parte non fuiſſe receptam.

342 Notatio Tertia. Quomodò puniantur dantes, & recipientes Simoniacè Beneficium? ℞. puniri primò excommunicatione ipſo facto, ut habetur in motu S. Pii V. *Extravag. cùm deteſtabile* De Simonia. Secundò, proviſionis, & Collationis annullatione, & irritatione, ex quà proviſus nullum jus acquirit, nec fructus facit ſuos, & ſiquos recipit, tenetur, reſtituere, ut in eadem *Extravag.* Tertiò, manet inhabilis ad idem Beneficium. Quinam autem comprehendantur ſub his poenis? Vidè latiùs apud AA. de Simon.

343 Notatio Quarta. Quænam Simoniæ confidentialis numerentur pœnæ? ℞. Septem numerari. 1. eſt Excommunicatio Papalis, tam in dantes, quàm in accipientes. 2. Interdictum Epiſcopis, & Collatoribus. 3. Reſignatio, & Collatio Beneficii nulla. 4. Inhabilitas ad idem, & alia beneficia obtinenda. 5. Beneficium illud, in quo Simonia commiſſa fuit, reſervatur Sedi Apoſtolicæ, ità ut ſe nequeat Ordinarius intromittere in illius proviſione. 6. Fructus malè percepti applicantur Cameræ Apoſtolicæ. 7. Privatio omnium Beneficiorum, & penſionum, quæ antèa obtinebantur. *Caſtr. Pal. tract.* 17. *diſp.* 3. *punct.* 25. *n.* 8.

SECTIO IV.

An reſtitui debeant Simoniacè accepta?

344 Notatio Prima. An miniſter, qui pretium recepit pro Sacramentorum adminiſtratione, de jure naturæ teneatur reſtituere? ℞. negativè. Ratio eſt primò; quia miniſter recipiens pecuniam in pretium rei ſpiritualis ſolùm peccat contrà Religionem. Secundò; quia miniſtris debetur congrua ſuſtentatio. Nihilominùs ſi pretium excedat congruam ſuſtentationem, tunc peccat miniſter contrà juſtitiam, & ex ea tenetur reſtituere exceſſum. *Caſtr. Pal. tract.* 17. *diſp.* 3. *punct.* 26. *n.* 7.

345 Notatio Secunda. An reſtitui debeat pretium receptum pro Sacramẽtalibus permanentibus, qualia ſunt Agnus Dei, Cerei, & Coronæ benedictæ? ℞. negativè, ſi ex taliũ datione aliquod incommodum, vel damnum patiaris corporale, vel ſpirituale. Ratio eſt: quia non peccas contrà juſtitiam, (eſtò Simoniam committas) ſed contrà Religionem: & non teneris ejuſmodi incommodum, vel damnum gratis pati. *Ità cum Leſſ. Caſtr. Pal. cit.* §. *Pro Sacramentalibus.* 346 No-

346 Notatio Tertia. An aliquo jure reſtitui debeant ſpiritualia, (exceptis Beneficiis) pro quibus datum eſt pretium? ℞. negativè. Ratio eſt primò: quia ſpiritualia, nempè Religioſa profeſſio, Sacramentorum ſuſceptio, & ſimilia, pro quibus datum eſt pretium, vel reſtitui non poſſunt, vel expectant judicis ſententiam, cum Canones aliud non ſtatuerint. Ratio eſt ſecundo: quià dando pretium pro ſpiritualium acquiſitione, ſolùm peccaſti, contrà Religionem, indebitè tractando res Eccleſiaſticas, non verò contrà juſtitiam. *Caſtr. Pal. n.* 1.

547 Dixi *exceptis Beneficiis*: quia Beneficia reſtitui debent etiam ante judicis ſententiam, ut patet tùm ex *cap. ſiquis*, tùm ex 2. *Extravag. cum deteſtabile*, De Simon. Et ſimiliter fructus ex Beneficio percepti: tum quia nullo juſto titulo poſſunt retineri, cùm adeptio Beneficii Simoniaca ſit ipſo facto irrita: tùm quià ſic expreſsè habetur *in cit. Extravag.* & apud DD. communiter.

348 Notatio Quarta. An veró idem dicendum ſit de pretio recepto præſentatione, collatione; vel confirmatione Beneficii? ℞. affirmativè. Conſtat ex *cap. de hoc* De Simonia, ubi in pœnam Simoniæ præcipitur ejuſmodi reſtitutio. Acceſſit decretum Alexandri VII. damnantis hanc propoſitionem, quæ eſt 22. *Non eſt contrà juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia, pecunia interveniente, non exigit illam pro Collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

SECTIO V.

Cui reſtitui debeant Simoniacè accepta?

349 NOtatio Unica. Cui reſtitui debeant Simoniacè accepta ℞. cum diſtinctione, & dico primò. Acceptum pro Beneficio, non ſecuta collatione, reſtituendum eſt ei, à quo fuit acceptum. Ratio: eſt quia nullus eſt titulus retinendi, cùm non præſtetur id, pro quo datum eſt pretium.

350 Dico ſecundò: ſi verò Beneficium collatum fuit; alii dicunt reſtitutionem faciendam eſſe Eccleſiæ, in qua eſt Beneficium, & non danti; cùm Eccleſia utrumque punire intendat: alii verò dicunt reſtitutionem ex conſuetudine faciendam eſſe pauperibus.

351 Dico tertio. Alii diſtingunt, & dicunt pretium pro datione Beficii acceptum poſſe reſtitui ante judicis ſententiam ei, qui dedit: poſt ſententiam verò reſtituendum eſſe ei, cui judex addixerit. Videatur *Caſtr. Pal. cit. n.* 5.

SECTIO VI.

De poteſtate diſpenſandi cum Simoniacis ſecundùm jus commune.

352 NOtatio Prima. An de jure poſſint Epiſcopi abſolvere ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto, & diſpenſare in inhabilitatibus, & aliis privationibus, quæ ipſo jure incurruntur ob Simoniam publicam? ℞. negativè.

gativè. Ratio eſt: quia cenſuræ, & pœnæ, quæ ſimoniacis imponuntur, ſunt reſervatæ, & jure ordinario à ſolo Papa abſolvi, & diſpenſari poſſunt, ut ſupra diximus. Nihilominus eædem cenſuræ, & pœnæ veniunt ſub generali conceſſione caſuum reſervatorum per Bullas, jubilæa, & privilegia, niſi ſpecialiter excipiantur. *Suar. cap.* 16. de Simon. *n.* 3. *ad* 8.

353 Notatio Secunda. An ſaltem poſſint Epiſcopi abſolvere, & diſpenſare in ſimonia occulta? ℞. affirmative cum *Henriq. Leſſ. Suar.* & aliis, quos citat, non tamen ſequitur *Caſtro Pal. tract.* 17. *diſp.* 3. *punct. ultim. n.* 4. Ratio eſt: quia talis inhabilitas eſt veluti quædam irregularitas: ergo conceſſio irregularitatum per *Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ad talem inhabilitatem extenditur. Neque obſtant declarationes Cardinalium, nec deciſiones Rotæ, quas affert *Farinac. tom.* 4. *Deciſion. Rot.* cum ejuſmodi declarationes, & deciſiones non habeant vim legis, cui neceſſario ſtandum ſit. *Caſtro Pal. cit.*

354 Notatio Tertia. An poſſit Epiſcopus diſpenſare cum ſimoniaco occulto, ut ſine nova collatione retineat beneficium? ℞. affirmative: ſic enim habetur in *cap. Expoſtulaſtis* de Cleric. empt. ubi dicitur; non poſſe Clericum ſic delinquentem retinere beneficium, niſi cum illo fuerit miſericorditer diſpenſatum: ergo poſita diſpenſatione bene poterit retinere, cùm ibi nihil aliud deſideretur. *Caſtro Pal. cit. n.* 5. Et hoc procedit ſive beneficium ſit de collatione Epiſcopi, ſive de collatione Pontificis. *Caſtro Pal. n.* 7.

355 Colliges primò: idem potiori jure dicendum eſſe per ordinem ad alia beneficia: nam Doctores, qui negant poſſe Epiſcopum diſpenſare per ordinem ad idem beneficium, id concedunt per ordinem ad alia beneficia.

Colliges ſecundò: idem poſſe Epiſcopum, quamvis fuiſſet complex in eadem ſimonia, cùm *Trid. loc. cit.* loquatur indiſtincte: unde non debet reſtringi ejus conceſſio.

Colliges tertiò: nullam eſſe præſcriptam formam ad diſpenſandum in pœnis ſimoniæ, modo diſpenſans ſuam voluntatem declaret. *Caſtr. Pal. n.* 8.

SECTIO VII.

De poteſtate diſpenſandi cum ſimoniacis juxta facultates Pontificias, Braſiliæ Epiſcopis conceſſas.

356 NOtatio Prima. An Braſiliæ Epiſcopi poſſint diſpenſare in ſimonia publica? ℞. affirmative. Ratio eſt primò: quia Indultum loquitur indiſtincte, & ſine ulla reſtrictione ad ſimoniam publicam, vel occultam, ibi: *In quacumque Simonia*: & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Ratio eſt ſecundò: quia de jure poſſunt Epiſcopi diſpenſare in ſimonia occulta, ut diximus *ſupra num.* 353. ergo aliquid amplius poſſunt Braſiliæ Epiſcopi juxta ea, quæ diximus *à num.* 9. *&* *à num.* 94. *&* 96.

357 Notatio Secunda. An Braſiliæ Epiſcopi poſſint diſpenſare in ſimonia, retentis beneficiis? ℞. cum diſtinctione, & dico primò: In ſimonia non reali poſſunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare, retentis beneficiis.

neficiis. Ratio eſt: quia juxta Indultum Apoſtolicum ſolum dimitti præcipiuntur beneficia, in quibus intervenit ſimonia realis, ibi: *Et in reali, dimiſſis beneficiis*: ergo in quibus non intervenit ſimonia realis, poſſunt retineri, cùm exceptio firmet regulam in contrarium, & nulla ſit urgens ratio ad limitandum, aut aliter interpretandum Indultum.

358 Dico ſecundò: etiam in ſimonia reali (occulta tamen) poſſunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare, retentis beneficiis. Ratio eſt: quia Indultum non reſtringit juriſdictionem ordinariam, quam habent Braſiliæ Epiſcopi, immò potius illam ampliat, & ampliare intendit: aſt de jure poſſunt Epiſcopi diſpenſare in retentione beneficii, ſi ſimonia fuerit occulta, ut *ſupra diximus num.* 353.

359 Dico tertiò: Braſiliæ Epiſcopi non poſſunt diſpenſare in ſimonia reali (publica tamen) retentis beneficiis. Conſtat ex Indulto, ibi: *Et in reali, dimiſſis beneficiis.* Excipiuntur tamen beneficia Parochialia, de quibus infra *num.* 368.

360 Notatio Tertia. Si autem quæras primo: an diſpenſatus in ſimonia reali poſt dimiſſionem beneficii, maneat privatus aliis beneficiis rite obtentis? ℞. negative. Ratio eſt: quia lex in ſimoniacos lata, eſt pœnalis, adeoque reſtringenda: ergo non debet extendi ad beneficia, quæ non fuerunt ſimoniace obtenta. *Suar. & alii apud P. Benedict. Pereir. tract.* 33. *num.* 663. §. *Rogabis primo.*

361 Notatio Quarta. Si quæras ſecundò: an diſpenſatus in ſimonia reali poſt dimiſſionem beneficii, maneat inhabilis ad beneficia in poſterum obtinenda? ℞. quod juxta Conſtitutionem S. Pii V. maneat inhabilis; ait enim Pontifex: *Beneficiis per ſimoniam acquiſitis ſit ipſo jure privatus, & perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia obtinenda.* Verum *Suar. & Leſſ. apud Benedict. Pereir. cit.* §. *Rogabis ſecundò*, credunt oppoſitum: quia in hac parte Conſtitutio illa recepta non eſt.

362 Notatio Quinta. Si quæras tertiò: an diſpenſatus in ſimonia reali poſt dimiſſionem beneficii, poſſit iterum ad beneficium dimiſſum redire? ℞. affirmative, & ſequitur ex dictis *n.* 354. Ratio eſt primò: quia verba illa Indulti: *Dimiſſis beneficiis*, ſunt pœnalia: ergo reſtringi debent; atqui in Indulto non dicitur, quod, dimiſſis beneficiis, non poſſit diſpenſatus iterum ad illa redire: ergo nec nos dicere debemus, cum beneficiis ſemel dimiſſis, non contraveniatur Indulto, quod circa iterandas collationes nihil dicit. Ratio eſt ſecundò: quia facta dimiſſione beneficii, & nova inſuper diſpenſatione facta, quaſi de novo confertur beneficium: hoc autem fieri non vetat Indultum Apoſtolicum.

363 Ratio eſt tertiò: quia quando non præcipitur dimitti beneficium, ſublato vitio, convaleſcit collatio: ergo licet quando præcipitur dimitti beneficium, non convaleſcat collatio, etiam ſublato vitio; tamen, ſi re ipſa dimittatur beneficium, & poſtea fiat nova ejus collatio, non contravenitur Indulto.

364 Ubi notandum: beneficia, de quibus eſt ſermo, fore proprie talia. Ratio eſt: quia pœnæ reſtringendæ ſunt, & non extendendæ: ergo beneficia, in quibus verſatur

ſatur Simonia, debent eſſe proprie talia. Unde Capellania, & Vicaria ad nutum amovibilis, ſive ſit Parochi, ſive Epiſcopi, ſive ejuſmodi, quia proprie Beneficia non ſunt, non comprehenduntur ſub pœnis impoſitis recipientibus, vel dantibus ſimoniace Beneficium. *Caſtr. Pal. cit. punct.* 25. *n.* 1.

363 Notatio Sexta. An Braſiliæ Epiſcopi poſſint diſpenſare ſuper fructibus male perceptis ex Beneficio ſimoniace obtento? Quoad primum ℞. affirmative: ita enim conſtat ex Indulto, ibi: *Diſpenſandi ſuper fructibus male perceptis.* Quoad ſecundum vero ℞. diſpenſationem faciendam ad libitum Epiſcopi, vel injungendo aliquam eleemoſynam, vel aliquam pœnitentiam ſalutarem, ibi: *Injuncta aliqua eleemoſyna, vel pœnitentia ſalutari arbitrio diſpenſantis.*

366 Notatio Septima. An Braſiliæ Epiſcopi poſſint applicare dictam eleemoſynam ipſi Simoniaco, ſi ſit pauper? ℞. affirmative. Ratio eſt: quia cum probabile ſit pretium ſimoniace acceptum poſſe reſtitui Eccleſiæ, vel pauperibus, ut ſupra diximus *n.* 350. hinc tenent Doctores, quòd ſi ille, qui pretium recepit, ſit pauper, illud poſſit ſibi retinere. *La Croix lib.* 3. *p.* 1. *n.* 24. ergo à fortiori poterit Braſiliæ Epiſcopus applicare eleemoſynam ipſi Simoniaco, ſi ſit pauper; cùm talis eleemoſyna diſtribuenda ſit arbitrio diſpenſantis, ut conſtat ex Indulto.

367 Notatio Octava. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſuper fructibus male perceptis, non injungendo eleemoſynam? ℞. affirmative. Ratio eſt: quia in Indulto habetur: *Injuncta aliqua eleemoſyna, vel pœnitentia ſalutari*: ergo ſufficit injungere aliquam pœnitentiam, quæ Epiſcopo videbitur ſalutaris, & non eſt neceſſe, quòd injungatur eleemoſyna: cùm particula *vel* ſit disjunctiva: & vel eleemoſyna, vel pœnitentia remittatur arbitrio Epiſcopi.

368 Notatio Nona. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in Simonia, etiam reali, retentis Beneficiis, ſi hæc fuerint Parochialia, & non ſint, qui Parochiis præfici poſſint? ℞. affirmative: ita enim conſtat expreſſe ex Indulto Apoſtolico.

369 Notatio Decima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſecum ipſis, caſu, quo aliquid ſimoniace recepiſſent pro conferendis Ordinibus, Beneficiis, aut hujuſmodi? ℞. affirmative, & probatur eo fere modo, quo probatum manet de diſpenſatione ab irregularitate, n. 234.

FINIS LIBRI PRIMI.

K BRA-

BRASILIÆ PONTIFICIÆ LIBER SECUNDUS.

NOTATIONES

Ad ulteriores ſex facultates Pontificias,

QUÆ

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDUNTUR,

COMPLECTENS.

Continet diſputationes decem. Prima, Secunda, & Tertia agunt de variis præſupponendis ad ſextam Facultatem Pontificiam, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur ſuper diſpenſationibus Matrimonii faciendis. Quarta de facultate diſpenſandi in impedimentis Matrimonii. Quinta de cauſis diſpenſandi ſuper impedimentis Matrimonii. Sexta de facultate diſpenſandi ſuper impedimento publicæ honeſtatis. Septima de facultate diſpenſandi ſuper impedimento criminis, & reſtituendi jus petendi debitum amiſſum. Octava de facultate diſpenſandi in impedimento cognationis ſpiritualis. Nona de conditionibus, quæ in diſpenſationibus Matrimonialibus concedendis ſervari debent. Decima de facultate diſpenſandi cum gentilibus, & infidelibus plures uxores habentibus.

DISPUTATIO PRIMA.

DE QUIBUSDAM PRÆSUPPONENDIS AD SEXTAM Facultatem Pontificiam, Braſiliæ Epiſcopis conceſſam.

SECTIO I.

Quid ſit Matrimonium?

1 QUONIAM in ſexta Facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur, de Matrimonii diſpenſationibus, tractabimus, poſtulat ſcribendi ratio, ut impedimenta prius, in quæ cadunt tales diſpenſationes, atque etiam vocabulum, quod ſemper in obliquo ſecum trahit impedimentum Matrimonii, breviter exponamus: ſit igitur

2 Notatio Unica. Quid ſit Matrimonium? ℞. Matrimonium, quod

Deus inſtituit Geneſ. 1. & Chriſtus Dominus elevavit, ut ſit Sacramentum, Joan. 2. definitur: *Conjunctio maritalis viri, & fœminæ inter legitimas perſonas, cauſativa gratiæ, & individuam vitæ ſocietatem retinens.*

3 Particula *conjunctio* non uſurpatur pro conjunctione carnali, ſed pro conjunctione animorum, quæ fit per verba de præſenti, videlicet: *Ego accipio te in meum: Ego accipio te in meam*, & conſtat ex Matrimonio inter B. V. Mariam, & S. Joſephum inito, quod cum ſola animorum conjunctione, & utriuſque ſponſi unione verum fuit Matrimonium, ut fatentur omnes ad illud Math. 1. *Cùm eſſet deſponſata Mater JESU Maria Joſeph.*

SECTIO II.

Quid ſit impedimentum Matrimonii?

4 NOtatio Unica. Quid ſit impedimentum Matrimonii? ℞. Impedimentum Matrimonii eſt inhabilitas illud contrahere volentium, proveniens vel à naturali, vel ab Eccleſiaſtico jure. Cum qua inhabilitate ſiqui de facto contrahant, aliquando illicitè tantum, aliquando illicitè, & invalidè ſimul contrahunt. *Clericat. de Sacram. Matrim. deciſ.* 18. *n.* 2.

5 Inhabilitas ponitur tanquam genus, & ut quid commune impedimentis Matrimonii, & aliis impedimentis Eccleſiaſticis, v. g. irregularitati. Quòd verò hujuſmodi inhabilitas proveniat vel à jure naturali, vel à jure Eccleſiaſtico, ponitur tanquam differentia, & quia utrumque jus eſt principium, fons, & origo, unde ipſa impedimenta dimanant. *Clericat. citat. num.* 3. & 4.

SECTIO III.

Quotuplex ſit impedimentum Matrimonii?

6 NOtatio Unica. Quotuplex ſit impedimentum Matrimonii? ℞. Impedimenta Matrimonii dividuntur in dirimentia, & merè impedientia. Impedimenta Matrimonii impedientia tantum ſunt quæ illicitum reddunt Matrimonium, non tamen invalidum, & his verſibus comprehenduntur.

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriarum,
Atque catechiſmus, ſponſalia jungito votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

7 Impedimenta verò dirimentia, & quæ non ſolum illicitum, ſed etiam invalidum reddunt Matrimonium, his carminibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

8 Cæte-

8 Cæterùm, quia non omnia impedimenta, quæ in prædictis verſibus continentur, ad inſtitutum noſtrum pertinent, idcircò ea tantùm, quæ ad rem faciunt, proponemus; triplicem ſcilicet cognationem, cultùs diſparitatem, affinitatem, crimen, & honeſtatem. Reliqua verò, quorum expoſitiones hîc deerunt, videantur apud Authores, qui de Matrimonio tractant ex profeſſo.

SECTIO IV.

De cognatione Legali.

9 NOtatio Prima. Suppoſita diviſione cognationis in Legalem, Spiritualem, & Carnalem, deſcribitur cognatio Legalis: *Propinquitas perſonarum proveniens ex adoptione perfecta.* Datur, quoties perſona extranea aſſumitur in filium, vel nepotem, ità ut tranſeat in poteſtatem adoptantis, eique ſuccedat, vel tanquam hæres neceſſarius ex teſtamento, vel tanquam filius ab inteſtato.

10 Dirimit Matrimonium uſque ad quartum gradum inter adoptantem, & adoptatum, ejuſque deſcendentes, cap. *per adoption.* 3. *q.* 3. cap. *diligere* 30. *q.* 3. *Bonac. q.* 3. *p.* 5. §. 3. *n.* 54. quamvis *Laym. cap.* 7. *& Dian. p.* 9. *tract.* 6. *Reſol.* 54. contrà communem ſententiam notent ex Henriq. Leſſ. & aliis, probabile eſſe, quòd poſt Trid. dirimant ſolùm uſque ad gradum ſecundum incluſivè, ſicut cognatio ſpiritualis.

11 Notatio Secunda. Rurſùs cognatio Legalis dividitur in Paternitatem, Fraternitatem, & Affinitatem. Paternitas reperitur inter adoptantem, & adoptatum, ac hujus deſcendentes; & hæc cognatio eſt perpetua, etiam ſi per emancipationem, aut aliter ſolvatur adoptio.

12 Fraternitas reperitur ſolummodò inter Liberos legitimos adoptantis, & inter adoptatum: non autem inter adoptatum, & filios illegitimos adoptantis; neque etiam inter filios legitimos adoptantis, & filios illegitimos adoptati.

13 Affinitas Legalis reperitur inter adoptantem, & uxorem adoptati, & inter uxorem adoptantis, & adoptatum.

LINEA LEGALIS PATERNITATIS EST HÆC:

Titius adoptans eſt cognatus cum	Adoptato in primo gradu: Liberis adoptati in ſecundo: Nepotibus adoptati in tertio: Pronepotibus adoptati in quarto:

LINEA LEGALIS FRATERNITATIS EST HÆC:

Caius adoptatus eſt cognatus cum	Liberis adoptantis, in 1. gradu: Nepotibus adoptantis, in 2. Pronepotibus adoptantis, in 3. Abnepotibus adoptantis, in 4.

LINEA

LINEA LEGALIS AFFINITATIS EST HÆC:

Titius adoptans, & uxor Caii adoptati. Caius adoptatus, & uxor Titii adoptantis.	Sunt Legaliter affines.

14 Siqua inſuper dubia circa prædictam cognationem, ejusvè diviſionem occurrent, conſule *Lacroix lib. 6. part. 3. à n. 591.*

SECTIO V.

De cognatione Spirituali.

15 Notatio Unica. Secunda cognatio diciturSpiritualis, quæ jure Eccleſiaſtico oritur inter perſonas aliquas ratione Baptiſmi, & Confirmationis, dirimitque Matrimonium, ut conſtat ex *Trid. Seſſ.24. cap. 2.* inter baptiſatem, & baptiſatum, & hujus Patrem, & Matrem: item inter ſuſceptum, & ſuſcipientem, & hujus Patrem, & Matrem. Reliqua vide apud *Lacroix cit. n. 595.*

SECTIO VI.

De cognatione Carnali.

16 Notatio Unica. Tertia eſt cognatio conſanguinitatis Carnalis, quæ eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite proximo deſcendentium, dirimitqueMatrimonium uſque ad quartum gradum lineæ tranſverſæ incluſivè. Et quidem quo ad primum, fortaſſis jure naturæ: quo ad reliquos tres, ſolo jure Eccleſiaſtico. Pro gradibus conſanguinitatis dignoſcendis ſtatuuntur ſequentes regulæ.

17 Regula 1. In Linea recta tam aſcendentium, quam deſcendetium, quot ſunt perſonæ, tot ſunt gradus, unà dempta, ſcilicet, ſtipite: v. g. Pater, & Filius ſunt conſanguinei in primo gradu: nepos, & avus in ſecundo.

18 Regula 2. In Linea tranſverſa æquali, tot gradibus diſtant perſonæ inter ſe comparatæ, quot gradibus ſinguli diſtant à communi ſtipite, v. g. Ego, Frater, & Soror mea, ſinguli à communi ſtipite, qui eſt Pater, diſtamus, uno gradu. Item: Ego, & Patruelis meus, id eſt, filius Patrui mei, à communi ſtipite, qui eſt Avus noſter, diſtamus, duobus gradibus, & ſumus conſanguinei in ſecũdo gradu æquali.

19 Regula 3. In Linea tranſverſa inæquali, tot gradibus diſtant perſonæ inter ſe comparatæ, quot gradibus diſtat à communi ſtipite perſona illa, quæ eſt remotior v. g. Patruus meus diſtat ab Avo meo uno gradu: Ego autem diſto ab eodem Avo meo duobus gradibus: hinc ego etiam duobus gradibus diſto à Patruo meo, ideoque cum illo ſum conſanguineus in

in ſecundo gradu inæquali. Pro maiori claritate ponit *La Croix lib.* 6. *part.* 3. *num.* 606. ſequentes lineas.

LINEA RECTA CONSANGUINITATIS.

Titius eſt

Cum Abavo ſuo in 4.
Cum Proavo in 3.
Cum Avo in 2.
Cum Patre in 1.
Aſcendẽtes

Cum Filio in 1.
Cum Nepote in 2.
Cum Pronepote in 3.
Cum Abnepote in 4.
Deſcendẽtes

LINEA TRANSVERSA ÆQUALIS.

Cum Amitino ſuo in 2.
Cum Conſobrino in 2.
Cum Patruele in 2.
Cum horum Liberis in 3. cum Nepotibus in 4.

Titius eſt

Cum Fratre ſuo in 1. Cum hujus Liberis in 2.
Cum Nepotibus in 3. Cum Pronepotibus in 4.
Cum Sorore in 1. Cum hujus Liberis in 2.
Cum Nepotibus in 3. Cum Pronepotibus in 4.

Cum Patruele in 2.
Cum Conſobrina in 2.
Cum Amitina in 2.
Cum harum Liberis in 3. cum Nepotibus in 4.

LINEA TRANSVERSA INÆQUALIS RATIONE PATRIS.

Titius eſt

Cum Propatruo, ejuſque Liberis, Nepotibus, & Pronepotibus in 4.
Cum Patruo Magno, ejus Liberis, & Nepotibus in 3. Cum Pronepotibus in 4.
Cum Patruo in 2. Cum Liberis Patrui in 2.
Cum Nepotibus in 3. Cum Pronepotibus in 4.
Cum Amita in 2. Cum Liberis Amitæ in 2.
Cum Nepotibus in 3. Cum Pronepotibus in 4.
Cum Amita Magna, hujus Liberis, & Nepotibus in 3.

Cum

Titius eſt
- Cum Pronepotibus in 4.
- Cum Proamita, ejuſque Liberis, Nepotibus, & Pronepotibus in 4.

LINEA TRANSVERSA INÆQUALIS RATIONE MATRIS.

Titius eſt
- Cum Proavunculo, ejuſque Liberis, Nepotibus, & Pronepotibus in 4.
- Cum Avunculo Magno, ejus Liberis, & Nepotibus in 3. Cum Pronepotibus in 4.
- Cum Avunculo in 2. Cum hujus Liberis in 2. Cum Nepotibus in 3. cum Pronepotibus in 4.
- Cum Matertera in 2. Cum hujus Liberis in 2. Cum Nepotibus in 3. Cum Pronepotibus in 4.
- Cum Matertera Magna, ejus Liberis, & Nepotibus in 3. Cum ejus Pronepotibus in 4.
- Cum Promatertera, ejus Liberis, Nepotibus, & Pronepotibus in 4.

LINEA TRANSVERSA INÆQUALIS RATIONE FRATRIS, ET SORORIS.

Titius eſt
- Cum Fratris ſui Pronepote in 4.
- Cum Fratris ſui nepote in 3. Cum hujus Liberis in 4.
- Cum Fratris ſui Liberis in 2. Cum horum Liberis in 3. Cum Nepotibus in 4.
- Cum Sororis ſuæ Liberis in 2. Cum horum Liberis in 3. Cum Nepotibus in 4.
- Cum Sororis ſuæ nepote in 3. Cum hujus Liberis in 4.
- Cum Sororis ſuæ pronepote in 4.

20 Advertendum hic eſt 1. in prædictis lineis non poni plures conſanguinitates, quas forſan quis habet ex diverſis ſtipitibus v. g. aliam ex parte Patris, & aliam ex parte Matris; quæ quidem conſanguinitates exponi diſtinctè debebunt à petentibus diſpenſationem: ſed ſolum poni unam tantum conſanguinitatem Lineæ tranſverſæ æqualis, & inæqualis, quæ ab uno tantum ſtipite provenit.

21 Advertendum 2. non poni communiter ab Authoribus Lineas, unde diſgnoſcantur plures conſanguinitates, quæ ex diverſis ſtipitibus proveniunt, & formant gradus, qui dicuntur mixti: tum quia gradus mixti mille modis contingunt, eoſque comprehendere non eſt facile: tum quia comprehenſis gradibus ex parte ſolius patris, aut

ex parte ſolius Matris, colligi inde poterunt gradus mixti. Nihilominus gradus mixtos infra dabimus *num.* 185. Interim, ut ſuperiora plenius intelligantur, ſubjicimus hic luſitanè ſignificationem nominum, per quæ hactenus conſanguinitates latine explicavimus.

NOMINA CONSANGUINITATIS.

Abavia	Terceira Avò, Mãy do Biſavò, ou da Biſavo.
Abavus	Terceiro Avò, Pay do Biſavo, ou da Biſavo.
Abnepos	Terceiro Neto, Filho do Biſneto, ou Biſneta.
Abneptis	Terceira Neta, Filha do Biſneto, ou Biſneta.
Amita	Tia, Irmãa do Pay.
Amita magna	Tia, Irmãa do Avo.
Amitini	Primos, hum filho de Irmaõ, e outro filho de Irmãa.
Atavia	Quarta Avò, Mãy do terceiro Avo, ou da terceira Avò.
Atavus	Quarto Avo, Pay do terceiro Avo, ou da terceira Avò.
Atneptis	Quarta Neta, filha do terceiro Neto, ou da terceira Neta.
Atnepos	Quarto Neto, filho do terceiro Neto, ou da terceira Neta.
Avia	Avò.
Avunculus	Tio, Irmaõ da Mãy.
Avunculus magnus	Tio, Irmaõ do Avo Materno.
Avus	Avo.
Avus Maternus	Avo por parte parte de Mãy.
Avus Paternus	Avo por parte de Pay.
Cognata	Parenta.
Cognatus	Parente.
Conſobrini, Conſobrinæ	Primos, ou Primas, filhos de Irmaõs.
Filia	Filha.
Filius	Filho.
Frater	Irmaõ.
Frater ex Patre	Irmaõ por parte de Pay,
Frater uterinus	Irmaõ por parte de Mãy.
Gemini	Irmaõs do meſmo parto naſcidos.
Germanus frater	Irmaõ por parte de Pay, e Mãy.
Liberi	Filhos.
Mater	Mãy.
Matertera	Tia, Irmãa da Mãy.
Matertera magna	Tia, Irmãa do Avo,
Nepos	Neto.
Nepos ex filia	Neto por parte de Filha.

Nepos ex filio	Neto por parte de filho.
Nepos ex fratre	Neto por parte de Irmaõ.
Nepos ex ſorore	Neto por parte de Irmãa.
Neptis	Neta.
Neptis ex filia	Neta por parte de filha.
Neptis ex filio	Neta por parte de filho.
Neptis ex fratre	Neta por parte de irmaõ.
Neptis ex ſorore	Neta por parte de irmãa.
Pater	Pay.
Patrueles	Primos, oũ primas; filhos de irmaõs.
Patruus	Tio, irmaõ do Pay.
Patruus magnus	Tio, irmaõ do Avo.
Proamita	Tia, irmãa do Biſavo.
Proavus	Biſavo, Pay do Avo, ou da Avò.
Proavia	Biſavò, Mãy do Avo, ou da Avò.
Proavunculus	Tio, irmaõ do Biſavo Materno.
Promatertera	Tia, irmãa do Biſavo.
Pronepos	Biſneto, filho de Neto, ou de Neta.
Proneptis	Biſneta, filha de Neto, ou de Neta.
Propatruus	Tio, irmaõ do Biſavo.
Sobrini, ſobrinæ	Primos, ou primas, filhos de irmaõs.
Soror	Irmãa.
Tritavia	Quinta Avo, Mãy do 4. Avo, ou da 4. Avò.
Tritavus	Quinto Avò, Pay do 4. Avo, ou da 4. Avo.

SECTIO VII.

De impedimento criminis.

22 NOtatio prima. Quid ſit crimen? ℞. Triplex eſſe crimen. Primum eſt homicidium conjugis ab altero conjuge, & alio tertio, ſive phyſice, v.g. gladio, vel veneno, ſive moraliter, ut imperio, perfectum; eo conſilio, ut poſtea inter ſe Matrimonium contrahant. Quód ſi cædes tentata ſit, non tamen perfecta, vel perfecta, ſed abſque intentione Matrimonii ineundi, vel cum intentione quidem ea, ſed non ſignificata exteriùs, vel non communi conſilio, ſed ab altero tantùm, non dirimit Matrimonium, niſi etiam adulterium præceſſerit; tunc enim tametſi unus tantum cædem perfecerit, altero ignaro, dummodò id fecerit intentione Matrimonii, verè dirimit. *Koninch. Ledeſm. Sà, Sanch. de Matrim. lib. 7. diſp. 78. num.* 13.

23 Notatio ſecunda. Secundum eſt adulterium, quando nimirũ duo carnaliter ſe cognoſcunt, vivente alteriùs conjuge, & vel Matrimonium ineunt de præſenti, vel ſaltem dant fidem de ineundo poſt mortem conjugis; ſed in hoc caſu requiritur, ut promiſſio ſit acceptata, & uterque ſciat alterum eſſe conjugatum: ſi enim, & vel alteruter ignorat, non irritatur Matrimonium, ſiquod poſtea ineatur, conjuge mortua. *Perez, Konich. Filliuc. Bonacin. Dian. apud Buſemb. lib. 6. tract. 6. cap. 3. dub.* 2. excuſatque ignorantia quævis, etiam

etiam facti. *Sanch. ibidem.*

24 Notatio Tertia. Tertium eſt raptus, per quem perſona cum violentia abducitur libidinis exercendæ, vel Matrimonii ineundi cauſa. *D. Thom. Molin. ibidem.* Durat hoc impedimentum juxta Trident. quandiu rapta, eſt in poteſtate raptoris, etiamſi liberè conſentiat. Unde libertati reſtitutam ducere poteſt. Probabile tamen eſt Tridentini decreto tantum comprendi raptum, qui ſit cauſa Matrimonii. *Sanch. Laiman.* ibidem.

SECTIO VIII.

De cultûs Diſparitate.

25 NOtatio unica. Quid ſit Cultus Diſparitas? Eſſe diverſitatem Religionis, v. g. inter fidelem, & infidelem. Dirimit Matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum, etiam cathecumenum, idque jure Eccleſiaſtico, non ſcripto. *Bonacin. Konich.*

26 Inter baptizatos verò quamvis diverſæ Religionis non dirimit, quamvis impediat. Unde Matrimonia cum hæreticis, quamvis illicita, ſunt tamen valida. *Buſemb.* loco citato.

SECTIO IX.

De Honeſtate.

27 NOtatio unica. Quid ſit Honeſtas? ℞. Eſſe juſtitiam publicæ honeſtatis, ob quam nemo poteſt contrahere cum conſanguineis illius, cum qua contraxit ſponſalia, vel Matrimonium ratum. Et quidem ante Tridentinum, & jure antiquo hoc impedimentum dirimit Matrimonium inter ſponſum, & conſanguineos ſponſæ uſque ad 4 gradum, oriturque ex ſponſalibus quibuſcumque, etiam invalidis (præterquam ex deffectu conſenſus.) Jure autem novo Tridentini non oritur, ſi ſponſalia ſint invalida; & irritat tantum uſque ad primum gradum, ſi ex ſponſalibus ſequatur: ad quartum verò, ſi ex Matrimonio rato. *Buſemb. citat.*

SECTIO X.

De Affinitate.

28 NOtatio unica. Quid ſit Affinitas? ℞. *Eſt propinquitas perſonarum, quæ oritur ex copula carnali, ſive licita, ſive illicita.* Utraque, ſaltem jure Eccleſiaſtico, dirimit Matrimonium: cum hoc tamen diſcrimine, quod orta ex copula licita dirimit uſque ad quartum gradum incluſive: orta verò ex copula illicita, jure novo Tridentini, uſque ad ſecundum tantùm: & quidem ſi antecedat Matrimonium; nam ſi ſuperveniat, v. g. ſi Titius cognoſcat uxoris ſuæ cognatam in ſecundo gradu, non dirimit; licet is, qui peccavit, non poſſit petere debitum, ſed tantum reddere.

29 Porrò gradus, & lineæ affinitatis accipiuntur, ſicut in conſanguinitate, ita ut qui eſt uxoris conſanguineus in primo gradu, ſive rectæ, ſive tranſverſæ lineæ, is ſit affinis marito in eodem gradu lineæ rectæ, vel tranverſæ. Denique omnis affinitas, quæ oritur ex affinitate, ſublata eſt per Concil. Lateranenſ. *Laim. Bonacin. apud Buſemb. cit.* Ut autem hoc ipſum magis illuceſcat, ponuntur ſequentes lineæ.

AFFINITAS MARITI CUM UXORIS SUÆ COGNATIS.

Maritus eſt

Cum uxoris ſuæ Abavo, Abavia, & ſimiliter cum horum Fratribus, ac Sororibus, in 4. gradu affinitatis.
Cum uxoris ſuæ Proavo, Proavia, & ſimiliter cum horum Fratribus. ac Sororibus in 3.
Cum uxoris ſuæ Avo, Avia, & ſimiliter cum horum Fratribus, ac Sororibus in 2.
Cum uxoris ſuæ Patre, & Matre, & ſimiliter cum horum Fratibus, ac Sororibus in 1.

Deſcendentes.

Cum uxoris ſuæ Fratribus, & Sororibus in 1. Gradu affinitatis. Cum horum liberis in 2. Cum Nepotibus, & Neptibus in 3. Cum Pronepotibus, & Proneptibus in 4.

Aſcendentes.

AFFINITAS UXORIS CUM MARITI SUI COGNATIS.

Uxor

Cum mariti ſui Abavo, Abavia, & ſimiliter cum horum Fratribus, & Sororibus, in 4. gradu affinitatis.
Cum mariti ſui Proavo, Proavia, & ſimiliter cum horum Fratribus, & Sororibus in 3.
Cum mariti ſui Avo, Avia, & ſimiliter cum horum Fratribus, & Sororibus in 2.
Cum mariti ſui Patre, & Matre, & ſimiliter cum horum Fratribus, & Sororibus in 1.

Deſcendentes.

Eſt

Cum mariti ſui Fratribus, & Sororibus in 1. gradu Affinitatis. Cum horum Liberis in 2. Cum Nepotibus, & Neptibus in 3. Cum Pronepotibus, & Proneptibus in 4.

Aſcendentes.

30 Hæc tantum de Matrimonii impedimentis, tum dirimentibus, tum mere impedientibus ex Authoribus viſum eſt tranſcribere: hæc enim, & non plura inſtituto noſtro inſerviunt. Et quidem quoad impedimenta tantum impedientia, nempè vota ſimplicia caſtitatis, & Religionis, diximus lib. 1. à *num.*302. Quo verò ad impedimenta dirimentia dicemus in ſequentibus. Supereſt, ut affinitatis nomina, eorumque ſignificationem apponamus.

NOMI-

NOMINA AFFINITATIS.

Congener.	Con-genro, marido da Irmãa da Mulher.
Connurus.	Con-nora, mulher do Irmaõ do Marido.
Conſocer.	Con-ſogro, homem, que caſa ſua filha com filho de outro.
Fratria.	Cunhada, mulher do Irmaõ.
Gener.	Genro, marido da filha.
Glos.	Cunhada, Irmãa do Marido.
Janitrices.	Cuuhadas, mulheres de dous Irmaõs.
Levir.	Cunhado, Irmaõ do Marido.
Noverca.	Madraſta, mulher do Pay.
Nurus.	Nora, mulher do Filho.
Privigna.	Enteada, filha do marido, ou da mulher.
Privignus.	Enteado, filho da mulher, ou do marido.
Progener.	Segundo genro, ou genro do Avo, marido da Neta.
Pronurus.	Segunda Nora, ou Nora do Avo, mulher do Neto.
Proſocer.	Segundo Sogro, Avo da mulher, ou marido.
Proſocrus magna.	Segunda Sogra, Avo do marido, ou mulher.
Socer.	Sogro, Pay da mulher, ou marido.
Socrus.	Sogra, Mãy do marido, ou mulher.
Sororius.	Cunhado, marido da Irmãa.
Sororum mariti.	Maridos de duas Irmãas.
Vitricus.	Padraſto, Marido da Mãy.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE QUIBUSDAM ALIIS SUPPONENDIS.

AD SEXTAM FACULTATEM PONTIFICIAM, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid de jure poſſint Epiſcopi circà impedimenta Matrimonii dirimentia?

31 NOtatio Unica. An de jure poſſint Epiſcopi diſpenſare ſuper impedimentis matrimonii dirimentibus! ℞. negativè *cum Sanch. de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 6. *á n.* 14. *Caſtrop. de Sponſalib. diſp.* 4. *punct. ultim.* §. 1. *n.* 2. *Leand tract.* 9. *de Matrim. diſp.* 24. *quæſt.* 6. *& multis aliis apud citatos DD. præſertim apud Sanch.* Ratio eſt: quia in lege Superioris nequit inferior diſpenſare: atqui impedimenta matrimonii dirimentia lege

lege Pontificia inducta ſunt: ergó in illis diſpenſare nequit Epiſcopus, utpote inferior Pontifice, niſi ab illo ſpecialem ad id facultatem habeat.

SECTIO II.

Quid poſſint Epiſcopi circa Matrimonium jam contractum cum impedimento occulto?

32 Notatio Unica. An ſaltem poſſint Epiſcopi diſpenſare in impedimentis dirimentibus, Matrimonio jam contracto, quando gravis neceſſitas urget, & eſt periculum in mora, vel impotentia adeundi Pontificem, dummodò Matrimonium ſit publicum, & impedimentum occultum, & ſeparatio fieri nequeat ſine ſcandalo? ℟. affirmativé: Ita paſſim Canoniſtæ, inter quos *Pyrrh. Corr. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 35. §. *At veró De Juſtiſ. lib.* 2. *cap.* 2. *à n.* 119 *Pignat. tom.* 3. *Conſult.* 33. *n.*4. *& Theologi, præſertim Suar. lib:* 6. *de legib: cap.* 14. *n.* 10. *Vaſq.* 1. 2. *diſp.* 178. *n.* 15. *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 40. *n.* 3. *Caſtr. Pal. de ſponſalib. diſp.* 4. *punct. ultim. n.* 7. *Dicaſtil. de Matrim. diſp.* 8. *dub.* 4. *n.* 53. *Salas. de legib. diſp.* 20. *Sect.* 3. *n.* 27. *Laym. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *n.* 4. *Leſſ. de Matrim. n.* 133. *Carden. de Propoſition. Diſſert.* 2. *cap.* 8. *quæſt.* 1. *Coninch. Perez: Hurtad. Tamburin. Gobat; & plures alii, quos refert, & ſequitur Kugler. n.* 2125. *apud Marin tom.* 3. *tract.* 23. *diſp.* 19. *Sect.* 5. *n.* 6.

33 Probatur. 1. quia non debet præſumi Papam velle ſibi reſervare eam diſpenſationem in maxima neceſſitate, quæ excuſare ſolet ab obſervatione legis humanæ. Cap. *Cuanto* - 4. De conſecration - capit. 4. de Reſcript. capit. *Concilium* 2. *circa finem* De obſervat. jejun, in quà ſalus animarum periclitaretur, quod leges vitare debent, cap. *erit autem Diſt.* 4. *Novel. auth.* 6. in princip. ibi: *Imperialis benevolentiæ proprium hoc eſſe, ut omni tempore ſubjectorum commoda tam inveſtigare, quàm eis mederi procuret.* Confirmatur: quia in dictis circumſtantiis obſervatio legis Canonicæ eſt moraliter impoſibilis: ergò præſumendum eſt Papam concedere Epiſcopis diſpenſandi poteſtatem pro eo caſu.

34 Probatur. 2. quià ita habet conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, cap. *cum dilectis*, 8. De conſuet. L. 37. *ff.* De Leg. & habet vim legis, L. 32. & ſeq. eodem, adèo ut *Perez diſp.* 44. *ſect.* 6. *n.* 3. dicat de hac ſententia jam videri certam, poſtquam Papæ conſtat id fieri ab Epiſcopis: quia præſumitur approbare ſuâ taciturnitate; & cùm fere omnes DD. hoc teneant, & publicè doceant, videtur incredibile hoc latere Papam.

35 Probatur 3. quia Papa in tali caſu ſine dubio diſpenſaret, nè animas afflictas remedio deſtitueret: ergo eadem ratione præſumendum eſt non reſervare ſibi jus diſpenſandi. Confirmatur ex *Trid. Seſſ.* 24. de *Reformat. cap.* 5. *ubi* ait: *Faciliùs cum eo, & gratis diſpenſare poterit*: ubi non videtur hanc legem præſcripſiſſe Papæ, qui eſt ſuprà Concilium, ſed Epiſcopis, qui tamen in eo caſu poterunt diſpenſare.

36 Probatur 4. quia quoties duo præcepta concurrunt, minus cedit maiori; ſed hic concurrunt lex Eccleſiæ prohibens Matrimonium;

nium ; & Lex Divina charitatis erga proximum, & in conjugibus lex naturalis tuendi propriam famam, quæ ſine dubio ſunt maiores : ergo.

37 Probatur 5. quia Rota *deciſ.* 262. apud *Fagnan. in cap. Nimis* De jur. Patronat. decidit, Epiſcopos ex cauſa gravis neceſſitatis diſpenſare poſſe in legibus Conciliaribus, & id probat ex cap. *Tali* 17. & cap. *exigunt* 18. 1. *quæſt.* 7. & cap. *expoſuiſti* 23. de Præb. ibi : *Si evidēs utilitas, vel neceſſitas exigat.* 6. rationibus, quas adducimus ſectione ſequenti.

38 Objicies 1. Inferior diſpenſare nequit in lege ſuperioris, nec eam corrigere, immutare, aut interpretari in benigniorem ſenſum, cum hæc omnia ad ſuperiorem ſpectent, ut expreſsè conſtat ex variis utriuſque juris textibus, quos affert *P. Marin. cit. num.* 63. ergo Epiſcopi, cum ſint inferiores Papa, diſpenſare non poſſunt in lege Papæ ſtatuentis impedimenta. ℞. cum eodem *P. Marin* ; ita quidem eſſe de modo ordinario, & extra gravem neceſſitatem, non tamen in caſibus, & circunſtantiis, de quibus eſt quæſtio, cum in eis exigat ſalus, charitas, & juſtitia, ut ab Epiſcopo talis diſpenſatio fiat ex tacita licentia Papæ, & merito præſumpta.

39 Objic. 2. ſi quando Epiſcopis competit jus diſpenſandi in legibus Papæ ; vel Concilii, debet hoc expreſsè concedi à Papa, aut Concilio, ut patet ex *Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. cap* 6. ubi conceditur Epiſcopis in urgentiſſima neceſſitate facultas diſpenſandi in ætatis impedimento. Ideoque nonnulli Epiſcopi petere ſolent expreſſam licentiam diſpenſandi, ut teſtantur *Gobat*, *& Kugler* : ergo ſine hac expreſſa licentia diſpenſare non poſſunt : aliàs ſi eam negligant petere, non poterunt præſumere ſibi tacite concedi.

40 ℞. diſting. anteced. Debet expreſsè concedi, ut poſſint diſpenſare etiam in caſibus ordinariis, ubi non eſt periculum in mora, & daretur acceſſus ad Papam, concedo : ut poſſint diſpenſare pro raris caſibus, ubi eſt periculum in mora, & acceſſus ad Papam difficillimus, nego antecedens, & conſequentiam : & de prima facultate loquitur Tridentinum : facultates enim, quas petierunt Epiſcopi in argumento relati, erant diſpenſandi etiam pro foro externo pro Matrimonio contrahendo, & etiam in caſibus, in quibus non erat periculum in mora ad diſpenſandum enim in raris caſibus, circunſtantiis gravibus, & urgente neceſſitate non eſt neceſſaria expreſſa licentia, cum ſufficiat tacita, quam Epiſcopi habent.

41 Objic. 3. Opinio concedens jus diſpenſandi in dictis circunſtantiis eſt tantum probabilis : ergo non licet ea uti in Sacramento Matrimonii. Declaratur : quia talis opinio eſt obnoxia abuſibus : facile enim Epiſcopi excedent, ſi tanquam judices in propria cauſa poſſent in ſuum favorem interpretari, & facilè diſpenſando prætexerent jus ex conſuetudine cum præjudicio juriſdictionis Papæ : ergo.

42 ℞. in terminis quæſtionis validè, & licitè Mattimonium celebrari ex opinione verè probabili ; cum Matrimonium celebratum ſub vera probabilitate juris ſit certò validum, ut cum *Carden. & Sanch.* probat. *Marin. citat diſp* 9. *ſect.* 7. *à num.* 127.

43 Ad

43 Ad declarationem ℞. maius eſſe periculum exceſſus, quando facultates diſpenſandi expreſsè conceduntur, & tamen concedi ſolent. Neque in noſtro caſu poteſt reſultare inconveniens ex conſuetudine, quia ut conſuetudo præſcribat contra legem, requirit actus frequentatos ex intentione præſcribendi elicitos à populo, publicos, & notorios: & nihil horum verificari poteſt in noſtro caſu. Et cum aliundè juxtá tot Authores Epiſcopi habeant tacitam licentiam, idcircò non eſt opus, ut conſuetudo inducatur.

44 Objic. 4. Pro diſpenſationibus in legibus Conciliaribus requiritur neceſſitas, vel utilitas maxima, graviſſima, & evidens ex cap. *Ab excommunicatis*, cap. *Expoſuiſti*. Et poſtremó ex *Trident. ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 1. ibi: *Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipub. utilitas.* Sed aliqui Authores judicant, ut Epiſcopus poſſit diſpenſare, ſufficere cauſas ſatis leves, v, g. legitimationem prolis natæ ex muliercula paupere: ergo.

45 ℞. allegata jura loqui de diſpenſationibus pro foro externo, & ante Matrimonium contractum, & quando impedimentum eſt publicum: non autem de diſpenſationibus pro foro interno, & poſt Matrimonium contractum, & quando impedimentum eſt occultum: cum ad diſpenſandum in his circunſtantiis leviores cauſæ ſufficiant etiam in Sacra Pœnitenciaria. Unde quamvis legitimatio prolis pauperis poſſit eſſe cauſa levis; aliquando tamen ſufficit, ut fiat diſpenſatio, ſi nimirùm proles illegitima ſemper habenda ſit contemptibilis, & infamis, cum excluſione ab honeſto Matrimonio, officio publico, aut hujuſmodi, quæ ſunt mala graviſſima.

46 Objic. 5. Papa diſpenſare nequit in lege naturali, aut divina, licèt urgeat graviſſima neceſſitas, id eoque nunquam poteſt diſpenſare, ut quis in uxorem ducat matrem ſuam, aut filiam: ſed non ex alio capite, niſi quia Papa eſt inferior Deo, & natura: ergo ſimiliter, quia Epiſcopus eſt inferior Papa, diſpenſare non poteſt in lege Papæ.

47 ℞. permiſſa maiori, de qua videri poteſt *P. Marin. cit. diſp.* 19. *ſect.* 1 negando minorem, ejuſque cauſalem, non enim ideò, non poteſt Papa diſpenſare in lege naturali, aut Divina, quia eſt inferior Deo, & natura, ſed ex aliis capitibus. Unde nec ipſe Deus juxta multos poteſt prdpriè diſpenſare in ulla lege naturæ, & in aliquibus nec impropriè, v. g. in lege npn mentiendi. At verò Epiſcopus, quamvis ſit inferior Papa;,ideò poteſt diſpenſare in ejus lege, quia ab illo habet tacitam licentiam, ut ex dictis conſtat.

48 Nota poſtremò, quod prædicta reſolutio viget 1. tametſi diſpenſandus ſit dives. *Perez, de Matrim. diſp.* 4. *ſect.* 6. *n.* 4. *quem citat, & ſequitur Dian. tract.* 2. *de Diſpenſat. reſol.* 129. *num.* 8. Ratio eſt; quia etiam in divitibus poteſt urgens neceſſitas occurrere ex diſtantia à Papa, & magno incontinentiæ periculo, ut docent *Sanch. & Baſil.* apud *Dian. citat.*

49 Viget 2. etiam quando concurrunt duo impedimenta, ſive etiam plura: *Sanch. Baſil.* & plurimi alii, quos refert, & ſequitur *Dian.* citat. *n.* 9. Ratio eſt 1. quia quan-

quando delegatur alicui facultas diſpenſandi in aliquo ſingulari impedimento, quamvis non poſſit diſpenſare repertis duobus, quatenùs mixtum ſub ſimplici non cõprehẽditur: tamen cùm in noſtro caſu neceſſitas ſit, quæ tollit reſervationem, hinc ſicut tollit reſpectu ſimplicis, ità etiam tollit reſpectu mixti.

50 Ratio eſt 2. quiá ſiquis habeat duo peccata reſervata Papæ, & ſit moraliter impotens adeundi Papam, poterit ab Epiſcopo abſolvi: ergó etiam ſiquis habeat duo impedimenta ſub prædictis circumſtantiis, poterit ab Epiſcopo diſpenſari. *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 40. *n.* 7.

SECTIO III.

Quid poſſint Epiſcopi circà Matrimonium futurum cum impedimento occulto?

51 NOtatio Unica. An poſſit Epiſcopus aliquando diſpenſare in impedimẽto occulto, etiam ante Matrimonium contractũ, cõcurrentibus prædictis cauſis, n. 32. ℞. affirmativè: *Ita Sanch. de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 4 *n.* 8. *Leſſ. in Auctario* verb. *Matrimonium* caſu 6. *Carden. de Propoſit. damnat. Diſſert.* 2. *cap.* 8. *Propoſ.* 1. *quæſt.* 1. *n.*634. & apud eum omnes Theologi, & Juriſperiti, *Caſt. Pal. Valent. Dicaſtil. Reginald. Baſil. Ponce*, & alii, quos citat, & ſequitur *Leander. part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 28. *quæſt.* 8. *Tamburin. lib.* 8. *tract.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 9. *&* 21. *Perez diſp.* 44. *Sect.* 6. *n.* 11. *&* 12. *Hurtad. diſp.* 26. *n.* 7. *Dian. tract.* 2. *de Diſpenſat. Reſol.* 132. *n.* 3. *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. p.* 2. *alleg.* 35. *n.* 5. *Gonçalez Telles in cap.* 6. *de conſanguin. n.* 2. *Gobat. tract.* 9. *n.* 582. *Kugler. p.* 2. *n.* 2134. & alii, quos tacito nomine citat, & ſequitur *Marin. tom.* 3. *diſp.* 19. *ſect.* 5. *n.* 67.

52 Probatur 1. quià Epiſcopus poteſt diſpenſare poſt Matrimonium contractum, urgente neceſſitate, dato periculo in mora, & concurrentibus aliis gravibus cauſis ſupradictis: ſed aliquando hæc eadem omnia, & timor gravium malorum poſſunt concurrere, etiam ante contractum Matrimonium: ergò in tali caſu poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimento occulto. Oſtenditur minor ex *Sanch.* proximè citato *n.* 8. in ſequenti caſu. Accedit mulier manè confeſſura, & reperitur habens impedimentum dirimens, cujus detectio produceret notabilem infamiam, & omnia ſunt jam parata ad nuptias veſperè celebrandas, & tentatis omnibus mediis, nulla evadendi via aperitur: ſed ſuſpicio vehemens orietur alicujus criminis detecti in confeſſione, ſi fœmina velit abſtinere à nuptiis, aut eas differre, dùm Pontificia diſpenſatio obtinetur.

53 Aliud exemplum afferunt *Tamburin. Pignat. Gonçalez*, *&* *Gobat. cit. n* 583. in moribundo, ut ſiquis proximus morti vellet ducere fœminam, quam violavit promiſſo Matrimonio, & per legitimum Matrimonium vult impedire perpetuam infamiam, & alia mala ipſius, & prolis, & interim cognoſcit intercedere aliquod impedimentum. Alios etiam caſus affert *Gobat. tract.* 9. *n.* 264. *&* 570. omninò videndus: in quibus tamen caſibus, & ſimilibus, aiunt hi Authores poſſe Epiſcopos diſpenſare.

54 Probatur 2. quià conſuetu-

do dat jurisdictionem : ſed eſt conſuetudo , quòd in talibus caſibus diſpenſent Epiſcopi : ergò. Maior eſt certa , ex cap. *Cum contingat.* 13. De foro compet. ibi : *Niſi fortè hi , quibus delinquentes ipſi deſerviunt , ex indulgentia , vel conſuetudine ſpeciali juriſdictionem hujuſmodi valeant ſibi vindicare.* Et cap. *Rom. Eccleſia* , 5. De ſent. Excommunicat. in 6. cap. *Duo ſimul* , 9. De Offic. Ordin. cap. 5. eod. in 6. cap. *dudùm* 54. De elect. poſt medium , cap. *Cùm quidam* 2. De except. in 6. Et docent multi apud *Barboſ.* & apud *Carden.* ſuprà n. 172. inter quos *Suar. Pellizar*, & alii conformiter ad *Trid. Seſſ.* 22. de *Reformat* : De jure , ſeu conſuetudine.

55 Oſtenditur minor ex dictis Notatione præcedenti , & præterea ex teſtimonio *Suarii* , *Sanchii* , *Navarri* , & aliorum ſuprà , inter quos *Kugler ex Pyrrho Corrado in praxi Diſpenſation. Apoſtolic. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 41. refert hæc verba : *Nec inter alia me latet , certioratum aliàs de hac re ab Epiſcopo Aſtenſi extitiſſe Cardinalem Cucentinum Protodatarium tunc Siſti V. poſtquàm idem Epiſcopus , urgente ſibi oblatâ cauſa , in caſu propoſito diſpenſaverat : propterea idem Cardinalis , facto priùs verbo cum S. Pontifice , eidem Epiſcopo ſcripſit : ſibi licuiſſe ſic in hujuſmodi caſu diſpenſare , eumque prudenter egiſſe , ſtante aſſerta neceſſitate.* De quo videantur plura apud Carden. ſuprà, vocantem proterea hanc opinionem evidenter certam.

56 Probatur 3. quia poſtquam Matrimonium irritè contractum eſt, poteſt Epiſcopus diſpenſare in caſu extraordinariæ neceſſitatis : ergó etiam , antequam ſit contractum , ſi ſimilis neceſſitas urgeat. Probatur conſequentia : tam difficile , periculoſum , & damnoſum eſt , ſeparare tales ſponſos , né contrahant ; quám ſeparare conjuges purè exiſtimatos poſt contractum Matrimonium : ſed nè ſeparentur conjuges purè exiſtimati , diſpenſari poteſt in Matrimonio contracto : ergò ſimiliter , nè ſeparentur ſponſi , qui ſunt proximè accincti contrahendo. 5. probatur rationibus , quibus probata manet Notatio præcedens.

57 Objicies 1. Epiſcopo conceditur facultas diſpenſandi in impedimento dirimente, præciſè propter graviſſimam neceſſitatem , cui aliter ſuccurri non poteſt : ſed ante Matrimonium contractum ſemper aliter ſuccurri poteſt : ergò. Oſtenditur minor, quià ſi nuptiæ nequeunt differri abſque periculo infamiæ, & manifeſtationis , nihilominùs poterit ſponſa ſequens conſilium *Sanchez* , & aliorum vovere caſtitatem, vel peregrinationem , ſaltem ad unum menſem , vel ad longius tempus , uſque dúm Romæ obtineatur diſpenſatio , & interim excuſare ſe á copula prætextu voti ; vel uti poterit bimeſtri conceſſo ad deliberandum , vel ſimulare ad tempus morbum , quoúſque diſpenſatio impetretur.

58 ℞. negando minorem; ad probationẽ ℞. quòd ſi res morá patiatur, expectãda ſit diſpenſatio. Verùm aliquãdo interveniunt tales circumſtãtiæ, ut nullũ remedium videatur ſufficiens , præter Epiſcopi diſpenſationem : & ſæpè nullum remedium ex aſſignatis in objectione prodeſt ; quia , ut de emiſſione voti caſtitatis ad tempus notant *Dicaſtil. & Gobat. tract.* 9. *n.* 574. cùm hujuſmodi conſilium apud pleroſque Authores

thores non reperiatur, & homines ſint proni ad ſuſpicandum, non eſt facilè utendum tali remedio.

59 De bimeſtri ſimiliter ait *Sporer cit. n.* 669. experientiam docuiſſe, hoc remedium moderno tempore eſſe plerumque difficile, & periculoſæ praxis: ſimiliter ſimulatio morbi ad longius tempus vix ità cautè poterit inſtitui, ut non notetur, aut fiat abſque mendacio. Huculque Authorum conſilia ſcribentium intra Europam, quæ jam vel intrà Europam vix proſunt: ad quid ergò in Braſilia, quæ tàm longè á Roma diſtat, & non niſi per annum, & ampliùs expectabitur diſpenſatio, talia conſilia prodeſſe poterunt.

60 Objic. 2. Sæpè poteſt accidere, ut ad Epiſcopum non detur acceſſus, ſi ille v. g. procul diſtet, aut ſedes vacet: ergo ad Papam recurrendum. Reſpondet *Marin. cit. n.* 71. id contingere per accidens: cæterùm ex natura rei, & regulariter dari acceſſum ad Epiſcopum, ſaltem per literas, ut notat *Gobat.* vel ſaltem dari acceſſum longè faciliorem ad Epiſcopum, quam ad Papam.

61 Prætereà in abſentià Epiſcopi poteſt etiam diſpenſare Vicarius Generalis, ſi Epiſcopus ſpecialiter deleget ipſi, vel in particulari, vel in genere, ut tenent *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 40. *n.* 12. *& ſequentibus Koninch. diſp.* 33. *n.* 33. *Martin.Perez diſp.*44. *Sect.* 7. *n.* 3.*Hurtad. diſp.*26. *n.* 8.*Dian. tract* 2. *de Diſpenſat. Reſol.* 135. *n.*3. *Guittier.cap.* 49. *n.* 584. *Krimer. in lib.* 4.*Decretal. n.* 2055. *& ſequentibus Kugler. part.* 2. 2139.

62 Et verum eſt caſum in objectione figuratum ſæpiſſimè contingere in Braſilia, cùm à civitate Epiſcopali tàm longé diſtent aliqua Oppida, ut nequidem intra ſex menſes recipienda ſit diſpenſatio. Quid igitur in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis? Ad Papamnè recurrendum, ut vult argumentum? Quis ſanæ mentis hoc dicat? Si enim, etiam in recurſu ad Epiſcopum, qui intra propriam Diœceſim exiſtit, tanta eſt temporis dilatio, quanta erit in recurſu ad Papam? Et ſub qua ſpe remedii, urgente neceſſitate? Inutiliter igitur recurſus ad Papam inculcatur, tanquàm congruentius remedium, cum tamen in Braſilia nullum difficilius adhiberi poſſit.

63 Ad id, quod addit de Capitulo, Sede Vacante, ℞. falſum ſupponi: quatenùs in objectione ſupponitur non poſſe Capitulum, Sede Vacante in ejuſmodi impedimentis diſpenſare, eo quidem modo, quo poteſt Epiſcopus. Ratio eſt: quia Capitnlum, Sede Vacante, repræſentat defuncti perſonam, & ſuccedit in omnibus (exceptis caſibus in jure expreſſis) quæ ſunt juriſdictionis ordinariæ, ut cum *Braboſ. diximus lib.* 1. *á n.* 63. poteſtas autem diſpenſandi in prædictis impedimentis eſt Epiſcopo ordinaria, ut latè probat *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *diſp.*40. *à n.* 13. Unde ſequitur, quod ſicut Epiſcopus poteſt hujuſmodi poteſtatem delegare, ut probat *Sanch. ibidem*, ita etiam Capitulum, Sede Vacante, idque ob eandem rationem, videlicet, quià eſt poteſtas ordinaria, ſuppoſita urgente neceſſitate, & concurrentibus prædictis circumſtantiis n. 32.

64 Objic. 3. Ideò Epiſcopus pro Matrimonio jam contracto poteſt diſpenſare, quià Matrimonium ſolvi nequit abſque ſcandalo, vel infamia: ſed ſi Matrimonium non

M ii dùm

dùm ſit contractum, non erit opus ulla diſſolutione: ergò. Confirmatur: quia per talem uſum diſpenſationum pro Matrimoniis contrahendis aperietur quædam janua ad multa Matrimonia fraudulenta: ergó nè aperiatur talis janua &c.

65 ℞. concedendo maiorem: ad minorem ℞. idem ſcandalum ſecuturum, & eandem perturbationem familiæ, & infamiam mulieris, ſi mulier ipſa die, qua nuptiæ celebrandæ ſunt, reſiliret ab ſponſalibus, vel peteret inducias plurium hebdomadarum, ac ſi Matrimonium jam contractum diſſolveretur, ut patet. Ad confirmationem ℞. eam nimis probare: cum etiam probet nec Papam poſſe diſpenſare; quia ſimiliter ex ejus diſpenſationibus poſſet aperiri talis janua, ſi ſponſi velint abuti ejus poteſtate.

66 Objic. 4. Epiſcopus nequit ſolvere Matrimonium, etiam ratum, licèt graviſſimæ cauſæ urgeant, & ſit periculum in morà: nec poteſt diſpenſare in impedimento clandeſtinitatis; quià ab eo nulla neceſſitas excuſat: ergò nec poteſt diſpenſare in impedimento dirimente ante Matrimonium contractum. ℞. negando conſequentiam. Diverſa ratio eſt: quià vix poteſt excogitari talis neceſſitas, aut periculum in morà, ut nequeat recurri ad Papam in re tanti momenti, quantum in antecedenti importatur. Secùs verò in noſtro caſu. Ità *Marin.* citatus.

SECTIO IV.

Quid poſſint Epiſcopi circà Matrimonium cum impedimento occulto, quando intervenit mala fides ex parte unius contrahentis?

67 NOtatio Unica. An etiam in prædictis impedimentis, & ſub prædictis circumſtantiis poſſit Epiſcopus diſpenſare, quando intervenit mala fides ex parte unius tantùm contrahentis? ℞. affirmativè cum *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 40. *n.* 4. *Baſil. Ponce, lib.* 8. *cap.* 13. *n.* 4. *Caſtr. Pal. de ſponſalib. diſp.* 4. *punct. ultimo.* §. 1. *n.* 8. in fine, & plurimis aliis apud ipſos. Ratio eſt 1. quià licet *Tridentinum Seſſ.* 24. *cap.* 5. dicat: *Siquis intrà gradus prohibitos Matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis careat*: nihilominùs id ſtatuit Tridentinum in pœnam audaciæ, ac delicti in Matrimonio contrahendo cum notitia impedimenti dirimentis: atqui pœna non debet comprehendere innocentem: ergò nè peccatum unius conjugis alteri noceat; non ſunt privandi ſpe diſpenſationis ab Epiſcopo obtinendæ; quando unus bona fide contraxit.

68 Ratio eſt 2. quià ſtante bona fide unius tantùm conjugis, Matrimonium cenſetur ab Eccleſia bona fide abſolute contractum, ex cap. *cùm inhibitio* De clandeſt. diſpenſat. ex cap. *ex tenore*, Qui filii ſint legitimi, ubi proles nata ex Matrimonio de ſe nullo cenſetur, & declaratur à Pontifice legitima; eò quòd unus conjugum bonà fide contraxerit: ergò illud Matrimonium,

nium, de quo loquimur, cenſendum eſt abſolutè bona fide contractum: ſed quando Matrimonium fuit bona fide contractum, daturque urgens neceſſitas, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut ſect. præced. probatum manet: ergò etiam, quando fuit contractum bonà fide ex parte unius tantùm contrahentis.

69 Dices tamen: Non conſtat expreſſè de voluntate Pontificis permittentis Epiſcopo, ut in tali caſu diſpenſet: ergò non eſt præſumendus velle favere audaciæ contrahentis mala fide, contra expreſſam Tridentini inſtructionem ſuprà allegatam.

70 Confirmatur primò: quia, ut ait *Tridentinum*, ibi: *Non eſt dignus, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cujus ſalubria præcepta temerè contempſit*: ergò non eſt præſumendum, quòd Pontifex, Eccleſiæ caput, velit tantam in legum ſuarum contemptores benignitatem oſtendere.

71 Confirmatur ſecundò: quià hujuſmodi benignitas vergeret in Eccleſiaſticæ diſciplinæ relaxationem, præberetque peccandi occaſionem: multi enim Matrimonium contraherent cum impedimentis dirimentibus, ea ſpe freti, quòd poſteà ab Epiſcopo faciliùs poſſent diſpenſationem obtinere: ergò.

72 ℞. negando ſuppoſitum conſequentis, quatenùs falſò ſupponitur, quòd Pontifex permittendo, ut in tali caſu Epiſcopus diſpenſet, velit favere audaciæ contrahentis mala fide, ſolùm enim vult, ut per diſpenſationem avertatur, & præcaveantur ſubditorum peccata, & ſcandala, ad quod ſuperior tenetur ex obligatione providendi bono animarum.

73 Ad primam confirmationem ℞. negando conſequentiam: quià, ut inquit *Dicaſtil.* Tridentinum intelligendum eſt pro caſu, in quo diſpenſatio concedenda eſt ex merà benignitate: ait enim Tridentinum: *non eſt dignus, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur*: at verò in caſu quæſtionis diſpenſatio fit, non ex mera benignitate, ſed ex obligatione, quam habet ſuperior providendi bono animarum, avertendi, & præcavendi peccata ſubditorum, eorumque ſcandala.

74 Ad Secundam confirmationem ℞. diſtinguendo antecedens: vergeret in Eccleſiaſticæ diſciplinæ relaxationem, præberetque occaſionem peccandi per accidens, & ex malitia contrahentium, concedo: per ſe, & ex intentione Pontificis permittentis diſpenſationem, nego anteced; & conſequentiam. Neque obſtat, quòd multi Matrimonia contraherent cum impedimentis dirimentibus, eà ſpe freti, quòd poſteà ab Epiſcopo faciliùs poſſent diſpenſationem impetrare: nam id etiam accidere poteſt, quando Epiſcopus ex ſpeciali Pontificis Indulto poteſt diſpenſare, ut poſſunt Germaniæ, & Braſiliæ Epiſcopi; & tamen prædicta Indulta conceduntur.

SECTIO V.

Quid poſſint Epiſcopi circà Matrimonium cum impedimento occulto, etiam quando intervenit mala fides ex parte utriuſque contrahentis?

75 NOtatio Unica: An in prædictis impedimentis, & ſub prædictis circumſtantiis, poſſit Epiſ-

Epiſcopus diſpenſare, etiam quando intervenit mala fides ex parte utriuſque contrahentis? ℞. Quamvis opinio negativa ſit communiſſima; probabilis tamen eſt affirmativa, & tuta in conſcientia, utpotè D. D. & rationibus non deſtituta. Illam enim docuerunt *Alfonſus Moſcozo Epiſcopus Malacitanus in Summ. tract.* 10. *cap.* 29. *n.* 22. *Dicaſtil. tom.* 3. *de Sacram. tract.* 10. *diſp.* 8. *dub.* 4. *n.* 66. *Joannes de Soria in Epilog. Summarum part.* 2. *tract.* 1. *ſect.* 1. *dub.* 10. §. *circà diſpenſationem. Martin de S. Joſeph in Monit. confeſſ. tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 41. *de Matrim. n.* 5. *apud Dian. tract.* 2. *de diſpenſation. Reſol.* 134. *n.* 12. *Et illam probabilem dixerunt Villalob. in Summ. tract.* 14. *Difficult.* 5. *n.* 4. *& Præpoſit. in* 3. *part. quæſt.* 8. *de diſpenſat. Matrim. diſp.* 2. *n.* 12. *Henriq. lib.* 12. *de Matrim. cap.* 3. *n.* 2. *apud Dian. citatum Reſol.* 131. *n.* 2. *Deinde pro illius probabilitate citat Eſcobar tom.* 3. *Theolog. Moral. lib.* 27. *Sect.* 2. *dub.* 172. *n.* 682. *Angel. Sylveſtr. Tabien. Armill. Navarr.* & alios plures, qui de bona fide non meminerunt, ac ſi ipſa non deſideraretur, ut notat *P. Nogueyr. diſp.* 1. *Quæſtion. ſingular. Quæſt.* 35. ubi hanc ſententiam affirmativam expreſſe tenet, additque eam quoque tanquam probabilem docuiſſe in ſuis manuſcriptis Recentiores non paucos. Acceſſit noviſſimè *P. Marin. tom.* 3. *Tract.* 23. *diſp.* 19. *Sect.* 5. *n.* 73.

76 Probatur 1. Quia Epiſcopus poteſt diſpenſare in impedimentis dirimentibus, quando rationabiliter præſumitur voluntas Pontificis permittentis eam poteſtatem diſpenſandi: ſed quamvis Matrimonium fuerit contractum mala fide utriuſque contrahentis, adhuc poteſt rationabiliter præſumi talis voluntas Pontificis: ergò adhuc in tali impedimento poteſt Epiſcopus diſpenſare. Probatur minor: quià ſi aliquid obſtaret, nè talis voluntas præſumeretur, eſſet utique Tridentinum ſect. proxim. allegatum: ſed hoc non obſtat.

77 Oſtenditur hoc: quià Tridentinum non abſtulit à Pontifice poteſtatem diſpenſandi, nec Pontificem obligat ad non diſpenſandum cum prædictis contrahentibus, qui malà fide contraxerunt; cùm Tridentinum non habeat poteſtatem ſuprà Pontificem; imò non aliter, quàm ejus authoritate ſit confirmatum: ergò adhuc poſt Tridentinum poteſt Pontifex Epiſcopo permittere, ut in prædicto caſu diſpenſet: ergò ità præſumendum eſt de facto permittere.

78 Probatur hæc ultima conſequentia: quià in tali caſu conjuges non poſſunt abſque ſcandalo ſeparari, ut ſupponimus, & aliundè ſunt in periculo proximo peccandi, ſi expectandus ſit recurſus ad Papam: atqui Pontifex poteſt Epiſcopo permittere, ut tunc diſpenſet: ergo præſumendum eſt ità de facto permittere, alioquin præſumeretur contrà paternam ipſius Pontificis pietatem, quam habet, & habere debet, ut Paſtor Univerſalis ergà ſuas oves.

79 Probatur 2. reſolutio: quià ſi Tridentinum obſtaret, nec ipſemet Pontifex diſpenſaret: atqui ſcimus Pontificem diſpenſare, etiam quando præceſſit mala fides in contrahentibus: ergó Tridentinum non obſtat. Minor oſtenditur primò: quià Pontifices de facto concedunt

Reli-

Religioſis Societatis JESU in Indiis facultatem diſpenſandi cum Neophytis, qui mala fide contraxerunt, ut conſtat ex Privilegiis Indicis, de quibus infrà. Oſtenditur ſecundò: quià etiàm de facto eam facultatem conceſſit Pius IV. Braſiliæ Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Ordinariis Ultramarinis, Sereniſſimo Portugaliæ Regi ſubjectis, ut habetur in Bulla, quam affert *Themudo tom.* 4. *Decis.* 76. de qua etiam infrà. Oſtenditur tertio: quià frequenter à Sacra Pœnitentiaria expediuntur reſcripta cum poteſtate ad revalidanda Matrimonia cum impedimento occulto ſcienter contracta, ut nobis certò conſtat: ergo Pontifex de facto diſpenſat, etiam quando intervenit mala fides in contrahentibus.

80. Objicies tamen. Opinio, quæ docet validam eſſe Fpiſcopi diſpenſationem in caſu quæſtionis, ad plurimum eſt tenuiter tantùm probabilis, ac proinde exponit fruſtrationi Sacramentum Matrimonii: Sed illicitum eſt ſequi in praxi opinionem tenuiter probabilem, præſertim, quæ exponit fruſtrationi ſacramentum, ut conſtat ex Decreto Innoc. XI. oppoſitum damnantis *Propos*. 3. ergò talis opinio non eſt practicanda. Quòd fruſtrationi exponatur Sacramentum, patet: quià, cùm Eccleſia juxta Trid. cit. reſiſtat ejuſmodi diſpenſationibus, dici nequit, quòd ſuppleat ejus defectum: ergò non datur principium, ex quo certus maneat valor Sacramenti, atque adeò exponitur fruſtrationi.

81 Quòd autem prædicta opinio ſit tenuiter tantùm probabilis, etiam patet. 1. quià procedit contrà expreſſum Tridentini decretum adductum Sect. præcedenti. Patet 2: quià non habet ſolida fundamenta, quæ faciant veram probabilitatem. Patet 3. quià non eſt communiter recepta inter DD. ut probabilis, imò plerique nullam de illius probalitate mentionem faciunt, ſed illam abſolutè rejiciunt. Sic Tamburinus non audet proferre, an in aliquo caſu practicari poſſit, ſed optat, ut id à ſapientibus expenderetur. *Diana* verò, ſic concludit: *An hæc ſententia verè probabilis ſit, remitto me judicio aliorum.* Hoc autem quid eſt, quam de talis opinionis probabilitate dubitare?

82 ℞. negando maiorem quo ad utramque partem: ad ſecundæ partis probationem, ℞. concedendo, quód Eccleſia reſiſtat pro foro exteriori, & non urgente neceſſitate: & negando, quòd reſiſtat pro foro conſcientiæ, & in raris caſibus propter fundamenta hucuſque expenſa: & in hoc ſenſu intelligendum eſt Tridentini decretum, cùm Epiſcopus in ſimilibus caſibus non diſpenſet ex benignitate, ſed potiùs ex obligatione, quam habet ut Paſtor, providendi bono ſuarum ovium, & ſic ſoluta manet prima probationis pars.

83 Ad ſecundam ejuſdem primæ partis probationem. ℞. negando aſſumptum, ut patet ex noſtris probationibus, & præterea ex Moſcoſi fundamentis, quorum præcipua, & quidem efficacia juvat hic apponere in proprio ejus idiomate, ut eiſdem, ne mutato quidem verbo, maior fides adhibeatur. Ait igitur Moſcolo: *Manda Dios, nueſtro Señor, que ninguna perſona mate al proximo: mas ſi un hombre nò puede conſervar ſu vida, ſin quitar la ſuya al proximo propter inculpatam tutelam, Dios per-*

permitte ſe laquite. A eſta ſemejança. Manda el Concilio, que nò ſe diſpenſe con los parientes, que mala fide ſe caſaron; mas ſiendo neceſſaria la diſpenſaſion para el bien, y vida ſpiritual, es mucha razon ſe diſpenſe, y nò porque eſtos mal caſados con mala fé, y engaño, y por ſu gran culpa ſe ayan pueſto en tal mal eſtado, y de ſu parte ſe ayan hecho indignos, y nò mereſcan, que la Igleſia los favoreſca, dexa el Obiſpo como Padre de tener obligacion a los remediar, y amar, y uſar com ellos de miſericordia en eſtado tan miſerable, y digno de ſer favorecidos, diſpenſando con ellos para ſacarlos de aquella miſeria, como lo eſtà qualquiera a uſar de caridad, y miſericordia con el, que eſtà en extrema neceſſidad; aunque ſea por haver diſſipado ſus bienes en grandes maldades: ò como deſeſperado ſe aya echado en una balſa de agua a abogarſe, ò un lazo a la garganta para aborcarſe, pudiendo remediar a eſtas extremas neceſſidades: quien duda el haver obligacion a ello con ley de caridad, uſando de miſericordia con el miſerable? Ità *Moſcoſo apud Dian. tract. 1. de diſpenſation. Reſol.* 131.

84 Ad tertiam probationem ℞. negando, quòd dicta opinio non ſit communiter recepta inter DD. cùm tot DD. eam ſequantur, quos ſuprà allegavimus. Imò pro hac opinione allegari etiam poterant Tamburinus, & Diana: hic quatenus circa probabilitatem hujus opinionis ſe remittit judicio aliorum, multi autem DD. eam jam judicant probabilem: ille veró, quatenùs optabat, ut talis opinio á Doctoribus expenderetur; ea verò ſatis jam à Doctoribus expenſa eſt apud *Dicaſt.* & *Nogueyr citatos.*

85 Quarè cùm hæc opinio jam ſit verè probabilis; ut ex dictis cōſtat, & deinde cum illa etiam conjungatur aliud principium, ex quo certus manet valor Sacramenti; ideó talis opinio non procedit contra Decretum Innocent. XI. quòd juxtà Doctores ſolùm loquitur, quādo cum opinione probabili non conjūgitur aliud principium, ex quo certus maneat valor Sacramenti. Jam vero principium, quocum conjungitur dicta opinio, eſt hoc. Quoties in Eccleſia datur conſuetudo judicandi pro valore Matrimonii, certum eſt juxtà Doctores communiter, quod eadem Eccleſia in iis, quæ dependent ex ipſius diſpoſitione, ſuppleat defectum, ſiquis fuerit: ſed antiquiſſima eſt in Eccleſia conſuetudo, quod Matrimonium celebratum ex opinione probabili, validum judicetur, ut teſtatur, & multis probat *P. Carden.* in explicatione Propoſitionis in prædicto Decreto damnatæ. *Diſſert.* 2. *cap.* 8. *n.* 540. Ergò ex hac conſuetudine conſtat Eccleſiam in caſu quæſtionis ſupplere defectū, ſiquis fuerit, ac proindé certum manere valorem Sacramenti.

86 Tandem pro complemento hujus, & præcedentis Sectionis; advertendum cum *Perez*, *Dian. Dicaſtil*, *&* aliis, quos tacito nomine citat, & ſequitur idem *Dicaſtil. tom.* 3. *tract.* 10. *de Matrim. diſp.* 8. *dubitat.* 4. *n.* 68. quód tunc dicenda ſit mala fides, quando ſponſi, qui contrahere volunt, non ſolùm ſciunt ſe habere impedimentum, ſed etiam ſciunt tale impedimentum eſſe dirimens Matrimonium. Unde cenſenda non eſt mala fides ex eo præciſe, quod procedat

cedat ex lata culpa, & ignorantia culpabili: quia Tridentinum citatum expreſsè requirit: *ut ſcienter præſumatur*: at non verè dicitur ſcienter facere, qui ex ignorantia craſſa facit; ſed dolus requiritur. Solum igitur cenſebitur mala fides, quando ignorantia eſt adeò craſſa, ut ea uti ingens ſit temeritas, quia tunc dolo æquiparabitur. Ita præcitati DD.

SECTIO VI.

Quid poſſint Epiſcopi circa Matrimonium, quando impedimentum eſt publicum?

87 NOtatio unica. An verò aliquando poſſit Epiſcopus diſpenſare etiam pro foro externo, & quando impedimentum eſt publicum, occurrentibus tamen graviſſimis cauſis, & in caſu valdè raro? Hoc opus, hic labor eſt. Nihilominùs ſententiam affirmativam ſecutus eſt expreſsè, & nervosè probavit in cujuſdam caſus particularis reſolutione *Pignatel. tom.* 3. *conſultat.* 33. Deinde eam tenent expreſsè *Leand. de Matrim. tract.* 9. *diſp.* 24. *quæſt.* 9. §. *Reſpondeo tamen* 2. *Eſcobar in Theol. Moral. tom.* 3. *lib.* 27. *ſect.* 2. *de Impediment. dub.* 174. *a num.* 691. *& La Croix lib.* 6. *part.* 3. *num.* 835. habet ſequentia in fine. *Addunt aliqui cum Perez, Gobat num.* 580. 190. *& aliis apud Kugler num.* 2125. ſub. finem: *Quamvis impedimentum eſſet publicè notum, ſi tamen ſeparatio fieri non poſſet ſine gravi damno, poſſe Epiſcopum diſpenſare, uti & tum, ſi ob paupertatem nequeat adiri Papa, vel dari expenſæ pro diſpenſatione, & tamen ſeparari non poſſint ſine infamia, vel ingenti difficultate.*

88 Inclinat *Baſilius Ponce lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 5. quatenus dicit, ibi: *Limita etiam, ut talis Epiſcopi diſpenſatio tantumodò ſit pro interiori foro, ut docet Henriq. lib.* 12. *de Matrim. num.* 2. *Quamvis de hac limitatione dubito, cum conſidero rationes, quibus nititur facultas diſpenſandi in his caſibus (Urgentiſſimæ neceſſitatis.)* Favet etiam *Torrecil. in Exam. Epiſcop. tract.* 1. *quæſt.* 4. *ſect.* 2. *defficult.* 7. *n.* 65. *qui n.* 74. *vocat hanc opinionem Leandri ab intrinſeco probabiliorem oppoſita, Dian tract.* 2. *de Diſpenſat. reſolut.* 134. *à n.* 13. quamvis poſt fundamenta *Leandri* ibi relata, dicat: *Sè talia fundamenta ſecundum mentem ſupradictorum doctorum dicta eſſe velle*; ea tamen non impugnat, ſed ab impugnatione abſtinet, & indifferenter ſe gerit: abſtinere autem ab impugnatione, & indifferenter ſe gerere, non eſt negare. Et in hoc ſenſu *Dian.* ſe remittit., adeoque videtur ſubſcribere *P. Marin. tom.* 3. *tract.* 23. *diſp.* 19. *ſect.* 5. *num.* 72. §. *An aliquando.*

89 Fundamenta, quæ pro hac ſententia affert *Leander*, ſunt hæc. Primum: quia ea ſola, aut præcipua de cauſa poteſt Epiſcopus in dicto eventu diſpenſare in impedimentis occultis, & pro foro interno, quia videlicet ob urgentem diſpenſandi neceſſitatem præſumitur à Summo Pontifice facultatem habere, ut docent *Sanch. Baſil.* & alii Doctores *quæſt.* 7. *&* 8. pro nobis relati: ergo ſi detur caſus, in quo urgeat neceſſitas magna, etiam in impedimentis publicis, & pro foro externo diſpenſandi, cenſeri etiam debet habere eamdem facultatem à Summo Pontifice ad diſ-

penſandum in illis: nam utrobique currit eadem ratio.

90 Secundum fundamentum: quia dato caſu præaſſignato (urgentiſſimæ neceſſitatis) Romanus Pontifex id verè concederet ob animarum ſalutem, ſi de eo requiſitus eſſet: ergo. An autem de facto poſſit occurrere caſus, cujus magna neceſſitas urgeat Epiſcopum ad diſpenſandum in aliquo impedimento publico, videant ipſi. Mihi, etſi defficilè accidere poſſe videatur, non tamen impoſſibile, ut ex dictis facilè colligi poteſt. Hæc *Leander*.

91 Verùm hæc fundamenta, quamvis efficacia, præferenda non ſunt iis, quæ Notationibus præcedentibus adduximus ex *Pignatel*, & *P. Marin.* præcitatis locis. Unde ſi quando neceſſitas cogat ejuſmodi ſententiam practicare; caſu, & non aliter, quo de facto detur neceſſitas maxima diſpenſandi, & non pateat aditus ad Pontificem: aut ſi pateat, detur periculum magnum in mora, ut notat *Leander*, tunc ſtabiliri poterit hæc opinio, & roborari, deſumptis rationibus ex Notationibus præcedentibus, ubi ſententiam pro foro interno latè probavimus.

92 Deinde pro maiori eiuſdem opinionis firmitate: Notetur 1. quod, ut docet *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 40. *num.* 8. in fine, ibi: *Quando notabile proximi damnum imminet, licitum eſt omiſſa fere certa opinione, eam amplecti, quæ ſpeciem aliquam probabilitatis habeat. Et eodem lib.* 2. *diſp.* 36. *num.* 8. docuerat. *Quod aliàs non judicaretur probabile, facit tale eſſe urgens neceſſitas, & periculum, quod ex oppoſito ſequeretur.* Unde prædicta ſententia, ſi urgeat neceſſitas maxima, redditur verè probabilis tum ab extrinſeco, propter authoritatem Doctorum, qui eam tractant ex profeſſo, & propter eorum, qui eam ſequuntur: tum ab intrinſeco propter rationes, quibus comprobatur; cum ut jam notavimus ex *Torrecil.* ſententia hæc ab intrinſeco ſit probabilior oppoſita.

93 Notetur. 2. Matrimonium celebratum ſub opinione verè probabili non eſſe dubii, ſed certi valoris, uti ex quodam reſponſo Urban. VIII. inferunt *P. Viva in Expoſit.* 1. *Theſis ab Innocencio XI. damnatæ n.* 29. §. *confirmatur*; & *P. Marin. tom.* 3. *tract.* 23. *diſp.* 9. *ſect.* 7. *n.* 127. Rogatus enim Urbanus à PP. Societ. Jeſu, ut in dubiis quæ circa Indorum Matrimonia occurrebant, diſpenſare dignaretur, reſpondit: *Non eſſe opus diſpenſatione ſua, ſed ſatis eſſe in talibus dubiis ſequi opiniones favorabiliores Matrimonio. Card. in criſi Theolog. diſert* 2, *cap.* 8. *art.* 5. *num.* 553. Si autem Matrimonia celebrata juxta opiniones favorabiliores Indis eſſent dubii, & non certi valoris, non bene dixiſſet Pontifex, quod poſſent celebrari juxta illas.

94 Tandem argumenta, quibus impugnatur hæc ſententia, ſunt eadem, quæ propoſuimus adverſus ſententiam de poteſtate diſpenſandi pro foro interiori. His autem abunde ſatisfecimus Notationibus ſuperioribus, ideoque, ne actum agamus, eorum repetitione ſuperſedemus. Quare ſi opus ſit, videantur ſolutiones ibi factæ.

SEC-

SECTIO VII.

Quid poſſint Epiſcopi circa Matrimonium cum impedimento criminis?

95 NOtatio Unica. An doctrina tradita in Notationibus præcedentibus extendatur etiam ad impedimenta, quæ gradibus non conſtant, ut crimen, de quo diximus, quid ſit n. 22. ℞. affirmativè. Ratio eſt 1. quià impedimentum criminis non eſt maius, imò minus, quám impedimentum affinitatis, quòd Titius contraxit ex copulà illicità cùm matre, vel ſorore Bertæ, quam poſteá in uxorem duxit: & tamen Doctores loquuntur in terminis illius ſecundi caſus, & ſub ejus hypotheſi affirmant adhuc poſſe Epiſcopos diſpenſare, concurrentibus circumſtantiis ſupradictis n.23. ergò idem affirmandum de impedimento criminis.

96 Ratio eſt 2. quià doctrina tradita in præcedentibus Notationibus intelligitur de omnibus impedímentis jure humano inductis, & diſpenſabilibus à Pontifice, de cujus tacita licentia diſpenſat Epiſcopus, quando diſpenſat modo dicto; ſed impedimentum criminis eſt jure humano inductum, & à Pontifice diſpenſabile, ut nemo negabit: ergò neque negare poterit, quòd doctrina tradita in Notationibus præcedentibus extendatur etiam ad impedimenta, quæ gradibus non conſtant, ut crimen. Et itá expreſſe habet *P. Nogueyr. Quæſt. ſingul. diſp.* 1. *quæſt.* 35. *ubi* conſultus de poteſtate diſpenſandi in impedimento criminis, quo contractum fuerat quodam Matrimonium, non dubitavit de ſpecie impedimenti, ſed ſolúm de mala fide, quà prædictum Matrimonium initum fuerat. Vide illum loco citato.

97 Dices tamen cum *P. Lacroix. lib.* 6. *part.* 3. *n.* 837. In impedimento criminis, ſecuto per machinationem homicidio, non poteſt Epiſcopus diſpenſare modo dicto: ergò. Antecedens probatur: quià in facultatibus ordinariis Nuncii, & extraordinariis Epiſcopi ſic expreſſè habetur. *Diſpenſandi ſuper impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac reſtituendi jus petendi debitum amiſſum.* Ex quibus ultimis verbis patet, quód etiam de Matrimoniis jam contractis ſermo ſit: ergò cùm circa Matrimonia jam contracta non habeant Epiſcopi poteſtatem, niſi tacitam ex conceſſione Papæ, & Papa hic non taceat, ſed potiùs dicat expreſſé, quòd ſi alteruter conjugum machinatus ſit, non poſſit Epiſcopus diſpenſare; hinc videtur, quòd in impedimẽto criminis, ſecuto per machinationem homicidio, nompoſſit Epiſcopus diſpenſare.

98 ℞. negando antecedens. Ad probationem ℞. ex allegatis verbis Indulti Pontificii ſolúm inferri, quòd non poſſint Epiſcopi diſpenſare in impedimento criminis, quãtùm ex allegatis Indultis, & illorum vi: non autem infertur, quòd non poſſint ex jure communi, in caſu valdè raro, & urgente neceſſitate juxta ſenſum quæſtionis: cùm de hoc taceat Pontifex, nec ad hoc attendat in Indulto particulari, quod ſcilicet ad caſus frequentes, & pro foro externo concedit.

99 Unde cùm Pontifex in talibus Indultis ſolùm loquatur attentis gratiis ſpecialibus, quas tunc facit, & non attento jure communi; ideò in ipſis Indultis non reſtringit

poteſtatem, qualem habeant Epiſcopi de jure communi, in caſibus raris, & urgente neceſſitate: ſed ipſammet poteſtatem relinquens in ſuo vigore, mentem ſuam exprimit de poteſtate extraordinariá, quâ tunc concedit, & non aliter. Unde nihil concludit argumentum.

SECTIO VIII.

Conſectaria ad præcedentes Notationes.

100 CONſectarium primum. Univerſaliter loquendo tunc cenſetur eſſe neceſſitas, in quà diſpenſare poſſit Epiſcopus, quandò conjuges etiam divites nequeunt abſque gravi incommodo, vel ſcandalo ſeparari; ſi autem maneant conjuncti, donec Papa, vel ejus Delegatus diſpenſet, verſabuntur in periculo incontinentiæ. Ita Authores aliqui apud *Kugler*. Tum autem cenſetur non poſſe adire Papam, vel ejus Delegatum, quando obſtat eorum paupertas. Ita cum *Gobat. Lacroix. lib. 6. part. 3. n.* 836.

101 Conſectarium Secundum. Ut Papa, vel ejus Delegatus dicatur diſtare, ita ut ob eorum diſtantiam poſſit Epiſcopus diſpenſare in caſu urgẽtis neceſſitatis, ſufficit ſpatium duorum menſium in itinere conſumendum, ſi ad Papam, vel ejus Delegatum recurrendum eſſet pro diſpenſatione. Fundamentum eſt: quià ſi fœmina ſit proxima nuptiis celebrandis, & deinde reperiatur habere impedimentum dirimens, dicunt aliqui, quòd caſtitatem, vel peregrinationem voveat, alii, quòd morbum fingat ad tempus, alii veró, quòd bimeſtri utatur veluti ad deliberandum, donec diſpenſatio à Papa, vel ejus Delegato obtineatur: ergò ad exemplum bimeſtris, quod aliqui aſſignant pro termino diſpenſationis Papalis expectandæ; rectè deducimus, quòd ut Epiſcopus diſpenſare poſſit in caſu urgentis neceſſitatis, ſufficiat ſpatium duorum menſium in itinere conſumendum, ſi ad Papam, vel ejus Delegatum recurrendum eſſet pro diſpenſatione.

102 Conſectarium Tertium. Canon. 22. Concil. Milevitani, præſente D. Auguſtino, cautum fuit, ut propter tranſmarinæ peregrinationis difficultates, in Africá finirentur cauſæ Eccleſiaſticæ (quòd etiam nunc obſervatur in Sardiniæ Regnò) ibique judices vice Pontificiá fungerentur, adeò ut opus non eſſet, imò quodammodò prohibitum videretur Romam appellare: non quià præſumerent Patres Africani Pontificiam juriſdictionem proprio ſibi jure vindicare; quis enim Catholicus hoc attentare auſus eſſet? Sed quià ob navigationis pericula exiſtimabant, ſe in ſuâ Provinciâ Pontificis vices gerere meritó poſſe, ac debere. *Pignatel. tom.* 3. *Conſult.* 33. *n.* 9.

103 Conſectarium Quartũ. Compara modò diſtantiam à Roma, & navigationis pericula inter partem illam Africæ, quæ Italiam ſpectat, & inter Braſiliam, aliaſque regiones ultramarinas; ut indè reſolvas, an diſpenſationes in Braſilia, & aliis regionibus ultramarinis benigniores eſſe debeant in caſibus urgentis neceſſitatis? Nam ſi Patres Africani partem illam Africæ, quæ Italiam reſpicit, ità á Roma diſtare judicarunt (cum tamen inter utramque vix mediterraneum intercedat) ut uniformiter ſtatuerint poſſe in Africa cauſas Eccleſiaſticas terminari, quid, ſi in Braſilia, aliiſvè

vè regionibus ultramarinis conciliū coegiſſent? Statuiſſent utique leviores debere eſſe ſcrupulos, quàm eſſe video, diſpenſandi in caſibus urgentis neceſſitatis ob diſtantiam à Papa: idque quamvis neceſſitas in prædictis partibus non eſſet aliunde tam urgens, quam olim in parte illa Africæ, quæ Italiam ſpectat: cùm neceſſitas etiam creſcat, & fiat urgentior, quo plùs regiones à Româ diſtant, & maior eſt impotentia moralis adeundi Papam.

104 Conſectarium Quintum: Epiſcopus non tenetur diſpenſationem à Papa procurare, nec expenſas facere pro ejus impetratione Romæ negotianda; quamvis diſpenſandus ſit pauper contra *Vaſq.* 1. 2. *diſp.* 178. *n.* 16. Fundamentum eſt: quià ex nulla lege conſtat Epiſcopum ad id obligari: imò potiùs ex multis legibus conſtat, ut hactenùs vidimus, poſſe in ſimilibus caſibus diſpenſare, urgente neceſſitate ob diſtantiam à Papa. Poſſunt igitur reditus Epiſcopi in rebus melioribus, aut ſaltem æquè bonis, & neceſſariis conſumi: ipſe verò Epiſcopus diſpẽſare ob pauperiem partium, etiam cùm ipſe eam paupertatem ſupplere poſſit, & ita habet praxis, & ſentiunt cum communi DD. *Salas*, *Sanch.* & *Dian.* *tr.* 2. *de Diſpenſat. Reſol.* 28. *n.* 2.

105 Conſectarium Sextum: Quando impedimenta ſunt occulta, & pro foro conſcientiæ tantùm; etiam diſpenſationes ab Epiſcopo fieri debent occultè, & pro foro conſcientiæ, eo prorſùs modo, quo docet *Sanch. lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 6. *n.* 27. per hæc verba: *Cum autem poteſtas hæc diſpenſandi Epiſcopo conceſſa ſit pro ſolo conſcientiæ foro, non eſt facienda publicè* (*diſpenſatio*) *cum Notario, & teſtibus, nec explicari debent nomina eorum, cum quibus diſpenſatur, nè impedimentum fiat publicum, ſed tacitis eorum nominibus debent expediri litteræ, ut expediuntur litteræ in Sacra Pœnitentiaria pro conſcientiæ foro conceſſæ: vel abſque litteris debet mitti diſpenſatio Confeſſario, vel partibus eà indigentibus. Ità Sanch. citatus.*

DISPUTATIO TERTIA.

DE ULTIMIS SUPPONENDIS.

AD SEXTAM FACULTATEM PONTIFICIAM, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Proponitur Bulla Pii IV.

106 Duabus proximis Diſputationibus vidimus, quid de jure poſſint Epiſcopi circà impedimenta matrimonii dirimentia: videndum modò in particulari, quid ulteriùs poſſint Braſiliæ Epiſcopi ex quadam Bullà Pontificià à felicis recordationis Pio IV. expedita. Nam præter Indulta Apoſtolica, quæ Braſiliæ Epiſcopis ad decennium conceduntur, de quibus infrà: extat

tat etiam Bulla Pontificia, quæ à Pio IV. dimanavit, in quà varia privilegia continentur, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum ordinariis Ultramarinis, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubjectis, conceſſa. Habetur in lib. Regii Tribunalis, vulgò *Meſa da Conſciencia*: ubi omnia Brevia, & Privilegia Pōtificia, quæ Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios locorum ordinarios Ultramarinos, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubditos concernunt, accuratè notantur, ut teſtatur *Themudo tom.* 4. *Deciſ.* 76. *n.* 5. in fine, ubi ait, ſe manu propria Bullam Pii IV. fideliter tranſcripſiſſe ex Libro Menſæ Conſcientiæ. Sunt præterea Noſtratum teſtimonia, qui in manuſcriptis ejuſdem Bullæ mentionem faciunt: quam & Ego manuſcriptam in Archivo Collegii Fluminenſis, cùm ejuſdem Collegii Rectorem agerem, hiſce oculis vidi. Hac inſuper eádem Bulla uſus eſt ætate noſtrá, poſtquàm Facultatum Papalium ſibi ſpecialiter conceſſarum finitum fuerat decennium, cùm earumdem facultatum renovatam conceſſionem, quæ Romà ventura erat, quotidiè expectaret Excellentiſſimus, & Reverendiſſimus D. D. Aloyſius Alvares de Figueiredo, Archiepiſcopus Bahienſis meritiſſimus, vir alioquin doctiſſimus, & anteà in Diœceſi Bracharenſi per longum tempus in cauſis Canonicis verſatiſſimus: qui de hac ipſá praxi, & Bullæ uſu, quem refero, Excellentiſſimum, & Reverendiſſimum D. D. Fr. Antonium à Guadalupe, digniſſimum Epiſcopum Fluminenſem, per literas ſuas certiorem fecit, prout iſte mihi narravit, & ingenuè faſſus eſt ex cauſá.

107 Quo ad Bullæ expeditionem res ita ſe habuit. Cùm regnaret Sereniſſimus, ac Potentiſſimus Portugalliæ, & Algarbiorum Rex, immortalis memoriæ Sebaſtianus, tunc Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii locorum Ordinarii Ultramarini, Inſularum ſcilicet eidem Regi ſubditarum, Braſiliæ, & Indiæ Orientalis, enixè ab eo ſupplicarunt, ut pro bono ſpirituali animarum in præfatis partibus, & præſertim pro tollēdis omnino ſcrupulis in Matrimoniis jam contractis, aut in poſterum contrahendis, authoritatē Regiam interponeret, & gratiam aliquam Pontificiam impetraret. Id autem, ut tàm juſtis precibus annueret, impetrare curavit Piiſſimus Rex, & ad ejus inſtantiam, Pio IV. Summo Pontifice, prodiit Bulla Apoſtolica tenoris Sequentis.

PIUS PAPA IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

In ſupereminentis Apoſtolicæ Sedis ſpecula meritis licèt imparibus, diſponente Domino, gregem Dominicum noſtræ curæ commiſſum ad vitam lucis æternæ, ſublatis quibuslibet obſtaculis, quantum cum Domino poſſumus, perducere die, noctuque meditantes, ut id facilius aſſequamur: Venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorum, præſertim à Curia Romana longa terrarum, mariumque intercapedine diſtantium, creditæ nobis poteſtatis authoritatem in his, quæ chriſti fidelium animarum ſalutem concernunt, nonnunquam, & præcipuè Catholicorum Regum vota id expoſcunt, favorabiliter impertimur, & ſcandalis, animarumque periculis obviantes in his remotiſſimis Orbis partibus teneros novæ plan-

plantationis palmites ſuæ manſuetudinis imbre irrigamus: ac aliás illorum infirmitati providemus prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane pro parte Clariſſimi Filii noſtri Sebaſtiani Portugalliæ, & Algarbiorum Regis illuſtris nuper nobis petitio continebat: quod in Inſulis, & partibus Braſiliæ, & Indiæ Orientalis ſuo temporali dominio ſubjectis, prout ſibi ex illarum Prælatorum relatione innotuit, multæ perſonæ tàm Eccleſiaſticæ, quàm Sæculares, partim ob ignorantiam juris, partim ex ſuis delictis, in diverſas excommunicationis, & ſuſpenſionis, aliaſque ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas frequenter incidunt, & irregularitatem contrahunt, quæ ob longam partium illarum à dicta Curia diſtantiam, periculoſamque navigationem ad Sedem ipſam pro abſolutionibus, & diſpenſationibus neceſſariis obtinendis facilè accedere, vel aliàs tranſmittere nequeunt: ac proptereà plurimos ſententiis hujuſmodi ligatos ab humanis diſcedere contingat in animarum ſuarum periculum, & ſcandalum plurimorum. Quarè dictus Sebaſtianus nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenùs locorum, perſonarumque qualitates in hac parte conſiderantes, animarum ſaluti fidelium conſulere, ac aliùs in præmiſſis opportuné providere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur, qui inconvenientibus, & ſcandalis, animarumque periculis, prout nobis ex alto conceditur, paterna benignitate libenter obviamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, univerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum eorumdem Ordinariis, præſentibus, & futuris, quòd ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios ad id per eos pro tempore deputandos quaſcũque tàm Eccleſiaſticas, etiam cujuſvis Ordinis Regulares, quàm etiam Sæculares perſonas partium præfatarum, quæ in quaſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis, aliaſque ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ſuper quibus eadem Sedes veniret conſulenda, quavis de cauſá pro tempore inciderent, ab hujuſmodi ſententiis, cenſuris, & pœnis, ac quibuſvis earum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumlibet gravibus, & enormibus, dictæ Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis (præterquam conſpirationis in perſonam, vel ſtatum noſtri, & pro tempore Romani Pontificis, aut alicujus ex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, injectionis manuum violentarum in Epiſcopos, vel alios Prælatos, presbytericidii, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad infideles, ac falſificationis literarum Apoſtolicarum) de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, injuncta tamen eiſdem pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, ac in foro conſcientiæ dumtaxát, in contentis, videlicet in dicta Bullá, ſemel in vità cujuſlibet perſonæ, & in mortis articulo, in aliis verò reſervatis caſibus, quoties ei videbitur, Apoſtolica authoritate abſolvere: ac cum eiſdem perſonis ſuper irregularitate per eos quavis de cauſá, non tamen homicidii voluntarii, aliàs quam in bello contrà infideles perpetrati, aut bigamiæ occaſione pro tempore contractá. Quòdque præmiſſis non obſtantibus ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratùs Ordines promoveri,

moveri, ſeu eiſdem Ordinibus jam ſuſceptis uti, & in illis etiam in altaris miniſterio miniſtrare: necnon quæcumque, quodcumque, & qualiacumque cum curá, & ſine curá, aliàs tamen ſe invicem compatibilia, aut compatientia Beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi Canonicatus, & Præbendæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia, ac dignitates ipſæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, poſt pontificales maiores, ſeu Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales fuerint, & ad dignitates, & perſonatus, adminiſtrationes, vel officia hujuſmodi conſueverint, qui per electionem aſſumi, illiſque cura emineat animarum, ſi tibi aliàs canonicé conferantur, aut eligatur, præſentetur, vel aliàs aſſumatur ad ea, & inſtituatur in eis recipere, & retinere. Necnon quibuſvis earumdem partium perſonis quarto ſimplici, aut tertio, & quarto mixtim, ſive etiam multiplici conſáguinitatis, & affinitatis gradibus invicẽ conjũctis, aut publicæ honeſtatis juſtitia quomodolibet impeditis, ſeu qui antea per adulterium ſe polluerint, dummodò in mortem defuncti quidquam machinati non fuerint, vel in contractis per eos ſcienter, vel ignoranter Matrimoniis, ſi carnali copula ex indè ſubſequutá conſumata fuerint, remanere, ſeu illa de novo contrahere, & in facie Eccleſiæ ſolemniſare poſſint, eádem authoritate, gratis tamen, & ſine aliquo quæſtu diſpenſare, prolem ex inde ſuſceptam, & ſuſcipiendam legitimam declarando; ac omnem inhabilitatis, & infamiæ maculam, ſive notam à perſonis Eccleſiaſticis per eas præmiſſorum occaſione contractam penitùs abolere, ipſaſque in priſtinum ſtatum reſtituere, reponere, & plenarié redintegrare, liberé, & licité valeant, plenam, & liberam eàdem authoritate tenore præſentium perpetuó concedimus facultatem, & indulgemus. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus, & Conciliis, edictis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 28. Januarii. 1561. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

SECTIO II.

De poteſtate, ſeu Juriſdictione in proxima Bulla Pii IV. contentaquoad Capitulũ, Sede Vacãte.

108 NOtatio Unica. An poteſtas, ſeu Juriſdictio in proxima Bulla Pii IV. contenta, & DD. Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis Ultramarinis, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubjectis commiſſa, tranſeat in Capitulum, Sede Vacante? Præſens dubium olim Bahiæ excitatum fuit, poſteà Ulyſſipone diſcuſum, & à Sapientiſſimo Doctore *Themudo deciſum*, cujus ſententiam affirmativam tres Societatis JESU Doctores in Collegio D. Antonii Magni commorantes approbarunt, & ſecuti ſunt, videlicet, *R. P. M. Ludovicus Rodrigues R. P. M. Martinus Leytam*, *& R. P. M. Matheus de Figueyredo*, ut refert idem *Themudo tom.* 4. *Deciſ.* 76. *à n.* 18. Ejuſdem opinionis fuerat Doctor *Ludovicus Pinto Carneyro*, Sedis Bahienſis Decanus, vir pietate conſpicuus, & rebus Canonicis ità verſatus, ut pro hac parte

te ſufficeret ejus authoritas, ut ait *Themudo citatus n.*3. Conſenſerant præterea Sapientiſſimi Magiſtri Societatis JESU, qui Bahiæ exiſtebant, cùm primò ortum eſt dubium, *Themud.cit.n.*4. His indubitanter adhæreo, & reſolutionem ex *Hhemudi* fundamentis, ejuſque rationibus verbo ad verbum translatis, ſic oſtendo, ſeu potius refero, ut ei non ſolùm deciſio affirmativa, verùm etiam probandi modus debeatur.

109 *Probatur igitur primò: quia in jure Canonicô notum eſt illud axioma, quòd Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu poteſt omnia, quæ Summus Pontifex in Orbe, exceptis ſpecialiter reſervatis, ut præter alios docet Sanch. de Matrimon. lib.* 1. *diſp.* 60. *n.* 3. *& lib.* 8. *diſp.* 9. *n.* 3. *P. Suares. tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 25. *Sect.* 1. *n.* 13. *& de legibus lib.* 6. *cap.* 14. *n.* 6. *Dian. tom.* 8. *tract.* 4. *reſol.* 8. *à n.*1. *ſed cùm Summus Pontifex hanc reſervationem tollat in hoc Brevi ob cauſas in illo expreſſas ad inſtantiam D. Regis Sebaſtiani, remanet diſpoſitio juris Canonici, ſecundùm quod poſſunt Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus omnia, quæ Summus Pontifex in toto Orbe ad effectum illius gubernationis, ac per conſequens tranſit in Capitulum Sedis Vacantis, tamquàm poteſtas, & juriſdictio Ordinaria ipſius Epiſcopi, in quâ ſuccedit Capitulum.*

110 *Secundò: quia juriſdictio competens non perſonæ, ſed dignitati perpetuò, vel officio eſt ordinaria, & tranſit in ſucceſſorem, cap. Quoniam Abbas, ubi Berous præter alios, ut infrà dicetur, de Offic. delegat. Sanch. de Matrimon. lib.* 2. *diſp.* 40. *n.* 14. *Guter. de Matrimon. cap.*125. *à n.*1. *Dian. tom.* 8. *tract.* 4. *reſol.* 9 *in fine.*

111 *Summus Pontifex in hoc Brevi concedit juriſdictionem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ordinariis nomine dignitatum, & non nomine perſonarum ſibi cognitarum ad petitionem D. Regis Sebaſtiani Piiſſimi, cujus intentum fuit bonum animarum, & providere in futurum bono communi illarum propter difficultatem recurrendi ad Summum Pontificem, cujus intentionem debemus confiteri eſſe eamdem; in quibus terminis non cenſetur electa induſtria perſonæ, quia principale intentum fuit ad animas ſalvandas, & non ad perſonas, quibus committebatur poteſtas, ad cap. ult. de offic. delegat. ubi agitur de electa induſtria perſonæ, & nos latè hoc lib. deciſ.* 1. *diximus.*

112 *Et licèt, ut dicunt aliqui DD. ex citatis, juriſdictionem ex privilegio competentem non tranſire in ſucceſſorem, tamen ſi conceſſa fuerit non perſonæ, ſed dignitati, vel officio in perpetuum, ut in noſtro Brevi habetur, non eſt delegata, ſed eſt Ordinaria, ita multis citatis docet Sanch. d. n.* 14. *Guter. ubi proximè, Garcia de Benefic. p.*5. *cap.* 7. *n.* 47. *Diana tom.* 8. *tract.* 4. *reſol.* 2. *& facit doctrina Bald. in L.* 1. *ff. de offic. conſul. Felin. in cap. Licet n.* 4. *de offic. Ordinar. docentes commiſſionem perpetuam facere Ordinarium, & dicit Hieron. Gabriel. conſ.* 32. *quem refert, & ſequitur Genuenſ. in prax. Neapolit. cap.* 85. *n.* 1. *poſt medium quod in dubio, quando non exprimitur nomen proprium, cenſeatur delegantem contemplari Tribunal: ergò cùm hæc commiſſio ſit iſtius qualitatis, neceſſariò dicendum eſt tranſire in Capitulum Sede Vacante.*

113 Quià notiſſima res eſt in Capitulum, Sede Vacante, tranſire omnimodam juriſdictionem Epiſcopi prædefuncti, & ejus vices gerere, etiamſi competat tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, in quibus terminis non dicitur electa induſtria perſonæ, quià hujuſmodi juriſdictio per viam juris cõceſſa eſt perpetua, & non perſonalis, Federic. de Senis Conſ. 130. in cap. Factum eſt tale, Pavin. p. 1. quæſt. 10. n. 4. qui ex mente Innocentii, & Hoſtienſ. in cap. Ad abolendam, aſſerit, quòd, nè in hoc fiat amara interpretatio, dici poteſt in talibus caſibus Capitulum ſuccedere, ſtante neceſſitate, vel utilitate actùs expediendi, eòque maximè, ſi non ſit de proximo futurus ſucceſſor, tenet Quarant. in Sum. Bullar. verbo Capitulum, Sede Vacante §. Secundo quæro; diſpenſatio enim juriſdictionis eſt cum cauſæ cognitione, ut ibi dicit, & meliùs declarat Concil. Trid. Seſſ. 25 de Reformat. cap. 18. ibi: Quod ſi urgens, juſtaque ratio, & maior quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe; id cauſâ cognitâ, ac ſummâ maturitate, atque gratis à quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum: Ergo &c.

114 Confirmatur potiùs ex doctrinâ Menoch. tom. 1. Conſ. 17. ubi dicit, quòd ubi factum committitur, quod per unum, & non per alterum explicari poteſt, electa dicitur induſtria perſonæ, ità Felin. in cap. ult. col. 4. verſ. 1. quod ubi de Offic. ejus, Cravet. Conſ. 303. col. 2. Si ergò Epiſcopi induſtria electa non cenſetur, ut in noſtro Brevi declaratur, ibi: Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ordinariis, dicendum eſt, conceſſionẽ fuiſſe realem delegabilẽ, ac per conſequens tranſire in Capitulũ Sedis Vacãtis.

115 Tandèm regula illa generalis, quòd Capitulũ, Sede Vacante, poſſit omnia facere, quæ ſũt juriſdictionis Ordinariæ, niſi expreſſè prohibita reperiantur, intelligẽda veniat, ut non procedat in iis, quæ cõpetunt Epiſcopo jure proprio, non autem alieno, hoc eſt juriſdictione Ordinaria, non autem delegata, ut infinitis DD. citatis refert Auguſt. Barboſ. de Univerſ. jur. Ecleſ. lib. 1. de Capitulo, Sede Vacante, cap. 32. n. 104. attamen quod DD confuſè tradunt, & ipſe per tranſenam in alis locis ſuorum operum, præcipuè de poteſt. Epiſcop. attamen magis ad propoſitũ hic n. 107. mirabiliter declarat noſtrum intentum in hunc modum, cujus numeri hæc ſunt verba.

116 Ego verò in hac re diſtinguendum duxi cum Molin. de juſt. & jur. tom. 6. tract. 5. diſp. 11. n. 8. & 9. inter caſum, in quo aliquid juriſdictionis in perpetuum committitur muneri Epiſcopali ex delegatione Sedis Apoſtolicæ, ut ex officio deinde competat Epiſcopis, & inter caſum, in quo id Epiſcopo, & ſub nomine dignitatis, & conſequenter etiam ejus ſucceſſori à Summo Pontifice delegato ad aliquam peculiarem tantùm cauſam, vel negotium juxtà tex. in cap. Quoniam Abbas de Offic. deleg. etenim in hoc ultimo caſu juriſdictio delegata non tranſit in Capitulum, Sede Vacante, & ità procedit limitatio cõmunis Doctorum, de quà ſuprà. At in primo caſu non procedit eadẽ limitatio, ſed potiùs reſolvendũ, Capitulũ in dubio ſuccedere etiam in hujuſmodi juriſdictione in perpetuũ Epiſcopali muneri delegata, niſi aliud

aliud aliundè legitimè colligatur ex mente delegantis. Ratio eſt: quia ſuppoſita perpetuitate hujus delegationis, per quam id, de quo actum fuerit, annectitur in perpetuum Epiſcopali muneri: non quidem principaliter in bonum Epiſcopi, nec tanquam ejus privilegiū, ſed in bonum eorum, in quos eadem juriſdictio taliter delegata exercetur, vel aliorum, & Eccleſiæ, conſequitur, eandem juriſdictionem cenſendam eſſe, ut acceſſorium, immò ut partem totius juriſdictionis Epiſcopalis in communi, ac proindè, ut talem tranſituram in Capitulum, Sede vacante, in quod tranſit per viam regulæ tota Epiſcopalis, ut ſano cum judicio advertit Molin. ſuprà dict. num. 8. Cum ergo ita ſe habeat in juriſdictio ine perpetuum Epiſcopali muneri delegata, jam infertur dictam limitationem veram non eſſe in terminis dictæ Clementinæ, attendentes verſ. Hoc igitur, & Concil. Trid. dict. cap. 9. & ſimilium, cum conſtet juriſdictionem delegatam, de qua in his juribus, commiſſam eſſe in perpetuum Epiſcopali muneri, ac proindè quod in ea ſuccedere etiam Capitulum, Sede vacante, ſicque poterit ejus virtute viſitare in ſpiritualibus, &c.

117 *Hæc ſunt verba formalia Barboſæ, & nemo miretur ex tranſlatione verborum; ita enim ſolent facere periti ſſimi Authores, ut facit D. Michael de Pareja in ſuo tract. de Univerſ. inſtrum. edit. & fecit D. Diana: qui in 8. tom. tranſcripſit quatuor deciſiones noſtras integras de verbo ad verbum, non addito, nec adempto minimo verbo, tract 4. de Capitulo, Sede vacante, reſol. 61. cum ſeqq.*

118 *Idem Diana d. tom. 8. tract. 4. reſol. 2. noſtram ſequitur ſententiam; ubi in principio tantum limitat in juriſdictione accidentali, vel ex ſpeciali mandato, tunc enim cenſetur perſona nota Summo Pontifici, & electa induſtria perſonæ, & reſol. 8. dicit, quod quamvis Capitulum, Sede vacante, non ſuccedat Epiſcopo in his, quæ illi conveniunt jure ſpeciali delegato, vel ex commiſſione ſpecialiter illi facta, de quo videri poteſt Silveſter verbo Capitulum, Sede vacante, num. 3. & 4. ſuccedit tamen in iis, quæ conveniunt jure ſpeciali Ordinario, ut tradit Berous in dict. cap. cum Abbas. Felin in cap. Eam te. n. 17. de Reſcript. Sanch. lib. 8. diſp. 8. num. 21. & talis eſt tota hæc poteſtas diſpenſandi, & abſolvendi, cum non detur perſonæ, ſed dignitati, & officio in perpetuum, quod ſignum eſt poteſtatis ordinariæ, & non delegatæ, ut videret eſt apud eundem Sanch. lib. 2. diſp. 40. n. 14. idem repetit Dian. in verſ. ſeq.*

119 *Ex quibus cenſeo Capitulum Braſilienſe, Sede vacante, non ſolum poſſe, ſed teneri uti facultatibus dicti Brevis Apoſtolici, ſicut ab antiquo uſque adhuc factum eſt. Uliſſypone 10. Septembris 1652. Emmanuel Themudo Officialis Generalis.*

Cenſura Doctoris Ludovici Rodriguez è Societate Jeſu.

120 E*amdem lubens amplector ſententiam, quam doctiſſimus Officialis Generalis Ulyſſiponenſis eruditè adeò, ac nervosè comprobavit, ut nullum dubitationi, nullum formidini locum relinqui videam. In Collegio Sancti Antonii Societatis Jeſus die 11. Septembris 1652.*

Cenſura Doctoris Martini Leitaõ è Societate Jeſus.

121 *SUſcribo etiam ſententiæ Sapientiſſimi Doctoris Officialis Ulyſſiponenſis, cujus authoritatem, & maturitatem in docendo oſtendunt ſcripta, quæ typis mandavit. Subſcribo, inquam, & eiſdem fundamentis ſatis ſolidis, & ex eo amplius, quia Bulla inſerta concedit illam poteſtatem Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum eorumdem Ordinariis præſentibus, & futuris; certum eſt autem Capitulum, Sede vacante, comprehendi ſub nomine Ordinarii.*

122 *Confirmatur: quia poteſtas conceſſa Epiſcopis in Concil. Trid. de Reformat. cap. 6. tranſit in Capitulum, Sede vacante, ut tenet communis praxis, optima legum interpres, & docent. Sanch. lib. 8 de Matrim. diſp. 2. num. 10. Suarez de Pœnit. diſp. 30. ſect. 2. num. 4. (licèt contrarium docuerit tom. 5. de Cenſur. in 3. p. diſp. 41. ſect. 2. num. 13.) tenent etiam Fr. Emman. Rodrig. tom. 1. Quæſt. Regul. quæſt. 61. art. 9. Sayro, Garcia, Beja, Riccius, & plures alii, quos refert, & ſequitur Barb. in Collect. ad citatum cap. 6. Concil. Trid n 4. & de Poteſtate Epiſc alleg. 39. n. 16. contra Marc. Aderet. & Bonac, quorum ſententiam tenet Alex. Sperell. deciſ. 31. n. 7. citans Suar. & Peregrin. A' fortiori igitur poteſtas conceſſa in dicta Bulla convenit Capitulo, Sede vacante; ſiquidem eadem Bulla utitur generalibus verbis, & non ſolùm nominat Epiſcopos, ut Trident. ſed etiam quoslibet alios Ordinarios: unde adderem; Capitulum, Sede vacante, non habere illam poteſtatem ſolum pertranſeuntem ab Epiſcopo in ipſum, ſed etiam per ſpecialem commiſſionem ibi factam ab ipſo, quod ſedes vacet. Ex quibus adeò certa mihi videtur hæc ſententia ſapientiſſimi Doctoris, ut non exiſtimem poſſe vocari in quæſtionem. Ulyſſipone in Collegio D. Antonii Societat. Jeſu 11. Septembris 1652.*

Cenſura Doctoris Matthæi de Figueiredo è Societate Jeſus

123 *SEntentiam Sapientiſsimi Domini Doctoris Emmanuelis Themudo da Fonſeca Officialis Generalis Ulyſsiponenſis, cujus in utroque jure peritiam ea, quæ typis mandavit, ſatis commendat, lubens, ac libens veneror, & amplector ob ſolidiſsima fundamenta, quibus nervosè illam comprobat. Ulyſsipone in Collegio D. Antonii Societatis Jeſu die 11. Septembris 1652.*

Judicium Authoris.

124 PRædicta omnia, prout jacent, apud Themudum citatum invenies. His tamen addo poteſtatem, ſeu juriſdictionem in Bulla Pii IV. contentam, & Ordinariis Ultramarinis conceſſam, non eſſe temporariam, ſed potiùs perpetuam, ut ad finem ejuſdem Bullæ dicitur ibi: *Perpetuò concedimus, & indulgemus*: juriſdictio autem perpetua, & Ordinaria recurrũt, ut cum communi tenet *Barb. de poteſtat. Epiſc. part. 3. allegat. 54. n. 33.* ſi ergo juriſdictio perpetua, & ordinaria idem ſunt, inde patet, quod juriſdictio in Bulla Pii IV. contenta, & Ordinariis Ultramarinis conceſſa

ceſſa devolvatur etiam ad Capitulum, Sede Vacante; eò prorſùs modo, quoad idem Capitulum, Sede Vacante, devolvitur omnis, & quævis alia juriſdictio Ordinaria.

SECTIO III.

De poteſtate, ſeu juriſdictione in prædicta Bulla Pii IV. contenta quo ad Ordinarios, quorum Eccleſiæ de novo fundantur.

125 Notatio Unica. An poteſtas, ſeu juriſdictio in Bullâ Pii IV. contentâ, & DD. Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis Ultramarinis, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubjectis commiſſa, competat etiam Eccleſiis, quæ de novo fundantur? ℞. affirmative. Primum fundamentum eſt: quià poteſtas, ſeu juriſdictio, quæ in Bulla Pii IV. continetur, & prædictis Prælatis committitur, reducitur ad juriſdictionem Ordinariam, ut ſuprà ex *Themudo* latè probatum manet à n. 109. Epiſcopus veró, qui eſt Paſtor ovium, habet juriſdictionem Ordinariam (unde dicitur Ordinarius) ubi primùm Epiſcopus creatur, & Pontifex ejus Juriſdictionem non limitat. *Barboſ. de poteſt. Epiſc. part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. *à n.* 27. Ergó poteſtas, ſeu juriſdictio, quæ in Bulla Pii IV. continetur, & prædictis locorum Ordinariis committitur, competit etiam Eccleſiis, quæ de novo fundantur.

126 Secundum fundamentum: quià talis poteſtas, ſeu juriſdictio competit Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis prædictis, non ſolúm præſentibus, ſed etiam futuris; ut in Bulla expreſſè habetur, ibi: *Ordinariis præſentibus, & futuris*: ergò prædicta poteſtas, ſeu juriſdictio competit etiam Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, quorum Eccleſiæ de novo creantur. Oſtenditur conſequentia: quià licet particula *futuris* intelligatur de Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, quorum Eccleſiæ de novo eriguntur, cùm gratiæ, & facultates in Bulla Pii contentæ concedantur in favorem publicum, & ſint mera benevolentia Principis. *Anaclet. tom.* 1. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 3. *de Reſcript.* §. 5. *n.* 139. *Temerarium eſt autem, & per abſurdum, liberalitatem Principis non ad augmentum privilegiorum, ſed diminutionem convertere, ſeu interpretari velle.* Leg. *Hac conſultiſſima* C. De Agentibus in rebus *lib.* 12. In hoc igitur ſenſu, & ampliatione accipi debet particula illa *futuris*, quæ in Bulla Pii exprimitur.

127 Tertium fundamentum: quià mens, & intentio Pontificis fuit, ut etiam Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis Inſularum, Braſiliæ, & Indiæ Orientalis, quorum Eccleſiæ de novo eriguntur, competat poteſtas, ſeu juriſdictio, quam ipſe in Bulla liberaliter committit; cùm mens, & intentio Pontificis fuerit animarum ſaluti in partibus Ultramarinis providere, mediantibus gratiis, & Indultis Apoſtolicis, quæ in tali Bullâ concedit, ut ex tenore ejuſdem Bullæ apertè conſtat: ergò.

128 Probatur antecedens: quia ſi Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, quorum Eccleſiæ de novo eriguntur, non competat prædicta poteſtas, ſeu juriſdictio,

riſdictio, ſequitur neceſſariò, quód ex nova indulgentia Pontificis, ideſt, ex nova Eccleſiarum erectione deteriorarentur fideles ipſi, in quorum gratiam, & favorem Pontifex ipſe tàm ampla privilegia conceſſit; quatenùs fideles ipſi, qui hîc, & nunc ſunt ſubditi D. Epiſcopi Fluminenſis v. g. & ab illo poſſunt abſolvi, & diſpenſari juxtà prædictam Bullam, poſteà accedente nova Eccleſiæ creatione, cùm fierent ſubditi Epiſcopi Paulopolitani v. g. (qui de novo creari poteſt) non poſſent ab ipſo Epiſcopo Paulopolitano abſolvi, nec diſpenſari ex eâdem Bullâ, ſicut anteà poterant ab Epiſcopo Fluminenſi; quis autem non dicet hoc eſſe contrà mẽtem, & intentionem Pontificis novas Eccleſias creantis, cùm Eccleſiæ de novo creentur in bonum fidelium, & non in eorum detrimentum, ut patet: ergò.

129 Objicies 1. Bulla Pii IV. fuit prior Tridentino: ergò jam non viget. Antecedens conſtat: quià Bulla Pii IV. fuit expedita anno 1561. Tridentinum verò abſolutum anno 1565. Oſtenditur conſequentia: quia per Bullam ejuſdem Pii IV. ad finem Tridentini revocantur omnia privilegia, quæ Tridentino contrariantur: noſtra autem Bulla Pii IV. contrariatur *Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 5. ubi ſic: *Siquis intra gradus prohibitos ſcienter Matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat*: ergò jam non viget noſtra Bulla Pii IV.

130 ℞. negand. conſequent. Ad cujus probationem, ℞. negando antecedens. Ratio eſt: quià per genus non derogatur ſpecies, nec per legem univerſalem particularis, niſi lege univerſali exprimatur derogatio legis particularis, ut cum multis tenet *Garc. de Benefic. tom.* 1. *part.* 3. *cap.* 2. *n.* 256. Accedit, quòd quando Concilium vult privilegiis derogare, id exprimit, ut ait *Germon.* & cum eo *Aldrete*, & *Emmanuel Rodrigues quæſt. Regul. tom.* 1. *quæſt.* 8. *art.* 6. & ità cenſuit Congregatio Concilii, videlicét, Concilium non derogare privilegiis Apoſtolicis, niſi de his expreſſam faciat mentionem. *Garc. citat. n.* 260. Tandem noſtrâ Bullâ Pii IV. etiam poſt Tridentinum utuntur viri docti, ut ſuprà notavimus n. 106. ergò, quià tenent per Pium IV. ad finem Tridentini non fuiſſe revocatam.

131 Unde non obſtat Bulla Pii IV. ad finem Tridentini: quià ut ait idem *Germon*, eadem Congregatio cenſuit Bullam Pii IV. ad finem Tridentini, quà tolluntur omnia privilegia, quæ Tridentino adverſantur, non extendi ultrà illa, quæ in eodem Tridentino continentur: cujus ratio deſumitur ex eo, quòd privilegia, quibus Tridentinum non derogavit, non ſunt ei contraria. Ita *Garc. cit. n.* 261. noſtra verò Bulla Pii IV. non eſt Tridentino contraria, ſed potius illi conformis, quatenùs, in *Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 5. dicitur: *In contrahendis Matrimoniis, vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa.* Unde rectè infertur, quòd ſi raró, & datâ cauſâ diſpenſetur, non contrariatur Tridentino.

132 Rurſus in *Trid. Seſſ.* 25. *cap.* 18. in fine dicitur: *Quod ſi urgens, juſtaque ratio, & maior quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſâ cognitâ, ac ſummâ maturitate, atque gratis, à quibuſcumque,*

que, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum. Ergò quià ad Pôtificem, & quoſcumque alios, quibus Pontifex committit, diſpenſare pertinet; ideò non eſt contra Tridentinum diſpenſare, ſi urgens, juſtaque ratio poſtulaverit.

133 Objicies 2. In Diœceſi de novo fundata nunquam fuit uſus talis Bullæ: ergò per non uſum abolevit, vel jam lapſu temporis ceſſavit. ℞. diſtinguend. antecedens: nunquam fuit uſus talis Bullæ, per accidens, concedo: per ſe, nego antecedens. Per accidens nunquam fuit uſus talis Bullæ, nec privilegiorum, quæ in ea continentur; quià Eccleſia, quæ de novo fundatur, nondùm erat, nec etiam Epiſcopus, vel alter Ordinarius, qui tali Bulla, & gratiis in ea conceſſis uteretur: at vero per ſe, & quantum eſt ex natura Bullæ, & juriſdictionis in ea cōmiſſæ Archiepiſcopis quibuſcumque, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis Ultramarinis ſemper fuit poteſtas ad ejuſdem Bullæ uſum, & exercitium.

134 Ad primam partem conſequentiæ ℞. privilegia, quæ in noſtra Bulla continentur, eſſe omnia in favorem publicum, & bonum ſpirituale fidelium, ut ex toto Bullæ tenore conſtat: quando autem dicitur de privilegiis, quòd per non uſum ceſſent, intelligitur de privilegiis, quæ cedunt in aliorum gravamen. *Caſt. Pal. de Privileg. tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 18. *n.* 3. Ad ſecundam partem conſequentiæ, ℞. Sola privilegia, quæ conceduntur cū limitatione temporis, ceſſare lapſû temporis. *Caſt. Pal. citat. punct.* 14. *n.* 2. privilegia verò in noſtrá Bullâ contenta in perpetuum conceduntur, ibi: *perpetuò concedimus, & indulgemus.*

135 Inſtabis 1. Privilegia talis Bullæ revocantur per privilegia poſteriora, quæ DD. Archiepiſcopis, & Epiſcopis Ultramarinis ad decennium conceduntur: ergò jam non valent privilegia talis Bullæ. ℞. negand. anteced. Ratio eſt: quià in privilegiis decennalibus nulla apparet clauſula, imo nec particula, quæ ſit revocatoria talis Bullæ Pii IV prout ad revocationem requiritur; quandó privilegium non eſt inſer, tum in jure, ut non eſt dicta Bull. Pii IV. *Caſt. Pal. cit. punct.* 21. *n.* 13.

136 Inſtab. 2. Saltem Archiepiſcopus, & Epiſcopus per privilegia decennalia poſſunt, ſi velint, cedere privilegiis, quæ in tali Bulla Pii IV. conceduntur: ergò. ℞. negand. anteced. quià privilegia in Bulla Pii IV. contenta, non perſonis, ſed dignitati conceduntur, ut ex ipſa Bulla conſtat: eo autem ipſó quod privilegia concedantur dignitati, & non perſonis, jam perſonæ, quamvis vellent, talibus privilegiis cedere non valent. Ad eum planè modum, quo Clericus licèt omnibus ſuis privilegiis renunciare vellet, nihilominus qui illum graviter percuteret, maneret excommunicatus; quia ſcilicet Clericus particularis privilegium ſtatui Clericalis annexum abdicare nequit.

SECTIO IV.

Recenſentur Privilegia in Bulla Pii IV. conceſſa.

137 NOtatio Prima. Quid ex Bulla Pii IV. poſſint DD. Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii locorum Ordinarii Ultramarini, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubjecti? ℞. Notationem hanc pro maioris

oris claritatis gratia per ſequentes declarationes eſſe diſtribuendam.

Dico igitur primo : ex Bulla Pii IV. poſſunt præfati Domini per ſe, vel per alium, ſeu alios ad id per eos pro tempore deputandos, quaſcũque tam Eccleſiaſticas, etiam cujuſvis Ordinis Regulares, quam etiam ſæculares perſonas, à quibuscumque excommunicationis, ſuſpenſionis, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ſuper quibus Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda, & à quibuſvis earum peccatis, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, eidẽ S. Sedi reſervatis, & in Bulla Cœnæ cõtentis, abſolvere: (præterquam in caſu conſpirationis in perſonam, vel ſtatũ Romani Pontificis, vel Cardinalium, vel injectionis manuum violentarum in Epiſcopos, & alios Prælatos, Præsbytericidii, delationis armorum, & aliorum prohibitorũ ad infideles, ac falſificationis literarum Apoſtolicarum:) idque in foro conſcientiæ dumtaxát. Si tamen caſus ſint contenti in Bulla Cœnæ, ſolùm abſolvere poſſunt ſemel in vita, & in mortis articulo : in aliis verò reſervatis caſibus toties quoties.

138 Dico ſecundò. Poſſunt prædicti Domini diſpenſare cum prædictis perſonis ſuper irregularitate per ipſas quavis de cauſa, non tamen homicidii voluntarii, aliàs quã in bello contra infideles perpetrati, aut Bigamiæ occaſione pro tempore contractá.

139 Dico tertiò. Poſſunt diſpenſare, ut præmiſſis non obſtantibus, ad omnes Sacros, etiam Præſbyteratús Ordines promoveri, ſeu eiſdem ordinibus jam ſuſceptis uti, & in illis etiam in altaris functione miniſtrare valeant prædictæ perſonæ.

140 Dico quartò. Poſſunt diſpenſare, ut etiam præmiſſis non obſtantibus, recipere, & retinere valeant prædictæ perſonæ quodcũque, & qualiacumque Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, vel ſine cura animarum, in ſe invicem tamen cõpatibilia : & Canonicatus, Præbendas, Dignitates, vel alia officia adminiſtrare in Cathedralibus etiam Metropolitanis, dummodo canonicè conferantur, vel aliàs ad ea aſſumantur, & in eis inſtituantur.

141 Dico quintò : Poſſunt diſpenſare in 4. gradu ſimplici, aut 3. & 4. mixtim, ſive etiam multiplici conſanguinitatis, & affinitatis gradibus invicem conjunctis, aut publicæ honeſtatis juſtitia quomodolibet impeditis.

142 Dico ſextò : Poſſunt diſpenſare cum illis, qui anteà per adulterium ſe polluerunt, dummodò in mortem defuncti quidquã machinati non fuerint.

143 Dico ſeptimò. Poſſunt diſpenſare in contractis per quoſcumque prædictorum ſcienter, vel ignoranter matrimoniis, ſi carnali copula exindè ſubſecuta conſummata fuerint, ut in talibus Matrimoniis remanere, ſeu illa de novo contrahere, & in facie Eccleſiæ celebrare poſſint.

144 Dico octavò. Poſſunt prolem ex prædictis illicitis copulis ſuſceptam, & ſuſcipiendam declarare legitimam, & omnem inhabilitatis, & infamiæ maculam, ſive notam à perſonis Eccleſiaſticis præmiſſorum occaſione contractam tollere, & omninò abolere, ipſaſque perſonas in priſtinum ſtatum reſtituere, reponere, & plenariè redintegrare.

145 Notatio Secunda. An etiam poſſint diſpenſare cum his, qui antea per adulterium ſe polluerunt, etiam

etiam facta mutua promiſſione, & acceptatione Matrimonii in poſterum ineundi, morte tamen non ſecuta ex machinatione adulteri?

146 Reſpondetur affirmativè. Ratio eſt: quià in Bullá dicitur: *Dummodò in mortem defuncti quidquam machinati non fuerint*: ergò quamvis facta fuiſſet promiſſio, & acceptatio mutua; ſi tamen nulla interveniſſet mortis machinatio, fieri poteſt diſpenſatio: cùm particula *dummodò* ſit reduplicativa, ac denotet, quód ſolà interveniente mortis machinatione cum effectu diſpenſari non poſſit.

Præter privilegia per antecedentes paragraphos diſtincta, & expoſita, plura etiam alia DD. Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis Ultramarinis, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubjectis, felic. recordat. Pius IV. concedit in eàdem Bullâ: ea tamen, ſi opus ſit, ibi videri poſſunt, & examinari. Nos enim prædicta tantùm ſelegimus, & ſeparavimus, quià uſu frequentiora, & in praxi communiora eſſe exiſtimamus.

SECTIO V.

Solvitur difficile dubium.

147 NOtatio Unica. An Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii locorum Ordinarii Ultramarini, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubjecti, poſſint etiam diſpenſare cum illis, qui Matrimonium contraxerunt in gradibus prohibitis, non ſolùm ignoranter, ſed etiam ſcienter, illud tamen non conſummarunt per ſequentem copulam? Ratio dubitandi eſt: quià in Bullà Pii IV. datur *poteſtas diſpenſandi in quarto ſimplici, aut* 3. *&* 4. *mixtim, ſive etiam multiplici conſanguinitatis, & affinitatis gradibus invicem conjunctis... & ut .... in contractis per eos ſcienter, vel ignoranter Matrimoniis remanere, Seu illa de novo contrahere, & in facie Eccleſiæ ſolemniſare poſſint:* Datur tamen prædicta poteſtas ſúb hac conditione: *Si carnali copula exindè ſubſecuta conſummata fuerint Matrimonia.* Caſu igitur, quo Titius, & Bertha Matrimonium in gradibus prohibitis modo dicto contraxerint, poſteà verò vel ſcrupulo tacti, vel aliâ de cauſâ, non conſumaverint per ſequentem copulam, inquiritur: an cum talibus diſpenſari poſſit, non verificata conditione illa: *Si carnali copula exinde ſubſecuta conſummata fuerint Matrimonia*? Ad dubium propoſitum.

148 ℞. affirmativè, & probatur 1. quià dictio illa *ſi*, quæ in Bullâ ponitur, ſolùm importat conditionem, & non cauſam ad diſpenſandum. Primum patet 1. ex *Barboſ.* infrà citando. Patet 2. ex communi acceptione, juxta quam per particulam *ſi* conditio explicari conſuevit. Patet 3. ex conſenſu DD. quatenùs dicunt, quòd quando pro diſpenſatione impetranda allegatur copula, numquàm allegetur tanquàm cauſa propriè, & ſtrictè.Ità *Amicus*, quem citat, & ſequitur *Dian. tract.* 2. *de Diſpenſat. reſol.* 118. *n.* 4. ibi: *Eſt enim copula ſolùm materia, & occaſio, non ratio movens ad diſpenſationem cōcedendam.* Clariùs tamen *Nogueyr. quæſt. ſingul. diſput.* 1. *quæſt.* 33. *n.* 4. ibi: *Dixi, dato, quòd duplex cauſa ſit allegata: nam per copulam allegatam non dicitur dari duplex cauſa, nam propter copulam, ſivè verè, ſivè falſò alle-*

 gatam,

gatam, non movetur Pontifex ad diſpenſandum: nam ſi verè allegetur, cùm ſit peccatum, ad diſpenſandum non movet Pontificem. Unde cùm copula, quæ in noſtro caſu ſupponitur requiſita, tanquam importata per particulam *ſi*, ibi: *Si copula exinde ſubſecuta* ... non ſit propriè, & ſtrictè cauſa movens ad diſpenſandum, rectè deducitur, quòd particula *ſi* in Bulla Pii ſolùm importet materiam, ſive conditionem ad diſpenſandum.

149 Secundum verò, quod ſcilicet particula *ſi*, quæ in Bulla ponitur, non importet cauſam ad diſpenſandum, etiam patet: nam cauſæ, quibus Pontifex movetur ad concedendam talem poteſtatem diſpenſandi, ut ex ipſâ Bullâ conſtat, ſunt 1. Favor, & benignitas ergà illa omnia, quæ Chriſti Fidelium ſalutem concernunt in regionibus Ultramarinis. 2. Scandalis, animarumque periculis obviare. 3. Fidelium infirmitatibus providere. 4. Difficilem recurſum ad Papam, ob longiſſimam iſtarum partium à Curia Romana diſtantiam, & periculoſam navigationem ad Sedem Apoſtolicam, ſupplere. 5. Ne Fideles cenſuris ligati à vivis diſcedant in animarum ſuarum perniciem, & ſcandalum plurimorum. 6. Animarum ſaluti conſulere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere. Hæc enim omnia, tanquàm cauſas finales, & motivas aſſignat Pontifex, eaſque omnes cauſas per clauſulam *igitur* in Bullâ poſitam iterúm reſumit his verbis, ibi: *Nos igitur, qui inconvenientibus, & ſcandalis, animarumque periculis, prout nobis ex alto conceditur, paterna benignitate libenter obviamus.* Ergó per particulam *ſi* in Bullâ poſitam non importatur cauſa neceſſaria, & requiſita ad diſpenſandum in noſtro caſu; ſed aliæ aliundè ſunt cauſæ ad diſpenſandum, illæ nimirúm, quæ in Bullâ à Pontifice ponderantur. His poſitis.

150 Sic formatur diſcurſus. Sed hoc ipſo, quod particula *ſi* in Bulla poſita non importet cauſam neceſſariam, & requiſitam ad diſpenſandum, ſed ſolùm conditionem, ſequitur, quòd licèt talis conditio non verificetur, (modò verificentur cauſæ à Sereniſſimo Rege allegatæ, & à Pontifice relatæ,) diſpenſari poſſe in noſtro caſu: ergò poteſt.

151 Antecedens hoc ultimum, in quo eſt tota difficultas, oſtenditur reſolutione ſequentis caſûs. Antonius, & Antonia in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis prohibito conjuncti, diſpenſationem à Pontifice petierunt, & impetrarunt ad Matrimonium inter ſe contrahendum, copulam pro cauſa allegantes, quæ tamen copula inter illos habita non fuerat: allegantes etiam, quód ſi Antonia Antonio non nubat, infamiam contrahet, & virum non inveniet, cui nubat, ac proindè infamata remanebit. His allegatis, diſpenſat Pontifex, et executionem diſpenſationis huic, vel illi perſonæ remittit, cum hac tamen conſueta clauſula: *Si preces veritate nitantur.*

152 Inquirunt modò DD. an ſi inter Antonium, & Antoniam copula habita non fuerit, (ut in noſtro caſu) dummodò verum ſit, quòd Antonia infamiam patietur, ſi Antonio non nubat, valebit diſpenſatio; & affirmant communiter. Ità cùm *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 21. *n.* 45. *& aliis*, *Dian. tract.* 2. *de Diſpenſat. reſol.* 118. *à n.* 3. *Themud. tom.*

tom. 4. *deciſ.* 53. *n.* 4. *Nogueyr. quæſt. ſingul. diſp.* 1. *quæſt.* 33. *n.* 2. *& alii*, quos ibi citat.

153 Nunc ſic. Diſpenſatio in tali caſu conceditur á Pontifice ſub conditione importatá per particulam *ſi*, *ſi preces veritate nitantur*: & tamen licèt copula in tali caſu allegata non vereficetur, dummodó verificetur infamia Antoniæ ſecutura, id ſolúm ſufficit, ut valeat diſpenſatio, cujus rationem reddit *Dian. cit. n.* 6. ergò á fortiori, licèt in noſtro caſu non verificetur conditio importata per particulam *ſi*; *ſi copula exinde ſubſecuta*... dummodò verificentur cauſæ á Sereniſsimo Rege allegatæ, & á Pontifice relatæ, id etiam ſolùm ſufficiet, ut in noſtro caſu diſpenſetur.

154 Dixi: *à fortiori*: ſi enim, quamvis in figurato caſu Antonii, & Antoniæ non verificetur una ex cauſis allegatis, nempe copula; ſufficit tamen alteram cauſam verificari, nempe infamiam ſecuturam, ut valeat diſpenſatio juxtà citatos DD. quanto magis valebit diſpenſatio in noſtro caſu, quamvis non verificetur conditio: *Si copula exinde ſubſecuta* ... dummodò verificentur cauſæ, quæ in noſtro caſu ſunt plures, prout in Bulla referuntur.

155 Probatur 2. eadem reſolutio: quia dictio *ſi* idem valet, ac dictio *quamvis. L* 31. *ff.* De recept. arbitr. *L.* 1. §. *ſed conſultó* 3. *ff.* De his, quæ in Teſtam. & L. *Peto* 69. §. *Prædium* 1. ff. De legatis, & fideicom. præſertim quando dictio *ſi* opponitur termino de præterito. *Barboſ. diction.* 364. *n.* 5. ibi: *Licèt autem hæc dictio* ſi *importet conditionem, tamen quandò opponitur termino de præterito, exponitur pro quamvis.* Cum autem in noſtra Bulla dictio *ſi* opponatur termino de præterito, ibi: *In Matrimoniis contractis*: ſequitur, quod dictio *ſi* in noſtra Bulla: *Si copula exinde ſubſecuta*.... ita exponenda ſit, ut idem valeat, ac dictio *quamvis*. Qua expoſitione ſuppoſita, ac retenta:

156 Conficitur probatio in hunc modum. Cui maius conceditur, conceditur etiam minus in eodem ordine, cap. *Ex parte tua* 27. De Decimis, & *Regul. jur.* 53. *n.* 6. ibi: *Cui licèt, quod eſt plus, licèt utique quod eſt minus.* Favet doctrina communis; nam qui diſpenſationem petiit pro 3. gradu conſanguinitats, & ex errore diſpenſatus fuit in ſecundo, in quo tertius, pro quo diſpenſatio fuit petita, continetur, manet diſpenſatus in 3. Ita *Suar. Sanch. Ledeſm. Rodrig. Guttier. Filliuc. Bonac. Baſil. Ponc. Hurt. Leand. & alii*, quos affert. & ſequitur *Nogueir. quæſt. ſing. diſp.* 1. *quæſt.* 23. *n.* 5.

157 Atqui in noſtra Bulla conceditur maius. nempe poteſtas diſpenſandi, ut in Matrimoniis contractis, quamvis copula exinde ſubſecuta conſummata fuerit, remanere, ſeu illa de novo contrahere, & in facie Eccleſiæ celebrare poſſint: ergo etiam conceditur, quod eſt minus, nempé poteſtas diſpenſandi, ut in talibus Matrimoniis, quamvis copula exinde ſubſecuta non conſummata fuerit, remanere, ſeu illa de novo contrahere, & in facie Eccleſiæ celebrare poſſint. Et hujus ultima ratio eſt: quia Pontifex ex juſtis cauſis diſpenſat, etiam non habita copula, *Nogueir. cit. n.* 3. ergo exiſtentibus hîc, & nunc juſtis cauſis, quæ à Sereniſſimo Rege fuerunt allegatæ, & in Bulla à Pontifice referuntur, etiam cenſetur conceſſa poteſtas hæc minor diſpen-

P ii di,

ſandi, quando copula habita non fuit.

158 Confirmatur: quia ſi particula *ſi* idem valeat, ac particula *quamvis*, tunc couformiùs ad Tridentinum exponitur noſtra Bulla, cum in *Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 5. dicatur difficile diſpenſandum eſſe cum illis, qui in gradu prohibito ſcienter contraxerunt: ibi: *Spe diſpenſationis conſequendæ careant*: difficiliùs verò, quando inter tales intervenit copula, ibidem: *Idque in ea multò magis locum habet, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit.* Unde ſi particula *ſi* idem valeat in noſtra Bulla, ac particula *quamvis*, tunc facit hunc ſenſum: *Diſpenſari poterit, quando non fuit copula, quamvis hoc difficile concedendum ſit: & diſpenſari poterit, quamvis fuerit copula, quod tamen difficilius concedendum erit*; qui quidem ſenſus eſt conformior Tridentino, quam hic: *Diſpenſari poterit; ſi fuerit copula, ſi autem non fuerit copula, diſpenſari non poterit*: qui quidem ſenſus ſequitur ex contraria interpretatione ad noſtram Bullam.

159 Probatur 3. eadem reſolutio: quia privilegium eſt amplè interpretandum primo: quandò alicui conceditur facultas diſpenſandi, non expreſſis nominibus diſpenſandorum. *Pyrrh. Corr. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 27. Eſt amplè interpretandum ſecundó, quando concurrit favor Religionis, & animarum. *Pyrrh. cit. n.* 30. in fine. Eſt amplè interpretandum tertiò, quando privilegium nulli præjudicat, & cedit in favorem cauſæ piæ. *Caſtr. Pal. de Privileg. diſp.* 4. *punct.* 10. *n.* 5. Eſt amplè interpretandum quartò, quãdo privilegium ordinatur in bonum publicum. *Anaclet tom.* 1. *l.* 1. *Decretal. tit.* 3. *de Reſcript.* §. 5. *num.* 139. Atqui hæc omnia in noſtra Bulla reperiuntur, & in eâ ſimul concurrunt: ergo privilegia, quæ in ea continentur, ſunt amplè interpretanda, & quod indè ſequitur, accipi poteſt particula *ſi* pro particula *quamvis*.

160 Probatur 4. eadem reſolutio: quia diſpenſatio Matrimonialis conceditur etiam quando non præceſſit copula, dummodò detur ſuſpicio de illa, ut nimirúm mulieris infamia removetur. *Pyrrh. Corr. L.* 8. *c.* 2. *n.* 4. ibi: *Cauſa diſpenſandi deſumitur ex juſtitia Oratricis, nimirum ad eius famæ dignitatem illæſam conſervandam.* Et ibidem n. 9. ait: *Ita ut Oratrix vere diffamata remaneat ob hujuſmodi ſuſpiciones, niſi Matrimonium ſequeretur, ex eo quod à nonnullis viſum fuit inter ipſos oratores interveniſſe oſcula, amplexus, & confabulationes, ex quibus deprehenditur etiam interveniſſe copulam.* Gloſſ. in leg. *quod ait lex* ff. ad leg. Jul. de Adult. ubi Gloſſa ipſa ait: *Ex bis tactibus induci argumentum ſceleris. Ruin. conſil.* 162. *num.* 4 *col.* 1. *Burſat. conſil.* 218. *n.* 3. *col.* 2. *Maſcard. de Probationib. Couel.* 57. *n.* 5. *Covar.* 4. *decret.* 2. *p.* 7. §. 6. *num.* 3. *ubi valuit mulierem reddi valdè ſuſpectam ex oſculo.* Ergo ſi ex ſeparatione eorum, qui ſcienter, vel ignoranter contraxerunt, mulieris infamia ſequitur, ut re ipſa ſequitur in noſtra caſu: eo ipſo ad diſpenſandum cum illa non requiritur copula præcedens, nec etiam ſubſecuta ad conſummationem Matrimonii, ſed preciſè ſufficit, quod exiſtant, ac verificentur illæ cauſæ, quæ à Sereniſſimo Rege allegantur,

gantur, & à Pontifice referuntur, longiſſima videlicet diſtantia, & recurſus moraliter impoſſibilis ad Sedem Apoſtolicam &c.

161 Objicies 1. Mens, & intentio Pontificis fuit maiori malo ſuccurrere: atqui reſpectu fœminæ, ejuſque famæ maius malum eſt contraxiſſe, & ſimul conſummaſſe, quam ſolùm contraxiſſe, & non conſummaſſe, vt patet: ergò niſi interveniat copula, uti clauſula illa requirit: *Si copula exinde ſubſecuta conſummata fuerint Matrimonia; diſpenſandum non erit in noſtro caſu.*

162 ℞. negand. maiorem. Nulla enim ratio dictat mentem, & intentionem Pontificis fuiſſe prædictam in argumento, ſed potius contrariam: nam qui maius concedit, etiam concedit minus in eodem ordine juxta ea, quæ diximus ſuprà n. 156. ac proinde qui maiori malo remedium adhibet, ut Pontifex in noſtro caſu; potiori jure præſumitur ſe minori malo remedium adhibere velle. Accedit, quòd data Adverſariorum interpretatio ſit contrà ſenſum Tridentini, eiuſque interpretes, & Doctores communiter, juxta quos difficilius diſpenſandum eſt cum illis, inter quos præceſſit copula, *Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 5. quàm cum illis inter quos non præceſſit. Quà igitur ratione exiſtimandum eſt Pontificem dediſſe facultatem diſpenſandi, quãdo copula ſubſecuta fuit ad Matrimonium, non autem dediſſe, quando copula non ſubſecuta fuit.

163 Objic. 2. Quoties in diſpẽſatione Matrimoniali una tantùm cauſa allegatur, ſi ea ſit falſa, non valet diſpenſatio, ut cùm communi tenent *Dian. Themud. & Nogueyr. citati*: atqui in noſtrà Bullá una tantùm cauſa allegatur pro diſpenſatione facienda, videlicet, *ſi copula exinde ſubſecuta conſummata fuerint Matrimonia*: ergo ſi copula ſubſecuta non fuerit ad Matrimonium, diſpenſatio non valebit.

164 ℞. negand. minorem: Cauſa enim allegata pro diſpenſatione facienda non eſt una tantùm, ſed multiplex, ut vidimus ſuprà n. 149. Præterea per clauſulam illam, *ſi copula exinde ſubſecuta*, non veniunt cauſæ, in quo egregiè decipiuntur Adverſarii, ſed ſolùm venit conditio importata per particulam *ſi*, ut etiam videmus ſuprà n. 148. pro verificatione autem talis conditionis parùm curandum, ut videre eſt ſuprà n. 150. 151. & 153. dummodò verificentur cauſæ finales, & motivæ, quas pro impetratione Bullæ Sereniſſimus allegavit, & pro ejuſdẽ Bullæ conceſſione Pontifex exprimit, ac declarat.

DIS-

DISPUTATIO QUARTA.

DE SEXTA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Explicatur Sexta Facultas Pontificia, & quid ejus virtute poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa Matrimonii diſpenſationes.

165 VEnimus tandem ad Facultatem Pontificiam, ordine ſextam, & quotidiana praxi uſitatiſſimam. Facultas eſt: *Diſpenſandi in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis ſimplici; & mixto tantùm; & in 2. 3. & 4. mixtis, non tamen in 2. ſolo quoad futura Matrimonia; quo verò ad præterita etiam in 2. ſolo, dummodò nullo modo attingat primum gradum, cum his, qui ab Hæreſi, vel Infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, & in præfatis caſibus prolem ſuſceptam declarandi legitimam.*

166 Notatio Prima. Quomodò intelligatur prædicta Facultas Pontificia? ℞. Talem facultatem intelligendam eſſe, prout Sacra Congregatio de Propaganda Fide declaravit: Cùm enim Excellentiſſimus, & Reverendiſſimus D.D.Frãciſcus á S. Hieronymo, bonæ memoriæ Epiſcopus Fluminenſis, Sacræ Congregationi de Propagandà Fide duo olim dubia propoſuiſſet; eadem Sacra Congregatio, relatis priùs ipſis dubiis, ad ambo ſimul reſpondit: quia tamen unum ex dubiis erat prædictæ facultatis interpretationem, & genuinum ſenſum quærere, & aliud de re longè diverſá; hinc ego pro maiori diſtinctione unum ab alio dividam, & alterum hic dabo, alterum verò, ſectione ſequenti. Titulus, quem Sacra Congregatio reſponſis ſuis præfixit, hic eſt.

Relatis inferioribus dubiis propoſitis ab Epiſcopo S. Sebaſtiani, ſeu Fluminis Januarii in Americâ Sacræ Congregationi de Propaganda Fide videlicet:

167 D*Ubium primum. Cùm in facultatibus cõceſſis dicto Epiſcopo juxta formulam ſecundam aliorum Epiſcoporum earum partium exprimitur: diſpenſandi in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſimplici, & mixto tantùm; & in 2. 3. & 4. mixtis, non tamen in 2. ſolo quoad futura Matrimonia: quo verò ad præterita etiam in 2. ſolo, dummodò nullo modo attingat primum gradum, cum his, qui ab Hæreſi, vel Infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam: petit inde Epiſcopus, an ultima verba: Cum his, qui ab Hæreſi &c. referantur tantùm ad diſpenſationes in 2. ſimplici pro præteritis, vel etiam ad antecedentia*

tecedentia verba in 2. 3. & 4. mixtis, non tamen in 2. ſolo quoad futura Matrimonia.

Reſponſum Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide.

168 A*D dubium* ℞. *quod dicta reſtrictio pro converſis refertur tantùm ad diſpenſationem in 2. gradu ſimplici pro converſis, non autem ad reliqua verba diſpenſandi in 2. 3. & 4. mixtis, non autem ſimplici quoad futura, ut præciſè declarando hanc formulam ſecundam facultatúm, reſcriptum fuit* 15. *Julii* 1711. *ibi. Relata inſtantia Reverendi prædicti Epiſcopi Spigæ ſupplicantis declarari hanc clauſulam: cum his, qui ab Hæreſi, vel Infidelitate cõvertuntur ad Fidem Catholicam, comprehenſam in* §. 6. *facultatùm formulæ ſecundæ &c. impreſſæ ſibi conceſſarum, ſit relativa ad omnia capita dictæ facultatis, vel tantùm ad ultimum, vel in dicta clauſulâ ſit conditio ſine quà non, ſeu ampliativa facultatis? Reſpõſum fuit, clauſulam, de quâ agitur, referri ad ultimum caput tantùm, ita ut dictus Epiſcopus diſpenſare poſſit in 2. ſolo conſanguinitatis, & affinitatis gradu, dummodò primum non attingat, quoad Matrimonia præterita tantùm, & non aliàs, & cum tantummodò perſonis, quæ ab Hæreſi, vel Infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam. Nec eſt ſuperflua dicta replicatio 3. & 4. gradus: quia in primo capite dicitur: in 2. & 3. gradu ſimplici, & mixto: cúm autem in ſecundo capite Papa voluerit concedere in 2. mixto cum 3. & 4. neceſſario debuerat iterùm exprimere 3. & 4. ſed non purè ſimplicem, vel mixtum inter ſe, ut expreſſerat priùs, ſed mixtis cum 2. etiam.*

169 Notatio Secunda. Quid poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa Matrimonii diſpenſationes, ex vi præfati Indulti, ejuſque declarationis à Sacrá Congregatione factæ? Reſpondeo cum diſtinctione, &

170 Dico 1. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi quoad futura Matrimonia, cum quibuſvis perſonis in 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſimplici conjunctis diſpenſare.

171 Dico 2. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi quoad futura Matrimonia, cum quibuſvis perſonis in 3. conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſimplici conjunctis, diſpenſare.

172 Dico 3. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi quoad futura Matrimonia, cum quibuſvis perſonis, in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradu mixtim conjuncti diſpenſare.

173 Dico 4. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi quoad futura Matrimonia, cum quibuſvis perſonis in 2. 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradu mixtim conjunctis diſpenſare.

174 Addo hìc, quòd conſequenter prædicta omnia poſſint Braſiliæ Epiſcopi quoad Matrimonia præterita cum iiſdem præfatis perſonis. Ratio eſt: quià cui conceditur maius, etiam conceditur minus in eodem ordine, cap. *ex parte tuà* 27. De Decimis, & *regul. jur.* in 6. Reg. 53. ibi: *Cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus.* Atqui Braſiliæ Epiſcopis conceditur poteſtas diſpenſandi cum præfatis perſonis quoad futura Matrimonia, quod eſt plus: ergo etiam cenſetur conceſſa facultas diſpenſādi cum iiſdem perſonis quoad Matrimonia præterita, quod eſt minus.

175 Dico

175 Dico 5. Cum his dumtaxat, qui ab Hæreſi, vel Infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam poſſunt Braſiliæ Epiſcopi quoad Matrimonia præterita tantùm, & non aliàs, diſpenſare in 2. ſolo conſanguinitatis, & affinitatis gradu, dummodò primum non attingat.

176 Dico 6. Quo verò ad futura Matrimonia nequeunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in 2. ſolo conſanguinitatis, & affinitatis gradu; nec etiam cum illis, qui ab Hæreſi, vel Infidelitate ad Fidem Catholicam convertuntur. Conſtant omnia ex Indulto Apoſtolico, junctá Sacræ Congregationis declaratione.

177 Dico 7. In omnibus prædictis caſibus, tùm quando diſpenſatur cum illis, qui ab Hæreſi, vel Infidelitate ad Fidem Catholicam convertuntur, tum etiam, quando diſpenſatur cum quibuſcumque aliis perſonis á n. 170. poſſunt Braſiliæ Epiſcopi prolem ſuſceptam declarare legitimam. Patet ex Indulto Apoſtolico, cujus verba quoad hoc nec ſunt ambigua, nec reſtringentia.

SECTIO II.

Dubium Secundum, & Reſponſum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

178 *DUbium Secundum. Cum Patres Societatis JESU habeant Indultum Apoſtolicum diſpenſandi cum Neophytis in impedimentis Matrimonialibus, exceptis certis gradibus, cum clauſula, ut eo utantur, ubi Ordinarii non adſint, vel ultra duas dietas exiſtant, qui habeant ſimilem facultatem diſpenſandi, quam quidem habet Epiſcopus præfatus: an exiſtente Epiſcopo ultrà duas dietas, ſed exiſtentibus Vicariis, quos plures conſtituit per Diœceſim ampliſſimam, ac quibus delegare poſſet dictam facultatem diſpenſandi ultrà duas dietas, poſſint Patres præfati diſpenſare?*

Reſponſum Sacræ Congregationis de Propagandà Fide.

179 *AD dubium ℟. affirmativè, quòd ſcilicet diſtantia duarum dietarum intelligi debeat ab Ordinario, ut ſunt verba ipſa Indulti, quæ in hujuſmodi materià debent attendi, ut advertit Thomas à JESU de converſ. omnium gentium lib. 12. tit. Præambulæ Nationes. Cùm enim privilegia, & Indulta hujuſmodi antiquitùs conceſſa dictis Patribus illis regionibus fuerunt tempore, quo non aderant Epiſcopi inſtituti, ut ipſe Epiſcopus inſtitutus fuit anno 1684. à S. M. Innocentio XI. videbantur ſimilia privilegia Ceſſare in locis, ubi Epiſcopi fuerunt inſtituti, ut notat Verriel de Miſſion. tit. 10. quæſt. 91. ideò mos inolevit concedi per Sedem Apoſtolicam facultatem etiam Epiſcopis; ſed conſervare illam pro Regularibus in locis, ùbi fideles ſunt inter infideles pro Neophytis, ubi iidem Ordinarii ultrà duas dietas exiſtant, ut præſtò ſimul ſit diſpenſatio hujuſmodi converſis ad Fidem: hoc enim modo conſervatur decus Epiſcoporum, & ſatisfit neceſſitati Neophytorum. Hinc nequit extendi intelligentia Brevis ad diſtantiam à Vicariis, & Officialibus, qui conſtituuntur plures ab Epiſcopo per Diœceſim illam vaſ-*

vaſtam: & ad rem facit reſolutio edita 8. *Aprilis* 1689. *videlicet: Pro prædicto* 3. *dubio circa hujuſmodi facultates Epiſcoporum diſpenſandi: an ſit concedenda Epiſcopis facultas ſubdelegandi has facultates? Cenſuit affirmativè, ubi non adſunt Miſſionarii ſimilem fatultatem habentes*: ergo *ubi adſunt, nequit facultas delegari in eorum præjudicium. Cæterum non valent conqueri Ordinarii, ſi Sedes Apoſtolica hanc facultatem conſervet Regularibus in illis partibus; quia ſimilis facultas directe non pertinet ad dignitatem Epiſcopalem, ut ea conſecrandi, benedicendi, &c. ſed ad poteſtatem Papalem, & ſic Papa juſte communicat Epiſcopis, & Regularibus, certo eo modo, ut notat Thomas à Jeſu ibidem.*

180. Prædicta reſponſa Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, ſapientiſſimo, & Reverendiſſimo D. Gaſpare Gonzalvez de Araujo, Sedis Fluminenſis Decano digniſſimo, interveniente, ad manus meas pervenere; ille nimirùm, cum jam D. Epiſcopi Fluminenſis mors inſtaret anno 1721. non ſolùm Pontificias facultates decennales cum poteſtate, ut illis poſt ſuum obitum, quandiù durarent, in bonum publicum uteretur juxta facultat. Catalog num. 28. ſed etiam præmiſſas reſponſiones Sacræ Congregationis à Domino moribundo accepit. Ego vero, ut memoriæ conſulerem, manu propria fideliter tranſcripſi, & uſque ad præſentem diem apud me ſervo una cum anno, menſe, ac die ſub nominis mei ſubſcriptione.

181. Ut autem ad propoſitum dubium redeamus, in eo videretur Jeſuitarum privilegium ſuperfluum, ac inutile exiſtimari, ubi Vicarii DD. Epiſcoporum adeſſent, quatenus in illo quærebatur, an privilegium DD. Epiſcopis conceſſum ſubdelegari dictis Vicariis poſſet? Ibi: *An exiſtente Epiſcopo ultra duas dietas, ſed exiſtentibus Vicariis, quos plures conſtituit per Diœceſim ampliſſimam, ac quibus delegare poſſet dictam facultatem diſpenſandi ultra duas dietas, poſſint Patres præfati diſpenare.*

182 Id vero non eſt credibile, maximè cum privilegium diſpenſandi cum Neophytis prius fuerit Societati directè conceſſum, & poſtea DD. Epiſcopis indirectè, ſeu ſecundario; maximè vero, quia ejuſdem privilegii confirmatio, & prorogatio Pontificia, quæ ſingulis vicenniis renovatur, non â DD. Epiſcopis, ſed à Societate peti ſolet, & obtineri ab anno 1573 ex quo S. Sedes Apoſtolica, experientia teſte, precibus Societatis libenter annuit, ut notatur in Procemio ad Compendium Indicum, pag. 8.

183 His tamen prætermiſſis, contra intentatam praxim extat, & ſufficit reſponſio Sacræ Congregationis à Domino Epiſcopo accepta: ex illa enim conſtat deciſio negativa ad ejuſdem Epiſcopi quæſitum, & facultas tantummodò conceſſa ſubdelegandi: *Ubi non adſunt Miſsionarii ſimilem facultatem habentes: ergo ubi adſunt, nequit facultas delegari in eorum præjudicium.*

184 Id quod ulterius Clemens XI. in Bulla. *Cum dudum*, data die 11. Junii anno 1701. ſtabilivit per hæc verba: *Dictiſque Ordinariis alios Presbyteros idoneos à ſe prius approbatos in locis, ubi non adſint*

Miſſionarii ſimilem facultatem habentes quoad præmiſſa (privilegia diſpenſandi cum Nepphytis) *in ſui locum ſubdelegandi, licentiam concedimus* : ergo in locis, ubi adſunt Societatis Presbyteri, ſimilem facultatem habentes, nequit Epiſcopus ſubdelegare.

SECTIO III.

De uſu prædictæ Facultatis circa gradus mixtos.

185 PRo uſu prædictæ facultatis circa gradus mixtos, ſciendum 1. fratres conjungi in 1. gradu conſanguinitatis ſimplici lineæ tranſverſæ, in qua ſola linea diſpenſari poteſt, aut ſolet, ad Matrimonia horum filii conjunguntur in 2. gradu, nepotes in 3. & pronepotes in 4. gradu ſimplici. Probatur autem hos gradus eſſe ſimplices : quia non apparent alii gradus ſimpliciores his, qui nullam habent mixturam alterius gradus : ergo ſi aliqui conſanguinitatis gradus dicendi ſunt ſimplices, erunt hi. At de his jam egimus ſupra à num. 16.

186 Sciendum 2. gradum mixtum conſanguinitatis ad minus quatuor modis ſumi poſſe. Primo ſumitur gradus mixtus pro gradu completo, habente mixturam aliquam alterius gradus propinquioris : ſic ſe habet ſobrinus, v. g. reſpectu Patruæ, cum qua conjungitur in 2. gradu mixto cum 1. inchoato.

187 Secundo modo ſumitur gradus mixtus pro gradu completo habente mixturam alterius gradus remotioris : ſic ſe habet idem ſobrinus reſpectu filii filiæ fratris ſui, cum qua conjungitur in 2. gradu mixto cum 3.

188 Et quamvis P. Sanchez de Matrim. *lib.* 8. *diſp.* 24. *num.* 24. & 34 vocet hunc gradum potiùs ſimplicem, quam mixtum, eo quod poſt declarationem S. Pii V. validè in eo diſpenſetur, quoties ſit mentio ſolius gradus ſimplicis remotioris, quin neceſſario declaranda ſit mixtura, ſiqua detur cum alio gradu remotiori : tamen, quia Pontifex in hac ſexta facultate poteſtatem facit diſpenſandi, ſive gradus ſint ſimplices, ſive mixti, hinc non eſt, cur amplius immoremur in examine, an dictus gradus ſit ſimplex, an potius mixtus.

189 Tertio modo ſumitur gradus mixtus pro conflato ex duplici gradu completo ejuſdem rationis, ut ſunt, v. g. filii fratrum, & hoc titulo conjuncti in 2. gradu ſimplici ex parte Patris, ſi ipſi etiam ſint filii ſororum ex parte Matris, qui in hoc caſu dicuntur conjuncti in 2. gradu mixto adæquato, ſeu in 2. gradu multiplicato.

190 Quarto modo ſumitur gradus mixtus pro conflato ex duplici gradu completo diverſæ rationis, ut ſunt, v. g. filii fratrum ex parte Patris, ſi ipſi etiam ſint filii conſobrinarum ex parte Matris, qui in tali caſu dicuntur conjuncti in 2. & 3. gradu completis. Quamvis hi duo ultimi gradus potiùs dicendi ſint gradus multiplex conjunctus, quam unus gradus mixtus, & ideo uterque gradus declarari debet in diſpenſationis impetratione obtinendæ. *Sanch. cit. num.* 5.

His poſitis, dubium eſſe poteſt : in quonam ex his quatuor modis accipiẽdi ſint gradus mixti, in quibus Pontifex poteſtatem facit diſpenſandi in hac ſexta facultate ? Sit igitur.

191 Notatio Prima. Quando Pon-

Pontifex poteſtatem facit diſpenſandi in 4. gradu mixto, non intelligitur poteſtatem facere diſpenſandi in 4. gradu mixto ſecundo modo, ſeu mixto cum alio gradu remotiori. Oſtenditur: quià ſi Pontifex facultatem faceret diſpenſandi in quarto gradu mixto ſecundo modo, ſeu mixto cum remotiori v. g. cum quinto gradu, tunc Pontifex nihil concederet, nam quando alter contrahens extra quartum gradum eſt, v. g. in quinto, cùm hic jam ſit extrà gradus prohibitos, licet alter diſtet in quarto, nulla eſt neceſſaria diſpenſatio, *Sanch. lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 24. *n.*35. ergò nè dicamus, quòd Pontifex nihil concedit, potiùs dicendum eſt facultatem concedere diſpenſandi in 4. gradu mixto, alio modo, id eſt, mixto cum gradu propinquiori.

192 Notatio Secunda. Quamvis Pontifex facultatem faciat diſpenſandi in 4. gradu mixto, primò modo, ſeu mixto cum gradibus propinquioribus, non ideó facultatem facit diſpenſandi in 4. gradu mixto cum 1. gradu. Ratio eſt: quia licét S. Pius V. in ſuo motu proprio apud *Sanch. cit. n.* 25. declaraſſet diſpenſationem, aut facultatem diſpenſandi cum inæqualiter inter ſe diſtantibus non indigere expreſſione gradùs propinquioris, ut valida ſit talis diſpenſatio, attamen idem Pontifex declarat apud *Sanch. cit. n.* 32. hoc intelligi, quando gradus propinquior non eſt primus gradus, ibi: *Dummodò primum gradum quoquo modo non attingant*; ergo quando petitur diſpenſatio de aliquo gradu habente mixturam cum primo, requiritur ſpecialis expreſſio ipſius primi gradùs, ut valeat diſpenſatio.

193 Notatio Tertia. In hac ſexta facultate intelligitur Pontifex poteſtatem facere diſpenſandi in 3. & 4. gradu mixtis, tertio modo, ſeu in multiplici gradu completo ejuſdem rationis Probatur; quià licèt juxtà doctrinam *P. Sanch. de Matrim. dicto lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 5. probabilius ſit diſpenſationem obtentam de uno gradu ſimplici, non ſufficere pro eodem gradu multiplicato; cùm actualis diſpenſatio ſit ſtrictæ interpretationis; tamen juxtà eumdem *P. Sanch. cit. n.* 9. poteſtas diſpenſandi in aliquo gradu, cùm ſit favorabilis, ad eumdem gradum duplicatum extenditur; ſed in hac ſexta facultate concedit Pontifex non actualem diſpenſationem, ſed poteſtatem diſpenſandi: ergò intelligitur concedere facultatem diſpenſandi in 3. & 4. gradu mixtis, tertio modo, ſeu multiplicatis: præſertim, quiá facultas hæc conceditur pro talibus gradibus non ſolùm, quando ſunt ſimplices, ſed etiam quando mixti, ut patet ex facultatis contextu.

194 Notatio Quarta. In hac ſexta facultate intelligitur Pontifex poteſtatem facere diſpenſandi in 3. & 4. gradu mixtis quarto modo, ſeu mixtis inter ſe. Probatur: quià ad hos duos gradus ſeorſim ſumptos, vel ſint ſimplices, vel mixti, concedit Pontifex facultatem diſpenſandi: ſed facultas diſpenſandi in duobus gradibus ſeorſim ſumptis, applicari poteſt iiſdem gradibus, quamvis reperiantur conjuncti, ut habet *Sanch. cit. n.* 9. ergò in hac ſexta facultate intelligitur Pontifex poteſtatem facere diſpenſandi in 3. & 4. gradu mixtis inter ſe.

195 Notatio Quinta. In hac ſextà facultate intelligitur Pontifex poteſtatem facere diſpenſandi in 2. 3.

& 4. mixtis tertio, & quarto modo ſumptis. Probatur 1. quià Pôtifex poteſtatem facit diſpenſandi in 2. mixto cum 3. & 4. gradibus eodem modo, quo poteſtatem facit diſpenſandi cum 3. & 4. mixtis, ut vidimus ſuprà num. 173. ſed poteſtatem facit diſpenſandi in 3. & 4. mixtis tertio, & quarto modo ſumptis, ideſt, tùm quando 3. & 4. gradus ſunt multiplicati, ut proximè diximus num. 187. tùm etiam, quando 3. & 4. gradus ſunt mixti inter ſe, ut nuper diximus num. 194. ergò in hac ſextá facultate intelligitur Pontifex poteſtatem facere diſpenſandi in 2. 3. & 4. mixtis eodem modo, quò poteſtatem facit diſpenſandi cum 3. & 4. mixtis

196 Probatur 2. ratione, quà etiam probari poterant duæ præcedentes Notationes: nàm conceſſá facultate diſpenſandi, quando nulla fit exceptio, veniunt omnia, ut docent *Suar. & Sanch.* quos citat, & ſequitur *P. Benedict. Pereyr. in Sum. Theolog. Moral. part.* 2. *num.* 501. ſed Pontifex in hac ſextà facultate poteſtatem facit diſpenſandi in 2. 3. & 4. mixtis, nullá factá exceptione: ergò poteſtatem facit diſpenſandi in 2. 3. & 4. mixtis tertio, & quarto modo ſumptis, ideſt, ſive tales gradus ſint multiplicati, ſivè mixti inter ſe.

197 Unde patet faciliùs diſpenſari, & faciliùs concedi poteſtatem diſpenſandi in 2. mixto cum 3. & 4. gradibus, quam in 2. ſolo. Oſtenditur à poſteriori: quià in hac ſextá facultate conceditur poteſtas diſpenſandi in 2. ſolo cum illis dumtaxat, qui ab Hæreſi, vel Infidelitate convertuntur ad Fidem Cathocam, idque cum reſtrictione, videlicet, quoad Matrimonia præterita, non autem quoad futura, ut conſtat ex dictis ſuprà num. 175.

198 At verò in 2. mixto cum 3. & 4. gradibus conceditur facultas diſpenſandi cum quibuſvis perſonis, etiam non Neophytis, ut vidimus ſuprà num. 173. ergò quià faciliùs diſpenſatur, & faciliùs conceditur poteſtas diſpenſandi in 2. mixto cum 3. & 4. gradibus, quàm in 2. ſolo.

SECTIO IV.

Quid poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa Neophytorum Matrimonia ex privilegiis Societati conceſſis?

199 Expoſuimus hactenùs, qualiter diſpenſare poſſint Braſiliæ Epiſcopi juxtà facultates Pontificias ipſis directè conceſſas ad decem annos: diſputabimus modò, quid ampliùs poſſint circà Neophytorum Matrimonia ex vi privilegiorum, quæ Societati JESU ſunt directè conceſſa.

200 Ad cujus rei intelligentiam nota, quòd licèt per Neophytos accipiant Doctores communiter adultos tantùm converſos ad Fidem uſque ad decem annos poſt converſionem: tamen ex conceſſione Clementis XI. & Benedicti XIII. utriuſque infrà citandi n. 251. nomine Neophytorum in ordine ad fruendum privilegiis, de quibus agimus, non ſolùm veniunt nuper converſi, ſed etiam omnes Indi, omneſque Æthiopes cujuſcumque nationis, quamvis non ſint nuper converſi, ſed potiùs ex parentibus jam dudum Chriſtianis geniti, & in infantia baptizati. Quin etiam talium Neophytorum privilegia Matrimonialia ampliant, & extendunt Pontifices ad mixtos, vulgò *Mamalucos, Mulatos, Caribòcas*, & quoſcumque

cumque alios, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habeant, quàm quartam partem, ut infrá dicetur à n. 263. circá Neophytos igitur in hoc ſenſu ſumptos, de quibus poſthac fiet ſermo, quæſtiones ſequentes inſtituuntur.

201 Notatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare cum prædictis Neophytis in 2. ſolo conſanguinitatis, & affinitatis gradu, etiam quoad futura Matrimonia? ℞. cum diſtinctione, &

202 Dico 1. Attento ſolo Indulto Apoſtolico, quod Braſiliæ Epiſcopis ſupra conceſſum vidimus n. 165. nequeunt ipſi diſpẽſare cum talibus Neophytis in 2. ſolo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu, quoad futura Matrimonia. Ratio eſt: quià in præfato Indulto excipitur 2. gradus quoad futura Matrimonia, etiam cum Neophytis propriè, talibus, quales ſunt, qui ab Hæreſi, vel Infidelitate ad Fidem convertuntur, ibi: *Non tamen in 2. ſolo quoad futura Matrimonia*: ergò.

203 Dico 2. At verò ex privilegiis Societati JESU conceſſis, ac de ejus Presbyterorum ad id deputatorum judicio, & conſenſu, etiam poſſunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare cum talibus Neophytis in 2. ſolo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu, etiam quoad futura Matrimonia. Apud compend. Indic. Romæ impreſſum 1730. pag. 50. verb. *Matrimonium*, ibi: *Poſſunt Provinciales Indiarum; & ab eis deputati Presbyteri gratis diſpenſare cum Neophytis utriùſque Indiæ, aliarumque maris occeani Regionum, in quocumque, ſeu quibuſvis jure divino non prohibitis, non tamen in primo conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel aliàs conjunctis, ſeu ſe attinentibus, ut Matrimonium inter ſe contrahere, ſeu in eo etiam ſcienter contracto remanere valeant in foro conſcientiæ. Ordinarii verò locorum de eorumdem Preſbyterorum, tanquàm adjutorum, & aſſeſſorum ſuorum in locis præfatis, & ubi eorum commodè potuerit haberi copia, conſilio, & cum illis, etiam in judiciali foro. In reliquis autem Provinciis præfatis, Ordinariorum præſentiâ deſtitutis, vel ab eis ultrà duas dietas præfatas, non minùs ducentis millibus paſſuum remotis, Provinciales, & deputati Preſbyteri ſuprà dicti, cum eiſdem Neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro diſpenſare, & eos, qui in gradibus prohibitis hujuſmodi, etiam ſcienter cõtraxerint, ab exceſſibus, & excommunicatione, aliiſque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis in utroque foro gratis pariter abſolvere, ac prolem inde ſuſceptam legitimam decernere valẽt. Paulus IV. in Bulla, Licèt debitum, data 16. Octobris 1549. Pius IV. Brevi dato 25. Junii 1563 à Benedicto XIII. confirmato, & prorogato ad annum* 1750.

204 Ubi notanda ſunt deligenter verba illa privilegii: *Ordinarii verò locorum de eorumdem Preſbyterorum, tanquàm adjutorum, & aſſeſſorum ſuorum conſilio, & cum illis, etiam in judiciali foro*. Ex quibus manifeſtum fit particulam illam (*&*) ſenſum copulativum reddere, ità ut ad diſpenſandũ cum talibus Neophytis, non ſufficiat á prædictis Præsbyteris cõſilium petere, niſi etiam illorum conſenſus, ſeu aſſenſus accedat: ea enim eſt vis dictæ particulæ copulativæ, ut cõcurſum

ſũ copulatorũ requirat perGloſſam, & Doctores in cap. de Reſcript. *Baldum.* Conſilio 318. in fine, *volum.* 4. *Caſtrum Conſilio* 44. *col.* 2. *volum.* 1. & alios communiter.

205 Neque obſtat, quòd communiter aſſeſſorum non aſſenſus, ſed conſilium requiratur; quià licèt hoc verum ſit, loquendo de aſſeſſoribus nudè talibus; tamen deputati Presbyteri, non aſſeſſores tãtùm, ſed etiam adjutores á Pontifice deſignantur, ut in privilegio dicitur: unde quoad hoc in partem ſollicitudinis vocantur; tanquam ii, quibus privilegium fuit directè conceſſum, quibusvè miniſterium converſionis, & fidei propagatio incumbit. Conſilium igitur aſſeſſoribus, aſſenſus verò adjutoribus reſpondet, ut apertè ſignificant verba illa: *Etiam cum illis*, & ità notavit *Avendan. Theſaur. Indic. tit.* 12. *cap.* 14. *n.* 392.

206 Sic praxis habet, ut in locis, ubi Ordinarius exiſtit, ad prædictum munus obeundum Societas Presbyteros deputet, qui unà cum Ordinario diſpenſant ſuper impedimentis talium Neophytorum in 2. ſolo conſanguinitatis, & affinitatis gradu, etiam quoad futura Matrimonia: in locis autem, à quibus Ordinarius diſtat ultrà duas dietas, non minùs ducentis millibus paſſuum, id præſtant, ſe ſolis, Presbyteri Societatis ad id deputati.

207 Ad hos igitur Presbyteros, qui ubi Theologia Speculativa, aut ſaltem Moralis traditur, plerumque ipſius Theologiæ Profeſſores deputari ſolent, aliàs alii, remittit Ordinarius Oratorum ipſorum, qui diſpenſandi ſunt, inſtrumẽta authentica, ut feriò examinentur, ac tandem reſolvatur: an verè Neophytus ſit, qui diſpenſationem petit juxta Neophytorum privilegia? Quibus rité peractis, de Patrum deputatorum judicio, atque etiam conſenſu fit, aut non fit diſpenſatio: quatenus, ſi Ordinarius diſpenſare præſumeret, ſe ſolo, ubi adſint Patres deputati, diſpenſatio erit nulla, attentis Bullis Pontificiis, ac earum tenore. Quarè meminerint RR. Patres deputati de intentione habenda, & conſenſu ſuo præſtando, quoties ſimul cum Ordinario diſpenſabunt.

208 Notatio Secunda. An virtute ejuſdem privilegii, ac de eorumdem Presbyterorum judicio, & conſenſu poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare cum prædictisNeophytis in 2. conſanguinitatis, vel affinitatis gradu mixtim cum primo? Affirmandum videtur. Ratio eſt I. quia tale privilegium excipit dumtaxat primum gradum, ibi: *non tamen in primo*: ergò cùm exceptio firmet regulam in contrarium, ſequitur, quod tale privilegium in omnibus aliis gradibus diſpenſare concedat, qui non fuerint ſimpliciter primus: primus autem gradus mixtim cum 2. non eſt ſimpliciter primus. (Standum, prout inferius dicitur in fine Notationis num. 215.)

209 Ratio eſt 2. quià gradus remotior trahit ad ſe, & imbibit proximiorem, ut tenet juris communis axioma: ergò cùm gradus ſecundus ſit remotior, debet trahere ad ſe, & imbibere primũ, ut proximiorem: eò autem ipſo, quòd detur facultas diſpenſandi in 2. ſolo, etiam datur facultas diſpenſandi in 2. gradu mixtim cum primo, ut potétractò ad ſecundum, & in eo imbibito.

210 Neque obſtat; quòd gradus remotior ſolum trahat ad ſe, & imbibat proximiorem, quandò gradus

gradùs proximior non eſt primus gradus,ut dicitur in Motu proprio S. Pii V. apud *Sanch. de Matrimon. lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 32. ibi: *Dummodò primum quoquo modo non attingat.* Unde ſequitur, quòd neque cum Neophytis diſpenſari poſſit in 2. gradu mixtim cum primo.

211 Non, inquam, obſtat: quià S. Pontifex ſolùm fuit locutus de diſpenſatione in gradibus prohibitis mixtim cum primo, quando mixtura primi gradus non exprimitur, ut ait citat. *Sanch.* per hæc verba: *Tertiò advertendum eſt, quandò propinquior gradus ſtipiti fuerit primus, nullatenùs valere diſpenſationem, in quà ſolius remotioris mentio fit.* Et rurſus ibidem: *Si ergò ſoliùs remotioris gradùs mentio fiat, non explicatà diſtantià alterius contrahentis à ſtipite in primo gradu, diſpenſatio erit prorſus ſubreptitia.* Et in fine. n. 34. ibidem habet: *Nunquam Pontificis mentem eſſe diſpenſare in hoc caſu, niſi exprimatur primus gradus.*

212 Quæ doctrina, ut radicitùs percipiatur, rem ab ovo aperiamus. Diſputabatur olim: an in diſpenſationis impetratione ſuper gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, quando contracturi diſtant inæqualiter á ſtipite, ut ſi alter diſtet in ſecundo, & alter in tertio, ſit neceſſaria mentio gradùs propinquioris, quo alter diſtat? An potius ſit ſatis mentio remotioris? Affirmabant alii, alii negabant, ut videre eſt apud *Sanch. de Matrim. lib.* 8. *diſput.* 24. *n.* 33. & 34.

213 Tunc S. Pius V. in Motu proprio, edito anno 1566. die 26. Auguſti, controverſiam hanc ad jus commune reduxit, ac revocans Motum proprium Pii IV. decidit non eſſe neceſſariam gradùs propinquioris mentionem, ſed ſufficere remotioris, obtentis tamen poſteà literis declaratoriis ſuper propinquiori. *Sanch. cit. n.*25. limitavit tamen idem S. Pontifex: *Dummodò gradus remotior primum quoquo modò non attingat.* Quibus addit citatus *Sanch. dict. n.*34. in fine: *Niſi exprimatur primus gradus.*

214 His ſuppoſitis, ſic infero. Ergò ſi fiat mentio ſecundi gradùs mixtim cum primo, & exprimatur diſtantia contracturi à ſtipite in primo gradu mixtim cum ſecundo, & ſub hac expreſſione, & declaratione petatur, & fiat diſpenſatio, jam non itur contrà motum S. Pii V. Deindè, cum ſecundus gradus mixtim cum primo non ſit ſimpliciter primus gradus, in quo ſolo diſpenſari nequit: rectè inferimus, quòd etiam cum Neophytis diſpenſari poſſit in 2. gradu mixtim cum primo, dummodò mixtura primi gradùs exprimatur.

215 Et hujus ratio eſſe poteſt: quià in privilegio pro Neophytis conceſſo excipitur tantùm primus gradus, ibi: *Non tamen in primo*: non autem excipitur primus gradus mixtim cum ſecundo: cùm igitur contra eum, qui mentem ſuam, cùm poſſet, non aperuit, facienda ſit interpretatio, juxtà *Regul.* 57. De regul. jur. in 6. & deinde favores ſint ampliandi, Gl. fin. in leg. *Servus.* Inde deducimus, quòd ille, qui in 2. ſolo diſpẽſare poteſt, etiam poſſit in ſecundo mixtim cum primo, dummodò mixtura primi gradùs exprimatur juxtà mentem S. Pii V. Hæc mihi videntur probabilia.

Sed contrarium videtur verius, & in praxi tenendum: quia in

in conjunctis 1. & 2. gradibus á communi ſtipite provenientibus datur diſpenſatio ſuper utròque gradu, ut patet ex ſtylo Curiæ, & teſtatur *De Juſtis lib. 1. cap. 4. num.* 127. privilegium autem non dat facultatem ad diſpenſandum in 1. gradu, quia ibi 1. gradus excipitur. Et quidem exceptio intelligi non debet de 1. gradu ſimplici, qui datur inter fratres, & ſorores; aliás ſuperflua eſſet talis exceptio, cum Papa nunquam diſpenſarit, nec poſſit diſpenſare juxta probabiliorem opinionem, ut frater matrimonium contrahat cum ſorore: intelligitur ergò exceptio de 1. gradu mixto cum 2. qui intelligeretur conceſſus, niſi exciperetur, non vero de 1. gradu ſimplici, qui ſemper intelligeretur exceptus.

216 Notatio Tertia. An ex privilegio pro Neophytis conceſſo, ac de Societatis Presbyterorum judicio, ac conſenſu poſſint Braſiliæ Epiſcopi in primo gradu, etiam rectæ lineæ affinitatis, ex copulá illicitá reſultantis, ſe attinentibus, ut Matrimonium quoque inter ſe contrahere; ſeu in eo etiam ſcienter contracto remanere ſimiliter valeant, in occultis tamen, & in foro conſcientiæ tantúm, ac urgentibus juſtis cauſis, diſpenſare? Affirmamus: ità enim conceſſit Clemens XI. in Bullà, quæ incipit, *Cùm dudùm*, data 11. Junii 1701. & noviſſimè confirmavit Clemens XII. in Bullá, quæ etiam incipit, *Cùm dudùm*, data 9. Setembris, 1734.

217 Et quamvis Avendanius *Theſaur. Indic. tit.* 12. *cap.* 14. multis probare contendat à n. 388. ſimile, & amplius privilegium diſpenſandi cum Neophytis in primo gradu, in occultis tamen, & pro foro conſcientiæ, ex conceſſione Gregor. XIII. die 17. Julii, anno 1577. fuiſſe, & eſſe perpetuum; hodie tamen poſt Clementem XI. in compend. Indic. verb. *Matrimonium.* §. 1. verſu, *Cum anno Domini*: & noviſſimè poſt Clementem XII. in ejus præcitatá Bullá, *Cum dudùm*, jam doctrina Avendanii ſuſtineri nequit quoad privilegii perpetuitatem: id quod maximè advertendum eſt, & pro certo tenendum, videlicet, quòd iſtius, ſicut, & cæterorum privilegiorum duratio non ſit perpetua, ſed temporaria, adeóque ſuo tempore renovanda.

SECTIO V.

De poteſtate diſpenſandi cum Neophytis in aliis impedimentis.

218 Apud compend. Indic. verb. *Matrimonium* §. 2. per illa verba in ſuperiori privilegio appoſita. *In quocumque, vel quibuſvis; non tamen in primo conſanguinitatis, vel affinitatis* gradibus, ſeu àliás conjunctis, vel ſe attinentibus: ſolùm excludi primum gradum conſanguinitatis, & affinitatis: & poſſe Noſtros modo ſuprà dicto diſpenſare in impedimento cognationis ſpiritualis, & in omnibus aliis impedimentis definivit, & declaravit Clemens XI. in Bullá data 29. Aprilis 1701. incipit. *Aliàs pro parte.* His poſitis, ſit.

219 Notatio Prima. An de Societatis Presbyterorum judicio, & conſenſu poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare cum Neophytis in cognatione Spirituali orta ex Baptiſmo, & confirmatione, & inter levantem,

vantem, & levatum, vel in cognatione legali orta ex adoptione: ac tandem in impedimento publicæ honeſtatis ortæ ex ſponſalibus, atque etiam ex Matrimonio rato? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià in præfato privilegio datur facultas diſpenſandi etiam in quacumque alià conjunctione, quam inter ſe habeant Neophyti, quæ aliundè Matrimonio obſtaret, ibi: *Vel aliàs conjunctis, ſeu ſe attinentibus*: jam verò ultrà conſanguinitatis, & affinitatis non apparet alia conjunctio, ſeu attinentia obſtans Matrimonio, niſi cognatio tam ſpiritualis, quàm legalis, & publica honeſtas.

220 Notatio Secunda. An ex omnibus prædictis Matrimoniis denuò celebratis, aut revalidatis prolem antecedenter ſuſceptam poſſint Braſiliæ Epiſcopi ſimul cum Jeſuitis legitimam declarare, ac decernere? Affirmamus ex præcitato privilegio apud Comp. Indic. verb. *Matrimonium* §. 1. ad finem.

221 Ex dictis in hac, & præcedenti Sectione conſtat in ſolo primo conſanguinitatis, & affinitatis gradu non poſſe Epiſcopos, nec etiam Jeſuitas cum Neophytis diſpenſare, ibi: *Poſſunt diſpenſare in quovis, vel quibuſvis, non tamen in primo*: hæc autem exceptio, *non tamen in primo*, intelligitur pro judiciali foro: in occultis enim, & pio foro conſcientiæ, etiam poſſumus diſpenſare cum Neophytis in primo affinitatis gradu, etiam lineæ rectæ ex copula illicita reſultantis juxtà proximè dicta n. 216.

SECTIO VI.

De Capitulo, Sede Vacante.

222 NOtatio Unica. An illa omnia, quæ uná cum Jeſuitis poteſt Epiſcopus circá Neophytorum Matrimonia, poſſit ſimiliter Capitulum, Sede Vacante, dummodò ſerventur locorum circumſtantiæ, & aliæ limitationes, quæ in duabus proximis Sectionibus ponuntur? Affirmamus primó: quià nomine Ordinarii venit etiam Capitulum, Sede Vacante; privilegia autem Societati conceſſa non alio utuntur nomine, quam Ordinarii. Comp. Indic. verb. *Matrimonium* §. 1. ibi: *Ordinarii verò locorum*: & rurſùs. §. 5. ibi: *Poſſunt etiam Noſtri, & Ordinarii.*

223 Secundó: quià prædicta privilegia Epiſcopis non competunt ratione alicujus Gratiæ Apoſtolicæ ipſis directé conceſſæ, ſed potiùs intuitu Societatis, cui talia privilegia directè conceduntur, adeòque media ipſà Societate participant Epiſcopi, ut Ordinarii ſunt: in his autem, quæ ſunt Epiſcoporum, ut Ordinarii ſunt, ſuccedit Capitulum, Sede Vacante, ut eſt in jure tritum.

224 Tertio, quia omnia illa rationum momenta, aut ſaltem illarum plurima, quibus defendimus privilegia à Pio IV. conceſſa Ordinariis Ultramarinis, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubjectis, tranſire in Capitulum, Sede Vacante, non tàm reſolutioni huic adaptari poſſunt, quam maiori ex parte pro ea militant: ergo. Videantur ſuperiùs dicta à n. 108.

SECTIO VII.

Quid veniat nomine Dietæ?

225 CUm in Indultis Apoſtolicis apud Compendium Indicum verb. *Matrimonium.* §. 1. ponatur hæc clauſulæ: *Ultrà duas dietas, non minùs ducentis millibus paſſuum*: hinc tractandum eſt 1. quid per duas dietas intelligatur? 2. quid importent ducenta millia paſſuum? Ut alia deinde dubia per ſequentes Sectiones reſolvantur.

226 Suppono tamen 1. quòd dieta dupliciter accipiatur, nempè vulgariter, & legaliter, ut notat Gloſſa in cap. *Nonnulli*, verb. *Ultrà duas dietas*, De Reſcript. Dieta vulgaris importat iter unius diei juxtà conſuetudinem regionis, ac proinde non eſt eadem apud omnes, ſed maior, aut minor, præſertim ſi leucæ non ſint ejuſdem longitudinis. Dieta verò legalis continet viginti milliaria, ſeptem ſcilicet leucas, parúm, minùsvè, juxtà Leg. ff. Siquis caution; & leg. 3. ff. De verborum ſignificat.

227 Eſt inſuper hoc aliud diſcrimen intra unam, & alteram dietam: quòd in dietà legali quilibet exceſſus, etiam uniùs milliarii, ſuprà viginti computatur pro ſecundà dieta, ut dicitur in eadem l. 3. Non ſic autem in dietà vulgari, ut notat *Paſqualig. quæſt.* 611. *n.* 1.

228 Suppono 2. duplicem dari ſententiam de accipiendis dietis in ordine ad privilegia Indica. Prima ſententia aſſerit dietas eſſe accipiendas de legalibus. Ità *Rodrigues tom.* 1. *quæſt. Regular. quæſt.* 19. *art.* 6. *in fine. Henriq. lib.* 9. *Summ. cap.* 27. *n.* 7. & *in Comment.* lit. *D.* Ratio eſt: quià præſumendum eſt, quòd Pontifex privilegium cõcedat ſecundùm terminos juris, alioquin cùm dietæ vulgares ſint incertæ, etiam incertum eſſet, quando privilegium locum haberet, & ſuboriri poſſent plures difficultates.

229 Secunda veró ſententia, quam cum Paſqualig. *cit. n.* 4. amplectimur, defendit dietas eſſe intelligendas de vulgaribus. Fundamentum eſt: quià de jure, niſi aliter exprimatur, nomine dietæ venit vulgaris: ità ſtatuitur in cap. *de præſenti*, §. *loca*, De prab. in 6. ubi dicitur: *Dietas, de quibus ibi agitur, debere eſſe legales, & ità ſpecialiter computandas in illo caſu.* Undè ſi ſpecialiter ſunt computandæ in illo ſingulari caſu, legali modo: rectè infertur, quòd in aliis caſibus, & generaliter, erunt computandæ oppoſito modo, nempe vulgari, ut ponderat ibidem *Joannes Andr.* Vide plura apud *Paſqualig. cit. n.* 5. Sit igitur.

230 Notatio Unica. Per duas dietas veniunt quindecim leucæ Braſilicæ, parùm, minùſvé. Oſtenditur reſolutio: quià ad unam dietam requiritur ſpatium, quod uno die pedes conficit abſque incommodo, ſeptem ſcilicet leucas Braſilicas; parùm, minùſve: ergò ad duas dietas requiritur ſpatium, quod biduo pedes conficit abſque incommodo, nempè quindecim leucas Braſilicas, parùm, minuſvè. Conſequentia patet. Antecedens colligitur ex *Clericato Erotemat. Eccleſiaſtic. cap.* 31. *n.* 28. ubi ait *Unam dietam continere viginti milliaria ex Gloſ- in* cap. *Nonnulli verb. duas dietas* De Reſcript. ex viginti autém milliariis ſeptem leucæ, parùm, minuſvè componuntur. Unde ſi ad unam dietam requiruntur ſeptem leu-

leucæ parum, minuſve: optime deducitur, quòd ad duas dietas requirantur quindecim leucæ parum, minuſve.

231 Ubi advertendum 1. cum Paſqualig. *cit. n.* 6. dietas vulgares eſſe accipiendas juxta conſuetudinem regionis, in qua iter conficitur.

232 Advertendum 2. quòd ob eamdem rationem ſumi debeant dietæ vulgares cum inæqualitate, nempe ſecundum diviſionem itineris, quod ſingulis diebus fit, habita ratione commoditatis hoſpitii, & ſicuti dividere ſolent, qui iter faciunt nec lente, nec feſtinanter. Ratio eſt: quia dietæ ſicut vulgariter accipiendæ ſunt, ita etiam vulgariter menſurandæ, & dividendæ ſunt, adeoque juxta id, quod regulariter contingere ſolet.

SECTIO VIII.

Quantum viæ ſpatium importent ducenta millia paſſuum?

233 NOtatio Unica. Quot leucas Braſilicas importent ducenta millia paſſuum? ℞. importare quinquaginta leucas. Ratio eſt: quia leuca Luſitana, cujus longitudinem Braſilica imitatur, ex quatuor millibus paſſuum componitur, ut apud Senatus Regios receptum eſt, & affert Bluteau in ſuo Dictionar. Luſitan. verb. *Legoa*: facta autem reductione paſſuum in leucas, ex ducentis millibus paſſuum quinquaginta leucæ integrantur, & non plures, ut facienti computationem conſtabit.

234 Notandum tamen cum *Avendan. Theſaur. Indic. tit.* 12. *cap.* 14. *n.* 394. prædictos paſſus non eſſe arimethice computandos, quod eſt moraliter impoſſibile, ſed reducendos ad dietas, quæ etiam ſumi debent cum inæqualitate, & ſecundum conſuetudinem regionis, ut cum *Paſqual.* proxime notavimus *n.* 231. & 232.

SECTIO IX.

An, & ubi poſſit Epiſcopus ſe ſolo diſpenſare cum neophytis?

235 NOtatio Prima. An poſſit Epiſcopus ſe ſolo diſpenſare cum neophytis? ℞. affirmative: ita enim conceſſit Clemens XII. in Bulla *Cum dudum*, data 9. Septembris 1734. ibi: *Ipſis vero Ordinariis è contra, ubi Presbyteri præfati adſunt, vel eorum commode haberi poteſt copia, de eorum tamquam adjutorum, & aſſeſſorum ſuorum conſilio, & cum illis: ubi autem non adſunt, nec eorum commode copia haberi poteſt, etiam ſine illis*: ubi ponderanda ſunt illa verba *Etiam ſine illis.*

236 Notatio Secunda. In quibus locis poſſit Epiſcopus ſe ſolo diſpenſare cum neophytis? ℞. debere Epiſcopum diſtare à Societatis Presbyteris, ut poſſit ſe ſolo diſpenſare cum neophytis. Conſtat ex proximo Indulto, ibi: *Ubi autem non adſunt, nec eorum commode copia haberi poteſt, etiam ſine illis.* Quemadmodum igitur Epiſcopus, ubi adſunt Societatis Presbyteri, aut eorum copia commode haberi poteſt, diſpenſare nequit ſe ſolo; ita ſi per Diœceſim diſcurrat, ubi non adſint præfati Presbyteri, nec eorum copia commode haberi poſſit, tunc poterit Epiſcopus ſe ſolo cum neophytis diſpenſare. Totum conſtat ex privilegio.

237 Advertendum tamen 1. prædictum privilegium non eſſe perpetuum, ſed temporarium, adeoque ſingulis vicenniis reformandum. Caſu igitur, quo ea reformatio cum à Sede Apoſtolica petitur, Societati JESU denegaretur, (quod tamen ab anno 1573. non contigit, ut notatur in Compend. *Indico pag.* 8.) tunc etiam tale privilegium quoad Epiſcopos expiraret; cum illud Epiſcopis, & Societati promiſcue, quamvis ad iſtius preces concedatur.

238 Advertendum 2. quod quando in poſterum reformabuntur privilegia Indica, ſi forte in Bullis reformandis prædictum privilegium ſupprimatur, (ut jam in Bulla *Animarum ſaluti* 12. Decembris 1729. ſuppreſſum fuit, & niſi poſtea per Bullam *Cum dudum* 9. Septembris 1734. iterum reviviſceret, jam omnino expiraverat:) in tali etiam eventu præfatum privilegium expirat quoad Epiſcopos, adeoque vi illius, utpote jam extincti, nequaquam poterit Epiſcopus ſe ſolo diſpenſare cum neophytis, etiam ubi non adſint Societatis Presbyteri. Tenebitur igitur Epiſcopus, ut licite, & valide diſpenſet cum neophytis ſe ſolo, diligenter præſcire; an hoc privilegium in Bullis futuris reformatum ſit, necne?

239 Notatio Tertia. Quantum debeat Epiſcopus diſtare à Societatis Presbyteris, ut poſſit ſe ſolo diſpenſare cum neophytis? ℞. nullam certam, & determinatam diſtantiam definiri poſſe, cùm id arbitrio Epiſcoporum relinquatur, ut innuunt verba privilegii, ibi: *Ubi non adſunt, nec eorum commode copia haberi poteſt, etiam ſine illis*: quod autem penes Epiſcoporum arbitrium eſt, reſtringere non debemus.

240 In quibus autem locis, & in qua diſtantia verificabitur hæc conditio: *Nec eorum commode copia haberi poteſt*; videant D.D. Epiſcopi: dummodo non exponantur periculo deſpenſandi nulliter, ſi videlicet diſpenſent ſe ſolis, quando unà cum Jeſuitis diſpenſare tantum poterunt.

SECTIO X.

Dubia obiter reſolvenda.

241 NOtatio Prima. An poſſint Societatis Presbyteri ſe ſolis diſpenſare cum neophytis in utroque foro? Reſolutio affirmativa conſtat expreſſe ex privilegio ſupra n. 203. quod in uſu eſt, & viridi obſervantia.

242 Notatio Secunda. In quibus locis poſſint Societatis Presbyteri ſe ſolis diſpenſare cum neophytis in utroque foro? ℞. ut Societatis Presbyteri poſſint ſe ſolis diſpenſare cum neophytis in utroque foro, debent ab Ordinario diſtare quinquaginta leucas Braſilicas. Oſtenditur: quia ubi primum habetur diſtantia ducentorum millium paſſuum ab Ordinario, ſtatim habetur diſtantia à privilegio requiſita, ut Societatis Presbyteri poſſint ſe ſolis diſpenſare cum neophytis in utroque foro, ibi: *In reliquis autem Provinciis, Ordinariorum præſentia deſtitutis, vel ab eis ultra duas dietas, non minus ducentis millibus paſſuum remotis, Provinciales, & deputati Presbyteri cum eiſdem neophytis in utroque foro.* Atqui ducenta millia paſſuum ad quinquaginta leucas Braſilicas reducuntur, ut probatum manet ſupra n. 233. ergo, ut Societatis Presbyteri poſſint

ſint ſe ſolis diſpenſare cum neophytis in utroque foro, debent ab Ordinario diſtare quinquaginta leucas Braſilicas.

243 Dices tamen. Verba illa: *Ultra duas dietas, non minus ducentis millibus paſſuum*, ſignificant, quòd præter ducenta millia paſſuum quinquaginta leucas importantium, requiratur etiam diſtantia duarum dietarum quindecim leucas importantium: ergo, ut Societatis Preſbyteri poſſint ſe ſolis diſpenſare cum neophytis in utroque foro, debent ab Ordinario diſtare ſexaginta quinque leucas, non vero quinquaginta tantum; cùm ex quinguaginta leucis per ducenta millia paſſuum importatis, & ex quindecim leucis per duas dietas importatis, ſexaginta quinque leucæ, non vero quinquaginta tantum, reſultent.

244 ℞. prædicta verba non eſſe accipienda in ſenſu allegato, ſed potius in hoc, videlicet: ut Societatis Presbyteri poſſint ſe ſolis diſpenſare cum neophytis in utroque foro, requiritur maior diſtantia ab Ordinario, quam duarum dietarum; ita ut hæc diſtantia non ſit minor, quam ducentorum millium paſſuum: non autem ſignificant verba illa, quòd præter diſtantiam duarum dietarum requiratur etiam diſtantia ducentorum millium paſſuum. Hic eſt communior ſenſus, & cum ſit in materia favorabili, eſt abſolute retinendus. Conſonat *Regul.* 57. de Regul. jur. in 6. ibi: *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, facienda eſt interpretatio.* Itaque per illa verba: *Non minus ducentis millibus paſſuum*, non venit augmentatio diſtantiæ ſupra duas dietas, ſed ſolum interpretatio, & expoſitio diſtantiæ, quæ importatur per hæc verba: *Ultra duas dietas.*

245 Ratio eſt: quia ſi Pontifex poteſtatem faceret diſpenſandi ultra duas dietas, quin ſubjungeret: *Non minus ducentis millibus paſſuum*, ſequeretur, quòd ubicumque Societatis Presbyteri ab Ordinario diſtarent ſexdecim leucas v. g. eo ipſo diſpenſarent ſe ſolis, & quidem bene: quia jam diſtarent ultra duas dietas ſecundum dicta n. 230. Nequis igitur præſumeret brevem adeo diſtantiam ab Ordinario ſignificari per hæc verba: *Ultra duas dietas*, ideo Pontifex ſubjunxit: *Non minus ducentis millibus paſſuum*, ut nimirum ſic declararet ſub his verbis: *Ultra duas dietas*, non minus ſpatium comprehendi, nec pauciora, quam ducenta millia paſſuum contineri, non quidem arithmetice computanda, ſed vulgariter, & juxta conſuetudinem regionis, ut cum *Avendan.* notavimus ſupra n. 234.

246 Declaratur ulterius: quia Pontifices modo utuntur omnibus his terminis: *Ultra duas dietas, non minus ducentis millibus paſſuum*: ut viſitur in Bulla: *Animarum ſaluti* 12. Decembris 1729. modo utuntur his tantum terminis: *Ultra duas dietas juxta conſtitutionem Pauli III.* ut viſitur in Bulla *Cum dudum* 9. Septembris 1734. ſed poſteriores illi termini, nempe: *Ultra duas dietas*, ſeorſim ſumpti non pauciora ſignificant, nec pauciora ſignificare intelliguntur, quam ducenta millia paſſuum; quamvis talia ducenta millia paſſuum in citata Bulla *Cum dudum* non exprimantur: ergo ſimiliter priores illi termini, nempe: *Ultra duas dietas, non minus ducentis millibus paſſuum*, etiam conjunctim ſumpti non plura ſignificant, nec plura ſignificare intelliguntur juxta mentem Pontificis,

tificis, quam ducenta millia paſſuum, quamvis hæc clauſula: *Ultra duas dietas*, in citata Bulla *Animarum ſaluti* exprimatur.

247 Oſtenditur conſequentia: nam in Compendio Indico antiquiori Romæ impreſſo anno 1606. pag. 21. §. 6. nulla alia clauſula apponitur, niſi hæc: *Non minus ducentis millibus paſſuum*: ergo ſignum eſt, quòd non plura requirantur, quam ducenta millia paſſuum in tali Compendio aſſignata, quamvis in Bulla *Animarum ſaluti* apponatur etiam clauſula: *Ultra duas dietas*: ſicut è contra per ſolam clauſulam *ultra duas dietas* appoſitam in Bulla *Cum dudum*, nullatenus pauciora ſignificantur, quam ducenta millia paſſuum; quamvis talia ducenta millia paſſuum in Bulla *Cum dudum* non exprimantur. Concludo igitur, ducenta millia paſſuum eſſe terminum certum, & à Pontifice præfixum ad explicandam, & commenſurandam diſtantiam, quæ per hanc clauſulam: *Ultra duas dietas*, venit, ſive talis clauſula apponatur, ſive non.

SECTIO XI.

De his, qui in ordine ad privilegia neophytorum participanda pro neophytis reputantur.

248 NEophytus dicitur quaſi novus in fide: à *Neos* novum, & à *Phytos* fides. *Benedict. Pereir. Elucidar. n.* 553. Eſt igitur proprie neophytus ille, qui ad fidem de novo convertitur, & in adulta jam ætate baptizatur.

249 Tempus vero, pro quo neophytus quis reputandus ſit, ad Epiſcopum ſpectat determinare; ejuſque arbitrio, attenta qualitate perſonæ, & fidei inſtructione, coarctabitur, vel prorogabitur tale tempus, dummodo non excedat decennium, hoc enim poſt baptiſmum elapſo, neophytus eſſe deſinit. Ita ex *Suar. & Ægid. Bonacin. diſp. 7. de Irregular. q. 2. p. 1. n. 6.*

250 Dicta procedunt ſecundum jus commune: nam ſi ſpectentur jura particularia, ſeu potius Indulta Apoſtolica gentibus transmarinis conceſſa in ordine ad varia privilegia matrimonialia; etiam multi, qui ſunt in infantia baptizati, & ex parentibus Chriſtianis progeniti, pro neophytis reputantur, dummodo certas habeant conditiones, de quibus ſtatim.

251 Notatio Prima. Quinam ſint prò neophytis reputandi in ordine ad privilegia matrimonialia neophytorum participanda? ℞. nomine neophytorum in ordine ad participanda privilegia matrimonialia neophytis conceſſa veniunt, & intelliguntur omnes oriundi, ſeu naturales omnium tam Orientalium, quam Occidentalium partium, & regionum: immò etiam ſi Æthiopes, Angolani, vel quarumvis aliarum tranſmarinarum regionum: etiam ſi Chriſtianorum filii, & in infantia baptizati, vel etiam inter ſe, vel cum Europæis mixtim progeniti ſint, qui mixti vocantur. Ita declaravit, & conceſſit Clemens XI. in Bulla: *Alias pro parte* edita 29. Aprilis 1701. & rurſus in Bulla: *Animarum ſaluti*, data 22. Septembris 1708. quam poſtea confirmavit Benedictus XIII. die 12. Decembris 1729.

252 Textus Bullæ: *Animarum ſaluti*, quoad privilegia matrimonialia neophytorum ſic habet: *Inſuper, quia à nonnullis dubitatum,*

tatum, ſeu hæſitatum fuit, an omnes indigenæ illarum Regionum oriundi, & naturales, & Chriſtianorum indigenarum etiam baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati, jure Neophyti appellari poſſint? Idcircò tenore earumdẽ præſentium decernimus, ac declaramus, omnes oriundos, ſeu naturales ſupradictarum omnium, tàm Orientalium, quàm Occidentalium partium, imò etiam ſi Æthiopes, Angolani, vel quarumvis aliarum tranſmarinarum Regionum, etiam ſi Chriſtianorum filii, & in infantiâ baptizati, vel etiam inter ſe, vel cum Europæis mixtim progeniti ſint, ad conceſſionis hujuſmodi effectum eſſe, & intelligi debere Neophytos, dictoſque Presbyteros cum hujuſmodi, ut vel Matrimonio conjungi, vel in jam contracto remanere poſſint, ſive eorum alter tantùm, ſive etiam uterque indè oriundus, ac propriè indigena ſit in locis, & aliàs, ut ſuprà in quibuſcumque conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus jure Divino, ut ſuprà non prohibitis, primo excepto, & aliàs, ut præfertur, gratis tamen, diſpenſare poſſe concedimus, & indulgemus. Quin etiam, quià de mixtim progenitis, quos mixtos vocant, maius dubium eſſe accepimus, cum eiſdem mixtis, quos ſimiliter ad hunc effectum Neophytos cenſendos eſſe decernimus, in gradibus, & Matrimoniis contractis, & contrahendis præfatis, gratis tamen diſpenſare, eiſdemque Presbyteris facultatem deſuper concedimus opportunam. Decernentes Presbyteros dictæ Societatis ſuper præmiſſis, & aliis juxtà facultates præfatas, & illarum vigore, ſervatâ tamen illarum formâ, exequendis, ex quovis alio prætextu, vel quovis colore per quoſcumque loci Ordinarios, ſeu alios ſuperiores, & Judices Eccleſiaſticos, & Sæculares quâvis auctoritate fungentes moleſtari, perturbari, vel inquietari nullatenùs poſſe: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quâvis aliter judicandi, interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his á quoquàm, quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

253 Pro pleniori Bullæ intelligentiá nota, quod nomine: *partium Orientalium*: veniunt omnes Regiones, & Inſulæ, quæ ultrà Mauritaniam verſus Auſtrum, & Orientem ad Regem Portugalliæ ſpectant, ſive jure dominii, ſive Conquiſtæ, ſive commercii, & navigationis. Nomine. veró: *partium Occidentalium*: intelligitur quidquid eodem jure Occidentem verſùs ultrà Inſulas Fortunatas, & eas, quas Tertiarias appellant, ſive ad Regem Catholicum, ſive ad Regem Portugalliæ ſpectant. Ità deciſum, & declaratum á Gregorio XIII. die 11. Octobris 1579. apud Compend. *Indic.* verb. *India*, §. 1. *pag.* 46. His notatis.

254 Certum eſt 1. omnes Æthiopes Africani, Americani, atque etiam Aſiatici, ſive ad fidem de novo converſi, ſive in infantia baptizati, & ex Parentibus jam dudùm Chriſtianis progeniti, dummodò ad maris Oceani regiones, ejuſve Inſulas pertineant, Neophyti cenſentur in ordine ad fruenda privilegia Matrimonialia Neophytis conceſſa.

255 Cer-

255 Certum eſt 2. omnes Indi utriuſque Indiæ tàm Orientalis, quàm Occidentalis, Japones Sinæ, & alterius cujuſcumque Nationis tranſmarinæ homines, ſive ad fidem de novo converſi, ſive in infantia baptizati, &ex parentibus jam pridē Chriſtianis orti Neophyti cenſentur in ordine ad fruenda privilegia Matrimonialia Neophytis conceſſa.

256 Idem aſſerimus de omnibus illis mixtis, qui nullum ſanguinem Europæum habēt, ſed ſolo ſanguine Indico, & Æthiopico mixtim conſtant. Ratio eſt: quià tales mixti ſolum ſanguinem Indicum, & Æthiopicum retinent abſque mixtura ſanguinis Europæi: ergò perinde ſe habent tales mixti, ac ſi eſſent Indi puri, aut *Æthiopes* puri.

257 Confirmatur: quiáNeophytorum privilegia etiam conceduntur mixtis, qui ſanguine Europæo, & Indico, vel *Æthiopico* conſtant, dummodò ſanguinis Indici, vel *Æ*thiopici portiones habeant infrà taxatas: ergò eadem privilegia potiori jure cenſentur conceſſa illis mixtis, qui nullum ſanguinem Europæum, habent ſed ſolũ Indicũ, & *Æ*thiopicum utrimque conſervant. Vide inferiùs dicenda n. 309.

258 Certum eſt 3. á privilegiis Neophytorum participandis excluſos eſſe *Quarterones*, multòque magis *Puchuelos*. Conſultus enim Clemens XI. An appellatione Neophytorum, Indi ſolúm noviter converſi comprehenderentur; an etiam, qui ſunt originarii per omnes eorum lineas, quive pro unà dumtaxat parte ab illis originem trahunt vulgò *Quarterones* appellati? Et an comprehenderentur, qui octavam partem per Proavum, & Proaviam, & ſive ab alterutro, ſive ab utroque habent, vulgò *Puchuelos* nuncupati? Declaravit Pontifex, ac decidit *Sub Neophytis non comprehendi Quarterones, multoque minùs Puchuelos*. Ità expreſſè ClemẽsXI. inBullá: *Aliàs proparte*.

259 Ad quorum intelligentiam nota I. hominem, ut inquiratur, quo ſanguine conſtet, puro, an infecto? Moraliter dividi in quatuor partes, ſumpto fundamento ad hujuſmodi diviſionem ex quatuorAvis, ex quibus unuſquiſque originem trahit, ſic mixtus vulgò *Quarteron* in ordine ad privilegia Neophytorum participanda, vel non participanda, dicitur ille, qui ſanguinis Indici quartam partem habet: & mixtus vulgò *Puchuelo*, qui ſanguinis Indici octavam habet partem, ſeu dimidium uniùs quartæ partis. His addi poteſt *Semipuchuelo*, qui ex *Puchuelo* naſcitur, & decimam ſextam partem habet, ſeu dimidium octavæ, & ſic deinceps.

260 Nota 2. idem eſſe proportionaliter dicendum de mixtis, qui ſimiles portiones habeant ſanguinis Æthiopici. Ratio eſt: quià in ordine ad privilegia Neophytorum participanda tàm Æthiopum, quàm Indorum mixti in omnibus, & per omnia ſunt æquales, ut videre eſt ſuprà n. 252. His præjactis, ſit.

261 Notatio Secunda. Quinam ſint mixti, qui Neophyti non ſunt, nec in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda pro Neophytis reputantur? Dico 1.Qui ſanguinis Indici, vel *Æ*thiopici minùs habent, quàm octavam partem, aut etiam ſolam octavam partem, ut *Puchuelos*, Neophyti non ſunt, nec in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda pro Neophytis reputantur. Ità declaravit Clemens XI. in Bullá: *Aliàs pro partè*:

te : edita 29 Aprilis anno 1701.

262 Dico ſecundò. Qui Sanguinis Indici, vel Æthiopici minùs habent quàm quartam partem, aut etiam ſolam quartam partem, ut *Quarterones*, Neophyti non ſunt, nec in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda pro Neophytis reputantur. Declaravit idem Clemens XI. in eadem Bulla: *Aliàs pro parte.*

263 Notatio Tertia. Quinam ſint mixti, qui ſunt ad inſtar Neophytorum, & in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda pro Neophytis reputantur? Reſolutio univerſalis ſit. Omnes, & quicumque illi mixti, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habeant, quàm quartam partem, ſunt ad inſtar Neophytorum, & in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda pro Neophytis reputantur. Ita praxis. Fundamentum eſt: quià Summus Pontifex à nomine Neophytorum, eorumque privilegiis Matrimonialibus participandis, illos tantùm mixtos excludit, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici ſolâ quartâ, partē aut etiam minorē habent, ut proximè vidimus n. 258: ergò omnes, & quicumque illi mixti, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habeant, quàm quartam partem ſunt ad inſtar Neophytorum, & in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda pro Neophytis reputantur.

264 Antecedens eſt certum. Conſequentia deducitur ex regula, quòd exceptio firmat regulam in cōtrarium L. *Quæſimus* §. *Denique* ff. De Inſtruct. vel Inſtrum: Et notat *Gloſſ.* in Rubr. de *Reg. jur. in* 6. ſed ſoli mixti dicti *Quarterones*, *& Puchuelos*, ſunt á Neophytis excepti per ordinem ad privilegia matrimonialia Neohytorum participanda: ergò mixti pluſquam *Quarterones*, *& Puchuelos*, quales ſunt omnes illi, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habent, quàm quartam partem, excepti non ſunt á Neophytis per ordinem ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda.

265 Confirmatur: quià exceptio declarat, quod veniat in conceſſione, quidquid non eſt exceptum, ut habetur ex Rota in Romana Legatorum 30. Martii 1601. coram Coccino, & aliis plurimis apud *Paſqualig quæſt.* 281. *n.* 6; ſed mixti, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habent, quàm quartam partem, excepti non ſunt á Neophytis in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda: ergò veniunt in conceſſione Neophytis facta quoad privilegia Matrimonialia.

266 Notatio Quarta. Si autem quæras: quantula pars ſanguinis Indici, vel Æthiopici ſufficiat ultra quartam partem, ut quis reputandus ſit Neophytus diſpenſabilis? ℞. qualemcumque portionem moraliter perceptibilem ſufficere. Ratio eſt proximè data. Sic ex Patre mixto ſanguinis Indici, vel Æthiopici ſolam octavam partem habente, vulgò *Puchuelo*, & ex Matre mixta, quæ ſanguinis Indici, vel Æthiopici duas partes habeat, filius eſt Neophytus diſpenſabilis.

267 Fundamentum eſt: quià talis filius ex matre, quæ duas partes habet, unam recipit, & hinc mixtus procedit dictus *Quateron*: quià verò ex patre, qui octavam partem habet, decimam ſextam ulterius recipit, hinc mixtus naſcitur ſanguinis Indici, vel Æthiopici quid jam amplius habens notabile, & morali-

S ter

ter perceptibile, quàm mixtus vulgò *Quateron*. Urgetur: quia ab ingreſſu Societatis noſtræ prohibetur, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici etiam ſolam decimam ſextam partem habet, neque abſque prævia diſpenſatione in Societatem noſtram admittitur, præſertim ſi ea portio ſit ſanguinis Æthiopici, qui vel á longè captivitatem redolet: ergò quia ſanguinis Indici, vel Æthiopici decima ſexta pars, etiam ſeorſim ſumpta, adhuc eſt notabilis, & moraliter perceptibilis: juncta ergò, & quartæ parti ſuperaddita, ſufficit ad conſtituendum Neophytum diſpenſabilem. De hoc nullus dubitat.

268 Notatio Quinta. Dubium eſt de præcedentis filio: an ſcilicet ex Patre ſanguinis Indici, vel Æthiopici decimam ſextam partem habente, & ex Matre, quæ ſanguinis Indici, vel Æthiopici duas partes habeat, adhuc ejuſmodi filius ſit Neophytus diſpenſabilis? Ratio dubitandi eſt: quia in talem filium ex parte Patris, ſola ſanguinis Indici, vel Æthiopici trigeſima ſecũda pars derivatur ultra quartam partem, quæ in eum derivatur ex parte Matris. Dubium eſt igitur: an hæc ſanguinis Indici, vel Æthiopici trigeſima ſecunda portio ultra quartam partem, ipſi tamen conjuncta, adhuc reputetur quid moraliter notabile, & perceptibile per ordinem ad ejuſmodi filium reddendum Neophytũ diſpenſabilem? Ad dubium.

269 ℞. affirmativè, & ſic probo: quià verò fœminæ ſanguinis Indici, vel Æthiopici trigeſimã ſecundam partem habenti, vere objici poteſt; quòd ſit nepos mixti, vulgò *Puchuelo*, & pronepos mixti vulgò *Quarteron*; ſed quando hæc, alicui objiciuntur, non niſi in ejus opprobrium, & in ejus injuriam objiciuntur,: ergò ex eo eſt, quià ſanguinis Indici, vel Æthiopici trigeſima ſecunda pars etiam ſeorſim ſumpta, adhuc eſt notabilis, & moraliter perceptibilis. Maior patet: quià mixtus, vulgò *Quateron* cõmunicat filio ſãguinis Indici, vel Æthiopici octavam partẽ, Nepoti decimam ſextam, & pronepoti trigeſimam ſecundam. Rurſus, mixtus vulgo *Puchuelo* communicat filio ſanguinis Indici, vel Æthiopici decimam ſextam partem, & Nepoti trigeſimam ſecundam, ut conſideranti patebit: ergo viro, vel fœminæ ſanguinis Indici, vel Æthiopici trigeſimam ſecundam partem habenti, verè objici poteſt, quod ſit nepos mixti, vulgo *Puchuelo*. & pronepos mixti, vulgo *Quarteron*.

270 Probatur minor ſillogiſmi ſupra facti: quia ſicut viri nobiles, & puro ſanguine clari, & illuſtres, de hoc ipſo gloriantur, ita ut ament progenies ſuas laudari, unde ait *Eccleſiaſt.* cap. 44. verſ. 1. *Laudemus viros glorioſos, & parẽtes noſtros in generatione ſua*: ità ſimiliter viri ſanguine ignobiles, aut ex infectis parentibus nati, nil magis appetunt, quàm generationes ſuas ignorari; illaſque curant, quoad fieri poteſt, occultari, ne videlicet á quibuſdam Reip. bonis, v. g. á matrimoniis nobilibus, & opulentis contrahendis rejiciantur; atqui Europæus ſãguinis puri ducere uxorem rejicit, quæ, cæteris paribus ſanguinis Indici, vel Æthiopici trigeſimam ſecundam partem habet; & pariformiter Europæa ſanguinis puri nubere viro rejicit, qui cæteris paribus, ſanguinis Indici, vel Æthiopici trigeſimã ſecundam partem habet, experientia teſte: ergo quãdo alicui objicitur, quod ſit nepos mixti, vulgo *Puchuelo*, & pronepos mixti,

mixti vulgó *Quarteron*, in ejus opprobrium, & in ejus injuriam id objicitur.

271 Addo, quód in regionibus tranſmarinis Europæi puri multùm ſuperbiant, & quaſcumque familias ex Neophytis deſcendẽtes parvi pendant. Hinc nihil frequentiùs, quám de talibus familiis confabulationes texere, genus omne inquirere, & poſteà domeſticis perſuadere, né cum ſimilibus Matrimonia contrahant. Adeó vileſcit ſanguis Neophyticus præ Europæo! Undé fit, ut ſi quandó inter utroſque oriatur contentio, in promptu ab Europæis objiciatur ſanguinis Neophytici etiam minor pars, quàm trigeſima ſecunda.

272 Subſumo: ſed talia non evenirent, niſi ſanguinis Indici, vel Æthiopici trigeſima ſecunda pars, etiam ſeorſim ſumpta, adhuc eſſet macula notabilis, & moraliter perceptibilis tàm ad ſuſtinendam, quàm ad irrogandam injuriam: ergò etiam notabilis, & moraliter perceptibilis reputari debet per ordinem ad favores, & gratias Neophytorum participandas; cùm non ſit maior ratio pro uno, quàm pro alio; imò potiùs pro favorabilibus ſtet, quòd privilegia, quæ in nullius cedunt præjudicium, ut noſtra non cedunt, latè ſunt interpretanda, cap. *olim* De verb. ſignificat. Et beneficium Principis amplam admittit interpretationem, L. *Beneficium* ff. De conſtit. Princip. & poſtremó, quiá favores, & gratiæ ſemper ſunt amplíandæ L. *Hoc modò* ff. De condit; & demonſtr. L. *Eum quidem* ff. De liberis, & poſthum. & ex Reg. *odia reſtringi, favores convenit ampliari.* De *regul. jur. in 6.*

273 Replicabis tamen. Ex dictis ſequitur, quòd ſanguinis Indici, vel Æthiopici etiam quadrageſima pars, vel quinquageſima, vel etiam ſexageſima quarta adhuc ſit pars notabilis, & ita moraliter perceptibilis, ut ſi quartæ parti accreſcat, eique uniatur, adhuc ſufficiat ad reddendum Neophytum diſpenſabilem. ſequella eſt abſurda, alioquin non ſiſteret Neophytiſmus, ſicut non ſiſtit Judaiſmus, quòd tamen eſt contrà experientiam: ergò etiam abſurdum eſt illud, ex quo ſequitur. Maiorque quoad ultimam partem oſtenditur: quia viro, vel fœminæ, ſanguinis Indici, vel Æthiopici ſexageſimam quartam partem habenti adhuc objici poteſt, quòd ſit pronepos mixti, vulgò *Puchuelo*, & quód ſit tertius nepos mixti, vulgò *Quarteron*, ut conſideranti patebit: ſed ideò eſt notabilis, & moraliter perceptibilis, ſanguinis Indici, vel Æthiopici trigeſima ſecunda pars, quiá illam habenti adhuc objici poteſt, quòd ſit nepos mixti, vulgò *Puchuelo*, & pronepos mixti, vulgò *Quarteron*: ergò etiam ſanguinis Indici, vel Æthiopici ſexageſima quarta pars, quamvis minor, quia tamen aliquo modo objici poteſt, adhuc etiam aliquo modo eſt pars notabilis, & ità moraliter preceptibilis, ut ſi quartæ parti accreſcat, eique uniatur, adhuc ſufficiet ad reddendum Neophytum diſpenſabilem.

274 Reſpondeo me in trigeſima ſecunda parte ſiſtere, nè cum Neophytiſmo in infinitum procedam adinſtar Judaiſmi; & præterea, quià ſanguinis Indici, vel Æthiopici ſexageſima quarta pars jam mihi non videtur notabilis, nec moraliter perceptibilis ad intentum, cum Neophytiſmus in communi hominum æſtimatione extingui debeat, &

juxta leges Pontificias, & civiles tandem aliquando extinguatur.

275 Auſus tamen ſum ad trigeſimam ſecundam partem pervenire, nec me pænitet, ob rationem appoſitam, videlicet, quia ſanguinis Indici, vel Æthiopici trigeſima ſecunda pars adhuc mihi videtur notabilis, & ità moraliter perceptibilis, ut ſufficientiſſima ſit, ſi quartæ parti accreſcat, eique uniatur, ad conſtituendum Neophytum diſpenſabilem, attento noſtro fundamento. Interim, ſi ſanguinis Indici, vel Æthiopici ſexageſima quata pars, vel etiam pars minor, quamvis trigeſimâ ſecundà parte maior; adhuc tibi appareat notabilis, & moraliter perceptibilis ad intentum, opinionem tuam ſequere, & noſtram de trigeſimá ſecundà parte probabiliorem reddes.

276 Deducitur 1. Omnes, & quicumque mixti, qui ex uno tantùm parente, vel utroque ſimul, ſanguinis Indici, vel Æthiopici quid adhuc notabile, & moraliter perceptibile habeant ultrà quartam partem, ſunt ad inſtar Neophytorum, & in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda pro Neophytis reputantur.

277 Deducitur 2. Illi veró mixti, qui ex uno tantùm parente, vel utroque ſimul, ſanguinis Indici, vel Æthiopici duas partes habeant, vel duas partes, & ultrà, potiori jure ſunt adinſtar Neophytorum, & in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda pro Neophytis reputantur.

278 Tandem pro complemento totius Sectionis accipe mixtorum elenchos, ex quibus tanquâm tabellis ob oculos poſitis, varia Neophytorum genera diſtinguere, ac cognoſcere poſſis.

Elenchus Mixtorum ex Europæis deſcendentium.

1 EX Europæo, & Æthiopiſſá, aut vice verſa, naſcitur mixtus vulgó *Mulato*, id eſt, ſanguinis Æthiopici duas partes habens. Neophytus diſpenſabilis ſuprà num. 263. & 277.

2 Ex Europæo, & Indá, aut vice verſa, naſcitur mixtus vulgó *Mamaluco*, ideſt, ſanguinis Indici duas partes habens. Diſpenſabilis ibidem.

3 Ex Europæo, & Mixtá ſanguinis Æthiopici tres partes habente, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Æthiopici unam partem habẽs, & dimidium ſecũdæ. Diſpenſabilis ſuprà num. 263. & 276.

4 Ex Europæo, & Mixtá ſanguinis Indici tres partes habente, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici unam partem habens, & dimidium ſecũdæ. Diſpenſabilis ibidem.

5 Ex Europæo, & Mixtá vulgò *Mulata*, aut vice verſá, naſcitur mixtus vulgò *Quarteiraõ*, ideſt, ſanguinis Æthiopici unam partem habens. Indiſpenſabilis ſuprà num. 262.

6 Ex Europæo, & Mixtá vulgò *Mamaluca*, aut vice verſa, naſciturmixtus vulgò *Quarteiraõ*, ideſt, ſanguinis Indici unam partem habens. Indiſpenſabilis ibidem.

7 Ex Europæo, & quacumque Mixtá, vulgó *Quarteiroa*, aut vice verſa, naſcitur mixtus vulgó *Puchuelo*, ideſt, ſanguinis Indici, vel Æthiopici octavam partem habens. Indiſpenſabilis ſuprà num. 261.

8 Ex Europæo, & quacumque Mixta, vulgó *Puchuela*, aut vice verſa,

verſa, naſcitur *Semipuchuelo*, ideſt, ſanguinis Indici, vel Æthiopici decimam ſextam partem habens. Indiſpenſabilis ibidem.

9 Ex Europæo, & quacumque *Semipuchuela*, ideſt, ſanguinis Indici, vel Æthiopici decimam ſextam partem habente, aut vice verſa, naſcitur filius ſanguinis Indici, vel Æthiopici trigeſimam ſecundam partem habens. Indiſpenſabilis ibidem.

Elenchus Mixtorum ex Æthiopibus deſcendentium.

1 EX Æthiope, & Æthiopiſſa naſcitur *Æthiops purus.* Neophytus diſpenſabilis, ſupra n. 254.

2 Ex Æthiope, & Indá, aut vice verſa, naſcitur mixtus vulgó *Coribòca*, ideſt, ſolo ſanguine privilegiario, Indico ſcilicet, & Æthiopico utrimque conſtans. Diſpenſabilis ſuprà n. 256.

3 Ex Mixto vulgò *Miſtiço*, & Æthiopiſſa, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Æthiopici tres partes habens, & dimidium quartæ. Diſpenſabilis ſuprà num. 263. & 277.

4 Ex Mixto, vulgò *Mulato*, & Æthiopiſſa, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Æthiopici tres partes 1 habens. Diſpenſabilis ibidem.

5 Ex Mixto, vulgò *Quarteiraõ*, & Æthiopiſſa, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Æthiopici duas partes habens, & dimidium tertiæ. Diſpenſabilis ibidem.

6 Ex Mixto, vulgò *Puchuelo*, & Æthiopiſſa, aut vice verſa, naſcitur mixtus duas partes habens, & præterea decimam ſextam tertiæ. Diſpenſabilis ibidem.

7 Ex Mixto, vulgò *Miſtico*, & Mixta vulgò *Miſtiça* naſcitur ſanguinis Æthiopici tres partes habens. Diſpenſabilis ibidem.

8 Ex Mixto, vulgò *Quarteiraõ*, & Mixta, vulgò *Miſtiça*, aut vice verſa, naſcitur Mixtus ſanguinis Æthiopici duas partes habens. Diſpenſabilis ibidem.

9 Ex Mixto, vulgò *Puchuelo*, & Mixta, vulgò *Miſtiça*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Æthiopici unam partem habens, & dimidium ſecundæ ex uno parente; & præterea dicimam, ſextam particulam ejuſdem ſecundæ partis ex alio parente. Diſpenſabilis ſuprà. num. 263. & 276.

10 Ex Mixto, vulgò *Mulato*, & Mixta, vulgò *Mulata*, naſcitur mixtus ſanguinis Æthiopici duas partes habens. Diſpenſabilis ſuprà num. 263. & 277.

11 Ex Mixto, vulgò *Quarteiraõ*, & Mixta vulgò *Mulata*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Æthiopici unam partem habens, & dimidium ſecundæ. Diſpenſabilis ſuprà num. 263. & 276.

12 Ex Mixto, vulgò *Puchuelo*, & Mixta, vulgó *Mulata*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Æthiopici unam partẽ habens; & præterea decimam ſextam ſecundæ. Diſpenſabilis, num. 263. & 266.

13 Ex *Semipuchuelo*, & Mixtá vulgó *Mulata*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Æthiopici unam partem habens; & præterea trigeſimam ſecundam ſecundæ. Diſpenſabilis ſuprà num. 263. & 268.

14 Ex Mixto, vulgó *Quarteiraõ*, & Mixta, vulgó *Quateiroa*, naſcitur mixtus vulgó *Quarteiraõ*, ideſt, ſanguinis Æthiopici unam partem habens. Indiſpenſabilis ſuprà num. 262.

15 Ex

15 Ex Mixto, vulgò *Puchuelo*, & Mixta vulgó *Quarteiroa*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Æthiopici dimidium unius quartæ partis habens ex uno parente; & præterèa decimam ſextam portionem ejuſdem unius quartæ partis ex alio parente. Indiſpenſabilis ſuprà num. 261.

16 Ex Mixto, vulgò *Puchuelo*, & Mixta, vulgò *Puchuela*, naſcitur mixtus vulgò *Puchuelo*, ideſt, ſanguinis Æthiopici ſolam octavam partem habens. Indiſpenſabilis: ibidem.

17 Ex Mixto, vulgò *Puchuelo*, & ex *Semipuchuela*, aut viceverſa, naſcitur filius ſanguinis Æthiopici quadrageſimam octavam partem habens. Indiſpenſabilis: ibidem.

Elenchus primus Mixtorum ex Indis provenientium.

1 Ex Indo, & Indà, naſcitur Indus purus. Neophytus diſpenſabilis ſuprà num. 255.

2 Ex Indo, & Mixta ſanguinis Indici tres partes habente, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici tres partes habens, & dimidium quartæ. Diſpenſabilis ſuprà num. 263. & 277.

3 Ex Indo, & Mixta, vulgò *Mamaluca*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici tres partes habens. Diſpenſabilis: ibidem.

4 Ex Indo, & Mixta, vulgò *Quarteiroa*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici duas partes habens, & dimidium tertiæ. Diſpenſabilis: ibidem.

5 Ex Indò, & Mixta, vulgò *Puchuela*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici duas partes habens; & præterea decimam ſextam portionem tertiæ partis. Diſpenſabilis: ibidem.

6 Ex Indo, & *Semipuchuela* aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici duas partes habens, & prætereà trigeſimam ſecundam portionem tertiæ partis. Diſpenſabilis: ibidem.

Elenchus ſecundus Mixtorum ex Indis provenientium.

1 Ex Mixto ſanguinis Indici tres partes habente, & Mixta ſanguinis Indici tres partes habente, naſcitur mixtus ſanguinis Indici tres partes habens. Neophytus diſpenſabilis ſuprà num. 263. & 277.

2 Ex Mixto ſanguinis Indici tres partes habente, & Mixta, vulgó *Mamaluca*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici duas partes habens, & dimidium tertiæ. Diſpenſabilis: ibidem.

3 Ex Mixto ſanguinis Indici tres partes habente, & Mixta, vulgò *Quarteiroa*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici duas partes habens. Diſpenſabilis: ibidem.

4 Ex Mixto ſanguinis Indici tres partes habente, & Mixta, vulgo *Puchuela*, aut vice verſa naſcitur mixtus ſanguinis Indici unam partem habens, dimidium ſecundæ, & inſuper decimam ſextam portionem ejuſdem ſecundæ partis. Diſpenſabilis, ſupra num. 263. & 276.

5 Ex Mixto ſanguinis Indici tres partes habente, & ex *ſemipuchuela*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici unam partem habens, dimidium ſecundæ, & inſuper trigeſimam ſecundam portionem ejuſdem ſecundæ partis. Diſpenſabilis: ibidem.

Elen-

Elenchus tertius Mixtorum ex Indis provenientium.

1 EX Mixto, vulgo *Mamaluco* & Mixta, vulgo *Mamaluca*, naſcitur mixtus ſãguinis Indici duas partes habens, vulgo *Mamaluco*. Diſpenſabilis, ſupra num. 263. & 277.

2 Ex Mixto vulgo *Mamaluco*, & Mixta, vulgo *Quarteiroa*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici unam partem habens, & dimidium ſecundæ. Diſpenſabilis, ſupra num. 263. & 276.

3 Ex Mixto, vulgo *Mamaluco*, & Mixta vulgo *Puchuela*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici unam partem habens, & præterea decimam ſextam portionem ſecundæ partis. Diſpenſabilis, ſupra num. 263. & 266.

4 Ex Mixto, vulgo *Mamaluco*, & *ſemipuchuela*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici unam partem habens, & præterea trigeſimam ſecundam portionem ſecundæ partis. Diſpenſabilis, ſuprà n. 263. & 268.

Elenchus quartus Mixtorum ex Indis provenientium.

1 EX Mixto, vulgo *Quarteraõ*, & Mixta, vulgo *Quarteiroa*, naſcitur mixtus ſanguinis Indici unam partem habens, vulgo *Quarteiraõ*. Indiſpenſabilis, ſuprà num. 262.

2 Ex Mixto, vulgo *Quarteraõ*, & Mixta, vulgo *Puchuela*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici dimidium primæ quartæ partis habens, & præterea decimam ſextam portionẽ ejusdem primæ quartæ partis. Indiſpenſabilis, ibidem.

3 Ex Mixto, vulgo *Quarteiraõ*, & ex *ſemipuchuela*, aut vice verſa, naſcitur mixtus ſanguinis Indici dimidium primæ quartæ partis habẽs, & præterea trigeſimam ſecundam portionem ejuſdem primæ quartæ partis. Indiſpenſabilis, ibidem.

4 Ex Mixto, vulgo *Puchuelo*, & Mixta, vulgo *Puchuela*, naſcitur mixtus ſanguinis Indici octavam partem habens, vulgo *Puchuelo*. Indiſpenſabilis, ſuprà num. 261.

5 Ex Mixto, vulgò *Puchuela*, & ex *ſemipuchuela*, aut vice verſa, naſcitur filius ſanguinis Indici quadrageſimam octavam partem habens. Indiſpenſabilis, ubi proximè.

Advertenda ad præcedentes Elenchos.

379 PRo uſu præcedentium elenchorum adverte 1. Mixtos, vulgò *Mulatos*, ſtrictè ſumi pro illis, qui ex Europæo puro, & Æthiopiſſa pura, aut vice verſa, naſcuntur, & prout ſic ſanguinis Æthiopici duas partes habent.

280 Adverte ſecundò. Similiter dicendum de mixtis, vulgò *Mamalucos*, quatenùs hi ex Europæo puro, & Inda pura, aut vice verſa naſcuntur, & prout ſic ſanguinis Indici duas partes habent.

281 Adverte tertio Mixtos, vulgò *Coribocas*, intelligi illos tantùm, qui ex Æthiope puro, & Inda pura, aut vice verſa generantur, & prout ſic quatuor partes habent ſanguinis Neophytici.

282 Adverte quarto Mixtos, vulgò *Miſtiços*, dici illos, qui ex mixto vulgò *Mulato*, & Æthiopiſſa pura, aut vice verſa, generantur, & prout ſic ſanguinis Neophytici tres habent partes.

283 Adverte quinto. Hujuſmodi no-

nomina *Mulatos*, *Mamalucos*, *Coribocas*, & *Miſtiços* aliquando uſurpari laté, & tales etiam appellari, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici minus habent, ac quando accipiuntur ſtrictè, ut accipi debent in ordine ad diſpenſationes matrimoniales. Quibus diligenter notatis, per talia nomina nudè ſumpta caveat, nè dirigatur, qui diſpenſat; ſed potiùs ex Indis puris, aut Æthiopibus puris; qui ſint oratoris Parentes, Avi, aut Proavi, inquirere incipiat, & ſeriem deducat uſque ad Oratorem ipſum, ut tutò procedat, & certò ſciat, quotas partes habeat ſanguinis Indici, vel Æthiopici, qui diſpenſationem petit.

284 Adverte ſexto Omnia mixtorum genera, quæ in diſpenſationibus faciendis communiter occurrunt, nos hic delineaſſe: omnia autem comprehendiſſe minimè exiſtimes; aliter enim, & aliter mixti eſſe poſſunt. Nihilominùs, ſi exempla appoſita præ oculis habeas, omnes alios mixtos, qui hic deſiderâtur, facilè diſcernes.

SECTIO XII.

Quæſtiones aliæ circa Neophytos.

285 NOtatio Prima. An ad hoc, ut cum Neophytis diſpenſetur, ſufficiat, quòd unus contrahentium ſit Neophytus; an potius requiratur, quòd uterque ſit Neophytus? ℞. ſufficere, quòd unus contrahentium ſit Neophytus. Sic poteſt Europæus, v. g. Matrimonium inire cum fœmina, quæ ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habeat, quàm quartam partem, ſecundùm dicta à num. 263. caſu, quò ipſa fœmina per copulam licitam, vel illicitam ſit impedita ad contrahendum cum tali Europæo in gradibus prohibitis, diſpenſabilibus tamen.

286 Caſum in terminis affert, & affirmativè reſolvit *Montenegro lib. 5. tract. 1. ſect. 28. n. 5.* ibi: *Diſpenſada la Meſtiça, que es ſugeto capaz, queda habil el Eſpañol, ſin nueva diſpenſacion; porque el parenteſco es una relacion, y mutuo reſpeto, con que ſe miran los parientes, y quitada por la diſpenſacion en el uno, por neceſſaria cõſequencia ſe quita en el otro, que no es poſſible quedar la relacion de parenteſco en uno ſolo, porque es mutuo reſpeto, con que ſe miran, fundamento, y termino.*

287 Verùm independenter ab his, & aliis hujuſmodi pro parte affirmativa ſatis, ſuperque eſt praxis derivata ex Bulla: *Animarum ſaluti*: in qua exprimitur ad intentum ſufficere, quod unus contrahentium ſit Neophytus, ibi: *Sive eorum alter tantũ, ſive etiam uterque inde oriundus, ac propriè indigena ſit.*

288 Notatio Secunda. An quãdo unus contrahentium unam tantùm habet quartam partem ſanguinis Indici, vel Æthiopici, & ſimiliter alter contrahentium alteram ſolam quartam partem habet ejuſdem ſanguinis Indici, vel Æthiopici, adhuc poſſit cum talibus diſpenſari tanquàm cum Neophytis? ℞. negativè cum praxi. Fundamentum eſt: quià quilibet talium contrahentium verè eſt mixtus, vulgò *Quarteiron*: Quarterones verò à privilegiis Neophytorum participandis ſunt excluſi ſuprà num. 262. Declaratur: nan duæ illæ quartæ partes non adunantur, nec miſcentur inter ſe; miſceri autem, & adunari inter ſe in ordine ad privilegia

gia Neophytorum participanda, neceſſarium erat, ut colligitur ex Bulla: *Animarum ſaluti*; ibi: *Vel inter ſe, vel cũ Europæis mixtim progeniti ſint.* Unde licèt in ordine ad privilegia Neophytorum participãda minus ſufficiat ſanguinis Indici, vel Æthiopici, quàm duæ quartæ partes junctæ, & unitæ in una, eademque perſona, ut ſuprà diximus à num. 263. tamen duæ quartæ partes in duabus perſonis disjunctæ, & inter ſe diviſæ, non plus valent ad intentum, quàm quælibet quarta pars ſeparata, & ſeorſim ſumpta, quæ eſt indiſpenſabilis.

289 Notatio Tertia. An ſi Indi aliqui, *Æthiopes*, vel mixti ſanguinis privilegiarii extrà regiones Ultramarinas inveniantur, v. g. Ulyſſipone, poſſint eiſdem privilegiis frui, quibus poſſent in regionibus Ultramarinis? De Indis affirmat expreſſè *Avendan. tit.* 12. *cap.* 6. *n.* 128. quod apertè colligit ex *Suar. lib.* 8. *de legib. cap.* 26. *n.* 3. ex cujus authoritate id etiam tenet *Quintanad ſingul.* 7. *n.* 3. Cæterũ, quià jam *Æthiopibus*, atque etiam mixtis ſanguinis privilegiarii, de quibus ſuprà à n. 263. communia ſunt privilegia Indica, ut conſtat ex Bulla: *Animarum ſaluti*: hinc una de omnibus, eademque eſſe debet reſolutio affirmativa. Probatur igitur: quià in materia favorabilium fit extenſio de loco ad locũ, & de perſona ad perſonam, ita ut operetur effectum, quod in gratia facta prætenditur, nè ipſa gratia inutilis, vana, & otioſa reddatur, ut optimè docuit *Baldus in cap. Poſtulaſti*, *n.* 9. de Reſcriptis, *Felin. Rebuff.* & alii apud *Solorzan. de Indiar. gubernat. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 30. ergò privilegia Indis, *Æthiopibus*, & mixtis ſanguinis privilegiarii conceſſa, poſſunt etiam extendi ad Indos, *Æthiopes*, & mixtos ſanguinis privilegiarii, qui extra regiones Ultramarinas exiſtunt, v g. Ulyſſipone, nè reſpectu talium inutilia, vana, & otioſa reddantur privilegia Indica.

290 Confirmatur: quia privilegia Indica ſunt etiam perſonalia, ut tenet *Avendan. cit. tit.* 12. *cap.* 6. *n.* 128.: ſed privilegia perſonalia ubique comitantur perſonas, quibus directè conceduntur, etiam extra proprium territorium, ut habet *P. Jacobus Illſimg. in ſua Theologia practica tract.* 1. *diſp.* 3. *n.* 29.: ergò privilegiis Indicis uti poterunt Indus, Æthiops, & mixtus ſanguinis privilegiarii, quamvis extrà Indias exiſtant.

His verò non obſtantibus, negativa ſententia videtur verior. Quia cùm privilegia conceduntur perſonis non præciſè, ſed pro certo etiam loco, non ſunt purè perſonalia, ſed ſimul localia, & ſicut nequeunt extendi ab unis ad alias perſonas, ita neque ab unis ad alia loca; atqui dicta privilegia conceſſa ſunt Neophytis non præciſè, ſed pro regionibus Transmarinis: ergò ad minus ſunt mixta, ſeu perſonalia, & ſimul localia, & proinde non poſſunt ad uſum, & praxim deduci, niſi cum Neophytis exiſtentibus in Transmarinis regionibus. Minor ex tenore conceſſionum in Compendio Indico conſtat, & quo ad diſpenſationes Matrimoniales, de quibus in præſenti quæſtione agitur.

Sic ulterius oſtenditur: Quia in Comp. Ind. mihi pag 50. verbo Matrim. §. 1. ita habetur: *Poſſunt Provinciales Indiarum, & ab eis deputati gratis diſpenſare cum Neophytis utriuſque Indiæ, aliarumque maris Oceani regionum,*

in quibus inter Infideles Fideles exiſtunt, & non adſunt Ordinarii ſimilem facultatem habentes &c. Mox infra: *Ordinarii verò locorum de eorumdem Presbyterorum, tamquam adjutorum, & aſſeſſorum ſuorum in locis præfatis, & ubi eorum commodè potuerit haberi copia: conſilio, & cum illis etiam in judiciali foro. In reliquis autem Provinciis præfatis Ordinariorum præſentia diſtitutis &c.* Deinde pag. 53. §. 3. ſic proſequitur: *In Angola, Æthiopia, Braſilia, & aliis Indicis regionibus poſſunt eorumdem locorum Ordinarii, Parochi, & Preſbyteri Noſtræ Societatis ad confeſſiones audiendas ab ejuſdem Societatis Superioribus approbati diſpenſare cum quibuſcumque utriuſque ſexus fidelibus incolis dictarum regionum &c.* Confirmatur ex declaratione Sacræ Congreg. num. 240 allata, in qua dicitur ſub fine, quòd privilegia, & indulta hujuſmodi antiquitùs conceſſa dictis Patribus in illis regionibus fuerunt.

291 Notatio Quarta. An cum Indo, Æthiope, vel mixto ſanguinis privilegiarii, qui fortè ſit Ulyſſipone natus, & poſteà in terras Ultramarinas veniat, etiam diſpenſandum ſit; ſiquis eorum fœminam aliquam ad id impeditam ducere velit, quæ tamen ſanguinis Neophytici nihil habeat? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia nomine Neophytorum veniunt omnes oriundi, ſeu naturales omnium, tàm Orientalium, quàm Occidentalium partium, & regionum: imò etiamſi Æthiopes, Angulani, vel quarumvis aliarum Tranſmarinarum regionum, etiamſi Chriſtianorum filii, & in infantia baptizati, ut dicitur in Bulla: *Animarum ſaluti*: ſed Indus, Æthiops, vel mixtus ſanguinis privilegiarii, qui fortè ſint Ulyſſipone nati, adhuc verè ſunt prædictarum regionum oriundi per parentes, vel proavos; deinde cùm in regiones Ultramarinas veniunt, fiunt illarum incolæ: ergò non eſt, cùr talibus non proſint privilegia Indica. Confirmari poteſt rationibus nuper adductis num. 289. & 290.

292 Notatio Quinta. An etiam cum Saraceno diſpenſandum ſit? ℞. cum diſtinctione, & dico 1. Si Saracenus ſit Ultramarinus, citrà dubium poteſt cum illo diſpenſari. Ratio eſt: quià in Bullis Pontificum, in quibus Saraceni aliis Neophytis adjunguntur, dicitur, quòd à Preſbyteris Societatis ad id electis poſſint etiam Saraceni ab omnibus peccatis abſolvi, etiam in Bulla Cœnæ contentis, ſicut & quicumque alii diverſarum terrarum incolæ, ad quas Hiſpani, & Luſitani penetrant: ergò idem dicendum in ordine ad privilegia Matrimonialia participàda. *Avendan. tit.* 12. *cap.* 6. *n.* 130. præſertim, quià in Bullà: *Animarum ſaluti*, circà privilegia Matrimonialia dicitur: *Vel quarumvis aliarum trãſmarinarum regionum*: ergò cum Saraceno Ultramarino citrà dubium poteſt diſpenſari.

293 Dico 2. Si verò Saracenus ſit in Mauritania natus, qua parte Mauritania Europam reſpicit, quanvis poſteà in partes Ultramarinas veniat, non ideò reputandus videtur Neophytus Ultramarinus, dicente Gregor. XIII. ubi ſuprà num. 253. quòd nomine Indiæ Orientalis intelliguntur omnes regiones, & Inſulæ, quæ ultrà Mauritaniam verſùs Auſtrum, & Orientem ad Portugalliæ Regem ſpectant, ſive jure dominii, ſive Conquiſtæ, ſive commercii, & navigationis.

294 Ni-

294 Nihilominus adhuc ſubdiſtinguendum hoc modo. Si talis Saracenus tranſmarinarum regionum ſit oriundus per Parentes, vel Proavos, idem de illo reſolvimus, quod de Indo, Æthiope, vel mixto ſanguinis privilegiarii, qui ſit Ulyſſipone natus v. g. & poſteà in regiones veniat Ultramarinas. Vide proximè dicta num. 291. Si vero Saracenus talis non ſit, ſed verè in Mauritania natus, ejuſque parẽtes,& proavi ibidẽ ſimiliter nati, tunc Saracenus privilegiis Indicis frui non debet, imò nec poteſt, juxta Gregor. XIII. ſuprà citatum num. 293.

295 Qualiter ergò diſpenſandũ cum tali Saraceno, ſi in partes Ultramarinas veniat, & hìc ad fidem convertatur, ut aliquandò fit? ℞. quòd cum illo diſpenſabunt DD. Epiſcopi juxtà ſextam facultatem Pontificiam ipſis conceſſam, in quà datur poteſtas *diſpenſandi cum his, qui ab hæreſi, vel infidelitate convertuntur ad fidem Catholicam*: cujuſcumque Nationis,ſeu regionis ſint, dummodò exiſtant intrà fines ſuarum Diœceſum, ut conſtat ex facult. Catalog. num. 29.

SECTIO XIII.

De cognationis gradibus apud Indos extinctis.

296 NOtatio Prima. An tertius, & quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus apud Indos ſint ablati? ℞. affirmativè cum *Mag. Alfons. à Veracruce*, quem adducit *Fr. Joannes Baptiſta in Animadverſionibus pro confeſſariis Indorum parte* 1. *fol.*88. *pag.* 1. in hunc modum loquentem: *A la primera duda digo, que ſin tomar la Bulla los Indios ſe pueden caſar en el tercero, y quarto gradu, como antes. La razon de eſto es, porque eſto ya entre los Indios es comun derecho, y la tal Bulla, que diſpenſa en el contraher Matrimonio en tercero, y quarto grado, no es privilegio, ſino Extravagante, y de derecho. Y aſſi como lo fue, quando eſtaban los grados del Matrimonio eſtendidos a ſiete grados, los quales ſe reduxeron à quatro por Innocencio Tercero: lo miſmo hizo Paulo Tercero en eſtos Indios, que los reduxo al primero, y ſegundo. Y eſto, que aqui digo, nò es ſolo opinion mia, ſino tambien averiguada con otros muy doctos aqui, y en Eſpaña, y conſultada,y admitida por el Señor Arzobiſpo Don Pedro Moya de Contreràs.* Sic ille. Conveniunt *Emmanuel Rodrig. tom.* 2. *quæſt. Regular. quæſt.* 99. *art.* 5. *Vega tom.* 2. *Summæ cap.* 34. *caſu* 126. in fine. *Sanch lib.* 8. *de Matrimon. diſp.* 24. *n.* 35. *Cardinal. de Lug. in Reſpons. moralib. lib.* 6. *dub.* 5. *Avendan. Theſaur. Indic. Titul.* 12. *cap.* 14. *n.* 375. *Solorzan. de Indiar. Gubernat. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *n.* 51. *Montenegro lib.* 5. *tract.* 1. *ſeſſ.* 10. *n.* 15. & alii. Ut ergò Indi Matrimonium contrahant quando ſolum in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſunt conjuncti, nulla indigent diſpenſatione;jam enim illà generaliter potiuntur.

297 Non procedit autem concluſio de gradibus lineæ rectæ aſcendentium, & deſcendentium. *Avendan.* citat. *num.*376. Ratio eſt: quià licèt Pontifex circà hoc diſcrimen non videatur ſtatuere,ita tamen eſt recepta conceſſio, neque oppoſitum unquam practicatum, imò neque de praxi aliquando cogitatum.

præſertim, quià plurimi Doctores affirmant talia Matrimonia eſſe jure naturæ illicita, & invalida, ut videri poteſt apud *Sanch.* qui eorum agmen valdè numeroſum congerit *lib. 7. de Matrim. diſp.* 51. *num.* 12.

298 Extenditur tamen præcedens concluſio ad gradus affinitatis in linea recta. Ratio eſt: quià conceſſio generaliter procedit, & in hoc illa non apparet indecentia, quæ in conſanguineis lineæ rectæ ob ſanguinis ejuſdem participationem. Itaque Indus conjungi poteſt nepotis uxori, eo mortuo, & Indà neptis ſuæ marito, aut è contra: ſi aliundè impedimentum non ſit. *Avendan.* citat. *num.* 377.

299 Notatio Secunda. Dubium eſt: an quando Indi in tertio, & quarto gradu ſunt conjuncti, quanvis aliundè ſint conjuncti etiam in primo gradu, adhuc poſſint Matrimonium contrahere abſque ulla diſpenſatione? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià ex jure communi, quando unus contrahentium extrà quartum gradum eſt, quanvis alter ſit in primo, nulla eſt neceſſaria diſpenſatio, cùm diſtantia graduum computetur juxtà remotiorem, *Sanch. lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 24. *n.* 35. cùm verò apud Indos tertius, & quartus gradus ſint ablati; inde eſt, quòd tertius, vel quartus gradus in quocumque Indo imbibat, & ad ſe trahat primum gradum, atque adeò talis Indus maneat omninò liber ad contrahendum cum ſibi conjuncta in primo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu, ut explicat *Sanch. citat. n.* 35. Sic Indus v. g. Juſtinianus, qui cum fratre ſuo eſt in primo grudu, cum fratris ſui filia in ſecundo mixtim cum primo, & cum Theodorà fratis ſui nepte in tertio mixtim cum primo, poteſt cum tali Theodorà Matrimonium inire abſque diſpenſatione in primo gradu, qui in Theodorà trahitur ad tertium jam extinctum. Neque hoc contradicit declarationi, ſeu motui proprio S. Pii V. ut videre eſt apud *Sanch. cit. n.* 35.

Nota poſtremò doctrinam in hac ſecunda Notatione traditam de Indis, etiam ad Æthiopes extendi, et quoscumque mixtos, qui in ordine ad privilegia matrimonialia Neophytorum participanda pro Neophytis reputátur, dequibus ſupra à n. 263. & infra à n. 216.

SECTIO XIV.

De cognationis gradibus apud Æthiopes extinctis.

300 NOtatio Prima. An tertius, & quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus apud Æthiopes ſint extincti? *P. Avendan.* qui de Indis affirmat *Titul.* 12. *cap.* 14. *n.* 375. loquens de Æthiopibus *eod. tit.* 12. *cap.* 6. *n.* 129. ſic ait. *Non ſolùm piè, & probabiliter dici poteſt inter Indos, & Æthiopes dari privilegiorum cõmunicationem generaliter loquendo ſed pro certo habendum, attentis Pontificum conceſſionibus, & declarationibus*. Nam Gregorius XIII. ut habetur in conpendio Indico verb. *India*, in ordine ad uſum privilegiorum Societatis ſic declaravit: ut nomine *Indiæ Orientalis* intelligantur omnes regiones, & Inſulæ, quæ ultrà Mauritaniam verſus Auſtrum, & Orientem ad Portugalliæ Regem ſpectant, ſive jure dominii, ſiveCõquiſtæ, ſiveComercii, & Navigationis. Nomine autem *Indiæ Occidentalis*, quidquid eodem jureOccidentem verſus ultrà Inſulas Fortunatas,

tunatas, & Tertiarias, ſive ad Regem Catholicum, ſive ad Portugalliæ Regem pertinent. Conſtat autem Æthiopicos tractus, unde Æthiopes, eſſe ultrà terminos deſignatos. Hæc *Avendan.*

301 Quibus poſitis, ſic ſubſumo pro parte affirmativa quæſtionis propoſitæ: ſed præcipua privilegiorum communicatio inter Indos, & Æthiopes tota eſt in ordine ad Matrimonia contrahenda, ut viſitur in Bulla: *Animarum ſaluti*: ergò ſicut tertius, & quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus apud Indos ſunt extincti, ità etiam apud Æthiopes per communicationem cum Indis.

302 Probatur ſecundò eadem reſolutio affirmativa: quià Neophytorum nomine comprehenduntur Æthiopes, ut liquet ex variis Bullis Pontificum. Sufficit tamen Bulla: *Animarum ſaluti*: ibi: *Imò etiam ſi Æthiopes, Angulani, vel quarumvis aliarum tranſmarinarum regionum, etiamſi Chriſtianorum filii, & in infantia baptizati, vel etiam inter ſe, vel cum Europæis mixtim progeniti ſint, ad conceſſionis hujuſmodi effectum eſſe, & intelligi debere Neophytos*; atqui prædicta conceſſio Pontificia non ordinatur ad Matrimonia Neophytorum coarctanda, ſed potiùs ad omnia, quæ Neophytorum Matrimonia concernunt, amplianda; omnia enim unius conceſſionis nomine veniunt, ut notat *Avendan. cit. num.* 129. in fine: ergò in ordine ad privilegia Matrimonialia Indi, & Æthiopes pares ſunt, ac proinde ſicut in tertio, & quarto gradu jam Indi ſunt diſpenſati, ità etiam diſpenſati jam ſunt Æthiopes.

303 Probatur tertiò: quià in Bulla: *Animarum ſaluti*: in ordine ad privilegia Matrimonialia non adhibetur limitatio Æthiopibus, imò nec eſt ratio limitationem adhibendi; cùm totum illud, quod pro Indis occurrit, etiam pro Æthiopibus occurrat, quin & pro Æthiopibus aliquid amplius occurrit compaſſionis dignum, quàm pro Indis, miſerrima ſcilicet captivitatis conditio, quæ ſimilibus eſt gratiis confovenda, & indulgentiis ſublevanda, uti factum videmus in conſtitutionibus Bahienſibus, quarum *lib.* 1. *Tit.* 44. *n.* 177. ab incurrendis reſervatis Epiſcopalibus eximuntur omnes captivi, ſive ſint Æthiopes, ſive etiam mixti; non autem eximuntur Indi, quià liberi: ergò ſi in Bullis Pontificum nulla adhibetur limitatio Æthiopibus, ſed ſola fit communicatio inter Indos, & Æthiopes in ordine ad privilegia Matrimonialia, rectè ſequitur, quòd ſicut Indi in tertio, & quarto gradu ſunt diſpenſati, ità ſunt etiam Æthiopes.

304 Notatio ſecunda. Quod dicimus de Indis Sectione præcedenti, & in hac de Æthiopibus, ad Mixtos etiam extendimus, qui ex Æthiope, & Indà, aut ex Indo, & Æthiopiſſa naſcuntur, imò univerſaliter loquẽdo idẽ intelligimus de omnibus, & quibuſcumque aliis mixtis, qui nullum ſanguinem Europæum habeant, ſed ſolo ſanguine Indico, & Æthiopico mixtim conſtent: reſpectu enim talium etiam tertium, & quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradus reſolvimus eſſe ablatos. Ratio eſt: quia in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytis conceſſa, quòd Neophytus ſit Indus, vel Æthiops, perinde eſt; cum Neophytorum nomine comprehendantur Indus, & Æthio-

& Æthiops, ut conſtat ex Bulla: *Animarum ſaluti*; atqui mixti, de quibus eſt quæſtio, nullum ſanguinem Europæum habent, ſed ſolo ſanguine Indico,& Æthiopico mixtim conſtant, Neophytico ſcilicet utroque, ratione cujus taliter mixti æquiparantur Indis puris, aut Æthiopibus puris, juxtà ſuperius dicta num. 256. ergò reſpectu talium mixtorum, tanquam Neophytorum per ordinem ad privilegia Matrimonialia etiam tertius,& quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus ſunt ablati.

SECTIO XV.

De cognationis gradibus apud mixtos extinctis.

305 NOtatio Prima. An aliqui mixti in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſint diſpenſati ad inſtar Indorum, & Æthiopum? Affirmat *Eminentiſ. Cardin. de Lug. in reſponſ. Moralib. lib.* 6. *dub.* 5 *n.* 2. ad finem, & *P. Avendan. in ſuo Theſaur. Indic. titul.* 5. *cap.* 28. *n.* 244. quatenùs ad quæſtionem: an Hiſpanorum nomine illi intelligendi ſint, qui ex Europæo, & Indis mixtim ſunt progeniti; an verò Indorum nomine cenſeantur? Reſolvit P. *Avendanius* ex Europæo, & Indà, aut vice verſa, progenitos, qui ad effectum ſumendi Bullam defunctorum pro minori taxà, non eſſe Hiſpanos, ſed Indos cenſendos. Affert *P. Avendanius* pro hac parte *Ludovicum Miranda in Manuali tom.* 1. *quæſt.* 43. *art.* 2. §. *Præter. P. Mendum de Bull. Cruciat. diſp.*36.*n.*8.*& P. Quintanadueñas de præceptis Eccleſiæ tract.*6. *ſingulari* 6. generaliter ſtatuentem ſic genitos Indorum privilegiis frui.

306 Reſolutionem probat P. *Avendanius n.* 245. ſic: mixtum non eſt abſoluté ſimplex, ex quo æqualiter eſt compoſitum, neque ejus nomine abſoluté gaudet, ut eſt penitùs exploratum, præſertim in viventibus: genitus enim ex aſino, & equà, non eſt aſinus, neque equus, ſed mulus: genitus ex pardo, & leæna, neque eſt pardus, neque leo, ſed leopardus, & ſic in aliis: ergò ſimiliter genitus ex patre Europæo, & matre Indà, aut vice verſa, non eſt pro Europæo habendus.

307 Hæc tamen P. *Avendanii* probatio videtur frivola, & inſufficiens ad reſolutionem ſuſtentandam; nam ſi inſtetur: cùr ſit potiùs pro Indo, quàm pro Europæo cenſendus, qui ſanguinis Europæi æqualem portionem habet, ac ſanguinis Indici? Fortaſſe pro ratione P. *Avendanii* ſtabilienda eſſet recurrendum ad vulgare illud proloquium: quòd denominatio deſumitur à deteriori parte, ut patet in cōpoſito phyſico, quòd corruptibile dicitur, quanvis ex materia incorruptibili coaleſcat: & cùm pars deterior in noſtro caſu ſit moraliter portio illa ſanguinis Indici; ideo talis mixtus potius eſt pro Indo, quàm pro Europæo cenſendus.

308 Idem aliter probat P. *Mendus* loco citato: quià nimirùm quando pater eſt Indus, filius ſequitur patris originem, *L. Aſſumptio* 6. §. *Filius*, ff. Ad municipal: quando veró mater eſt Inda, partus ſequitur ventrem, *Gloſſ. Filiis in leg.* 2. C. De libertis: ergò ex patre Indo, & matre Europæa, vel ex patre Europæo, & matre Indá progenitus pro Indo cenſeri debet, non autem pro Europæo.

309 Quid-

309 Quidquid autem ſit de hujuſmodi probationibus ad finem ſtatuendi, quòd *Mamaluci* Indorum privilegiis fruantur quo ad alia beneficia recipienda: certe *Cardin de Lug.* loquendo ubi ſuprà in terminis noſtræ quæſtionis: an ſcilicet privilegium Pauli III. qui diſpenſavit cum Indis ut in tertio, & quarto gradu poſſint Matrimonio conjungi, etiam extendatur ad mixtos, qui ex patre Hiſpano, & matre Indà, vel ex patre Indo, & matre Hiſpanâ ſunt geniti? abſolute affirmat n. 2. in fine: licèt *Card. de Lug.* id affirmet ex alio principio, nempe ex cõceſſione Gregorii XIV; quam ex Fr. Joanne Baptiſta in Advertentiis Confeſſarior. 1. *part. in tabula* verb. *Meſtizos*, refert D. *Joannes de Solorzano tom.* 2. *de Indiar. jur. & gubernat. lib.* 1. *cap.* 28. *n.* 50. & ſeqq. ubi teſtantur hi Authores Gregorium XIV. ſuo peculiari Brevi dato 21. Septẽbris 1591. declaraſſe quo ad effectum diſpenſandi cum Indis in tertio, & quarto gradu, hos etiam mixtos intelligendos fore nomine Indorum, ſeu Neophytorum. Stante igitur conceſſione Gregorii XIV., & extenſione ab eo facta, certum eſt, eam gratiam extendi etiam ad Indos mixtos, cùm Summus Pontifex de facto eam voluerit extendi. Hæc *De Lugo.*

310 Et quamvis *Cardin. de Lug.* ſolùm de mixtis, qui ex Europæo, & Inda, vel ex Indo, & Europæa naſcuntur, reſtrictè loquatur: tamẽ, *P. Avendanius* loco citato n. 246. habet ſequentia: *Quod autem de mixta Hiſpanorum, & Indorum generatione eſt dictum, ſimiliter eſt de generatione mixta Æthiopũ aſſerendum.* In quo concordat *P. Avendanius* cum Bulla: *Animarũ ſaluti*; in quà mixti ex Indis, & Æthiopibus progeniti quo ad privilegia Matrimonialia Neophytorum communicanda invicem comparantur, & pares fiunt.

311 Conſtat igitur ex ſententia *Lugonis*, quòd mixti, quos ille *Meſtizos* vocat, nos autem dicimus *Mamalucos*, quales ſunt, qui ex Europæo, & Inda, aut vice verſa, naſcuntur, & ideò ſanguinis Indici duas habent partes, jam in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affininatis gradu ſint generaliter diſpenſati adinſtar Indorum: & conſtat prætereà ex ſententia *Avendanii*, quòd mixti, quos *Mulatos* appellamus, uti ſunt, qui ex Europæo, & Æthiopiſſa, aut vice verſa, naſcuntur, & ideò ſanguinis Æthiopici duas habent partes, communicant in privilegiis Matrimonialibus cum Æthiopibus: ergò ſicut *Mamaluci* jam in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſunt generaliter diſpenſati ad inſtar Indorum; ità etiam *Mulati* jam in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſunt generaliter diſpenſati ad inſtar Æthiopum.

312 Unde deducitur, quòd potiori jure jam in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſint generaliter diſpenſati omnes illi mixti, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habeant, quàm duas partes, quas ſolum habent *Mamaluci*, & *Mulati.* Et quidem de mixtis tres partes habentibus ſanguinis Indici expreſſè affirmat *Cardin. de Lug. n.* 5.; quia tamen ejus ratio etiam pro mixtis facit ſanginis Æthiopici, eam utriſque accommodabimus. Ratio igitur eſt: quià tales mixti ex quatuor partibus unam ſolam habent ſanguinis Europæi, tres verò ſanguinis Indici, vel Æthiopici;

thiopici; atqui tres partes ſanguinis Indici, vel Æthiopici prævalere debet uni tantùm parti ſanguinis Europæi: ergò mixtus, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici tres partes habeat, pro Indo, vel Æthiope reputari debet.

313 Confirmatur: quia ſicut vinum, quando cum modicà aquà miſcetur, quanvis non ſit vinum omninò purum, reputatur tamen moraliter pro vino, atque adeò in ordine ad valorem cōſecrationis parùm refert, quòd ſit purum, vel mixtum exiguæ parti aquæ, quià hæc duo vina pro eodem moraliter reputantur; ſic etiam Indus, vel Æthiops, quibus nihil ſanguinis Europæi admixtus eſt, & mixti illi, quibus parum ſanguinis Europæi miſcetur, non videntur moraliter differre, & pro Indis, vel Æthiopibus ſimpliciter, & abſolutè reputari debent. Ità fermè citatus *de Lugo*.

314 Ego verò reſolutionem preſſiùs ita probo: ideò *Mamaluci* juxtà opinionem *Lugonis*, & *Mulati* juxtà *Avendanii* opinionem, jam in tertio, & quarto gradu ſunt generaliter diſpenſati; quià privilegia ſanguinis Indici, vel Æthiopici, cujus habent duas partes, jure participant in ordine ad Matrimonia celebranda; atqui mixti, qui ſanguinis, Indici, vel Æthiopici tres habeant partes, eo ipſo plus habent ſanguinis privilegiarii, quàm *Mamaluci*, & *Mulati*, ut per ſe patet: ergò tales mixti in tertio, & quarto gradu potiori jure ſunt diſpenſati, quàm *Mamaluci*, & *Mulati*.

315 Et hic noſter diſcurſus non ſolum convincit de mixtis, qui ſãguinis Indici, vel Æthiopici tres habeant partes; ſed etiam de omnibus, & quibuſvis aliis mixtis, qui licèt ſanguinis Indici, vel Æthiopici tres non habeant partes; plus tamen habeant, quàm duas, quas ſolùm habent *Mamaluci*, & *Mulati*. An autem præter *Mamalucos*, *Mulatos*, atque illos mixtos, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habeant, quàm duas partes, de quibus hactenus; ſint etiam alii mixti, qui jam in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſint generaliter diſpenſati adinſtar Indorũ, & Æthiopum? pro deciſione quæſtionis ſub his terminis excitatæ:

Proponitur, ac defenditur noſtra Reſolutio.

316 Notatio Secunda. Reſolutio mihi probabilis ſit. Omnes, & quicumque illi mixti, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habent, quàm quartam partem, jam in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſunt generaliter diſpenſati adinſtar Indorum, & Æthiopum. Reſolutio hæc quoad univerſalitatem cohæret cum ſuprà poſita n. 263. ubi ſtatuimus omnes, & quoſcumque mixtos, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habent, quàm quartam partem, pro Neophytis reputari in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorũ participanda: exceptis enim *Quarteronibus* ſãguinis Indici, vel Æthiopici, quos Clemens XI. à privilegiis Neophytorum communicandis excluſit in Bulla: *Aliàs pro parte*: omnes alii mixti, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habent, quàm *Quarterones*, pro Neophytis reputãdos eſſe quoad prædictum effectum defendimus loco citato. De talibus igitur mixtis dicimus in præſenti, jam in tertio, & quarto con-

conſanguinitatis, & affinitatis gradu eſſe generaliter diſpēlatos ad inſtar Indorum, & Æthiopum.

317 Probatur reſolutio 1. quià tales mixti in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda pro Neophytis reputantur, perinde, ac ſi eſſent Indi puri, aut Æthiopes puri, & tanquàm Neophytos cenſendos eſſe quoad prædictum effectum Pontifices ſæpiùs declararunt, conceſſerunt, ac decreverunt: atqui Indi puri, & Æthiopes puri jam in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſunt diſpenſati; ut vidimus Sectionibus præcedentibus: ergò etiam mixti, de quibus loquimur, jam in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſunt diſpenſati ad inſtar Indorū, & Æthiopum.

318 Maior non meliùs probari poteſt quàm ex Bullà: *Animarum ſaluti*: quam virii Pontifices confirmarunt, quoties confirmationis opus fuit, à Paulo V. uſque ad Benedictum XIII. & hic uſque ad annum 1750. ibi: *Inſuper, quià à nonnullis dubitatum, ſeu hæſitatum fuit, an omnes indigenæ illarum regionum oriundi, & naturales, & Chriſtianorum Filii, etiam in eorum infantia baptizati, jure Neophyti appellari poſſint? Idcircò tenore præſentium decernimus, & declaramus omnes oriundos, & naturales ſupradictarum regionum ... imò etiamſi Æthiopes, Angulani ... etiamſi Chriſtianorum Filii, & in infantia baptizati, vel etiam inter ſe, vel cum Europæis mixtim progeniti ſint; decernimus, & declaramus ad conceſſionis hujuſmodi effectum eſſe, & intelligi debere Neophytos.* Ulteriùs. *Quinetiam, quia de mixtim progenitis, quos mixtos vocant; maius dubium eſſe accepimus, cum eiſdem mixtis, quos ſimiliter ad hunc effectum Neophytos cenſendos eſſe decernimus*; atqui hujuſmodi conceſſiones, & illarum effectus conſequendi, ad quos Pontifices alludunt, quando mixtos pro Neophytis reputandos eſſe declarant, ac decernunt, præcipuè verſantur circà privilegia Matrimonialia Neophytorum, ibidem: *In quibuſcumque conſanguinitatis, & affinitatis gradibus, jure divino non prohibitis, primò excepto, diſpenſare poſſe concedimus, & indulgemus*: ergó mixti, de quibus loquimur, pro Neophytis reputantur in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda, perinde, ac ſi eſſent Indi puri, aut Æthiopes puri, & tanquam Neophytos cenſendos eſſe quoad prædictum effectum Pontifices ſæpiús declararunt, conceſſerunt, ac decreverunt.

319 Conſequentia prioris ſyllogiſmi, in cujus probatione vertitur cardo rei, in hunc modum oſtenditur: quià tertius, & quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus ideò apud Indos, & Æthiopes ſunt ablati, vel quià Indi, & Æthiopes ſunt Neophyti præciſè, vel quià ſunt Neophyti à Sede Apoſtolica remotiſſimi; neque enim alia cauſa occurrit, ratione cujus Pontifices moveantur ad gratias tàm amplas Indis, & Æthiopibus concedendas; atqui mixti ſunt æqualiter à Sede Apoſtolica remoti, & intereà quoad privilegia Matrimonialia etiam ſunt Neophyti ex conceſſione Pontificum: ergò mixti quoad tertii, & quarti gradùs extinctionem, etiam tales eſſe debent, quales Indi, & Æthiopes.

V 320 Ne-

320 Neque dicas 1. quod tertius, & quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus apud Indos, & Æthiopes ſint ablati, non quià Indi, & Æthiopes ſunt Neophyti præciſè, & à Sede Apoſtolica remotiſſimi, ſed quià ſunt perſonæ miſeræ, compaſſionis dignæ, & moraliter viliores, quàm mixti: ergò. Non, inquam, hoc dicas: quiá jam ob hujuſmodi, aut ſimiles rationes, *á nonnullis dubitatum. ſeu hæſitatum fuit, ut dicitur in Bullâ: Animarum ſaluti, an Indorum, & Æthiopum jam dudum Chriſtianorum Filii, & in infantia baptizati, quin etiam, de mixtis maius dubium fuit. an jure Neophyti appellari poſſent?* Et tamen Pontifices, non obſtantibus hujuſmodi, vel aliis rationibus dubitandi, tales mixtos in ordine ad privilegia Matrimonialia participanda Neophytos eſſe, & pro Neophytis habendos ſæpiùs declararunt, ac decreverunt: ergò inſtantia hæc contrà mixtos ſerò venit.

321 Neque dicas ſecundò, quòd Pontifices privilegia Matrimonialia Indis, & Æthiopibus concedunt, ut eos tanquàm imbecilles Neophytos, ſeu novos in fide confirment: talis autem confirmationis non egent mixti, quià jam ſunt fortes in fide, quatenùs ſunt ex parentibus jam dudùm Chriſtianis nati, & in infantia baptizati: ergó etiam talis conceſſionis non indigent, nempè, communicandi cum Indis, & Æthiopibus in privilegiis Matrimonialibus.

322 Non, inquam, hoc dicas: quià Pontifices privilegia Matrimonialia Indis, & Æthiopibus conceſſa ad mixtos de facto ampliant, & extendunt etiam ſcienter, & jam advertenter ad hoc, quòd mixti ſint Chriſtianorum Filii, & in infantia baptizati, ut apertè ſignificant adverbia illa reduplicativa *imò, etiam ſi, quin etiam*, in Bullâ *Animarum ſaluti* poſita: ad quid ergò inſurgit inſtantia hæc contrà mixtos? Certé, non niſi ad reſtringendum ex præſumptione noſtrà, quod Pontifices ex benignitate ſuâ, & clementia paternali ampliarunt, & extenderunt.

323 Probatur reſolutio 2. quià tertius, & quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus apud Indos, & Æthiopes ſunt extincti per conceſſionem, ſeu potiùs derogationem generalem, quæ tranſiit in legem municipalem, & jus commune Indorum (atque etiam Æthiopum per communicationem) ut dicitur ſuprà n. 296. ibi: *Porque eſto ya entre los Indios es commun derecho, y tal Bulla, que diſpenſa en contraer Matrimonio en tercero, y quarto grado no es privilegio, ſinò Extravagãte, y de derecho*: Sed Põtifices quãdo mixtos quo ad privilegia Matrimonialia Neophytos eſſe declarant, ac decernunt, nullã legem municipalem revocant, nec jus cõmune Indorum, & Æthiopum limitant reſpectu mixtorum; quin etiam mixtos ipſos in omnibus, & per omnia Matrimonium concernentia, Indis, & Æthiopibus pares faciunt, ut conſtat ex Bulla: *Animarum ſaluti*: ergò mixti etiam quoad tertii, & quarti gradus extinctionem Indis, & Æthiopibus ſunt pares.

324 Probatur reſolutio 3. quià plus eſt mixtos in ordine ad privilegia Matrimonialia cum Indis, & Æthiopibus communicanda pro Neophytis declarare, quàm mixtis jam declaratis Neophytis concedere, quòd privilegia Matrimonialia

nialia cum Indis, & Æthiopibus communicent: atqui Pontifices cōcedunt, quod eſt plùs: ergò præſumendi ſunt concedere, quòd eſt minus. Conſequentia tenet à maiori ad minus in eodem genere, *cap. ex parte tua* 27. De Decimis, ex *Regul.* 53. *de Reg. jur. in* 6. minor conſtat ex Bullà: *Animarum ſaluti*: ibi: *Quin etiam, quià de mixtim progenitis, quos mixtos vocant, maius dubium eſſe accepimus ... Neophytos cenſendos eſſe decernimus.*

325 Probatur maior: quià mixtos pro Neophytis declarare eſt procedere contrà jus commune ex diſpenſatione Pontificis; mixti enim ſunt Chriſtianorum Filii, & in infantia baptizati, juxtá verò jus cōmune Neophyti ſolùm dicuntur, qui ad fidem convertuntur, & in adultà jam ætate baptizantur, ut ſuprà vidimus à n. 248. At veró mixtis jam declaratis Neophytis concedere, quòd privilegia Matrimonialia cum Indis, & Æthiopibus communicent, non eſt procedere contrà jus commune ex novà diſpenſatione Pontificis, ſed ſuppoſita jam priori diſpenſatione, ſolùm eſt procedere conformiter ad finem, ad quem mixti pro Neophytis ſunt declarati, videlicet, ad privilegia Matrimonialia cum Indis, & Æthiopibus communicanda; cùm reverà mixti ſolùm ad prædictum finem pro Neophytis ſint declarati: ergò plùs eſt mixtos in ordine ad privilegia Matrimonialia cum Indis, & Æthiopibus communicanda, pro Neophytis declarare, quàm mixtis jam declaratis Neophytis concedere, quòd privilegia Matrimonialia cum Indis, & Æthiopibus communicent. Quo ſuppoſito diſcurſu.

326 Sic ſubſumo: atqui inter privilegia Matrimonialia Indis, & Æthiopibus communia, notiſſimum eſt, quòd tertius, & quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus apud ipſos ſint extincti: ergò etiam notum eſſe debet, quòd iidem gradus apud mixtos ſint extincti per communicationem; neque enim prudenter dubitare debemus de hoc ultimo, quod eſt minus, cùm videamus Pontifices concedere, quod eſt plùs, nempe, mixtos pro Neophytis declarare, ac decernere contrà jus commune.

327 Probatur reſolutio 4. quià dictiones, quibus Pontifices utuntur in Bullà: *Animarum ſaluti*, videlicet, *imò etiam ſi, quin etiam*, non ſolùm ſunt augmentativæ, & ampliativæ, *Barboſ. de Dictionib. uſu frequent. Diction.* 151. *n.* 4. ſed etiam extenſivæ de uno caſu ad alium, *Barboſ. citat. Diction.* 112. *n.* 8. *&* 9. atqui per tales dictiones conſtat, quòd Pontifices privilegia Matrimonialia Indis, & Æthiopibus communia ad mixtos ampliarunt, & extenderunt, ibi: *Imò etiam ſi ex Europæis mixtim progeniti ſint*: *quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos mixtos vocant*; conſtet ergò, quòd etiam tertii, & quarti gradùs extinctionem Indis, & Æthiopibus communem ad mixtos ampliant, & extendunt, & cur non? Cùm mixti per ordinem ad privilegia Matrimonialia Indorum, & Æthiopum communicanda Neophyti omninò ſint ex conceſſione Pontificum, ſicut Indi, & Æthiopes.

328 Confirmatur 1. quià privilegium adinſtar eſt illud, quod datur ad imitationem alterius, ſeu reſpicit alterum tanquàm exemplar, ad cujus imitationem fit, atque ità

concedit omnem favorem, ac gratiam formaliter contentam in ſuo exemplari, & in eodem ſenſu, in quo exemplar eam continet cum eàdem extenſione. *Suar. l.* 8. *de Leg. c.* 15. *n.* 2. Unde ſequitur, quod perſonis privilegiatis *adinſtar* conceduntur cum omni ſua extenſione omnes favores, & gratiæ, quæ ſunt conceſſæ priviligiatis principalibus, ut ità dicam, ad quorum imitationem fiunt privilegiati, qui dicuntur *privilegiati adinſtar*: ſed mixti ſunt Neophyti ad inſtar Indorum, & Æthiopum, fictione juris, hoc eſt, ex voluntate Pontificum ità diſponentium, ac decernentium Mixtos cenſendos eſſe Neophytos, & pro Neophytis reputandos, non utcumque, & vagè, ſed reſtrictè, & determinatè per ordinem ad privilegia Matrimonialia Indorum, & Æthiopum, tanquam Neophytorum participanda abſque ullà reſtrictione: ergò omnes, & quæcumque gratiæ, ac favores matrimoniales, qui Indis, & Æthiopibus tãquàm Neophitis ſunt conceſſi, etiam mixtis tanquàm Neophytis conceduntur ac per conſequens, vel negandum eſt Indos, & Æthiopes, quanvis Neophytos, in 3. & 4. gradu eſſe diſpenſatos; vel fatendum eſt Mixtos, quià Neophytos, in 3. & 4. gradu eſſe diſpenſatos adinſtar Indorum, & Æthiopum.

329 Confirmatur 2. quià privilegium communicationis, ſeu potiùs communicatio privilegii, alteri priùs conceſſi, eſt illud, per quod gratia, favor, & jus uni conceſſum, alteri etiam conceduntur. *Suar. cit. cap.* 16. *n.* 1. cum adæquata participatione gratiæ, favoris, & juris cõmunicati, etiam ſi expreſſè hæc adæquatio non explicetur *Suar cit. n.* 7. Unde quando dicitur, hoc, vel illud privilegium cõmunicari, nihil aliud per hoc ſignificatur, niſi quòd hoc, vel illud privilegium ut receptum in perſona, cui communicatur, ſit ejuſdem rationis cum privilegio, quod communicatur. *Suar. cit. n.* 15. ſed mixti cum Indis, & Æthiopibus communicant in eo, quòd ſint Neophyti, & pro Neophytis reputari debeant, non in alium finem, niſi in ordine ad privilegia Matrimonialia Indorum, & Æthiopum, tanquàm Neophytorum participanda abſque ulla reſtrictione, ut videre eſt in Bulla: *Animarum ſaluti*: ergò ſi Indi, & Æthiopes in quantum Neophyti, in 3. & 4. gradu ſunt generaliter diſpenſati, etiam mixti, in quantum Neophyti, in eodem 3. & 4. gradu ſunt generaliter diſpenſati per communicationem Neophytiſmi.

Solvuntur argumenta contraria.

330 Arg. 1. & ſpecialiter contra primã noſtræ reſolutionis probationem. Ex eo mixti non indigerent diſpenſatione ad Matrimonium contrahendum cum ſibi conjuncta in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu, quia mixtis in Bulla: *Animarum ſaluti*: conceduntur omnia Neophytorum privilegia, quæ circà Matrimoniales diſpenſationes verſantur juxta clauſulam: *Cum eiſdem mixtis, quos ſimiliter quo ad hunc effectum Neophytos cenſendos eſſe decernimus, in quibuſcumque conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus jure divino non prohibitis, primo excepto, diſpenſare poſſe concedimus, & indulgemus*; ſed ex hoc textu non colligitur mixtos eſſe de facto exemptos à Canonicis impedimentis in 3. & 4. cõſãguinitatis, & affinitatis gradibus, ut

ut abſque diſpēſatione priùs obtentà liberè poſſint Matrimonium contrahere cum ſibi conjuncta in eiſdem gradibus: ergò facta probatio non concludit intentum.

331 Maior ulteriori probatione non indiget, cùm ſit quæ à nobis in probationem adducitur. Conſequentia benè ſequitur. Probatur minor, Pontificia ſiquidem facultas, quam per Extravagantem Pauli III. habent Neophyti ad Matrimonium cōtrahendum cum conjunctà in 3. & 4. gradu, nec ordinatur ad Matrimonialem diſpenſationem, nec eſt eorumdem Neophytorum privilegium: ergò licèt mixtis in Bullà: *Animarum ſaluti*: cōcedantur Neophytorum privilegia, quæ circà Matrimoniales diſpenſationes verſantur, non ideò colligitur eos eſſe exemptos á Canonicis impedimentis in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus, ut abſque ulla diſpenſatione liberè poſſint Matrimonium inire cum conſanguinea, vel affine, in eiſdem gradibus conjuncta.

332 Antecedens proximi enthimematis quoad primam partem, quà dicitur Pontificiam facultatem, quam per Extravagantem Pauli III. habent Neophyti ad contrahendum cum conjuncta in 3. & 4. gradu, non ordinari ad Matrimonialem diſpenſationem, patet; nam talis facultas potiús ordinatur ad tollendam diſpenſationis indigentiam; quatenùs reſpectu Neophytorum tollit Canonica impedimenta, quæ de jure communi prædictis gradibus ſunt annexa, alioquin adhuc præfata Extravagans Neophytos relinqueret in eiſdem gradibus impeditos ad contrahendum, donec diſpenſationem impetrarent, quod eſt contrà doctrinam ſupra traditam: ordinatur ergò immediate ad Matrimonium contrahendum cum conjunctà in 3. & 4. gradu independenter ab ulla diſpenſatione, non autem ad Matrimonialem diſpenſationem Neophytis concedendam.

333 Quoad ſecundam veró partem, nempè, quód prædicta Neophytorum facultas non ſit privilegium, conſtat idem antecedens á paritate: quià ſcilicet Pontificia facultas Fidelibus conceſſa ad Matrimonium contrahendum cum conjunctá in 5. 6. & 7. de conſanguinitatis gradibus, non eſt Fidelium privilegium, ſed potiùs jus novum antiqui juris derogativum; ergò etiam facultas per Pauli III. Extravagantem Neophytis conceſſa ad Matrimonium contrahendum cum conjunctà in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus, non eſt Neophytorum privilegium, ſed potiùs jus novum communis, & anterioris juris derogativum reſpectu Neophytorum; eodem namque modo, & eadem ſolemnitate conceſſa fuit una, & alia facultas.

334 Ad argumentum; quod vel ex ſola ſuâ longitudine magnum eſt, facilè ℞. conceſſa maiori, negando minorem, & antecedens probationis. Ad probationem veró primæ partis ipſius antecedentis ℞. Pontificiam facultatem, quam habent Neophyti ad contrahendum cùm conſanguinea, vel affine in 3. & 4. gradu, non ordinari quidem ad Matrimonialem diſpenſationem, quatenùs dicta facultas eſt ipſamet diſpenſatio, quam Paulus III. per ſuam Extravagantem Neophytis jam conceſſit: ordinari tamen dictam facultatem, Neophytorum privilegiariam, ad Matrimoniales diſpenſationes, & circà illas verſari, quatenùs circà illas verſatur, non tan-

tanquàm circa gratias, ſeu diſpenſationes ampliùs faciendas, ſed tanquàm circa gratias, ſeu diſpenſationes jam factas.

335 Sufficit autem, quòd privilegiaria Extravagans Pauli III. ad Matrimoniales diſpenſationes, ſive jam factas, ſive faciendas ordinetur, ut ad mixtos extendi debeat. Unde quandò dicitur Neophytorum privilegia, quæ circà Matrimoniales diſpenſationes verſantur, ad Mixtos extendi debere, non eſt intelligendum ad eos extendi ea dumtaxat privilegia, quæ circà diſpenſationes faciendas verſantur; verùm etiam, quæ verſantur circà diſpenſationes jam factas, qualis eſt, quæ in Pauli III. Extravagante eximit Neophytos à Canonicis impedimentis in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradu.

336 Ad ſecundæ partis probationem propoſiti antecedentis, conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Diſparitas ſtat in eo, quòd facultas ad contrahendum cum conjuncta in 5. 6. & 7. gradu ſit omnibus Fidelibus conceſſa, atque adeò Univerſalis, & ideò abſolutè deſtructiva juris communis anterioris. At verò noſtra facultas non eſt omnibus Fidelibus conceſſa, nec ab impedimentis in 3. & 4. gradu liberat omnes illos, quos jus commune impedit; cùm ſolis Neophytis ſit derminatè conceſſa, atque adeò non ſit univerſalis, nec proinde juris communis deſtructiva; ſed potiùs quædam illius exceptio, quatenùs Neophytos in hac parte ab eodem jure communi eximit, quod eſt proprium privilegii.

337 Quòd præterea dicta facultas contrahendi cum conjuncta in 3. & 4. gradu per Pontificiam Extravagantem conceſſa fuerit, id minimè probat eam non æquivalere privilegio, quamvis probet non eſſe merum, ac ſimplex privilegium, qualia eſſe ſolent, quæ aliter conceduntur: cùm ad rem ſufficiat, quòd ſit facultas ad inſtar privilegii, quatenùs eſt facultas perpetua, ac tertii, & quarti gradùs in perpetuum deſtructiva.

338 Arg. 2. Ex Bullà: *Animarum ſaluti*, colligitur mixtos in 3. & 4. gradu non eſſe diſpenſatos: ergò. Oſtenditur antecedens; quià in Bullà: *Animarum ſaluti*: dicitur: *In quibuſcumque conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus jure divino non prohibitis, primò excepto*; ſed illa verba: *In quibuſcumque*: potiùs denotant gradus diſpenſandos in plurali, nempè 2. 3. & 4. quàm ſolum 2. gradum diſpenſandum in ſingulari: ergò ex Bullà: *Animarum ſaluti*, colligitur mixtos in 3. & 4. gradu non eſſe diſpenſatos.

339 Declaratur argumentum. In Bullà: *Animarum ſaluti*, concedit Pontifex facultatem diſpenſandi cũ Mixtis *in gradibus jure divino non prohibitis*, quod eſt, in gradibus prohibitis ſolo jure Canonico: ſupponit ergò Pontifex mixtos in gradibus jure Canonico prohibitis, quales ſunt tertius, & quartus, adhuc eſſe impeditos ad Matrimonium contrahendum, ac per conſequens indigere diſpenſatione, quoties velint cum conjũcta in præfatis gradibus contrahere.

340 ℞. 1. negando antecedens, ad minorem probationis ℞. per inſtantiam in Indis, & Æthiopibus: nam ſi allegata verba Bullæ ſignificarent mixtos in 3. & 4. gradu non eſſe diſpenſatos; in eodem ſenſu accipi deberent reſpectu Indorum, & Æthiopum, in quorum gratiam, & fa-

& favorem eadem Bulla expeditur; ac proinde ſignificarent talia verba etiam Indos, & *Æthiopes* in 3. & 4. gradu non eſſe diſpenſatos; ſed tale hoc non intelliguntur ſignificare reſpectu Indorum, & *Æthiopũ*, cùm hi jam in 3. & 4. gradu ſupponantur diſpenſati: ergò neque tale hoc ſignificant reſpectu mixtorum, quatenùs hi cum Indis, & *Æthiopibus* communicant in privilegiis Matrimonialibus.

341 ℞. 2. In verbis Bullæ: *In quibus cumque gradibus*: non affirmatur, quòd in 3. & 4. gradu diſpenſatio neceſſaria ſit, ſed ad plurimum præſcinditur ab eo, an neceſſaria ſit: & ſub hac præciſione datur facultas diſpenſandi in quibuscumque gradibus, in quibus neceſſaria ſit diſpenſatio: cum verò mixtis in 3. & 4. gradu neceſſaria non ſit, jam enim in præfatis gradibus ſupponũtur diſpenſati ad inſtar Indorum, & *Æthiopum*, ideò ex allegatis verbis Bullæ inferri non debet, quòd mixti in 3. & 4. gradu non ſint diſpenſati; ſed ad plurimum, quòd in Bulla præſcindatur, an mixti in dictis gradibus ſint diſpenſati.

342 ℞. 3. illa verba: *In quibuſcumque gradibus*: etiam verificari de mixtis, tametſi in 3. & 4. gradu ſint aliundè diſpenſati; ſi ſecundus gradus ſumatur pluraliter, nimirum, & pro 2. gradu conſanguinitatis, & pro 2. gradu affinitatis: hi enim duo gradus, eſtò ſint in eadem linea æquali, verè tamen ſunt plures gradus, & diverſæ rationis, quatenùs pro illorum diſpenſatione impetranda diverſæ expreſſiones, ac declarationes ſunt neceſſariò faciendæ.

343 ℞. 4. clauſulam: *In quibuſcumque gradibus*: optimè verificari, quin ad 3. & 4. gradum recurramus, ſi intelligatur de diſpenſatione facienda in 2. gradu multiplicato: nàm de gradu multiplicato verè dicitur: *In quibuſcumque gradibus*, ſic duorum fratrum filii, ſi etiam ſint duarum ſororum filii, indigent diſpenſatione ad contrahendum in 2. gradu conſanguinitatis multiplicato: tales enim ſunt dupliciter conſanguinei, nempè, ex parte patrum, & ex parte matrum, qui ſanè duplex gradus conſanguinitatis declarari debet pro diſpẽſatione obtinenda, aliàs diſpenſatio nulla erit, ut docet *Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 24. num. 5.*

344 Ad hujuſmodi autem multiplices diſpenſationes, ſeu multipliciter faciendas in 2. gradu conſanguinitatis multiplicato datur facultas in Bulla, cùm dicitur: *In quibuſcũque gradibus*. Ratio eſt: quià in Bulla datur facultas diſpenſandi in quibuſcumque gradibus, primo excepto: datur ergò facultas diſpenſandi in 2. gradu tàm ſimplici, quàm multiplicato: conceſſa enim poteſtate diſpenſandi, quando nulla ſit exceptio, veniunt omnia, ut cum *Suar. Sanch.* & aliis diximus ſupra n. 196. verba igitur Bullæ: *In quibuſcumque*: ſi de 2. gradu multiplicato accipiantur, adhuc verificantur de mixtis, quin ad diſpenſationes in 3. & 4. gradu faciendas recurramus.

345 Ad argumenti declarationem patet ex dictis: nàm Pontifex quando poteſtatem facit diſpenſandi cum Neophytis in quibuſcumque gradibus jure divino non prohibitis, primo excepto: non ſupponit Neophytos in 3. & 4. gradu impeditos, cùm Neophyti per Extravagantem Pauli III. in hujuſmodi gradibus diſpenſati fuerint. Quando igitur concedit facultatem diſpenſandi cũ mixtis in quibuſcumqne gradibus jure

jure divino non prohibitis, etiam mixtos non ſupponit in 3. & 4. gradu impeditos: cùm nulla prorſùs ratio appareat cur in hac conceſſione ſupponantur mixti in 3. & 4. impediti, cùm Neophyti ſint ad inſtar Indorum, & Æthiopum; in illa verò non ſupponantur Indi, & Æthiopes in dictis gradibus impediti? Quare dicimus in Bulla: *Animarum ſaluti*: poteſtatem fieri diſpenſandi cum mixtis in quibuſcumqne gradibus jure divino non prohibitis, in quibus tamen neceſſaria ſit diſpenſatio, præſcindendo ab eo, quòd ſit, aut non ſit neceſſaria in 3. & 4. gradu: fortaſſe enim in ea Bulla expedienda non meminit Pontifex citatæ Extravagantis Pauli III. juxtà quàm Neophytos omnes, tàm mixtos, qnàm non mixtos in 3. & 4. dicimus eſſe diſpenſatos.

346 Arg. 3. Mixti non communicant cum Indis, & Æthiopibus in privilegiis, ſeu exemptione aliquorum[1] præceptorum, v. g jejunii, dierum feſtorum, & ſimilium: ergò neque cum illis communicant in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus extinctis, & ablatis. Probatur antecedens, & conſequentia: quià diſpenſatio eſt ſtricti juris, & in ſtricto ſenſu interpretanda, ut eſt commune Doctorum, quos congerit, & ſequitur *Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 6. n 3.* ſed ex hoc capite diſpenſatio Indis, & Æthiopibus facta ſuper jejunio, & hujuſmodi, ad mixtos non extenditur: ergò ex eodem capite tertii, & quarti gradus extinctio, & ablatio Indis, & Æthiopibus conceſſa, etiam ad mixtos non extenditur.

347 ℞. conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad utriuſque probationem ℞. conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam. Diverſa ratio eſt: quià mixti in ordine ad alia Neophytorum privilegia, quæ ad Matrimonium non ſpectāt, Neophyti nō ſunt, nec pro Neophytis reputātur, ut videre eſt in Bulla: *Animarū ſaluti*: & cū diſpenſatio, ſeu exēptio à jejunio, & hujuſmodi, ad Matrimoniū non ſpectent, ideò diſpenſatio, ſeu exemptio à jejunio, & hujuſmodi Indis, & Æthiopibus cōceſſa, ad mixtos non extenditur; cùm revera diſpenſatio ſit ſtricti juris, & in ſtricto ſenſu interpretanda, ut benè argumentum.

348 At verò in ordine ad privilegia Matrimonialia Neophytorum participanda mixtos cenſendos eſſe Neophytos, & pro talibus habendos iterùm, atque iterùm Pontifices declararunt, conceſſerunt, ac decreverunt: & cùm inter privilegia Matrimonialia Indis, & Æthiopibus conceſſa, unum, ac celeberrimum ſit tertii, & quarti gradus ablatio Paulina; ideò mixti in eadem tertii, & quarti gradus ablatione cum Indis, & Æthiopibus communicant; non quidem ex interpretatione noſtrà ad mixtos ampliata, & extenſa; ſed potiùs ex mente Pontificum, eorumque declaratione in mixtorum gratiam ſæpiùs facta. Unde

349 Concluditur 1. habendos eſſe pro diſpenſatis in 3. & 4. conſāguinitatis, & affinitatis gradibus ad inſtar Neophytorum omnes illos, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habent, quàm *Quarterones*: ac proindè etiam cenſendos eſſe pro diſpenſatis in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus omnes illos mixtos, de quibus ſuprà diximus à n. 263. pro Neophytis reputari.

350 Concluditur 2. prædictos mixtos non indigere diſpenſatione ad contrahendum, nec etiam ad remanendum in Matrimonio jam cōtra-

tracto, niſi in 2. conſanguinitatis, vel affinitatis gradu ſimplici, aut multiplicato ſint invicem conjuncti: cúm tales mixti jam in 3. & 4. gradu ſupponantur diſpenſati ad inſtar Indorum, & Æthiopum.

351 Concluditur 3. in præfatis privilegiis non communicare *Quarterones*, multóque minùs *Puchuelos*, & conſequenter omnes alios mixtos, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici minùs habeant, quàm *Quarterones*: *Quarterones* enim jam non ſunt Neophyti nec in ordine ad privilegia Indica prò Neophytis reputantur.

Conſectaria ad præcedentem diſputationem.

352 Conſectariũ Primũ. Omnes ii, qui in gradibus prohibitis conſanguinitatis, vel affinitatis Matrimonium contrahunt, excommunicationem incurrũt. Clement. Unica de *conſanguinit. & affinit*, niſi ignorantia juris, aut facti excuſet. Hæc tamen excommunicatio non eſt reſervata Pontifici, ſed Epiſcopis, quandò hi generaliter reſervant excommunicationem à jure, vel ab homine, alteri non reſervatam.

353 Conſectarium Secundum. Similiter incurrunt excommunicationem inceſtùs, qui ante Matrimonium cum conſanguinea, vel affine habuerunt copulam cum eadem cap. *de his*, qui inceſti, cap. 35. quæſt. 2.

354 Conſectarium Tertium. Unde revalidationem Matrimonii taliter contracti, vel contrahendi, priùs abſolvendi ſunt contrahentes à prædictis excommunicationibus, niſi propter ignorantiam ab illis judicentur immunes, ut diximus. Et quàmvis tales excommunicationes Epiſcopi ſibi reſervent, adhuc tamen tales excommunicatos poſſunt abſolvere, qui cum eiſdem diſpenſare poſſunt ex Pontificum conceſſione.

355 Ratio eſt manifeſta: quià talis reſervatio Epiſcoporum non comprehendit, nec poteſt comprehendere hunc particularem caſum, quatenùs impedire non poteſt effectum privilegii Pontificii, ex vi cujus, ut licitè revalidetur, aut celebretur Matrimonium, priùs debet auferri excommunicatio. Conſtat ex Bullà: *Animarum ſaluti*: ibi: *Ab exceſſibus, & excommmunicatione, aliiſque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis in utroque foro gratis pariter abſolvere poſſunt.* Si verò ab hujuſmodi excommunicationibus non poſſent abſolvere, qui poſſunt diſpenſare, etiam Pontificum privilegiis ad diſpenſandum ſibi conceſſis uti non poſſent, quod vel cogitare eſt abſurdum.

356 Conſectarium Quartũ. Quàvis privilegia diſpenſandi cum Neophytis non ſint perpetua, ſed temporaria, tamen talia privilegia nũquàm ceſſant, nec interrumpuntur, quatenùs ut in Proœmio ad Compendium Indicum notatur pag. 8. R. P. Procurator Generalis Societatis ſollicitè curat reformari, & prorogari privilegia omnia temporaria, priuſquàm illorum tempus expiret, & illorum prorogationem, ac renovationem à Sanctæ Sedis Apoſtolicæ benignitate obtinere: ipſaque Sancta Sedes, experientia teſte, ab anno 1573. precibus Societatis libenter annuit. Sic de facto Benedictus XIII. die 12. Decembris, anno 1729. confirmavit, & prorogavit ad annum 1750.

DISPUTATIO QUINTA.

DE CAUSIS DISPENSANDI SUPER impedimentis Matrimonii.

SECTIO I.

Notantur aliqua circà cauſas diſpenſandi ſuper impedimentis Matrimonii.

357 NOtatio Prima. Quid ſit diſpenſatio? ℞. Diſpeſatio propriè dicta: *Eſt juris communis relaxatio cum cauſæ cognitione ab eo, qui habet legitimam poteſtatem. Barboſ. de poteſt. Epiſcop. allegat.* 33. *n.* 3. *Pyrrhus Corradus lib.* 7. *diſpenſat. Apoſtolic. cap.* 2. *n.* 1. *& alii*: communiter. Dicitur: *ab eo, qui habet legitimam poteſtatem*: quià diſpenſatio eſt actus juriſdictionis, ad quam requiritur legitima poteſtas.

358 In ſubjecta igitur materià, nomine *diſpenſationis* intelligitur ablatio impedimenti Matrimonialis, ſeu relaxatio legis tale impedimentum imponentis, facta pro certis perſonis, & caſibus in particulari.

359 Notatio Secunda. Quid requiratur ad Matrimonii diſpenſationem? Dico 1. Ut Matrimonii diſpenſatio licitè fiat, requiritur cauſa juxta. Ità omnes ex *Tridentino Seſſ.* 24. *de Reformat. Matrim. cap.* 5. ubi expreſſè ſtatuitur, *ut in Matrimoniis contrahendis, vel nulla omninò detur diſpenſatio, vel rarò, idque ex cauſa.* Et Seſſ. 25. cap. 18. *Quod ſi urgens, juſtaque ratio, & maior quandoque utilitas poſtulaverit diſpenſandum eſſe, cauſa cognita.* Hinc *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 82. *art.* 20. ait: *Omnis diſpenſatio petita à Prælato debet fieri ad honorem Chriſti, in cujus perſona diſpenſatur, & ad utilitatem Eccleſiæ, quæ eſt ejus corpus.*

360 Dico 2. Etiam requiritur cauſa juſta, ut Matrimonii diſpenſatio validè fiat. Ita communè Doctorum. Unde invalida eſt diſpenſatio, quæ obtinetur ſubreptitiè, vel obreptitiè. Tunc dicitur diſpenſatio ſubreptitia, quandò pro ejus impetratione tacetur veritas alioquin exprimenda: obreptitia verò, quandò exprimitur falſitas, quâ cognita, diſpenſatio non fuiſſet concedenda. Ità omnes.

361 Notatio Tertia. Quotuplex ſit cauſa diſpenſandi in impedimentis Matrimonii? ℞. Duplex eſt cauſa diſpenſationis, altera finalis, impulſiva altera. Cauſa finalis eſt, quæ funditus, & ex toto movet animum diſpenſantis, &, quà non exiſtente, diſpenſationem non concederet. Ità cum communi *Vincentius De Juſtis de diſpenſ. Matrimon. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 46.

362 Cauſa verò impulſiva dicitur illa; ob quam diſpenſans faciliùs concedit diſpenſationem, ità tamen, ut etiam ſine tali cauſa impulſiva, ſecundùm cauſæ merita, & ſecundùm rectam rationem, eſſet nihilominùs diſpenſationem conceſſurus. Ità citatus *De Juſtis n.* 53.

363 Hinc

363 Hinc impropriè iſta impulſiva dicitur cauſa, cum potiùs ſit motivum quoddam ad magis adjuvandum, & facilitandum animum diſpēſantis, ideòque ad hanc cauſam non extenditur clauſula illa, Si preces veritate nitantur. *De Juſtis citatus n.* 54.

364 Notatio Quarta. In dubio, an cauſà allegata ſit finalis, vel potius impulſiva? Cenſenda eſt impulſiva, niſi ſola allegata ſit. *Sanch. l.* 8. *de Matrim. diſp.* 21. *n.* 20. *&* *n.* 25. & alii, quos citat, & ſequitur. *De Juſtis citatus n.* 67.

365 Dicitur: *Niſi ſola allegata ſit*: quià quando una ſola cauſa allegatur, tunc cenſenda eſt finalis. Ita *De Juſtis citatus n.* 53.

366 Notatio Quinta. Quando cauſa aliqua non ſufficit ſe ſola ad diſpentationem concedendam, poſſunt plures allegari, ut, quæ ſingulæ non ſufficiunt, aggregatæ ſe juvent ad invicem, & validam reddāt diſpenſationem. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 19. *n.* 34. *Pyrrh. Corr. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 64. §. *Admiſſum vidimus*, ad finem *De Juſtis lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 118

367 Notatio Sexta. Quando plures cauſæ allegantur, non requiritur, quòd omnes ſimul ſint veræ, ſed ſufficit, quod aliqua earum verificetur, dummodò ſe ipſa ſeorſim ſumpta ſufficiat ad diſpenſationem concedendam. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 21 *à n.* 42. *De Juſtis citatus n.* 59. Secùs, ſi una tantùm cauſa allegatur, & ea ſit falſa. *Sanch. cit. n.* 41.

368 Nota, quod pro Matrimonii diſpenſationibus impetrandis, non ſolum gradùs remotioris, ſed etiam propinquioris expreſſa mētio fieri debeat. *Pignat. tom.* 7. *conſult.* 22. *n.* 34.

369 Hinc non valet diſpenſatio, quando fit mentio de ſimplici conſanguinitatis gradu, cùm tamen ſit duplicatus. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 5.

370 Nihilominus gradus propinquior impedimentum non facit, ſed ſolùm diſtantiam. Excipe, quando contrahentes ſunt conjuncti, vel ſe attinent in primo, & ſecundo cōſanguinitatis, vel affinitatis gradu: tunc enim gradus uterque, tàm propinquior, quàm remotior faciunt impedimentum, & non diſtantiam. Ita *Pignat.* proximè *citat.*

371 Notatio Septima. Quando petitur diſpenſatio pro gradu remotiori, ſed ex errore conceditur propropinquiori valet dipēſatio: non tamen è contra. Ratio primi eſt: quià diſpenſans pro tertio gradu, v. g. cujus diſpenſatio eſt difficilior, cenſetur diſpenſare pro quarto, cujus diſpenſatio eſt facilior. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 17. Ratio ſecundi eſt: quià gradus maior, qualis eſt tertius, v. g. non continetur in minori, qualis eſt quartus, & pro maiori gradu requiritur maior cauſa. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 19. *n.* 7.

372 Notatio Octava. Conjuncti in gradu mixto ex quinto, & quarto, non indigent diſpenſatione ad contrahendum. Ratio eſt: quià in ſic conjunctis attenditur gradus conſanguinitatis penès diſtantiam remotioris à ſtipite, ità ut quoto gradu remotior diſtet à ſtipite, eodem tales conſanguinei diſtent inter ſe. Cum igitur remotior à ſtipite diſtet ultrà quartum gradum, ambo eorum conſanguinei ultrà quartum gradum, ac proinde nulla erit prohibitio Matrimonii inter illos celebrandi. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 53. *n.* 4. *Pyrrh. Corr. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 60. §. *& aliàs.*

373. Habet etiam *Pyrrh. lib.*

8. *cap.* 2. *n.* 33. §. *Hinc*, quod præſumitur diſpenſatio inter virum, & uxorem, qui in gradu prohibito cõtraxerunt, ſi per decem annos continuos, & ultrà, in Matrimonio vixerunt, & mortui ſunt. Ratio eſt: quià diuturnitas, qua in figura Matrimonii fuerunt vir, & uxor, facit, quòd proles illegitima habeatur pro legitima, concurrente publica ignorantia. His notatis, ad cauſas pro Matrimonii diſpenſationibus obtinendis frequentiores deveniamus.

SECTIO II.

De cauſa ob infamiam ex copula.

374 INter cauſas, quæ pro Matrimonii diſpenſationibus impetrandis allegari ſolent, prima ſit: *Ob infamiam ex copula.* Datur hæc cauſa, *quando conſanguinei, vel affines in gradu, vel gradibus prohibitis carnalier ſe cognoſcunt: &, niſi inter eos Matrimonium contrahatur, mulier innupta, & diffamata remanebit, nec virum, cui nubat, invenire poterit.* Valet hæc cauſa, tam in Matrimonio ſcienter contrahendo, quàm in jam ſcienter contracto. *Sanch. lib* 8. *diſp.* 19. *n.* 10. *Pyrrh. lib.* 7. *cap* 3. *n.* 3.

375 Notatio Prima. Cauſa, quæ movet ad diſpenſandum, non eſt copula carnalis inter oratores præhabita, cùm non poſſit Princeps recta juſtitia moveri ad diſpenſandum ex cauſa peccaminoſa. Cauſa igitur finalis diſpenſationis eſt, nè mulier innupta, & diffamata remaneat, utque ejus honori ſuccurratur. *Pyrrh. lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 8. & *n.* 12. §. *Hanc. cauſam. Vincent. de Juſtis lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 2. & 3.

376 Nihilominus, quando inter oratores habita fuit copula, neceſſariò exprimenda eſt in ſupplicatione, aliàs diſpenſatio erit nulla, utpotè ſubreptitia. *Pyrrh. lib.* 8. *cap.* 3. *n.* 27.

377 Non tamen eſt neceſſe exprimere, quot vicibus habita fuerit copula, ſed ſufficit dicere, quod orator oratricem carnaliter cognoverit in genere, quin addatur in ſpecie, quòd eam ſemel, vel pluries cognoverit. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 7. *Pyrrh. lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 49.

378 Notatio Secunda. Si fortè allegetur copula habita, quæ tamen habita non fuit, & prætereà allegetur alia cauſa ſufficiens, v. g. infamia ſequenda fœminæ, niſi Matrimonium contrahat cum oratore, valebit diſpenſatio ob ſolã infamiam, quamvis habita non fuiſſet copula. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 21. *n.* 45. *Nogueira quæſt. ſingular. diſp.* 1. *quæſt.* 33. *per totam. Themud. tom.* 4. *Deciſion.* 53. *n.* 4.

379 Notatio Tertia. Quando impedimentum eſt publicum, copula verò occulta, peti poteſt diſpenſatio pro impedimento, tacendo copulam, ejus tamen remedium, ac diſpenſationem occultè procurando. *Pignat. tom.* 7. *conſultat.* 22. *n.* 27.

380 Hinc, ſi diſpenſatio ſit pro foro externo, & copula ſit occulta, non tenetur inceſtuoſus copulam aperire, imò poteſt externè interroganti cum juramento copulam denegare in animo reticendo; *Non habui copulam, ut tibi dicam, vel, ut in judicio proferam. Averſa Pont. Trullench;* & alii plures, quos refert, & ſequitur. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 25. *n.* 13. & 14.

381 Notatio Quarta. Poſt diſpenſationem jam factam, nondum tamen contracto Matrimonio, ſi habeatur copula inter conſanguineos, vel

vel affines jam diſpenſatos, neceſſaria non eſt nova diſpenſatio inter ipſos, *Sanch. lib. 7. diſp. 67. n. 9. & lib. 8. diſp. 25. n. 4. Pyrrh. lib. 8. cap. 1. n. 43. & 44. De Juſtis lib. 1. cap. 4. n. 257.* Ratio eſt: quià per diſpenſationem jam fuit ablatum impedimentum, & propterea copula ſubſequuta jam non eſt inceſtuoſa, ſed ſimplex fornicatio, quæ nullum Matrimonii impedimentum affert: Eccleſia enim, quæ impedimentum conſtituit ipſamet per diſpenſationem jam abſtulit.

382 Quod viget, tametſi oratores diſpenſationem jam eſſe factam ignorarent, *Pyrrh. citat. n.* 45. Ratio eſt: quia poſt diſpenſationem jam factam ſtatim oratores efficiuntur materia legitima ad contrahendum.

383 Dixi tamen: *inter ipſos*: quia ſi poſt factam diſpenſationem copula haberetur, ſeu reiteraretur cum conſanguinea illius fœminæ, quam quis ducere intendit intra gradum prohibitum, tunc nova inſurgeret affinitas Matrimonium dirimens, ac proinde nova opus eſſet diſpenſatione. *Sanch. lib. 8. diſp. 24. n. 8. De Juſtis lib. 1. cap. 4. n.* 258.

384 Notatio Quinta. Copula inter conſanguineos, vel affines præhabita poteſt probabiliter reticeri in diſpenſatione ſuper impedimento dirimenti petenda, ſi alia cauſa pro diſpenſatione impetrandà allegetur, v. g. anguſtia loci, incompetentia dotis, vel alia ſimilis cauſa. Ità *Vicent. de Juſtis lib. 1. cap. 4. ubi à n.* 250. uſque *ad num.* 364. punctum non minùs difusè, quàm nervosè tractat, & ex multis Doctoribus, allegatis etiam juribus, ac deciſionibus, reſolutionem hanc tenet expreſſè *n.* 279. & 364. §. *Ex quibus ſic cumulatis.*

385 Notatio Sexta. An Infidelis, qui cum duabus conſanguineis infidelibus, vel alterà infideli, & alterà fideli: aut etiam Infidelis, qui cum duabus conſanguineis fidelibus, vel alterà fideli, & altera infideli: an iſti ità contrahant affinitatem ex copulà, ut etiam poſt ſuſceptum baptiſmum indigeant diſpenſatione ad contrahendum cum qualibet earum? Vide *Sanch. lib. 7. diſp.* 65. per totam.

386 Hiſpoſitis, cùm nonnullas ſupplicationum formulas, quæ pro Matrimonii diſpenſationibus impetrandis porrigi ſolent Summo Pontifici; afferat *Pyrrh. lib. 7. cap. 2. à n. 99. & lib. 8. cap. 1. à n.* 26. hinc ejuſdem Pyrrhi methodum imitari libet, cum hoc tamen diſcrimine, quòd petitionum exemplaria dabimus idiomate Luſitano, quatenùs Luſitanis Braſiliæ Epiſcopis porrigendæ ſunt petitiones, quarum exemplaria proponimus. Unde in præſenti pro Matrimonii diſpenſatione ſupplicandà confici poterit petitio hoc, vel illo modo, v. g. ſequenti.

EXCELLENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SENHOR.

Dizem os Oradores Ticio de N. e Berta de N. naturaes de N. e moradores em N. deſte Biſpado, que elles contratarão entre ſi cazar-ſe na forma do Sagrado Concilio Tridentino, o que não podem fazer ſem primeiro ſerem diſpenſados no 3. *grào de conſanguinidade, em que ſe achaõ impedidos: porque*

P. Que

P. *Que Pedro de N. e Paulo de N. foraõ Irmãos, e que deſte Pedro de N. naſceu Sempronio de N. e deſte Sempronio de N. naſceu Ticio de N. Orador.*

P. *Que de Paulo de N. naſceu Achaia de N. e deſta Achaia de N. naſceu Berta de N. Oradora, que vem a ficar em* 3. *grào de conſanguinidade com o Orador.*


P. *Que o Orador por fragilidade humana, e naõ com animo de facilitar a diſpenſaçaõ, teve copula com a Oradora, a qual por eſta cauſa eſtá incapaz de puder cazar com outrem, ſenaõ com o Orador; e naõ cazando com elle, fica expoſta à todos aquelles perigos, que conſigo trazem ſemelhantes deſgraças.*

P. *Que a Oradora naõ foy raptada, nem eſtá em poder do Orador* (ou ſe foy raptada) *já naõ eſtá em poder do Orador, ſenaõ em caza de ſeus Pays, ou depoſitada em N. Por tanto.*

P. *A V.Excellẽcia Reverendiſſima humildemente os Oradores, que por ſerviço de Deos lhe faça eſmola de os admittir a provar o deduſido na ſua petiçaõ, e juſtificadas, que forem as premiſſas, diſpenſar com elles no impedimento, que allegaõ,* impoſitâ pœnitentia ſalutari.

Et orabunt ad Dominum.

Arbor præcedentis Tertii conſanguinitatis gradus.



SEC-

SECTIO III.

De cauſâ, ob vitanda ſcandala.

387 SEcunda cauſa: *ob vitanda ſcandala.* Datur hæc cauſa; *quandò inter conſanguineos, vel affines habita non fuit copula, ex familiari tamen converſatione, aut aliis indiciis orta eſt ſuſpicio copulæ, ita ut niſi inter eos Matrimonium contrahatur, gravia inde ſcandala oriri poterunt, & mulier innupta, & diffamata remanebit, nec virum, cui nubat, invenire poterit.* Hæc cauſa eſt affinis, & ſimilis præcedenti, cùm ambæ tendant ad Oratricis honori ſuccurrendum, & ſcandalis obviandum. *Pyrrh. lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 8. & 12. §. *Hanc cauſam.* Unde quæcumque de hac ſecundâ cauſâ dicemus, etiam primæ ſunt affinia, eique accommodari poterunt.

388 Notatio Prima. Quænam ſint gravia ſcandala, ob quæ vitanda concedi debeat diſpenſatio ſaltem ex charitate? ℞. ſcandalum grave ex ipſo facto, ſeu delicto commiſſo, circunſtantiis concomitantibus, & conſequentiis imminentibus dignoſci debet. Regulariter autem tunc dicitur ſcandalum ſequi, quãdo datur occaſio detrahendi, ſeu temerè judicandi, vel proximum infamandi: *Bonac de Sacram. diſp.* 4. *quæſt.* 6. *punct.* 1. *n.* 18. §. *Tunc dicitur ſequi ſcandalum, verùm Hontienſ. in ſum. lib.* 1. *tit. de Renũtiat* dicit grave ſcandalum eſſe, quotieſcumque ex dicto, vel facto alterius, alii trahuntur in conſenſum peccati mortalis.

389 Notatio Secunda. Hinc quo ad diſpenſationes Matrimoniales, & pro Matrimoniis jam contractis, ſi impedimenta ſint occulta, ac proinde pro foro conſcientiæ petatur diſpenſatio, gravia ſcandala erunt, primò. Si oratores, inter quos adſit impedimentum dirimens, ſeparari nequeant abſque ſcandalo, eò quòd prolem habeant, quæ parẽtibus deſtituta commodè educari non poſſit: ſecundò: ſi alter ex conjugibus ſolus impedimentum novit, & cùm occultum ſit, illud probare non poteſt, vel abſque famæ jacturà detegere. Tertiò: ſi uterque conjux impedimenti conſcius ſit, cùm tamen probari non poſſit, nequeunt ſine ſcandalo ſeparari, nec eis permittitur aliud Matrimonium inire; unde maximo incontinentiæ periculo expoſiti erunt. *Sanch. lib.* 2. *diſp.* 40. *n.* 3. in fine.

390 Notatio Tertia. His addi poteſt probabile periculum, ut impediti in concubinatu remaneant, dùm diſtituti remedio diſpenſationis obtinendæ ſe cognoſcant; vel timeant, ut ſi impedimentum detegatur, fama cum honoris de decore jactetur, vel fœmina à conſanguineis ſuis, vel àviro verberibus affligatur, quæ omnia, ſi impedimenta occulta ſint, ponderat, & ſcandala gravia judicat *Sanch. cit. n.* 5.

391 Notatio Quarta. Aſt, ſi ſuper publicis impedimentis petatur diſpenſatio ad contrahendum, tunc ſcandala gravia ſunt. Primò: ſi Matrimonium non contrahatur inter Oratores, qui copulam carnalem inter ſe habuerunt, vel cum ſuſpicione ejuſdem converſati ſunt.

392 Secundò: ſi Matrimonium ex aliquâ cauſâ nulliter contractum ſit, & niſi diſpenſetur ſuper impedimento, divortium fiet. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 19. *n.* 9. & 10.

393 Tertiò: gravia ſcandala erunt, quandò adeſt probabilis timor ini-

inimicitiarum , & jurgiorum : vel quoties timetur fornicationis periculum ratione juventutis contrahentium. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 19. *n.* 9.

394 Quarto : Scandala gravia intelliguntur pericula peccatorum incontinentiæ , fornicationis , & ſimilia. *Averſa de Matrim. quæſt.* 19. *Sect.* 4. §. *Regulariter verò* , in fine.

395 Notatio Quinta. Hæc autem ſcandala, non requiritur de neceſſitate , quòd certa ſint , vel certò immineant ; ſed ſufficit , ſi probabiliter timeantur, niſi diſpenſatio ſequeretur. Ità in terminis *Vincentius De Juſtis* curialis verſatiſſimus , è cujus *lib. cap.* 17. *à num.* 2. omnia hæc tranſcripſimus , nempè , ut ea non tamquàm noſtra, ſed tanti Doctoris propria omnem ſcrupulum amoveant. Quamvis his affinia etiam legimus apud *Pyrrh. lib.* 8. *cap.* 2. *n.* 4. *&* *n.* 9. *&* §. *cap.* 3. *n.* 29.

Petitio ad Excellentiſſimos , & Reverendiſſimos DD. Epiſcopos pro allegandà hac cauſá confici poterit v.g. tenore ſequenti, videlicet.

EXCELLENTISSIMO , E REVERENDISSIMO SENHOR

Dizem os Oradores Sempronio de N. e Achaia de N. naturaes de tal parte , e moradores em tal parte deſte Biſpado , que elles Supplicantes eſtaõ ajuſtados para ſe cazarem na forma do Sagrado Concilio Tridentino , e o naõ podem conſeguir ſem primeiro ſerem diſpẽſados por V. Excellencia Reverendiſſima por ſe acharem impedidos no terceiro grao de conſanguinidade mixto com o ſegundo : porque

P. *Que Paulo de N. e Maria de N. eraõ Irmãos , e que deſte Paulo de N. naſceu Sempronio de N. Orador.*

P. *Que de Maria de N. naſceu Fauſtino de N. e deſte Fauſtino de N. naſceu Achaia de N. Oradora.*

P. *Que a Oradora tratou de amores com o Orador , e eſtá infamada de ſorte , que naõ cazando com elle , naõ achará depois com quem cazar , porque*

P. *Que por razaõ da grande familiaridade , e outros indicios , que ſe notaõ nos Oradores , prezume a mayor parte da viſinhança , que entre elles tem havido copula carnal,*(a qual toda via naõ houve) *donde ſó cazando com o Orador poderá a Oradora recuperar o credito perdido.*


P. *Que a Oradora naõ foy raptada* , (mas ainda que o foſſe) *naõ eſtá em poder do Orador , mas ſim em caza de ſeus Pays , ou depoſitada em N. por tanto.*

P. *A V. Excellencia Reverendiſſima humildemente os Oradores , ſe digne por ſerviço de Deos de*

de diſpenſar com elles nos impedimentos, que tem depois de feitas as diligencias neceſſarias, e impoſta penitencia ſaudavel.

Et orabunt ad Dominum,

Arbor præcedentis ſecundi, & Tertii conſanguinitatis graduum.



SECTIO IV.

De cauſa ob anguſtiam loci.

396 DAtur hæc cauſa: *Quando fæmina ob anguſtiam loci virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere poſſit, invenire nequit.*

397 Notatio Prima. Uſque ad annum nonum Pontificatùs Pauli V. paſſim admittebatur hæc cauſa non ſolùm in locis anguſtis, ſed etiam in inſignibus, amplis, & populo plenis, atque etiam in civitatibus magnis, & principalibus, imò in ipſamet Alma Urbe: idem verò Pontifex, re maturiùs penſitatà, juſſit, ut in poſterum quoad civitates non admitteretur talis cauſa; & ità in praxi obſervatur, ut teſtatur. *De Juſtis lib. 3. cap. 2. n. 4.*

398 Notatio Secunda. Nihilominùs ab hac praxi excipiuntur anguſtæ civitates, quæ tercentum focularia non excedunt, cum attentà earum anguſtia, adhuc in his admitti ſoleat hæc cauſa. *Pyrrh. lib. 7. cap. 5. n. 44.*

399 Unde infert *De Juſtis* loco citato n. 12. quòd ſecluſis ſolis civitatibus, quæ tercentum focularia excedunt, in omnibus aliis locis, Terris, & Oppidis, quantumcumque inſignibus, & populo plenis, ſoleat admitti hæc cauſa.

400 Notatio Tertia. Hujuſmodi anguſtia loci non eſt adeò ſtrictè accipienda, ut neceſſaria ſit exacta inquiſitio, an ſint in oppido pares

Oratrici, non conſanguinei, vel affines, qui eam ducere velint, ſed morali modo eſt intelligenda. *Sãch. lib.* 8.*diſp.* 19.*n.*14. *&* 15. ità ut licèt ſint in oppido aliqui non conſanguinei, vel affines paris conditionis, adhuc tamen difficile erit, ut fæmina nubere poſſit æquali ſibi, ſuiſque Parentibus grato. Averſa, quem citat, & ſequitur *De Juſtis cit.n.* 15. Ratio eſt: quià nimis durum eſt, quòd ex nimis ſtricta interpretatione de anguſtia loci, fæmina, vel innupta cum animæ periculo remaneat, vel ad unum, & alterum præciſum Matrimonium invita, & cum animi mærore coarctetur. *De Juſtis n.* 16.

401 Notatio Quarta. Hinc verificatur anguſtia loci 1. Si maior pars concivium, vel perſonarum oppidi, vel alterius loci, cujus anguſtia allegatur, ſint oratricis conſanguinei, vel affines, vel alio quovis impedimento dirimente ligati, ità ut cum ea Matrimonium contrahere nequeant. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 19.*n.*13. *&* 14. & alii, quos refert, & ſequitur. *De Juſtis cit. n.* 19.

402 Notatio Quinta. Verificatur anguſtia loci 2. Si Oratrix per aliquod competens tempus, v. g. per quinque, aut ſex annos fuiſſet ornata, & expoſita ad nubendum, & tamen nullus æqualis eam petiit. Ratio eſt: quià pudor, & muliebris honeſtas non patitur de per ſe quærere virum. Cap. *Honorantur* 13. Cauſa 32. *quæſt.* 2. Unde ſi per tale tempus nullus æqualis eam in uxorem petiit, præſumi poteſt valdè difficile eſſe, ut in tali loco nubere poſſit æquali, non conſanguineo, vel affini. *De Juſtis cit. n.*24.

403 Nec ideò adſtringenda eſt fæmina ulteriùs expectare, nè fortè innupta cum animæ periculo remaneat: quamvis enim fieri poſſit, ut tractu temporis aliquis eam ducat, tamen futura ſunt incerta; ea verò, quæ certam ſpem de præſenti non habent, & poſſunt eſſe, vel non eſſe, non habentur in conſideratione. *De Juſtis cit. à n.* 25.

404 Notatio Sexta. Verificatur anguſtia loci 3. Quamvis fæmina, quæ nubere intendit, haberet quidem in ſuo loco, vel oppido plures æquales non conſanguineos, nec affines; quià tamen ſit ætate longæva, vel ex alio Matrimonio filios habeat, vel ſit deformis, difficile eſt, ut nubat æquali. *De Juſtis cit. n.* 27. Ratio eſt: quià in his Matrimonia redduntur diſparia, & inæqualia. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 19. *n.* 29.

405 Notatio Septima. Verificatur anguſtia loci 4. Quando fæmina non invenit virum æqualem, eò quod ſit de aliquo crimine, & vitio diffamata; vel quià ſit rixoſa, maledica, & malis moribus imbuta, eòque magis, ſi ſit impudica. *De Juſtis cit. n.* 28. *&* 29. Ratio eſt: quià tunc non immeritò, ſed prudenter, quamvis aliundè æquales, & non conſanguinei, vel affines, eam ducere recuſant. Unde fit, ut tales æquiparentur inæqualibus ad Matrimonium contrahendum.

406 Notatio Octava. Verificatur anguſtia loci 5. Tametſi in loco, vel oppido ſint viri æquales, ſi tamen hi ex alio Matrimonio filios habeant, vel ſint valdè deformes, vel giboſi, vel ſtrumis infecti, vel luſores, concubinarii, Prodigi, Delapidatores, vel aſperi ingenii. *De Juſtis cit. n.* 30. Ratio eſt: quià ex his conſtituitur diſparitas ad Matrimonium, adeòque non reputatur inter æquales. *Sanch. lib.* 8.*diſp.* 19. *n.* 15.

407 Notatio Nona. Verificatur an-

anguſtia loci 6. ſi fœmina ſit juvenis, & viri, qui eam ducere velint, ſenes: aut contrà, ſi fœmina ſit ſenex, & viri, qui eam ducere velint, juvenes. *De Juſtis n.* 33. *&* 42. Ratio eſt: quià inter hos Matrimonia ſunt diſparia, & inæqualia ob maxima incommoda, quæ ex talibus reſultant, ut latè oſtendit. *De Juſtis* loco cit.

408 Notatio Decima. Verificatur anguſtia loci 7. Quando fæmina, quæ nubere intendit, eſt nobilis, ſed pauper: quamvis in loco, vel oppido ſint viri ignobiles, ſed divites, qui eam ducere velint cum parva dote, quam habet. *De Juſtis cit. à n.* 60. *uſque ad n.* 68. Ratio eſt: quià inter hos connubia ſunt valdè diſparia, & inæqualia.

409 Notatio Undecima Verificatur anguſtia loci 8. Quando in loco, vel oppido fœmina, quæ nubere intendit, non ſunt æquales, quamvis in locis finitimis, & ſuæ patriæ cohærentibus, non deſint perſonæ paris conditionis, quibus commodè nubere poſſit. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 19. *n.* 13. *&* alii, quos citat, & ſequitur. *De Juſtis à n.* 70. ubi ità fuiſſe à Sacrà Congregatione deciſum teſtantur *Sanch. & Pont.* Ratio eſt: quià duriſſimum eſt cogi fœminam extrà proprium oppidum nubere. *Pyrrh. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 21.

Dubium hic reſolvendum.

410 Notatio Unica. Super eſt difficultas: quomodò, & qualiter verificatur Nobilitas, & qualitas Oratricis, quæ pro diſpenſationis cauſà allegat in ſuo loco, vel oppido anguſto non invenire virum ſibi æqualem, cui nubat, præter conſanguineum, vel affinem?

411 Ante reſolutionem diſtinguere oportet inter Nobiles, & Nobiles, alii enim ſunt Nobiles ex Genere; alii verò ex Honoribus, & virtute; & alii ex Principis privilegio. Text. in L. *Nobiliores*, C. de comerc. & mercat.

412 Nobiles ex Genere, ſunt Duces, Marchiones, Comites, Barones, & ab his progeniti: quibus adde eorum conſanguineos, vel affines, quamvis Titulares non ſint, vulgò *Cavalheiros*, *Fidalgos*, *&c.*

413 Nobiles verò ex honoribus, & virtute, ſunt Doctores Eximii, & ii etiam, qui poſſederunt officia, quæ non niſi Nobilibus conferri ſolent.

414 Nobiles ex privilegio ſunt, qui ex ſpeciali Principis gratià, quàvis aliàs Nobiles non fuerint, inter ipſos tamen Nobiles cooptantur. *De Juſtis à n.* 129. *ad n.* 132. Hiſ poſitis.

415 Reſolutio ſit: Ad probandam Nobilitatem Oratorum ſufficit, ſi probetur Oratores, eorumque Progenitores, vel ſaltem eorum Patres à populo communiter pro Nobilibus haberi, æſtimari, & reputari: quippe qui ab his abſtinuerunt, quæ populares facere conſueverunt, eaque officia, & dignitates in ſuo oppido poſſederunt, ad quæ non niſi Nobiles admitti ſolent. *Pyrrh. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 119.

416 Fundamentum eſt: quià in his communis reputatio Nobiles conſtituit, & magis conſuetudo attenditur, quàm lex; cùm poſſit quis haberi Nobilis in uno loco, & ignobilis in alio. *Maſcard. & Mantic.* qui *deciſ.* 317. *n.* 2. concludit ex publicà voce, & famà, & communi hominum exiſtimatione, generis qualitatem, & nobilitatem probari. *De Juſtis cit. n.* 137.

417 Ad probandum verò Oratores deſcendere ex honeſtis familiis, ſufficit, ſi probetur Oratores honeſtè vivere, ejuſque familiam nullo turpidinis vitio laborare, & ità in praxi ſervari teſtatur *Pyrrh. cit. n.* 118. quod etiam approbat *De Juſtis cit. n.* 134. Petitio pro allegandâ hac cauſâ formari poterit v. g. hoc modo, videlicet.

EXCELLENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SENHOR.

D*Izem os Oradores Franciſco Rodriguez, e Angela Barboſa; que ſendo elles naturaes deſte Biſpado, e moradores na Villa de N. contrataraõ entre ſi caz ar-ſe na forma do Sagrado Concilio Tridentino, o que naõ podem conſeguir ſem diſpenſaçaõ, que deſejaõ alcançar de V. Excellencia Reverendiſſima por ſe acharem impedidos no* 4. *grào de conſanguinidade mixto com o* 3. *porque*

P. *Que Roza Maria, e Leonor dos Anjos eraõ Irmãas, e que deſta Leonor dos Anjos naſceo Pedro Lopes, do qual Pedro Lopes procedeo Joſeph Pinto, e deſte Joſeph Pinto procedeo Angela Barboſa Oradora.*

P. *Que de Roza Maria naſceo Joaõ Fagundes, e deſte Joaõ Fagundes procedeo Franciſco Rodriguez Orador.*

P. *Que os Oradores ſaõ peſſoas nobres por ſeus Pays, e Avos, os quaes muitas vezes ſerviraõ de Almotaceis, Vereadores, e Juizes Ordinarios na Camara deſta Cidade* (v g. de Cabo Frio, ou Villa de Santos) *e como taes ſe trataraõ ſempre com a eſtimaçaõ devida à ſua nobreza.*

P. *Que no lugar,* (Villa, ou Cidade de Cabo Frio,) *onde os Oradores naſceraõ, e ſaõ moradores, naõ ha peſſoa igual, com quem a Oradora poſſa cazar, ſe naõ com o Orador; e naõ cazando com elle, naõ acharà depois com quem cazar, como ao preſente naõ acha, e ficando ſolteira, poderà talvez padecer inquietaçoens de ſua alma.*


P. *Que a Oradora naõ foy raptada, nem eſtà em poder do Orador, ſenaõ em caza de N. por tanto*

P. *a V. Excellencia Reverendiſſima humildemente os Oradores, que attendendo ao referido ſe digne, por ſerviço de Deos, e bem ſpiritual das almas dos meſmos Oradores, admittillos a juſtificar as premiſſas, e achando ſer verdadeiras, diſpenſar com elles no dito impedimento do*

do quarto grao de conſanguinidade, mixto com o terceiro, impoſita pœnitentia ſalutari.

Et orabunt ad Dominum.

Arbor præcedentis Tertii, & Quarti conſanguinitatis Graduum.



SECTIO V.

De cauſa ob incompetentiam dotis.

418 IN quinque caſibus verſatur hæc cauſa, & in omnibus conceditur diſpenſatio in gratiam fœminæ, nè innupta cum animæ periculo remaneat ob defectum dotis. *De Juſtis lib.* 3. *cap.* 3. *à num.* 1.

§.

Cauſus primus.

419 PRimus caſus eſt in cõpetentia dotis, nempè, quòd *cùm dicta Oratrix dotem habeat minùs competentem juxtà ſtatùs ſui conditionem, cum quâ virum ſibi non conſanguineum, vel affinem, cui nubere poſſit, invenire nequeat; & Orator illam cum dictâ minùs competenti dote in uxorem ducere intendat, cupiunt in-*

vicem

vicem Matrimonialiter copulari. &c.

420 Notatio Prima. Hæc cauſa admittitur abſque ullo augmento dotis, non tamen in omnibus gradibus, ſed tantùm in remotioribus v. g. in 4. vel 3. cum 4. quamvis ex diverſis, & multiplicatis ſtipitibus impedimenta naſcantur. *De Juſtis cit. n.* 6.

421 Dicitur: *abſque ullo augmento dotis*, nam in Gradibus propinquioribus, ut in 2. & 3. tantùm, & in primo publicæ honeſtatis, ut prædicta cauſa admittatur, requiritur augmentum dotis. *De Juſtis citat. n.* 7.

422 Notatio Secunda. Pro incompetentià dotis nulla certa regula aſſignatur. Unde incompetentia dotis arbitrio diſpenſantis remittitur, cui relinquuntur ea, quæ certà lege definita non ſunt, certàque ſub regulà comprehendi non poſſunt. *Pyrrh. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 57.

423 His non obſtantibus, hæc regula, ſeu quaſi regula dari poteſt; nempè, quòd incompetentia dotis reputari debet juxtà conſuetudinem loci, quæ plurimùm ad id attenditur, *Pyrrh. citat. n.* 39. §. *Quoniam verò.*

Petitionis formula ad Excellentiſſimos pro hoc caſu eſſe poterit; ut ſequitur, videlicet.

EXCELLENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SENHOR.

D*Izem os Oradores Agoſtinho de Froes, natural da Cidade de Coimbra, e Anna de Caſtro natural, e moradora neſta Cidade do Rio de Janeyro, que eſtando elles contratados entre ſi para ſe cazarem na forma do Sagrado Concilio Tridentino, o naõ podem fozer ſem primeiro ſerem diſpenſados por V. Excellencia Reverendiſſima por ſe acharem impedidos no 4. grào de conſanguinidade: porque*

P. *Que Maria Borges era Irmaã de Pedro de Azambuja, e que deſte procedeo Catharina Telles, e deſta naſceo Antonio Pires, e deſte procedeo Anna de Caſtro Oradora.*

P. *Que de Maria Borges naſceo Joſepha Paes, e deſta naſceo Thereza Ortiz, e deſta naſceo Agoſtinho de Froes Orador.*

P. *Que elles Oradores ſaõ peſſoas nobres, e qualificadas por ſeus Pays, e Avòs, os quaes (por eſta, e aquella razaõ ſaõ nobres,) porque muitas vezes foraõ Almotaceis, Vereadores, ou Juizes Ordinarios neſta Cidade, ou Villa, e como taes ſe trataraõ ſempre com aquella eſtimaçaõ, que he devida à ſua nobreza.*

P. *Que o Orador tem baſtantes cabedaes para poder tratar a Oradora com a gravidade competente à ſeu naſcimento; e pertende cazar com ella ſem eſperar outro dote, mais que aquillo, que ſeus Pays commodamente lhe poderem dar, inda que naõ chegue a ſer competente à ſua peſſoa: porque*

P. *Que*

P. *Que os pays da Oradora ſe achaõ em eſtado de a naõ poderem dotar para caſar com peſſoa de igual condiçaõ, e nobreza, ſenaõ com o Orador,* (ſó com aquillo, que ſeus pays commodamente lhe poderem dar) *que a pede, e deixando de caſar com o Orador, naõ achará depois peſſoa igual, com quem poſſa caſar neſta fórma.*

P. *Que a Oradora naõ foy raptada, nem eſtá em poder do Orador, ſenaõ em caſa de ſeus pays, ou depoſitada em N. Por tanto*

P. *a V. Excellencia Reverendiſſima humildemente os Oradores lhes faça merce por ſerviço de Deos de os admittir a juſtificar o deduzido na ſua petiçaõ, e provado que for o neceſſario para V. Excellencia Reverendiſſima diſpenſar com elles, uſe V. Excellencia Reverendiſſima de ſua paternal benignidade, concedendolhe a diſpenſaçaõ, que pedem,* impoſita pœnitentia ſalutari.

Et orabunt ad Dominum.

Arbor præcedentis conſanguinitatis gradus.

	Paulus ſtipes.	
Maria Borges. 1.		Petrus de Azambuja. 1.
Joſefa Paes. 2.		Antonius Pires. 2.
Tereſia Ortiz. 3.		Catharina Froes. 3.
Auguſtinus Froes. 4.		Anna de Caſtro. 4.

Caſus

Caſus ſecundus.

424 SEcundus caſus eſt incompetencia dotis cum augmento facto ab Oratore. *Quòd cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta ſtatus ſui conditionem, cum qua virum paris conditionis, cui nubere poſſit, inveniri nequeat; & dictus Orator illam cum dicta minus competenti dote in uxorem ducere, illiusque dotem uſque ad quantitatem ſecundum ipſius Oratricis qualitatem competenter augere intendat, cupiunt invicem matrimonialiter copulari, &c.*

425 Notatio Prima. Ad diſpenſantem ſpectat examen de qualitate Oratricis, & quantitate dotis, ſeu augmento juxta ipſius Oratricis conditionem. *De Juſtis lib.* 3. *cap.* 3. *à n.* 10.

426 Notatio Secunda. Orator non in omnibus ſuis bonis in genere, ſed in ſpecie dotem aſſignare debet. *Pyrrh. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 43. in fin.

427 Notatio Tertia. Dotans non debet eſſe aliunde obligatus ad dotandam fæminam, vel ex toto, vel ex parte. *Pignat. tom.* 7. *conſultat.* 22. *n.* 20.

428 Notatio Quarta. Augmentum dotis debet eſſe omnino liberum, & nulli hypothecatum. *Pignat. citat. & de Juſtis n.* 12. §. *Et quoniam.*

429 Notatio Quinta. Dotis augmentum ſcriptura publica ſit promiſſum, & acceptatum, aliàs non dicitur dos aucta. *Pyrrh. cit. n.* 40.

Petitio pro diſpenſatione impetranda in hoc caſu confici poterit v. g. ut ſequitur, videlicet.

EXCELLENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SENHOR.

EXpoem a V Excellencia Reverendiſſima humildemente os Oradores Annibal de N. natural da Cidade de Angra na Ilha Terceira, e Porcia de N natural, e moradora na Cidade de S Paulo deſte Biſpado do Rio de Janeiro, que eſtando elles contratados para ſe receberem em face da Igreja na fórma do ſagrado Concilio Tridentino, o naõ podem conſeguir ſem primeiro ſerem diſpenſados por V. Excellencia Reverendiſſima; por eſtarem impedidos no terceiro grao de conſanguinidade duplicado: porque

P. *Que Antonio de N. foy irmaõ de Luiz de N. e que deſte Luiz de N. procedeo Franciſco de N. e deſte Franciſco de N. procedeo Annibal de N. Orador.*

P. *Que de Antonio de N. procedeo Fabricio de N. e deſte Fabricio de N. procedeo Porcia de N. Oradora, que por eſta ſerie fica em terceiro grào com o Orador.*

P. *Que Joaõ de N. foy irmaõ de Julia de N. e que deſta Julia de N. naſceo Franciſco de N. e deſte Franciſco de N. procedeo Annibal de N. Orador.*

P. *Que*

P. *Que de Joaõ de N. naſceo Fabricio de N. e deſte Fabricio de N. naſceo Porcia de N. Oradora, que por eſta via eſtá com Orador em 3. grào duplicado.*

P. *Que os Oradores ſaõ peſſoas nobres, e qualificadas por ſeus Pays, e Avós, os quaes muitas vezes ſerviraõ de Almotaceis, e Vereadores na Camera deſta Cidade* (ou por outros titulos) *e como taes ſe trataraõ ſempre, e foraõ eſtimados de todos.*

P. *Que os Pays da Oradora por falta de cabedaes*, (ou porque tem muitos filhos, e filhas) *naõ eſtaõ em eſtado de a poderem cazar com dote ſufficiente a ſua nobreza, e por eſta cauſa naõ achará a Oradora peſſoa igual, com quem poſſa cazar decentemente.*

P. *Que o Orador, movido de piedade Chriſtãa a quer amparar recebendo-a por Eſpoſa, augmentando-lhe o dote em dez* (ou vinte mil cruzados conforme a qualidade da Oradora) *os quaes aſſegura, v. g. no Engenho de N. bem livre, e de raiz, avaliado em cincoenta mil cruzados; e naõ cazando com o Orador, naõ achará depois a Oradora com quem cazar, conforme a ſua nobreza.*


P. *Que a Oradora naõ foy raptada, nem eſtá em poder do Orador, mas ſim em caſa de ſeus Pays, ou em caſa de N: por tanto.*

P. *a V. Excellencia Reverendiſſima humildemente os Oradores, lhes faça merce, e eſmola diſpenſar com elles no dito 3. grao duplicado de conſanguinidade, depois de feitas as diligencias neceſſarias*, impoſita pœnitentia ſalutari.

Et orabunt ad Dominum.

Z *Arbor*

Abror duplicati Tertii conſanguinitatis Gradus.



EX hac quidem arbore præ oculis habes, qualiter Annibal, & Portia ſponſi, ultimo loco poſiti, ſunt in duplicato tertio conſanguinitatis gradu ex duobus ſtipitibus provenientis, ſub uno namque ſtipite, ſcilicet Polydoro, eſt Franciſcus Pater Annibalis ſponſi, & Fabricius Pater Portiæ ſponſæ: ſub alterò verò ſtipite, ſcilicet Troiano, ſunt etiam iidem Fabricius Pater Portiæ ſponſæ, & Franciſcus Pater Annibalis Sponſi, & ſic ſub utroque ſtipite, ipſi Sponſi habent ſuos progenitores.

Initium verò hujus duplicitatis ex eo provenit, quià Aloyſius, natus Polydori ſtipitis, duxit in uxorem Juliam natam Trojani ſtipitis.

Caſus Tertius.

430 TErtius caſus pro muliere indotata: *Quòd cum dicta Oratrix indotata exiſtat, & dictus Orator illam ſic indotatam ducere intendat, & uſque ad quātitatem ſecundùm dictæ Oratricis qualitatem, competenter ex integro dotare intendat, cupiunt invicem Matrimonialiter copulari &c.*

431 Notatio Prima. Circa hanc cauſam ea omnia obſerva, quæ circa præcedentem eſſe obſervanda diximus. *De Juſtis lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 19.

432 Notatio Secunda. Si fœmina ob paupertatem, & tanquàm indotata diſpenſetur, & ante Matrimonium contractum dives fiat, v. g.

v. g. ex legato pingui, adhuc valebit diſpenſatio. *Sanch. lib. 8. diſp.* 21. *n.* 28. *Pyrrh. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 27. *Filiuc. & Dian.* quos citat, & ſequitur *De Juſtis cit. n.* 68. in fin. *Caſtr. Pal. de privileg. diſp.* 4. *Punct.* 15. *n.* 7. *Nogueyr. Quæſt. ſingul. Diſp.* 1. *Quæſt.* 29. 30. 31. Fundamentum eſt: quia diſpenſatio facta ob cauſam, quæ ex integro ſanè exiſtit, quando conceditur, nullo modo ceſſat, quamvis cauſa ceſſet.

433 Notatio Tertia. Si petita ſit diſpenſatio pro muliere indotatà, illa verò habeat aliquam quantumcumque minimam dotem, aut contrà pro muliere non habente competentem dotem, illa verò ſit omninò indotata, tenet *Pyrrh. lib.* 8. *cap.* 2. *n.* 5. quòd diſpenſatio ſic obtenta, ſit ſubreptitia, adeòque nulla.

434 Contrarium tamen ſequitur *De Juſtis citat. n.* 20. ad medium, ubi doctrinam *Pyrrh.* ſic abſolutè firmatam vocat nimis rigoroſam. Ratio eſt: quià diſpenſas movetur ad diſpenſandum, ut ſuccurrat Oratrici pauperi, quæ cũ non habeat dotem, vel habeat, ſed inſufficientem, periculum eſt, ut vel innupta remaneat cum periculo animæ, vel nubere cogatur indigno, & inæquali.

435 Undè cum intentio diſpẽſantis ſit quoad prædicta, providere Oratrici, & utroque modo per hujuſmodi diſpenſationẽ ſatis provideatur, non videtur ceſſante dolo, inſici gratiam diſpenſantis, qui æquè movetur ad diſpenſandum, vel Oratrix nullam habeat dotem, vel habeat inſufficientem. Valebit igitur diſpenſatio ſic obtenta juxtà citatum *De Juſtis*, cui adhæreo,

Petitionis paradigma Excellentiſſimis porrigendæ erit v.g. modo ſequenti, videlicet.

EXCELLENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SENHOR

Expoem a V. Excellencia Reverendiſſima os Oradores Manoel de N. natural da Cidade de Angola, e D. Maria de N. natural, e moradora em N. deſte Biſpado, que eſtando elles contratados para cazar na forma do Sagrado Concilio Tridentino, o naõ podem conſeguir ſem primeiro ſerem diſpenſados no 4. *grào de conſanguidade duplicado, em que eſtaõ impedidos por duas linhas: porque*

P. *Que Franciſco de N. foy Irmaõ de Luiz de N. e que deſte Luiz de N. naſceo Antonio de N. e que deſte Antonio de N. naſceo Joaõ de N. e que deſte Joaõ de N. naſcèo Manoel de N. Orador.*

P. *Que de Franciſco de N. procedeo Fabricio de N. e deſte Fabricio de N. procedeo Octavio de N. e deſte Octavio de N. procedeo D. Maria de N. Oradora, a qual por eſta linha fica com o Orador em* 4. *grào de conſanguinidade.*

P. *Que Jozè de N. foy Irmaõ de Julia de N. da qual Julia de N. naſceo Antonio de N. e deſte Antonio de N. procedeo Joaõ de N. e deſte Joaõ de N. procedeo Manoel de N. Orador.*

P. *Que de Jozé de N. procedeo Porcia de N. e deſta Porcia de N. naſceo Octavio de N. e deſte Octavio de N. procedeo D. Maria de N. Oradora, a qual por eſta linha fica outra vez com o Orador no 4. grão de conſanguinidade.*

P. *Que os Oradores ſaõ peſſoas qualificadas por tal, ou tal titulo, e brazaõ, ou ao menos nobres por ſeus Pays, e Avòs terem ſervido muitas vezes de Almotaceis, Vereadores, e Juizes Ordinarios na Cidade, ou Villa de N.*

P. *Que os Pays da Oradora ſe achaõ taõ pobres, e faltos dos bens da fortuna, que naõ tem dote algum, que poſſaõ offerecer para a poderem cazar com peſſoa igual à ſua nobreza, ſalvo com o Orador, que a quer dotar competentemente, e deixando de cazar com elle, naõ acharà deſpois, quem lhe faça ſemelhante eſmolla.*

P. *Que o Orador he abundante de bens da fortuna, e como tal movido de piedade Chriſtaã, quer dotar a Oradora em 000. Cruzados ſeguros no Engenho, ou fazenda de N.*


P. *Que a Oradora naõ foy raptada, nem eſtá em poder do Orador, ſenaõ em caza de ſeus Pays, ou N. por tanto*

P. *a V. Excellencia Reverendiſſima uze de ſua piedade, e benevolencia paternal, deferindo aos Oradores, que juſtifiquem as premiſſas, e juſtificadas, que forem diſpenſando com elles no dito 4. grão de conſanguinidade duplicado, impoſta penitencia ſaudavel.*

Et orabunt ad Dominum.

Arbor

Arbor præcedentis Quarti Gradus conſanguinitatis.



EX arbore, quam præ oculis habes, conſtat, quòd Emmanuel, & Maria Sponſi, ultimo loco poſiti, ſunt in duplici quarto conſanguinitatis gradu, ex duobus ſtipitibus provenientis; ſub uno namque ſtipite, nempè Petro, ſunt Joannes Pater Emmanuelis Sponſi, & Octavius Pater Mariæ Sponſæ: ſub altero verò ſtipite, nempè Paulo, ſũt etiam iidem Octavius Pater Mariæ Sponſæ. & Joannes Pater Emmanuelis Sponſi: & ſic ſub utroque ſtipite ipſi Sponſi habent ſuos Genitores.

Principium verò hujus duplicitatis ex eo provenit, quià Aloyſius natus Petri ſtipitis, duxit in uxorem Juliam natam Pauli ſtipitis.

Caſus Quartus.

436 QUartus caſus eſt, cum augmento dotis facto non ab Oratore, ſed ab alio tertio, nempè, *quòd cùm dicta Oratrix dotem habeat minùs competẽtem juxtà ſtatùs ſui conditionem, cum qua virum paris conditionis, cui nubere poſſit, invenire nequeat; & quidam Oratorum conſanguineus, vel affinis, vel hujuſmodi ad id aliàs non obligatus, Oratricis dotem, ita tamen, ut Oratori nubat, &*

& non aliter, uſque ad quantitatem ſecundùm ejuſdem Oratricis qualitatem, competenter augere, dictusque Orator illam cum minùs competenti dote, & illius augmento in uxorem ducere intendat: cupiunt propterea invicem matrimonialiter copulari, &c.

437 Notatio Prima. Cauſa finalis, quam habet diſpenſans in hujuſmodi, eſt paupertas Oratricis, & periculum, ne innupta remaneat, vel inferiori nubere cogatur: undè parùm refert, quòd ab Oratore, vel ab alio Tertio augeautur dos. *Pyrrh. lib. 7. cap. 2. n. 48.*

438 Hinc ſi diſpenſatio impetretur ob nullam dotem, vel ob ejus incompetentiam, poſteà verò competenter riatur Oratorem, qui dotem augere, vel ex integro conſtituere promiſerat, nec augere, nec ex integro côſtituere poſſe, ſeu nolle: adſit verò alius ab Oratore, qui dotem augeat, vel ex integro conſtituat, valet diſpenſatio. Ratio eſt: quià, quòad Oratricis paupertatem, quæ in hujuſmodi diſpenſationibus attenditur, per inde ſe habeat, quòd Orator, vel alius Tertius dotem augeat, vel ex integro donet. *Pyrrh.* citat. *De Juſtis n. 24.*

Petitio ad Excellentiſſimos fiet hoc, vel alio modo, v. g.

EXCELLENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SENHOR.

Expoem a V. Excellencia Reverendiſſima humildemente os Oradores Pedro de N. natural da Cidade de Goa, e D. Agueda de N. natural, e moradora na Cidade de Cabo Frio deſte Biſpado do Rio de Janeiro, que elles eſtaõ contratados entre ſi para ſe cazarem, na forma do Sagrado Concilio Tridentino, o que naõ podem fazer ſem diſpenſaçaõ de V. Excellencia Reverendiſſima por eſtarem impedidos no 3. grão de affinidade por copula licita: porque

P. *Que Franciſco de N. foy Irmaõ de D. Maria de N; da qual naſceo D. Joſepha de N. e deſta naſceo D. Agueda de N. Oradora.*

P. *Que de Franciſco de N. naſceo Joaõ de N. e deſte procedeo Antonia de N. já defunta, e mulher que foy de Pedro de N. Orador, o qual por eſta via vem a eſtar em 3. grão de affinidade com a Oradora.*

P. *Que os Oradores ſaõ peſſoas nobres, por eſte, ou aquelle titulo (ao menos por ſeus Pays, e Avós terem ſervido muitas vezes de Almotaceis, Vereadores, ou Juizes Ordinarios neſta Cidade, ou Villa de N.*

P. *Que a Oradora ainda que tem dote, naõ he ſufficiente para poder cazar com peſſoa igual á ſua nobreza: mas tem a fortuna de achar hum parente ſeu (ou parente do Orador, ou ſem ſer parente de nenhum delles) o qual lhe quer augmentar o dote em huma parte de bens livres, que poſſue, com condiçaõ, que ella Ora-*

Oradora caſe com o Orador ; e porque deixando de caſar com elle , naõ achará depis quem lhe faça eſta eſmola , e ficará expoſta aos perigos do celibato , e juntamente

P. *Que Fuaõ, parente da Oradora , (ou do Orador , ou ſem ſer parente) he abundante de bens , e póde augmentar o dote da Oradora , como promette na fórma dita.*

P. *Que a Oradora naõ foy raptada , e ainda que o foſſe , naõ eſtá em caſa , ou poder do Orador , mas ſim em caſa de ſeus pays , ou depoſitada em N. Portanto*

P. *a V. Excellencia Reverendiſſima pelo amor de Deos lhes faça eſmola de os admittir a juſtificar o referido , e juſtificado que for , diſpenſar com elles ,* impoſita pœnitentia ſalutari.

Et orabunt ad Dominum.

Arbor præcedentis tertii Affinitatis gradus.

		Paulus ſtipes.	
	Franciſcus. 1.		Maria. 1.
	Joannes. 2.		Joſepha. 2.
Petrus ſuperſtes vir Antoniæ defunctæ. 3. Affinitatis.	Antonia defuncta uxor Petri ſuperſtitis. 3.		Agatha. 3.

Caſus Quintus.

439 QUintus caſus eſt : Si Oratrix habeat quidem dotem competentem , ſed valde litibus involutam , nempe , *quòd cum dicta Oratrix dotem habeat litibus involutam , & dictus Orator , qui quoad eas proſequendas habilis exiſtit , illam in uxorem ducere , litesque hujuſmodi in ſe ſuſcipere intendat: idcirco cupiunt Oratores invicem Matrimonialiter copulari &c.*

440 Notatio Prima. Circa hanc cauſam nota , quòd Orator debet eſſe valde neceſſarius , vel magnæ experientiæ circa talem litem , vel ex alia cauſa , ita ut difficile ſit Oratrici ſubvenire , ejuſque liti , niſi inter eos Matrimonium contrahatur. *De Juſtis lib.*3. *cap.*3. *n.* 28.

441 Af-

441 Affinis huic caſus eſt, ſi Oratrix ſuper ſucceſſione bonorum magni momenti gravem litem ſuſtineat; tunc enim allegatur ſic: *Quòd cum gravem litem dicta Oratrix ſuper ſucceſſione bonorum magni momenti ſuſtineat, & ne ob defectum viri, qui litem hujuſmodi proſequatur, & defendat Oratricem, hujuſmodi liti ſuccumbere contingat, dictuſque Orator illam in uxorem ducere, litemque hujuſmodi in ſe ſuſcipere, defendere, ac propriis ſumptibus proſequi intendat: cupiunt invicem Matrimonialiter copulari &c.*

442 Notatio Secunda. Adverte tamen, quod bona, ſuper quibus vertitur lis, ſint magni momenti: minima enim, & modica non habentur in conſideratione. Quæ autem bona dicantur magni momenti, cum nulla certa regula dari poſſit, relinquitur arbitrio diſpenſantis: *De Juſtis n.* 30. Petitio fit v. g. ſic.

EXCELLENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SENHOR.

EXpoem a V Excellencia Reverendiſſima humildemente os Oradores Mattheus de N. e D. Maria de N. naturaes de N e moradores em N. deſte Biſpado, que elles contrataraõ entre ſi caſarſe na fórma do ſagrado Concilio Tridentino, o que naõ podem fazer ſem primeiro ſerem diſpenſados no 4. *grao de Affinidade, em que ſe achaõ impedidos por copula licita: porque*

P. *Que Diogo de N. foy irmaõ de Luiz de N. e que deſte Luiz de N. naſceo Franciſco de N e de Franciſco de N. naſceo Luiza de N. e de Luiza de N. naſceo Mattheus de N. Orador.*

P. *Que de Diogo de N. naſceo Dorothea de N. e de Dorothea de N. naſceo Donato de N. e de Donato de N. naſceo Luiz de N. já defunto, e marido, que foy de D. Maria de N. Oradora, a qual deſta ſorte vem a ficar em* 4. *grao de Affinidade por copula licita com o Orador Mattheus de N.*

P. *Que os Oradores ſaõ peſſoas nobres por ſeus pays, e avos, que ſempre foraõ ſenhores de Engenho, e Vereadores na Camera deſta Cidade, ou Villa de N. e ſempre ſe trataraõ com a eſtimaçaõ devida ás ſuas peſſoas &c.*

P. *Que a Oradora tem dote competente á ſua qualidade, mas mui embaraçado com demandas, e litigios, e que o Orador he peſſoa habil para correr com as taes demandas, e como tal as quer tomar ſobre ſi, caſando com a Oradora.*

P. *Que naõ caſando a Oradora com o Orador naõ achará depois peſſoa capaz, e taõ exercitada, como o Orador, para tomar ſobre ſi ſemelhantes encargos, e trabalhos, e outro ſi ficará expoſta a perder os ſeus bens, e a todas as mais ruinas, que dahi ſe lhe poderaõ ſeguir.*


P. *Que*

P. *Que a Oradora naõ foy reptada, nem eſtá em poder do Orador, mas ſim vive em caſa de ſeus pays, ou depoſitada em N. Por tanto*

P. a V. Excellencia Reverendiſſima pelo amor de Deos lhes faça eſmola de os admittir a provar o deduzido em ſua petiçaõ, e provado que for, diſpenſar com elles, impondolhe a penitència, que V. Excellencia Reverendiſſima lhe parecer.

Et orabunt ad Dominum.

Arbor præcedentis quarti Affinitatis gradus.



Ulteriora notanda circa præcedentes caſus.

443 NOtatio Prima. An poſſit petere diſpenſationem ad nubendum conſanguineo, vel affini Oratrix, quæ habeat dotem minus competentem ad nubendum æquali in patria ſua, ſi extra patriam in locis vicinis non deſint æquales, quibus nubere poſſit cum eadem dote minus competenti? Affirmamus cum *Pyrrh. l. 7. cap. 2. n. 21. §. Sed hic ante omnia. Et Sanch. lib. 8. diſp. 19. n. 13.* ſic fuiſſe à ſacra Congregatione deciſum teſtatur apud *de Juſtis lib. 3. cap. 3. n. 33.* Ratio eſt: quia duriſſimum eſt cogi fœminam extra proprium oppidum nubere.

444 Notatio Secunda. Hinc incōpetentia dotis ad nubendū æquali in patria ita eſt moraliter intelligenda, ut quamvis aliqui ſint in oppido, qui fœminam ducerent cũ eadem minus competenti dote, adhuc vera ſit cauſa de incompetentia dotis ob rationem, quam ſupra dedimus n. 400. Et ita habet Dian. quem citat, & ſequitur *De Juſtis num.* 34.

445 Notatio Tertia. Fœmina cenſetur pauper, quamvis ejus frater, aut alius promittat, vel etiam ex pacto conveniat illam dotare, dummodo nubat conſanguineo. Ita *Sanch. & Pyrrh.* quos citat & ſequitur *De Juſtis n.* 45. Ratio eſt: quia cum hujuſmodi promiſſio dotis facta ſit ſub hac conditione, *dummodo nubat conſanguineo*, donec ea conditio adimpleta non fuerit, nullum jus habet fœmina ad dotem, & interim vere cenſetur pauper, non obſtante certitudine, quòd eo caſu à fratre, vel alio dotanda ſit.

446 Notatio Quarta. Fœmina cenſetur pauper, ſi parentes ſint in tali ſtatu, ut non poſſint, dum vivunt, ſe privare parte bonorum, quæ neceſſaria eſſet ad conſtitutionem dotis ipſius fœminæ; cùm parentes dicta portione indigeant ad honeſtam, ſtatuique ſuo convenientem vitam ducendam, ac proinde parentes dotem prædictam aſſignare velint poſt eorũ mortem. *Filiuc. Pont. Trullench, Sanch.* quos refert, & ſequitur *De Juſtis n.* 46. & 47. Ratio eſt: quia onera matrimonii incipiunt in ipſius contractu: fœmina vero in ſtatu præſenti, quo nubere intendit, vere caret dote.

447 Notatio Quinta. Eſſet juſta cauſa diſpenſandi, ſi fœmina, & ejus conſanguineus, vel affinis, quamvis tertio gradu ſibi conjunctus, inſtituti ſint hæredes à teſtatore divites cum conditione, *ut ſimul contrahant, ſi diſpenſatio impetretur. De Juſtis cit. n.* 51. ubi pro hac parte adducit *Sanch. Pont. & Dian.* Ratio eſt: quia per mortem teſtatoris acquiſitum fuit jus ad eam opulentam hæreditatem, adeoque juſta, & pia cauſa videtur diſpenſandi, ut ſic adimpleatur conditio, & non admittatur jus ad hæreditatem acquiſitum.

448 Notatio Sexta. Eſt juſta cauſa diſpenſandi, ſi facultates parentum non ſufficiunt ad competenter dotandam filiam, niſi ipſam filiam, ultra legitimam ei debitam, cæteris aliis filiis præferant, ad quam tamen præferentiam jus non habet filia. *De Juſtis n.* 53. Ratio eſt: quia filia ad nihil, ultra legitimam, jus habet; legitima vero ſupponitur inſufficiens.

449 Notatio Septima. Quod etiam verum eſt, quamvis certa ſit ſpes ſucceſſionis, aut donationis bonorum, quæ tamen ſpes à libera alte-

alterius voluntate dependeat. *De Juſtis n.* 54. Ratio eſt: quia etiam per hanc ſpem fœmina in ſtatu præſenti, quo nubere intendit, non deſinit eſſe pauper.

450 Notatio Octava. Fœmina dicitur pauper, ſi pater plures filias habeat, & juxta ſuas facultates poſſet quidem commode, & ſufficienter dotare unam, ſed habita ratione aliarum, non poſſet unam dotare ſufficienter. *Pyrrh. lib.* 7. *c.* 2 *n.* 34. & alii, quos ſequitur *De Juſtis n.* 55. Ratio eſt: quia illud dicitur fieri non poſſe, quod commode, & abſque difficultate fieri non poteſt.

451 Notatio Nona. Fœmina dicitur pauper, quamvis habeat dotem, aliàs ſufficientem ad nubendum æquali, ſi tamen ſit rixoſa, deformis, vetula, filiis ex alio Matrimonio ſuſceptis gravata, inhoneſta, de aliquo crimine diffamata, vel punita, vel malis moribus imbuta. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 21. *n.* 29. & alii, quos ſequitur *De Juſtis n.* 69. in fin Ratio eſt: quia licet ſeclulis dictis qualitatibus cum minori dote commode viro æquali nubere poſſet talis fœmina, tamen his qualitatibus attentis, maior requiritur dos ad nubendum æquali, genere, ætate, ac divitiis.

452 Notatio Decima. Contra, fœmina non dicitur pauper, ſi dos, quam habet, ſit ſufficiens ad nubendum æquali, quamvis non ſit ſufficiens ad nubendum conſanguineo, vel affini, qui eam ducere intendit *De Juſtis à n.* 48.

453 Notatio Undecima. Item, non dicitur pauper, ſi fœmina habeat legitimam, aut jus ad opulentem hæreditatem, quamvis ejus poſſeſſionem non adierit. *De Juſtis à n.* 35.

454 Notatio Duodecima. Nota tandem, quòd non eſt idem petere diſpenſationem *ob incompetentiam dotis*, ac petere *in forma pauperum*: primum enim eſt petere diſpenſationem ob defectum dotis, tanquam cauſam finalem diſpenſandi: ſecundum verò eſt diſpenſationem petere ob aliam juſtam cauſam, quæ præſupponi debet, ut diſpenſatio concedatur in forma pauperum, v. g. ob infamiam ex copula, vel ejus ſuſpicione, & deinde additur *in forma pauperum*, ne ſolvatur ſolita taxa. Quare decipiuntur, qui putant idem eſſe diſpenſari ob paupertatem, ac diſpenſari in forma pauperum. *De Juſtis num.* 31.

SECTIO VI.

De cauſa ob ætatem.

455 Datur hæc cauſa, *quoties fœmina vigeſimum quartum, & ultra ætatis ſuæ annum agens, hactenus virum paris conditionis, cui nubere poſſit, non invenit, & ideò cupit conſanguineo, vel affini, qui eam ducere intendit, matrimonialiter copulari &c.*

456 Notatio Prima. Ob hujuſmodi cauſam conceditur diſpenſatio ad Oratrici ſuccurrendum, ne cum animæ periculo innupta remaneat, quatenus fœminam manere innuptam non ſemel fuit cauſa ſcandalorum, & peccatorum, quæ per diſpenſationem vitantur. *De Juſtis lib.* 3. *cap.* 8. *à n.* 7.

457 Notatio Secunda. Admittitur hæc cauſa in omnibus gradibus non valde propinquis, nempe, in ſecundo miſto cum tertio à communi ſtipite, in ipſo tertio, & in aliis remotioribus, quamvis etiam

ex diverſis, & multiplicatis ſtipitibus impedimenta proveniant, idque notum eſſe dicit *Pyrrh.* & cum eo *De Juſtis cit. n.* 33.

458 Notatio Tertia. Exceſſus viginti quatuor annorum eſt cauſa ſufficiens ad hujuſmodi diſpenſationem concedendam, quantumvis de viro qnærendo conſtet nullam factam fuiſſe diligentiam uſque ad prædictam ætatem. *Pyrrh. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 93. ubi refert ſic fuiſſe ab Urbe reſponſum Epiſcopo Hoſtunen; & de anno 1639. ſic fuiſſe declaratum à Domino Datario Urbani VIII. quod ſufficit, cum Datarius dicatur organum mentis, & vocis Papæ.

459 Notatio Quarta. Quod viget etiam in caſu, quo fœmina ſponte ſua aliquando nubere recuſaſſet. Ita *De Juſtis lib.* 3. *cap.* 8. *à n.* 31. adverſus *Pyrrhum* citatum, qui contrarium ſentit, ſed immerito: quia vel talis fœmina nubere recuſavit, quia vitam cœlibem vivere ſtatuerat, vel quia eam ducere intenderat aliquis vir indignus, eique ingratus. Si hoc ſecundum; perinde eſt, ac ſi nullus vir eam ducere intendiſſet, cum fœmina non debeat adſtringi ad nubendum indigno; & ſibi non grato, ut jam ex DD. diximus: ſi verò primum, fœmina ob id laudem meretur, licet poſtea mutetur, cum res humanæ non ſemper in eodem ſtatu permaneant; ob id autem, quod cum fit, laudem meretur, nemo puniri debet, nec ſibi præjudicari.

460 Accedit, quòd de tali fœmina verificatur, quòd ſit maior viginti quatuor annorum; & inſuper, quòd intentio diſpenſantis in hujuſmodi diſpenſationibus concedendis ea ſit, ut fœminæ ſuccurrat, nè cum animæ periculo innupta remaneat: cum autem ejuſmodi periculum æque timeri poſſit in iſta, ac in alia fœmina; hinc non eſt, cur hæc fœmina ob hujuſmodi exceſſum ætatis diſpenſari nequeat. Ita *De Juſtis* citatus.

461 Notatio Quinta. Ultra exceſſum viginti quatuor annorum nulla alia cauſa requiritur, ut Oratrix diſpenſetur ad nubenbum. *Pyrrh. cit.* § *Et ut patet.*

462 Immò notat *De Juſtis cit. n.* 11. quòd non ſolum diſpenſat Papa cum fœmina, ſi annum vigeſimum quintum attingat, ut nubat conſanguineo, vel affini; verum etiam, ſi diſpenſandum ſit in gradibus remotioribus, nempe, in tertio, & quarto à communi ſtipite, vel in ſimplici quarto, ſive ex uno communi, ſive ex pluribus, & diverſis ſtipitibus impedimenta proveniant, adhuc Papa diſpenſationem concedit, ſi ſolum attingat annum vigeſimum quartum, idque practicis curialibus notum eſſe affirmat *De Juſtis* ibidem.

463 Notatio Sexta. Licet Oratrix ſit triginta, vel quadraginta annorum, vel ultra, non tenetur exprimere exceſſum ætatis ultra vigeſimum quartum annum; quia muliebri pudori diſplicet tot annos propalare, ut ait *Pyrrh. cit.* §. *Et ut patet* in fin. Sufficit igitur dicere, quod fœmina vigeſimum quartum annum, & ultra agat, quia maior ætas includit minorem, ut ait *De Juſtis cit. n.* 12.

Petitionis formula ad Excellentiſſimos, & Reverendiſſimos eſſe poterit v. g. tenoris ſequentis, videlicet.

EXCEL-

EXCELLENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SENHOR.

EXpoemſe a V. Excellencia Reverendiſſima humildemente por parte dos Oradores Antonio de N. e Joſefa de N. naturaes de N. e moradores em N. deſte Biſpado, que eſtando elles contratados entre ſi para caſarſe na fórma do ſagrado Concilio Tridentino, o naõ podem conſeguir ſem primeiro ſerem diſpenſados por V. Excellencia Reverendiſſima por ſe acharem impedidos no terceiro grao de conſanguinidade miſto com o ſegundo. Porque

P. *Que Maria de N. foy irmã de Anna de N. e que deſta Anna de N. naſceo Joſefa de N. Oradora.*

P. *Que de Maria de N. naſceo Joaõ de N. e deſte Joaõ de N. he filho Antonio de N. Orador.*

P. *Que a Oradora tem mais de vinte e quatro annos de idade, e eſta he a cauſa, que allega para que V. Excellencia Reverendiſſima ſe compadeça della, diſpenſando-a no impedimento, que tem para caſar com o Orador, evitando V. Excellencia Reverendiſſima por eſte modo, e acautelando todos aquelles perigos, a que vive arriſcada huma mulher ſolteira.*


P. *Que a Oradora naõ foy raptada, nem eſtá em poder do Orador, mas ſim em ſua propria caſa, ou em caſa de N. Por tanto*

P. *a V. Excellencia Reverendiſſima humildemente os Oradores, ſeja ſervido pelo amor de Deos diſpenſar com elles, feitas primeiro as diligencias coſtumadas, e impoſta penitencia ſaudavel.*

Et orabunt ad Dominum.

Arbor

Arbor præcedentis tertii, & ſecundi conſanguinitatis graduum.



SECTIO VII.

De cauſa pro Viduis.

464 DAtur hæc cauſa: *Quando Oratrix eſt vidua, & pluribus filiis ex alio Matrimonio gravata exiſtit: Orator tamen illam in uxorem ducere, dictoſque ejus filios alere, & gubernare intendit, & ideo cupiunt invicem Matrimonialiter copulari, &c.* Deinde additur clauſula: *Poſtquam dictus Orator idonee caverit, ſe dictis filiis alimenta præſtiturum.*

465 Notatio Prima. Admitti non ſolet hæc cauſa in gradibus propinquis, ſed ſolum in remotioribus, & eſt parum in uſu, quia vix inveniri poteſt vir, qui velit ducere uxorem, & in ſe ſuſcipere tam grave pondus alendi alienos filios de ſuo proprio. *De Juſtis lib.* 3. *cap.* 7. per totum.

466 Quando tamen commiſſa ſit diſpenſatio ob hanc cauſam, non poterit delegatus ad diſpenſationem procedere, niſi poſtquam Orator idoneè caverit ſe dictis filiis alimenta præſtiturum; nec ſufficiet ſimpliciter promittere, ſed opus erit verè, & effectivè per publicum inſtrumentum manu publici Notarii in forma juris valida, idoneam cautionem præſtari.

467 Immò nec ſufficiet nudam cautionem cum ſimplici hypotheca bonorum præſtare, ſed debebit cavere ſub hypotheca bonorum, & fidei juſſione; quamvis enim cautionis nomine, niſi aliquid aliud additum ſit, nuda cautio comprehendatur, L. *Sancimus* C. de Verbor. ſignificat. *Barboſ. L. Divortio* 8. §. *Interdum n.* 22. ff. de ſolut. Matrim. *Sanch. lib.* 10 *diſp.* 18. *n.* 34. tamen quando verbo *cautioni* additur aliqua dictio, ſeu particula, *ut idoneæ, ſufficienti, plenæ, rectæ, diligenti:* vel lex mandat caveri cauſa cogni-

cognita, vel mandat præſtari eam cautionem, quam quis præſtare poteſt, & tunc debet præſtari cautio cum hypotheca bonorum, & fidei juſſione, ut inter alios accuratiſſimè docet idem *Sanch. lib. citat. n.* 34. & 35.

468 Notatio Secunda. His tamẽ non obſtantibus, certum eſt primò: cum viduis diſpenſari ob infamiam ex copula, vel hujus ſuſpicione, & ob alias deinde cauſas, quæ cenſeantur graves, piæ, & juſtæ. Adeò, ut in petenda diſpenſatione pro viduis, quando aliæ allegantur cauſæ (una excepta ob ætatem) neceſſe non ſit exprimere hujuſmodi qualitatem, nempè, an Oratrix ſit vidua, nec ne? Et hanc eſſe quotidianam praxim Curiæ affirmat *De Juſtis l.* 1. *cap.* 4. *n.* 114.

469 Notatio Tertia. Certum eſt ſecundò, cum viduis non diſpenſari ob exceſſum viginti quatuor annorum tantùm, niſi aliquid amplius allegetur, cùm leges non curent de viduis: ità ut legatum factum pro filiabus maritandis, intelligatur de his, quæ non habuerunt maritum, non tamen de viduis, quæ ad ſecũdas nuptias tranſire vellent. *De Juſtis lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 4.

470 Hinc, ſi ob mulieris ætatem, non addita alia cauſa, petatur diſpenſatio, tacendo quidem mulierem eſſe viduam, diſpenſatio erit ſubreptitia, cùm ob ætatem præciſè non concedatur diſpenſatio pro viduis. *De Juſtis lib.* 1. *cap.* 4. *n* 114.

471 Nihilominus, ſi vidua ſit orbata parentibus, vel ſaltem Patre, adeòque orphana; eòque magis, ſi plures habeat filios ex alio Matrimonio, tunc ob hanc cauſam ſimul cũ aliis quamvis minoribus, cum ea diſpenſari poteſt. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 19. *n.* 34. *Pyrrh. lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 13. Ratio eſt: quia valdè confert filiis, vitricus, vel noverca ſint eorum conſanguinei: ſicque, non inſtar vitrici, vel novercæ ſe habeant ergà filios, ſed tanquam ſanguine juncti.

472 Imò *De Juſtis lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 118. apertè inſinuat pro diſpenſando cum viduis ſufficere, ſi vidua ſit Patre orbata, & plures habeat filios ex alio Matrimonio, dum ait ibi: *Ideò multoties evenit, ut multæ cauſæ leves, quarum ſingulæ non ſufficerent, multiplicatæ juvent, v. g. ſi Oratrix ſit Patre orbata, & habeat plures filios ex alio Matrimonio, quibus valdè conferat habere unum, qui loco Patris naturalis de eis curam habeat.*

473 Et quidem bonum prolis, ejuſque educatio, etiam aliis ſecluſis, videtur cauſa ſufficiens ad diſpenſandum cum vidua Patre orbata, & filiis gravata ex alio Matrimonio, tùm ob rationem proximè factam n. 471. tùm maximè, quià hæc diſpenſatio, ſi non eſt in uſu, id non tàm evenit defectu cauſæ piæ, & gravis, qualem cenſeo prædictam, quàm defectu viri, qui viduam ducere velit, & in ſe ſuſcipere tàm grave onus alendi filios alienos de ſuo proprio, ut expreſſè dicit *De Juſtis lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 3.

474 Adde, quòd ultrà hujuſmodi onus, quod in ſe ſuſcipit Orator, exponitur à muliere præmitti, cum ea contrahendo, quæ jam priorem virum præmiſit: ſicut è contrà dicitur de viro, qui viginti ſepelierat uxores, & deinde contraxit cum muliere, quæ viginti duos ſucceſſivè habuerat maritos: talis enim ſupreſtes fuit, eumque Populus Romanus coegit in uxoris obitu abſtinere à lugubri funere, quinimò lauro coronatum, & palmâ in manibus

nibus tenta, tanquàm victorem, uxoris cadaver ad tumulum aſſociare fecit. Hiſtoriam, quæ D. Hieronymo tribuitur, referunt *Pyrrh. lib. 7. cap. 2. n. 80. De Juſtis lib. 2. cap. 9. n. 16.*

Petitiones ad Excellentiſſimos, & Reverendiſſimos pro viduis confici poterunt modo ſequenti, v. g.

EXCELLENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SENHOR.

EXpoem a V. Excellencia Reverendiſſima humildemente por parte dos Oradores Paulo de N. e Roza de N. naturaes de N. e morados em N. deſte Biſpado, que eſtando elles contratados entre ſi para cazar-ſe na forma do Sagrado Concilio Tridentino, o naõ podem fazer ſem primeiro ſerem diſpenſados por V. Excellencia Reverendiſſima por eſtarem impedidos no 4. grào de Affinidade por copula licita: porque

P. *Que Maria de N. foy Irmãa de Braz de N. do qual procedeo Anna de N. e de Anna de N. naſceo Joſeph de N. e de Joſeph de N. he filha Roza de N. Oradora.*

P. *Que Paulo de N. foy cazado com Maria de N. ja defunta, a qual Maria de N. foy Irmãa de Braz de N. Biſavo de Roza de N. Oradora.*

P. *Que a Oradora ſe acha Orphãa de Pays, e taõ pobre, que naõ tem com que ſuſtentar os filhos, que lhe ficaraõ do primeiro Matrimonio, vivendo por iſſo arriſcada a uſar mal de ſi, o que Deos naõ permita.*

P. *Que o Orador, movido de piedade Chriſtãa, quer amparar a Oradora, cazando com ella; e como o Orador tem dos bens da fortuna, alèm de outras induſtrias, ficaõ juntamente amparados os filhos da Oradora, Orphaos de Pay, e faltos de neceſſario para a vida humana.*


P. *Que a Oradora naõ foy raptada, nem eſtá em poder do Orador, ſe naõ em caza della Oradora, ou em N. por tanto*

P. *a V. Excellenc. Reverendiſ. humildemente os Oradores pelas Chagas de Chriſto ſeja ſervido cõpadecer-ſe, principalmente da Oradora, e de ſeus filhos, diſpenſando com ella, feitas primeiro as diligencias coſtumadas, e impoſta penitencia ſaudavel.*

Et orabunt ad Dominum.

Arbor

Arbor præcedentis quarti Affinitatis gradus.



SECTIO VIII.

De cauſa pro Neophytis.

475 NOtatio Prima. Ad diſpenſandum cum Neophytis quæcumque cauſa ſufficit, quæ prudentis arbitrio judicetur rationabilis. Inſpecto tamen Neophytorum genio, indole, & periculo incontinenter vivendi, quæcumque ratio convenientiæ poterit eſſe ſufficiens cauſa, ut ſine conſcientiæ onere diſpenſatio fiat. *Avendan. tom.* 1. *Theſaur. Indic. tit.* 12. *cap.* 14. *n.* 394. *in fin.* §. *Tandem ſic additur.*

476 Notatio Secunda. Neque ad diſpenſandum cum Neophytis in cauſis matrimonialibus requiritur figura judicii, & ſtrepitus forenſis, qui ſervari ſolet cum non Neophytis, ſed poteſt ſimpliciter, & de plano abſque Tabellione, & ſcriptura aliqua fieri diſpenſatio, & abſque juramento teſtium, modo de veritate conſtet. *Sanch. lib.*10.*diſp.* 19. *n.* 1.

477 Et ſpecialiter, quòd prædicto modo procedere poſſunt Religioſi, quibus Indorum cura commiſſa eſt à ſuis Prælatis, docet idem *Sanch. cit. n.* 2. Similiter dicendum de

de Religioſis, quibus Æthiopum cura demandata ſit à ſuis Superioribus ob communicationem privilegiorum inter Indos, & Æthiopes.

Formula petitionis pro Neophytis conficiendæ poteſt eſſe v. g. modo ſequenti, videlicet.

EXCELLENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SENHOR.

E *Xpoemſe a V. Excellencia Reverendiſſima humildemente por parte dos Oradores Braz de N. e Maria de N. naturaes de N. e moradores em N. deſte Biſpado, que elles ſupplicantes contrataraõ entre ſi caſarſe na fórma do ſagrado Concilio Tridentino, o que naõ podem fazer ſem primeiro ſerem diſpenſados em virtude dos Privilegios Indicos por ſe acharem impedidos no 2. grao de Affinidade por copula illicita. Porque*

P. *Que Joſefa de N. com a qual o Orador teve copula illicita, he prima irmã de Maria de N. Oradora.*

P. *Que a Oradora he filha de Paulo de N. e eſte irmaõ de Antonio de N. pay de Joſefa de N. com quem o Orador teve copula illicita, donde provém aos Oradores o impedimento de ſegundo graõ de Affinidade.*

P. *Que o Orador he preto de todos os quatro coſtados (ou que tem tres quartos de gentio de Guiné, ou dous quartos, ou quarto e meyo, ou o que baſta de neophyto do gentio de Guiné para ſer diſpenſado em virtude dos Privilegios Indicos.)* Do meſmo modo ſe dirá, quando a Oradora for a privilegiada, *v. g.*

P. *Que a Oradora he preta de todos os quatro coſtados (ou que tem tres quartos do gentio de Guiné, &c.* Porém ſe o privilegiado for Indio, ou India do Gentio da terra, dirſeha.

P. *Que o Orador he Indio,* (ou India a Oradora) *ou que tem tres quartos do Gentio da terra, ou dous quartos, ou quarto e meyo, ou o que baſta de Neophyto do Gentio da terra para ſer diſpenſado,* (ou diſpenſada) *em virtude dos Privilegios Indicos.*

P. *Que o Orador tem frequentes entradas em caſa da Oradora, e outras facilidades com ella, de que já ha eſcandalo, e ſuſpeita de copula, a qual toda via naõ houve até agora; mas para evitalla, e para bem, e quietaçaõ de ſuas almas deſejaõ os Oradores receberſe em face da Igreja.*


P. *Que a Oradora naõ foy raptada, nem eſtá em poder do Orador, ſenaõ depoſitada no Aljube v. g. Por tanto*

P. *a V. Excellencia Reverendiſſima humildemente os Oradores, que para quietaçaõ de ſuas conſciencias, e bem de ſuas almas queira V. Excellencia Reverendiſſima diſpenſar com elles, conſtando ſer verdade, o que allegaõ,* impoſita pœnitentia ſalutari.

Et orabunt ad Dominum.

Arbor

Arbor præcedentis Secundi gradus Affinitatis.



SECTIO IX.

Aliarum cauſarnm compendium.

FRequentiores cauſas, quæ pro Matrimonii diſpenſationibus obtinendis in Braſilia allegari ſolet, hùc uſque deſcripſimus; nunc verò aliarum, quæ nunquàm, aut rariſſimè in Braſilià allegantur, compendium faciamus. Sit igitur.

478 Notatio Prima. *De cauſa ob inimicitias.* Datur hæc cauſa, quando inter Oratorum parentes, conſanguineos, vel affines, graves inimicitiæ excitantur: quæ tamen aliundè, quàm ex cauſa Matrimonii inter Oratores celebrandi, ortæ ſunt, & deindè certa ſpes eſt, quòd ſi Oratores Matrimonio copulentur inimicitiæ hujuſmodi omninò componentur.

479 Notatio Secunda. *De cauſa ob lites.* Datur hæc cauſa, quando inter contrahentes, vel eorum parentes, aliundè litigatur ſuper rebus magni momenti, ſi tamen diſpenſatio fiat, lites hujuſmodi penitùs tollentur.

480 Notatio Tertia. *De cauſa ob pacis confirmationem.* Datur hæc cauſa, quando inter Oratorum parentes, conſanguineos, vel affines, graves inimicitiæ extiterunt, quæ tamen aliundé, quam ex Matrimonio contrahendo, ortæ ſunt, & quamvis inter eoſdem pax de recenti inita fuerit; nihilominùs pro illius maiori confirmatione cupiunt Oratores matrimonialiter copulari.

481 Notatio Quarta. *De cauſa ob conſervationem divitiarum in eâdem familia*, nè videlicet cauſà dotis in extraneam familiam diſtrahantur facultates, quando eæ ampliſſimæ ſunt, quatenùs bono publico non parùm convenit familias locupletes, ac integras conſervare.

482 Notatio Quinta. *De cauſa ob conſervationem illuſtris familiæ in eodem ſanguine*, quatenùs ad pietatem, & bonum publicum conducit illuſtres familias conſervari. De his autem, & aliis cauſis, quibus conſultò ſuperſedeo, ſi aliquando contingat, ut earum notitia deſideretur, videantur *Sanch.*

 lib.

lib. 8. *diſp.* 19. *Pignat. tom.* 7. *Conſult.* 22. *à n.* 19. *Pyrrh. Corrad. lib.* 7. *cap.* 2. *Vincentius de Juſtis lib.* 3. *cap.* 4. & ſequentibus.

483 Tandem pro compleméto totius diſputationis nota adhuc 1. quòd Epiſcopus, data juſtâ cauſâ, tenetur diſpenſare ſuper impedimentis Matrimonii, tùm cum Neophytis, tum etiam cum non Neophytis. Ratio eſt: quià univerſaliter Paſtor, quo nomine venit Epiſcopus, tenetur cum proprio diſpendio, etiam graviſſimo, ſuccurrere omnibus ſuis ovibus in gravi neceſſitate conſtitutis, ut eſt cõmune Theologorum cum *D.Thom.* 22. *Quæſt.* 26. *art.* 5. *ad* 3. & *quæſt.* 185. *art.* 2. ſi igitur pro ſalute animarum, aut bono æquivalenti, neceſſaria ſit diſpenſatio Matrimonialis, tenetur Epiſcopus eam concedere.

484 Nota 2. Si verò, datâ juſtâ cauſâ, nolit Epiſcopus diſpenſare, poterit ſubditus ad Metropolitanum recurrere, ut ex miſericordiâ diſpenſet, aut ſaltem faciat, quòd Epiſcopus diſpenſet. *Sanch. lib.* 3. *diſp.* 10. per totam, præſertim. *n.* 24. Ratio eſt: quià quando officium judicis miſericorditer imploratur, quamvis id, quod petitur, debitum non ſit; poteſt nihilominùs ſuperior ex officio facere, ut, quod petitur, inferior concedat.

DISPUTATIO SEXTA.

DE SEPTIMA FACULTATE PONTIFICIA,

QUÆ

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit publica Honeſtas?

SEptima facultas Põtificia. *Diſpenſandi ſuper impedimento publicæ Honeſtatis, juſtis ex ſponſalibus proveniente.*

486 Notatio Prima. Quid ſit publica Honeſtas? ℞. Eſt propinquitas perſonarum orta ex ſponſalibus, vi cujus ex inſtitutione Eccleſiæ neuter ſponſorum validè cõtrahit cum conſanguineis alterius. Dicitur juſtitia publicæ honeſtatis: quià juſtum videtur, & publicæ honeſtati congruum, ut inter ſe non copulentur Matrimonio, quos hujuſmodi impedimentum afficit. Singulas traditæ definitionis particulas explicat *Sanch. lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 68. *n.* 1. qui etiam vidẽdus eſt circà obligationem, quam Sponſalia pariunt. *lib.* 1. per totum: nos enim potiùs ſupponimus contractum Sponſalitium in ordine ad ejus diſpenſationem, quàm de eo tractamus.

487 Nihilominùs advertendum 1. cum *Pyrrh. Corrad. lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 11. Sponſalibus per verba de futuro contrahẽdis nullam eſſe formam certam à Tridentino præſcriptam.

488 Ad-

488 Advertendum 2. Duas eſſe ſpecies ſponſalium, quarum altera eſt nuda, & ſimplex; & eſt illa, quando ſponſus ſimpliciter promiſit ſponſæ, quod eam ducet in uxorem, & è converſo. Cap. *Ad audientiam*, & cap. *Fin.* de Sponſ. Altera verò eſt, quæ ſit arrhis intervenientibus, vel pignoribus loco arrharum datis, de quibus eſt Text. in Leg. Fin. C. *De Sponſ.*

489 Notatio Secunda. Non ſolùm ex ſponſalibus juſtis, ſed etiam ex Matrimonio rato, non tamen conſummato, oritur publica Honeſtas. *Sanch. lib.* 7. *diſp* 64. *num.*25. *Pyrrh. lib.* 8. *cap* 7. *n.* 15. & alii communiter. Ratio eſt: quia affinitas oritur ex eo, quod vir, & uxor efficiantur una caro per copulam perfectam, & conſummatam. *Sanch. cit. num.* 8. hoc autem non reperitur in Matrimonio rato, non tamen conſummato, ut patet.

490 Unde jam non ſubſiſtit eorum fundamentum, qui tenuerunt ex Matrimonio rato oriri affinitatem; cum jam contrarium ſe vidiſſe declaratum per Sacram Congregationem Concilii Tridentini teſtetur *Pyrrh. cit. num.*20. Tale igitur impedimentum ſolùm dici poteſt affinitas initiative, *Pyrrh. n.* 15. quatenus poteſtas corporum tradita per Matrimonium ratum eſt initium actus conjugalis, *Sanch. cit. n* 25. non tamen dicitur, nec dici debet affinitas perfectè, & conſummatè.

491 Notatio Tertia. Etiam ex Matrimonio rato, licèt invalido quacumque ex cauſa, præterquam ex defectu conſenſus, oritur publica Honeſtas. *Sanch. lib.*7. *diſp.*70.*n* 5. *Pignat. tom.* 4. *Conſult.* 15. Fundamentum eſt: quia impedimentum publicæ Honeſtatis, proveniens ex Matrimonio rato, non fuit reſtrictũ per Tridentinum, ſed relictum in vigore antiquo, ut conſtat ex Motu proptio S. Pii V. quem affert. *Pyrrh. lib.* 8. *cap.* 6. & incipit. *Ad Romanum ſpectat.* ſed ante Tridentinum ex Matrimonio rato, quamvis invalido, præterquam ex defectu conſenſus, ſurgebat impedimentum publicæ Honeſtatis, ut colligitur ex cap. *Ad audientiam*, De Sponſ. & ex cap. *Unde* De Sponſ. in 6. ergo etiam poſt Tridentinum ſurgit idem impedimentum.

SECTIO II.

Ad quotum uſque gradum dirimat publica Honeſtas?

492 NOtatio Prima. Impedimentum publicæ Honeſtatis, ortum ex Sponſalibus validis, (ex invalidis enim nullum oritur impedimentum) primum gradum non excedit. *Trid. Seſſ.* 24. *de Reformat. Matrim. cap.* 3. ibi; *Juſtitiæ publicæ Honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorſus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.* Quare invalidè contrahet Sponſus cum Matre, Sorore, vel Filia Sponſæ ſuæ, & ſimiliter invalidè contrahet Sponſa cum Patre, Fratre, aut Filio Sponſi ſui: quia nimirùm hæ perſonæ attinguntur in primo gradu: at verò cum omnibus aliis perſonis, quæ ultra primum gradum attinguntur, validè contrahet uterque Sponſus.

493 Notatio Secunda. Honeſtas ex Sponſalibus orta etiam comprehendit conſanguineos illegitimos alterius Sponſi. *Sanch. lib.*7 *diſp.* 68. *num.* 4. Ratio eſt: quia in con-

contrahendis Matrimoniis jus naturale, & pudor inſpicienda ſunt, L. *Adoptivis* §. *Servilis* ff. de Ritu nupt. Undè cum illegitimi verè ſint conſanguinei, quamvis naturales, ut vulgo dicitur, eadem honeſtas naturalis verſatur in abſtinendo á Matrimonio cum conſanguineis Sponſi legitimis, ac illegitimis.

494 Notatio Tertia. Impedimentum honeſtatis ortum ex Matrimonio rato ad quartum uſque gradum extenditur. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 70. *num.* 16 Et ſanè ita declaravit S. Pius V. in Motu proprio *Ad Romanum ſpectat*: ibi enim declarat Pontifex hoc impedimentum durare in omnibus gradibus, in quibus anteà dirimebat Matrimonium: & cum ante Tridentinum impedimentum Honeſtatis ortum ex Matrimonio rato dirimeret uſq; ad quartum gradũ, *Sanch. diſp.* 68. *n.* 6. inde concluditur, quod etiam poſt Trident. dirimat uſque ad quartum gradum.

SECTIO III.

Ex quibus ſponſalibus oriatur publica Honeſtas?

495 NOtatio Prima. An publica Honeſtas ex validis ſponſalibus orta etiam perſeveret, ſi talia ſpõſalia mutuo utriuſque ſponſi conſenſu diſſolvãtur? *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 68. *num.* 21. & alii, quos citat. non tamen ſequitur. *De Juſtit. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 51. partem affirmativam mordicus tuentur. Ratio hujus ſententiæ eſt: quia ſponſi, valida ſponſalia contrahendo, impedimentum quidem contraxerunt: at non eſt in eorum poteſtate illud diſſolvere, quamvis mutuo conſenſu utriuſque diſſolvantur; cum hujuſmodi impedimentum ita perpetuum ſit, ut nec alterius morte diſſolvatur.

496 Contra *De Juſtit. citat. n.* 52. *Sà*, verb. *ſponſalia*, & alii conſtanter aſſerunt ex ſponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis nullum remanere impedimentum. Sic *Gutierrez de Matrim. cap.* 103. *num.* 11. §. *Quinto.* Similiter *Pontius de Matirim. lib.* 7. *cap.* 36. *num.* 9. *Dian. part.* 3. *tract.* 4. *reſolut.* 222. *Donatus Antonius de Marinis*, *Reſolut. quotid. lib.* 1. *cap.* 267. *num.* 15. *Caſtro Pal. tom.* 5. *diſp.* 4. *punct.* 10. *num.* 9. ubi refert deciſ. Sacræ Congregationis. *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. allegat.* 51. *num.* 118. *Rota* apud Gregor. XV. *deciſ.* 376. *à num.* 4. Imò quod ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii, hujuſmodi ſponſalia reputentur invalida, & ſic comprehendantur in diſpoſitione *Concilii ſeſſ.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 3. teſtatur idem *Gutierrez de matrim. cap.* 109. *n* 11. & ſic fuiſſe ab eadem Sacra Congregatione deciſum, refert *Pyrrh. in praxi diſpenſat. Apoſtolic. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 13. *&* *Donat. Anton. de Marinis, loc. cit*

497 Ratio hujus ſententiæ eſt. quia cauſa præcipua, ob quam Concilium hoc impedimentum ſtatuit, fuit ob gravem injuriam, quæ ſponſæ, vel ſponſo repudiatis inferebatur, & ad tollenda ſcandala, quæ inde oriri poterant. Unde ſi in diſſolutione ſponſalium adſit mutuus ſponſorum conſenſus, ceſſant omnia prædicta: imò præſumi debet, quod hujuſmodi ſponſalium diſſolutio ideò communi conſenſu facta ſit, quia inter ſponſos diſſentiones, & rixæ ortæ ſint; & proinde ſcandala futura, & maiores diſſentiones timeantur, quæ nè ſequantur, Eccleſia ſemper invigilat, nec debet permittere,

mittere, ut inviti ad Matrimonium cogantur, cap. *Præterea*, ſecundò de Sponſal; quià Matrimonia coacta infelices exitus habere ſolent. cap. *Requiſivit* De Sponſ. cap. 1.

498 Hæc ſententia olim fuit probabilis; modò tamen pro certo tenendum eſt impedimentum Publicæ honeſtatis oriri ex Sponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis ex Declaratione authentica Sacræ Congreg. Cõcilii de mandato Alexandri VII. die 6. Julii anno 1658. & ab eodem Alexandro approbata die 10. ejuſdem menſis. *Ità Lacroix lib.6. p.3. n. 683.* citans ibi *Pignat. Sperell; & Gobat.* Idem docet *Tamburinus lib. 8. tract. 1. cap. 11. §. 2 n. 7.*

499 Notatio Secunda. Per poſteriora Sponſalia inita cum quacumque perſona conſanguinea prioris Sponſi, aut Sponſæ, non oritur impedimentum Publicæ honeſtatis dirimens priora Sponſalia, ex cap. Unic. De Sponſ. in 6. ibi: *Ex Spõſalibus puris, & certis, dummodò non ſint nulla ex defectu conſẽſûs, oritur efficax ad dirimẽdum ſequẽtia Sponſalia, vel matrimonia non autẽ ad præcedentia diſſolvendum impedimẽtum juſtitiæ publicæ honeſtatis.* Ubi Gloſſ. v. *derogatur* rationem reddit: quià ſcilicet poſteriora Sponſalia prorſùs irrita ſũt ratione Publicæ honeſtatis ex prioribus inductæ: ergò ex poſterioribus non cõſurgit Honeſtas prioribus derogans *Sanch. lib. 7. diſp. 68. n. 23.*

500 Notatio Tertia. Si poſt Sponſalia cum Berta contrahat Titius Matrimonium ratum cum Matre, vel ſorore Bertæ, adhuc tenetur Titius fidem Sponſalium præſtare, ineundo Matrimonium cum Berta. Ratio eſt: quià Matrimonium ratum, ut potè poſterius, & irritum ex impedimento Honeſtatis antecedentis non inducit novum impedimentum Honeſtatis derogans prioribus Sponſalibus, ut conſtat ex num. præcedenti: ergò adhuc cum Berta validum erit Matrimonium Titii, non autem cum Bertæ Matre, vel Sorore.

501 Notatio Quarta. An ſi Titius cum Matre, vel Sorore Bertæ conſummaſſet, adhuc poſſet Matrimonium validè inire cum Berta, cum qua priùs inierat Sponſalia? ℞. quod cum neutra. Non cum Berta, ob impedimentum affinitatis conſurgens ex copula cum Matre, vel Sorore Bertæ. Non cum Matre, vel Sorore Bertæ propter impedimentum Honeſtatis ex Sponſalibus validè contractis cum Berta. *Sanch. proximè citat. n. 499.*

502 Notatio Quinta. Ex Sponſalibus tempore infidelitatis contractis non conſurgit Publica honeſtas, ità ut poſt baptiſmum nequeat ille, qui fuerat infidelis, ducere conſanguineam Sponſæ infidelis intrà gradus prohibitos. *De Juſtis* ſuprà citat. n 55. Ratio eſt: quià Publica honeſtas ſolo jure Eccleſiaſtico inducta eſt: infidelis verò ante baptiſmum juri Eccleſiaſtico non ſubjacet: ergò nec poſt baptiſmum quo ad hoc, ac proinde infideles non comprehendit impedimentum Publicæ honeſtatis.

503 Si qua hic deerunt (deerunt autem plurima,) adi *Sanch. lib. 7. diſp. 67. 68. 70.* per totas: Undè pauca hæc ſelegimus, tãquàm quid à fine noſtro extraneum; cũ inſtituti noſtri non ſit diſputare, multòque minùs reſolvere, quando, & quomodo contrahatur Publica honeſtas? Sed ſolum ſuppoſità ejus contractione, ad poteſtatem ſuper ea diſpenſandi pergere, & in tali poteſtate exponenda immorari.

504 Ni.

504 Nihilominùs, quià vel in ipſa Romana Curia, occaſione petendæ diſpenſationis ſuper hujuſmodi impedimento, dubitari ſolet de validitate, aut invalidate Spóſalium, ut nota *Pyrrh.lib.*8.*c.*7.*n.*9. idcircò non abs re viſum fuit ex eodem *Pyrrho.* hic ſubnectere, quot modis ipſa Sponſalia dicantur invalida, ità ut nullo modo neceſſaria ſit diſpenſatio. Sunt ergò invalida:

1 Quando quis Sponſalia contrahit ante ætatem ad illa requiſitam.

2 Quando quis emiſit votum ſolemne continentiæ.

3 Quando ſub conditione contrahuntur ante illam ſubſecutam, dummodò conditio non ſit impoſſibilis, aut turpis.

4 Quando contrahuntur cum perſona incerta.

5 Quando deficeret conſenſus alterius.

6 Si Matrimonium eſſet contractum ſub conditione.

7 Non ſolum in Sponſalibus nullis, ſed etiam in Matrimonio nullo, nullum eſt impedimentum *Pyrrhus* loquitur ex propria ſententia, ſed nos ſupra num. 491. docuimus contrariam.

8 Quando contrahuntur à parentibus nomine filiorum, ſive legitimæ ætatis ſint, ſive non, niſi expreſſè, vel tacitè conſentiant: vel niſi ſint præſentes, & non cõtradicant; vel abſentes, & poſtquàm eis innotuerit, conſenſerint.

9 Ex Sponſalibus, & Matrimonio clandeſtinè contractis, nullum oritur impedimentum.

SECTIO IV.

De poteſtate diſpenſandi ſuper impedimento Publicæ Honeſtatis.

505 Notatio Prima. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſuper impedimento Pubicæ Honeſtatis juſtis ex Sponſalibus proveniente. Conſtat ex facultate Pontificia.

506 Notatio Secunda. At verò in impedimento Publicæ honeſtatis, ex Matrimonio rato proveniente, diſpenſare nequeunt Braſiliæ Epiſcopi. Ratio eſt: quià in facultate Pontificia nulla viſitur particula, unde colligatur conceſſa hujuſmodi facultas: imò potius reſtrictio facta ad impedimentum Publicæ honeſtatis ex Sponſalibus, eſt quodammodo excluſio conceſſionis ad diſpenſandum ſuper impedimento Publicæ honeſtatis ex Matrimonio rato.

507 Confirmatur: quia ad diſpenſandum ſuper impedimento Honeſtatis, quod ex Matrimonio rato conſurgit, eædem fermè requiruntur cauſæ, quæ allegari ſolent ſuper quocumque impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis in primo, & ſecundo gradu *Pyrrh. lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 21. At Braſiliæ Epiſcopis non conceditur facultas diſpenſandi ſuper impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis in primo, & ſecundo gradu, niſi cum Neophytis; eo quidem modo, quo diximus ſuo loco.

508 Notatio Tertia. An ſaltem poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſuper impedimento Publicæ honeſtatis, quod ex Matrimonio rato provenit inter Neophytos? ℞. cum diſtinctione, & Dico 1. Braſiliæ Epiſcopi, ſe ſolis, & quantùm ex vi ſuo-

ſuorum privilegiorum prœciſè, diſpenſare nequeunt ſuper impedimẽto Publicæ honeſtatis ex Matrimonio rato, ne quidem inter Neophytos. Ratio eſt proximè data n. præcedenti.

509 Dico 2. Ex privilegio tamen Societati conceſſo ad diſpenſandum cũ Neophytis ſuper impedimentis Matrimonii, poſſunt Braſiliæ Epiſcopi unà cum Societatis Presbyteris ad id deputatis diſpenſare ſuper impedimento Publicæ honeſtatis, quod ex Matrimonio rato pullulat inter Neophytos. Fundamentum eſt 1. quià in privilegio Societati conceſſo ſolùm excluditur primus gradus conſanguinitatis, & affinitatis, ut vidimus ſuprà *n.* 203. & rurſùs *n.* 252. atqui impedimentum Publicæ honeſtatis pullulans ex Matrimonio rato, non tamen conſũmato, neque eſt primus gradus conſanguinitatis, neque affinitatis. Non conſanguinitatis, ut patet.

510 Deinde non affinitatis, ut tenet *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 64. *n.* 1. *Pyrrh. lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 20. §. *Licet autem.* Ubi notat *Pyrrh.* quòd quamvis ipſa Dataria dicat, id eſſe impedimentum affinitatis, non tamen ità illud appellat, quià tale ſit, ſed potiùs ad retrahendos Oratores, omneſque alios à petitione ſimilium diſpenſationum; cùm perinde ſit, ac ſi eſſet impedimentum primi, vel ſecundi gradùs affinitatis quoad diſpenſationes ſuper eo impetrandas: ergò.

511 Fundamentum eſt 2. quia in tali privilegio Societati conceſſo datur facultas diſpenſandi etiam in quacumpue aliâ conjunctione, quam Neophyti habeant inter ſe, vel quâ ſe attingant, quæ alioquin obſtaret Matrimonio, ibi: *Vel aliàs conjunctis, ſeu ſe attinentibus*: at verò ultrà conſanguinitatis, & affinitatis, non apparet alia *conjunctio*, ſeu *attinentia* obſtans Matrimonio, niſi cognatio ſpiritualis, & Publica honeſtas, ſive ex Sponſalibus, ſive ex Matrimonio rato pullulans: ergò in his poſſunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare cum Neophytis modo dicto.

512 Accedit, quod jam de hoc habetur expreſſa declaratio Clementis XI. in Bullà, data 29. Aprilis 1701. quæ incipit. *Aliàs pro parte.* Conſultus enim Pontifex, quomodo intelligerentur verba illa: *In quacumque, vel quibuſvis, non tamen in primo conſanguinitatis, & affinitatis gradibus, ſeu aliàs conjunctis, vel ſe attinentibus.* Definivit, ac declaravit ſolùm excludi primum gradum conſanguinitatis, & affinitatis; & poſſe Noſtros, adèoque cum Noſtris Epiſcopos diſpenſare in impedimento cognationis ſpiritualis, & in omnibus aliis impedimentis. Compend. Indic. verb. *Matrim.* §. 2.

513 Colliges 1. Quòd quandò petitur diſpẽſatio ſuper impedimẽto affinitatis ex copulà licita provenientis, non eſt neceſſe exprimere impedimentum Publicæ honeſtatis. *Pyrrh. cit. n.* 24. Ratio eſt: quia declarando Orator, velle ſe contrahere cum eà, quæ fuit uxor ſui conſanguinei intrà quartum gradum v. g. ſufficienter declarat impedimentũ Publicæ honeſtatis, quatenùs ſi illa fuit uxor, fuit etiam Sponſa.

514 Colliges 2. Non idem eſſe, ſi affinitas proveniat ex copulà illicità: tunc enim quamvis declaretur impedimentum hujuſmodi affinitatis, non conſequenter declaratur, nec implicitè impedimentum Publicæ honeſtatis; ſi quod

erat; ac propterea debet in tali caſu fieri de illo expreſſa mentio. *Sanch. cit. lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 36.

515 Colliges 3. Poſſunt tamen evenire caſus, in quibus affinitas ex copula licita, & Publica honeſtas ſimul concurrant, & ſimul exprimi debeant. v. g. vult Titius impetrare diſpenſationem, ut Bertam ducat, ſibi in tertio gradu affinem: anteà verò cum ejuſdem Bertæ conſanguineà in primo gradu Sponſalia per verba de futuro contraxerat, ipſaque conſanguinea in nullo penitùs attentata remanens deceſſit: in hoc caſu exprimendum eſt utrumque impedimentum affinitatis, & Publicæ honeſtatis. Ratio eſt: quià in hoc caſu in impedimento affinitatis non includitur impedimentum Publicæ honeſtatis, nec per expreſſionem ſolius affinitatis intelligitur, vel implicitè impedimentum Publicæ honeſtatis: unde neceſſaria eſt utriuſque expreſſio. *Pyrrh. cit.* §. *Nec tamen.*

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE OCTAVA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit impedimentum Criminis?

516 Octava Facultas Pontificia: *Diſpenſandi ſuper impedimento Criminis, neutro tamen conjugum machinante, & reſtituendi jus petendi debitum amiſſum.*

517 Notatio Prima. Quid ſit Crimen? ℞. Crimen eſt id, ex quo oritur impedimentum dirimens Matrimonium, vel propter mortem, quam alter conjugum alteri machinatur cùm intentione Matrimonii, vel propter adulterium cum contractu, vel promiſſione Matrimonii, vel propter raptum fœminæ cum violentià abductæ, Matrimonii ineundi cauſa.

518 Notatio Secunda. Quotuplex ſit Crimen? ℞. Triplex eſſe. Primum eſt Homicidium conjugis ab altero conjuge, & alio tertio, ſive phyſicè v. g. gladio, vel veneno, ſive moraliter, ut imperio perfectum; eo nimirùm conſilio, ut poſtea inter ſe Matrimonium contrahant. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 78. *num.* 13.

519 Secundum eſt adulterium, quando nimirùm duo carnaliter ſe cognoſcunt, vivente alterius conjuge, & vel Matrimonium ineunt de præſenti, vel ſaltem dant fidem de ineundo poſt mortem conjugis. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 79. *n.* 43.

520 Tertium eſt raptus, per quem perſona cum violentia abducitur, Matrimonii ineundi cauſà. Quod quidem impedimentum durat ex Tridentino, quandiú rapta eſt in poteſtate raptoris: unde libertati reſtitutam ducere poteſt. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 13. *n.* 4. Et hæc interim de raptu; de illo enim iterùm

rùm redibit ſermo diſput. 9.

SECTIO II.

Quomodò contrahatur impedimenmentum Criminis?

521 NOtatio Prima. An impedimentum Criminis incurratur, ſivè vir occidat uxorem, ſive uxor virum, ad contrahendum cum adulterante? ℞. affirmativè cum *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 78. *n.* 8. Ratio eſt: quià in Canon. *Siquis* 31. *quæſt.* 1. dicitur: *Sive vir, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notetur*: ergò utrovis modo incurritur hoc impedimentum.

522 Notatio Secunda. An ſi uxor virum occidat ſine intentione ineundi Matrimonium, & poſteà viricidium ratum habeat, incurrat impedimentum Criminis? ℞. negativè. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 78. *n.* 6. Ratio eſt: quia ratihabitio viricidii patrati non eſt illius cauſa. Neque obſtat *Regula* 10. De Regul. jur. in 6. quòd ratihabitio mandato æquiparetur: talis enim regula intelligitur, vel quando effectus pendet à ratihabitione, vel quando jus ità diſponit, quod in noſtro caſu non militat.

523 Notatio Tertia. An ſi infidelis de conſilio fidelis crimen machinationis committat, poſſit, ſuſcepto baptiſmo, contrahere cum tali fideli? ℞. negativè *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 78. *n.* 4. Ratio eſt: quia in tali caſu ad homicidium concurrit fidelis: manet igitur inhabilis ad tale Matrimonium per cap. 1. De converſ. infidelium: ſecus, ſi infidelis homicidium perpetraret abſque fidelis conſilio, ejuſque concurſu.

524 Notatio Quarta. An ſi duo infideles homicidium, vel adulterium committant cum promiſſione ineundi Matrimonii, poſſint, ſuſcepto baptiſmo, contrahere inter ſe? ℞. affirmative. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 78. *n.* 2. Ratio eſt: quià impedimentum Criminis ſolo jure Eccleſiaſtico, cui infideles non ſubjacent ante baptiſmum, introductum eſt: ergò illos non comprehendit, etiam poſt baptiſmum ſuſceptum.

525 Notatio Quinta. An quando machinatio mortis non intervenit, ſed ſolum adulterium cum Matrimonio de præſenti, vivente priori conjuge, vel cũ ſpe, & promiſſione Matrimonii de futuro, incurratur impedimentum criminis, ſive promiſſio Matrimonii antecedat, ſive ſubſequatur poſt adulterium? ℞. affirmativè. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 79. *n.* 3. Ratio eſt: quia in utroque caſu datur cauſa parandi inſidias conjugi, eique necem inferendi.

526 Tandem, nè diutiùs immoremur in his, aut ſimilibus, quæ inſtitutum noſtrum excurrunt, ac de quibus cõſulendus omninò *Sãch. lib.* 7. *diſp.* 28. *& diſp.* 29. per totas; accipe ſummatim, quæ requiruntur, ut impedimentum criminis contrahatur.

527 Requiritur enim primò, ut adſit machinatio mortis alterius conjugis, ſive ab altero conjuge, ſive ab adultero facta cũ effectu, id eſt morte ſecutâ.

528 Requiritur ſecundò; ut ea machinatio fiat cum animo ineundi Matrimonium determinatè inter cõjugem ſuperſtitem, & adulterum, cum quo ſimul machinatus eſt.

529 Requiritur tertiò, quando, ut adſit adulterium, unus tantùm machinatus eſt: ſi verò deſit adulterium, ut uterque ſit machinatus.

530 Requiritur quartò; ut adulterium ſit utrique contrahenti notum.

531 Requiritur quintò; ut promiſſio Matrimonii ſit externa, quamvis ſit ficta, fictione non apparente exteriùs.

532 Requiritur ſextò, ut promiſſio ab altero acceptata ſit, quamvis non repromittat.

533 Requiritur ſeptimò, ut priùs Matrimonium ſit verum, quāvis non fuerit conſummatum, ſitque diſſolutum quo ad torum per divortium. Ità quo ad omnia. *Sāch. lib.* 7. *diſp.* 78. *n.* 23. *& diſp.* 29. *n.* 43.

SECTIO III.

De poteſtate diſpenſandi ſuper impedimento Criminis.

534 Notatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſuper impedimento Criminis quocumque modo commiſſi, dummodò non intervenerit machinatio mortis? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià exceptio firmat regulam in contrarium, ut conſtat ex Reg. 50. De Reg. jur. in 6. facultas Pontificia ſolummodò excipit caſū, quo interveniat machinatio mortis: ergò ad omnes alios caſus ſe extendit.

535 Notatio Secunda. An etiam poſſint diſpenſare cum eo, qui, vivente uxore, Matrimonium cum alia, quæ prioris Matrimonii conſcia erat, de facto contraxit, & cōſummavit; mortuaque prima uxore (neutro tamen in ejus mortem machinante,) petit diſpenſari, ut in ſecundo dicto Matrimonio remanere, ſeu illud de novo, ſecreto tamen ad evitanda ſcandala, contrahere valeat? ℞. affirmative. Ratio eſt eadem, nempè; quià in Indulto Apoſtolico conceditur poteſtas diſpenſandi ſuper impedimento Criminis, dummodò mors machinata non fuerit cum effectu: in propoſito autem caſu talis machinatio non fuit, ut ſupponitur.

Quia tamen antequam ſecundum iſtud Matrimonium contrahatur, contrahentes ipſi à quibuſvis ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas propter prædicta quomodolibet incurrerunt, abſolvendi ſunt, ideò.

536 Advertè 1. à prædictis omnibus cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis poſſe Braſiliæ Epiſcopos abſolvere. Ratio eſt 1: quià concedens aliquam gratiam, etiam concedit omnia requiſita ad illam, alioquin fruſtranea eſſet talis gratiæ conceſſio, imò & nugatoria, cùm ad effectum reduci non poſſet: ſed Braſiliæ Epiſcopis conceditur facultas diſpēſandi ſuper impedimento Criminis: ergò illis etiam conceditur facultas ad omnia requiſita pro tali diſpenſatione facienda. Ratio eſt 2: quia in facult. catalog. n. 15. Braſiliæ Epiſcopis conceditur hujuſmodi facultas abſolvendi.

537 Advertè 2. in prædicto caſu dandam eſſe abſolutionem, facta priùs abjuratione de vehementi hæreſis Suſpicione, & impoſita oratoribus pœnitentiâ ſalutari, de cujus taxatione videndus *Pyrrh. lib.* 8. *cap.* 9. *à n.* 9. dummodò oratores non ſint præventi indiciis in Tribunali S. Inquiſitionis; ſi enim tales ſint, tunc Tribunali S. Inquiſitionis ſe præſentabunt; *Pyrrh. cit. n.* 17. § *At ubi oratores.*

538 Notatio Tertia. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſuper impedimento Criminis quocumque modo commiſſi, quamvis interve-

tervenerit machinatio mortis, ſed tamen ſine effectu? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià ut in impedimento Criminis nequeant Epiſcopi diſpenſare, debet machinatio mortis eſſe cum effectu, id eſt, morte ſecuta: ergò quamvis interveniat machinatio mortis veneno, vel alio quovis inſtrumento, ſi tamen non ſequatur mors, poſſunt Epiſcopi diſpenſare.

539 Quinimò quando machinatio effectum ſuum non ſortitur, nec ex illa ſequitur mors, nullum incurritur impedimentum Criminis ex machinatione, adeòque in eo eventu neceſſaria non eſt diſpenſatio. Quare ut contrahatur impedimentũ Criminis ex machinatione, non ſolùm debet eſſe tentata, ſed ulteriùs requiritur, quòd ſit perfecta, & conſummata mors conjugis, opere, mandato, vel conſilio. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 78. *n.* 7.

540 Notatio Quarta. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſuper impedimentoCriminis, quando intervenit machinatio mortis cum effectu? ℞. negativè. Conſtat ex Indulto Apoſtolico, in quo conceditur facultas ampliſſima diſpenſandi, neutro tamen conjugum machinante, adde, cum effectu.

541 Ubi nota cum *Pyrrh. lib.* 8. *cap.* 9. *n.* 6. quòd quandò uterque, vel alter etiam Oratorum, in morte conjugis machinatus eſt cum effectu, talis facultas diſpenſandi pro foro externo nec Nuntiis Apoſtolicis, nec ipſis etiam Legatis á Latere concedit ſoleat: & *n.* 8. addit, quòd numquàm viſum fuerit taliter diſpenſari per Datariam, quæ ad unguẽ ſervat diſpoſitionem textùs, in cap. *Siquis marito* 31. *quæſt.* 1. ubi habetur: *Quòd ſi fortè vir, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notetur ... ſine ullà ſpe conjugii remaneant perpetuò cum pænitentiá.*

542 Notatio Quinta. His non obſtantibus, finge tibi, quòd Epiſcopum adeant Titius, & Berta, qui de communi conſilio in maritum Bertæ machinati ſunt cum effectu, & deindè Matrimonium cum mala ſide contraxerunt. Poſt tamen aliquot annos in ſe reverſi, & de ſalute animarum ſuarum tractantes Epiſcopum adeunt, & diſpenſationem petunt, aſſerentes impedimẽtum eſſe omninò occultum, ſe tamen ſeparari non poſſe ſine infamiæ periculo, ſcandalo, & homicidii commiſſi præſumptione, ſine ſeparatione tamen dari periculum incontinentiæ, cùm in eàdem domo vivant, nec per breve tempus abeſſe poſſint? Quid, inquam, in hoc caſu? Poteruntnè Epiſcopi diſpenſare ſuper impedimento Criminis ex tali machinatione cum effectu?

543 ℞. Cum diſtinctione, & dico primò. Ex facultate Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur, nequeunt ipſi diſpenſare in tali caſu. Ratio eſt: quiá uterque conjux de communi conſilio machinati ſunt in mortem conjugis: hic verò caſus excipitur, ibi: *neutro tamen conjugum machinante.*

544 Dico 2. Ex jure autem communi poſſunt Epiſcopi diſpenſare in eo caſu; vide, quæ diximus hoc eod. *lib.* 2. *à n.* 95. ubi quæſtionem ex profeſſo tractavimus, & partem affirmativam ſecuti ſumus cum *P. Nogueir. lib.* 1. *quæſt. ſingul. quæſt.* 35. per totam.

SE-

SECTIO IV.

De poteſtate diſpenſandi cum Neophytis ſuper impedimento criminis.

545 NOtatio Prima. Quid, ſi fuerint Neophyti, qui modo ſupradicto n. 542. machinati ſunt, & in facie Eccleſiæ contraxerunt? Eſtnè aliquod privilegium ſpeciale, vi cujus cum talibus Neophytis diſpenſandum ſit in tali crimine? Aut potius recurrendum ad jus commune, & præſumptum Epiſcoporum in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis? ℞. Extare ſpeciale privilegium Societati conceſſum, quo Excellentiſſimi DD. Epiſcopi guadent modo ſupradicto à num. 203. Privilegium Societati conceſſum apud Compend. Indic. verb. *Matrimonium* §. 4. habeat ſic.

546 *Poſſunt noſtri à Præpoſito Generali deputandi in præfatis regionibus, & locis, in quibus ſimiliter fideles cum infidelibus vivunt, & non adſunt Ordinarii, qui hujuſmodi poteſtatem habeant, vel diſtant ultrà duas dietas, cum Neophytis, aliiſque ad fidem reductis, ex rationabili cauſâ, & legitima ſuper voto caſtitatis, (non tamen ſolemni) & ſuper Matrimonio de facto, & in facie Eccleſiæ, ſive ſcienter, ſive ignoranter contracto, & quovis occulto impedimento, præter primi gradus, propter quod tale Matrimonium in conſcientia eſſet invalidum, & cõtrahentes ſine ſcandalo ſeparari non poſſent, diſpenſare, gratis tamen, & in foro conſcientiæ. Conceſſit ad decennium Gregor. XIII. 4. Novembris 1579. Confirmarunt Succeſſores, innovavit, & extendit uſque ad annum. 1750. Benedictus XIII. in Bulla, Animarum ſaluti.*

547 Obſerva primò; prædictum privilegium eſſe ampliſſimum, & extendi ad omne cujuſcumque generis impedimentum, præter primum conſanguinitatis, & affinitatis gradum. Unde colligitur poſſe Societatis Presbyteros diſpenſare cum Neophytis ſuper impedimento Criminis, etiam morte ſecuta ex machinatione, neque enim hoc impedimentum excluditur, imò diſpenſandum venit ſub clauſula illa generali privilegii: *Quovis occulto impedimento, præter primi gradus.*

548 Obſerva ſecundò, ex eodem privilegio poſſe Societatis Preſbyteros, ſe ſolis, diſpenſare cum Neophytis in præfato impedimento Criminis, ubi non adſit Ordinarius, qui ſimilem facultatem habeat, vel ſi habeat, diſtet ultrà duas dietas: ipſe verò Ordinarius, ubi adſunt Societis Presbyteri idem poteſt unà cum illis, modo ſupradicto à n. 203. His diligenter obſervatis,

549 Ad caſum propoſitum n. 545. ℞. poſſe Epiſcopos diſpenſare; ſed de Presbyterorum Societatis ad id deputatorũ, tanquam adjutorũ, & aſſeſſorũ ſuorum, ubi eorum copia haberi poteſt, conſilio. Fundamentum eſt: quià in caſu propoſito poſſunt Societatis Presbyteri diſpenſare, ſe ſolis, ſi non adſit Ordinarius, qui ſimilem facultatem habeat: ſed Ordinarius communicat in privilegiis Societatis in ordine ad diſpenſandum cum Neophytis, quoties Ordinarius ad id non habet facultatem ſpecialem, ut in præſenti caſu non habet: ergò in præſenti caſu poteſt Ordinarius diſpenſare unà cũ Societatis Presbyteris. Maior conſtat ex adducto privilegio, ubi datur fa-

facultas diſpenſandi; *in quovis occulto impedimento præter primi gradûs*: impedimentum verò Criminis etiam morte ſecuta ex machinatione, non eſt impedimentum primi gradûs.

550 Notatio Secunda. An ſicut Societatis Presbyteri poſſunt diſpẽſare cum Neophytis ſuper impedimentoCriminis ex machinatione quo ad matrimonium jam contractum: ità etiam poſſint in ordine ad Matrimonium primò contrahendum? ℞. negativè. Ratio eſt: quià in ordine ad Matrimonium primò contrahendum nihil poſſunt Societatis Presbyteri circa Matrimonii impedimenta, quæ non explicantur per gradus, vel conjunctiones, uti non explicantur impedimentumCriminis Raptus, &c. cùm nullibi appareat privilegium talia impedimenta comprehendens, niſi præfatum, quod tamen ſolum eſt in ordine ad Matrimonia jam cõtracta: ergò in ordine ad Matrimonium primò contrahendum etiam inter Neophytos, quantùm ex machinationis Crimine, nihil poſſunt Societatis Presbyteri.

551 Notatio Tertia. An ſemel diſpenſatus in Crimine machinationis veræ, ſi poſtea incidat in aliud Crimen machinationis veræ, & petat ſecundam diſpenſationem, valeat hæc ſecũda diſpenſatio, niſi fiat mẽtio prioris. ℞. negativè cũ *Dian. coordinat. tom. 3. tract. 2. de diſpenſat. reſol.* 148. Ratio eſt: quià non cenſetur diſpenſans bis velle remittere idem genus peccati, juxta Leg. 3. C. De Epiſcopali audientia, ibi: *Remiſſionem veniæ crimina, niſi ſemel commiſſa non habeant.*

552 Notatio Quarta. An ſaltẽ diſpenſatus in Crimine machinationis veræ, ſi fortè incidat in aliud genus criminis, ut, v. g. eſt fides data cum adulterio, & petat ſecundò diſpenſationem, valeat hæc ſecunda diſpenſatio, niſi fiat mentio prioris. ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià in hoc caſu peccata ſunt diverſa, & unius remiſſio non obſtat remiſſioni alterius. Ità cum aliis, quos ſequitur *Dian.* cit.

553 Notatio Quinta. An quando prior diſpenſatio fuit nulla, & petitur ſecunda, valeat hæc ſecunda diſpenſatio, niſi fiat mentio prioris; ſivè prior illa fuerit conceſſa cum limitatione, & ſecunda minimè, ſive utraque fuerit conceſſa abſolutè. ℞. affirmativè. Ratio eſt primò: quià ex nullo jure conſtat, quòd debeat fieri mentio talis diſpenſationis nullius. Secundò: quià id non requiritur ex natura rei, nã cum prior diſpenſatio fuerit nulla, perinde ſe habet, ac ſi nunquam fuiſſet conceſſa: ergò illam tacere in petitione diſpenſationis ſecundæ, non poteſt obeſſe ſecundæ diſpenſationi concedendæ. *Dian. citat.*

SECTIO V.

Quid ſit, & in quo fundetur jus petendi debitum conjugale?

554 NOtatio Prima. Quid ſit Jus petendi debitum cõjugale? ℞. Jus petendi debitum conjugale, ſicut; & obligatio reddendi, eſt proprietas quædam, ſeu paſſio, quæ ex naturà matrimonii neceſſariò reſultat. *Sanch. lib. 9. diſp. 2. n.* 8.

555 Hinc poteſt amitti, & abeſſe tale jus, perſeverante Matrimonio, ut contingit, quando vir cum conſanguinea uxoris ſuæ, aut uxor cum conſanguineo mariti ſui, copu-

copulam habeat intrà gradus prohibitos: vel etiam quando alter cõjugum de communi conſenſu Religionem ingreditur. *Sanch. lib.* 2. *diſp.* 1. *n.* 6.

556 Notatio Secunda. In quo fundetur Jus petendi debitum conjugale? ℟. Jus petendi debitum conjugale fundatur in mutua corporum traditione, per quam corpus viri fit uxoris, & è contrà, juxta Apoſtolum 1.*Corinh. cap.* 7. ibi: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*

SECTIO VI.

Quando amittatur Jus petendi debitum conjugale?

557 NOotatio Prima. Quotupliciter amittatur jus petendi debitum conjugale? ℟. Jus petendi debitum conjugale amittitur primò, quandò ad matrimonium præceſſit votum caſtitatis, aut Religionis.

558 Amittitur Secundò, quando conjux poſt Matrimonium de alterius licentia, vel uterque de mutuo conſenſu vovent caſtitatem, vel abſque voto pactum ineunt de non petendo.

559 Amittitur tertiò, quando reſultat cognatio ſpiritualis, eo quòd alter conjugum, vel alteruter fiunt Patrini communis filii in Baptiſmo, vel Confirmatione.

560 Amittitur quartò, quando vir cum conſanguinea uxoris ſuæ, vel uxor cum conſanguineo mariti ſui, copulam habent intrà primum, & ſecundum gradum, & non ultrà.

561 In his, & aliis caſibus, de quibus *Sanch. lib.* 9. *à diſp.* 26. privantur conjugati jure petendi, & peccant mortaliter, ſi abſque diſpenſatione tùm petant: quamvis non ſemper, nec in omnibus his caſibus abſolvantur ab obligatione reddendi, imò aliquando reddere teneantur. Et licèt juxta methodum, quàm ſequimur, hæc potiùs ſupponi debeant, quàm ex profeſſo tractari, ut jam ſæpè monuimus; tamen, quià non ſemper incurritur hæc privationis pæna, ità ut diſpenſatione ad petendum debitum conjugati indigeant; ideò utiliſſimum cenſeo, & confeſſariis per gratum exponere: quando conjuges vel propter ignorantiam facti, vel propter ignorantiam juris, vel propter ignorantiam pœnæ, non amittunt Jus petendi debitum conjugale.

562 Triplici itaque modo poteſt caſus contingere. Primò, ſi Titiús accedat ad conſanguineam uxoris ſuæ ignorando eſſe conſanguineam, vel ignorando conſanguinitatis gradum, & hæc dicitur ignorantia facti.

563 Secundò, ſi ſciat eſſe conſanguineam intrà ſecundum gradum, ad quem ſolum, & non ultrà extenditur privationis pœna, ſed ignoret vetitum eſſe acceſſum ſpecialiter ad conſanguineam uxoris ſuæ, & hæc dicitur ignorantia juris.

564 Tertiò, ſi ſciat conſanguinitatis gradum, & ſpecialem juris prohibitionem: ignoret tamen in pœnam talis delicti impoſitam eſſe privationem petendi debitum, quæ dicitur ignorantia ſolius pœnæ à jure impoſitæ. His poſitis, quæſtionẽ in ſequentes titulos dividamus.

Ut

§. I.

Ut admittatur Jus petendi debitum conjugale, requiritur ſcientia facti prohibiti.

565 NOtatio Secunda. An conjux, qui poſita ignorantia invincibili conſanguinitatis, habuit illicitam copulam cum ſui conjugis conſanguinea, vel conſanguineo, privetur jure petendi debitum, ita ut egeat diſpenſatione? ℞. negatıvè cum *Sanch. lib. 9. diſp. 31. num. 47.* Ratio eſt primo: quia privatio petendi debitum impoſita eſt à jure, tamquam pœna propter culpam inceſtus inducentis affinitatem, ut cum multis docet *Sanch. lib. 9. diſp. 30. à num. 2.* ſed conjux, poſita tali ignorantia, non comiſſit culpam formalem inceſtus; cum non præviderit circunſtantiam conſanguinitatis: ergo non incurrit eam culpam, cum pœna Eccleſiaſtica non incurratur ſine culpa formali, propter quam imponitur.

566 Ratio eſt ſecundò ex text. cap. 1. De eo, qui cognovit conſanguines. ibi: *Siquis cum filiaſtri ſua ſcienier fornicatus fuerit, neque à matre debitum petere, neque filiam unquam habere poteſt uxorem.* Ubi ad incurrendam privationem petendi debitum expreſſè requiritur *ſcientia*: ergo cum ignorantia facti non incurritur talis pœna.

567 Adverte tamen dupliciter poſſe contingere eam ignorantiam: primò: ſi Titius ignoret talem fœminam eſſe conſanguineam uxoris ſuæ, in quo eventu nec pribavitur jure petendi; nec committit inceſtum formalem. Secundò: ſi ſciat eam fœminam eſſe conſanguineam uxoris ſuæ, ſed exiſtimet illā conſanguinitatem jam eſſe extra ſecundum gradum (intra quem revera eſt) v. g. in tertio, vel in quarto.

568 In hoc ultimo eventu committit Titius inceſtum formalem, nam poſt conſummatum Matrimonium omnes conſanguinei uxoris uſque ad quartum gradum incluſivè manent affines mariti, & conſequenter cum illis fornicando committitur peccatum inceſtus. Non tamen committit Titius illum inceſtum, ſivè in illo gradu, ex quo contrahat affinitatem cum uxore ſua, ita ut privetur jure petendi, ut notat *Sanch. lib. 9. diſp. 32. num. 48.*

569 Ratio eſt: quia impedimentum hoc non oritur tam ab inceſtu, quam affinitate inde reſultante, ut cum *D. Thom.* & aliis tenet *Sanch. citat. diſp. 27. num. 14.* Clarius: inceſtus ſolum privat jure petendi, quando inducit affinitatem inter conjuges; atqui poſt *Trid. de Reformat. Matrim. ſeſſ. 24. cap. 4.* inceſtus extra ſecundum gradum jam non inducit affinitatem: ergo neque privat jure petendi: cum ergo Titius in prædicto ultimo eventu ignorans fœminam eſſe uxoris ſuæ conſanguineam intra ſecundum gradum, non committerit formalem inceſtum in ſecundo gradu, etiam non incurrit pœnam tali delicto impoſitam.

570 Notatio Tertia. An Titius privetur jure petendi debitum, quando rem habet cum conſanguinea uxoris ſuæ intra ſecundum gradum, ignorando tamen conſanguinitatis gradum per culpabilem, & vincibilem ignorantiam, dummodò talis ignorantia non ſit affectata, vel adeò craſſa, ut ſit ingens

Dd teme-

temeritas ignorare? ℞. negativè cum *Sanch. lib. 9. diſp. 31. num. 47.* Fundamentum eſt: quia quando jus imponit pœnam facienti aliquid ſcienter, quælibet ignorantia, quamvis vincibilis, & culpabilis, liberat ab incurſione talis pœnæ, dummodò talis ignorantia non ſit affectata, vel ingens temeritas; atqui Jus Canonicum ſolum imponit privationem petendi debitum illi conjugi, qui ſcienter fornicatus fuerit cum conſanguineis alterius conjugis: ergo conjux, qui tale peccatum commiſit cum ignorantia conſanguinitatis, quamvis craſſa, & culpabili, dummodò non ſit affectata, liber manet ab eadem pœna. Minor conſtat ex textu proximè relato num. 566.

571 Maior verò continet communem DD. ſententiam, quorum multos refert *Sanch. citat. num.* 36. Et ſuadetur ratione; quia pœnæ potius ſunt leniendæ, quam exaggerandæ Cap. *Pœnæ* de Pœnit. diſt. 1. ergo ſolùm incurruntur, quando delictum habet eam circunſtantiam, quam lex exprimit. Sub ſumo; atqui quando lex ad infligendam pœnam requirit in delinquente ſcientiam per has particulas, *ſi ſcienter fecerit*, *ſi præſumpſerit*, *ſi auſus fuerit*, *&c.* ſemel quòd in delinquente detur ignorantia, quamvis culpabilis; dummodò non ſit affectara, jam delictum non habet illam circunſtantiam, quam lex exprimit; cum ignorantia quamvis craſſa excludat ſcientiam: ergo jam non incurritur talis pœna.

572 Dixi: *Dummodò talis ignorantia non ſit affectata*: hæc enim æquiparatur ſcientiæ. Cap. *Cum ambo* De clandeſtin. deſponſat. & cap. *Flos* De temporib. Ordinand. in 6. & ibi *Gloſſ.* Quid autem ſit ignorantia craſſa, & ſupina, vide apud *Sanch. lib. 9 diſp. 32. num. 32.*

573 Hinc deducitur 1. non manere privatum jure petendi, qui cognovit cõſanguineam uxoris ſuæ intra ſecundum gradum, exiſtimando tamen eſſe in tertio, vel quarto. Ratio eſt: quia ignorantia, quæ interfuit, liberat ab incurſione pœnæ.

574 Deducitur 2. non manere privatum jure petendi, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ in tertio, vel quarto gradu, exiſtimando tamen eſſe in ſecundo, vel primo. Ratio eſt: quia revera non eſt ſecundus, nec primus gradus, qui ſolùm privant jure petendi: exiſtimare autem ibi adeſſe, non eſt ſcire quod requiritur ad incurrendam talem pœnam.

§. II.

Ut amittatur Jus petendi debitum conjugale, requiritur ſcientia juris prohibentis.

575 NOtatio Quarta. An Titius accidens ad conſanguineam uxoris ſuæ, cognitam ut talem intra ſecundum gradum, ignorans tamen eam copulam eſſe ſpecialiter prohibitam jure Eccleſiaſtico, privetur jure petendi debitum conjugale? ℞. negativè. Et quidem pro hac parte citari poſſunt omnes illi, qui generaliter docent pœnam à jure poſitivo impoſitam non incurri ab ignorantibus ipſum jus, quorum plurimos refert *Sanch. lib. 9. diſp 32 num. 17.*

576 Fundamentum eſt: quia pœna non eſt protrahenda ultra delictum, cap. *Felicis* De Pœnis in 6. cap. 2. De his, quæ à majori parte Capituli; atqui Titius in prædicta copula non deliquit cõtra jus Eccleſiaſticum, utpote ignoratũ, ſed tantum contra

contrà jus naturale, & divinum: ergò ſolùm incurrit pænam correſpõdentem læſioni juris naturalis, & divini, non verò correſpodentem læſioni juris Eccleſiaſtici; cum in hoc caſu non fuerit formaliter læſum tale jus; atqui privatio petendi non eſt pœna correſpondens læſioni juris naturalis, vel divini, ſive non imponitur à jure naturali, vel divino: ergò Titius illam non incurrit.

577 Prædictam reſolutionem intelligit *Sanch. cit.* etiam quando illa juris ignorantia fuerit vincibilis, & culpabilis, dummodò non ſit affectata. Et alii Doctores idem ſentire videntur, quatenùs loquuntur abſolutè de ignorantia, non diſtinguentes inter culpabilem, vel inculpabilem. Et ratio eſſe poteſt: quià textus ſtatuens pœnam privationis, apponit particulam *ſcienter*, quæ utique excludit quamlibet ignorantiam tàm juris, quam facti: ergó, qualibet poſita, jam non incurritùr pœna, quià jam dici non poteſt, quòd deliquit *ſcienter* contrà legem.

578 Dices tamen primò. Quando datur culpabilis ignorantia legis de novo ſtatuentis aliquam pœnam propter actum aliundè jam prohibitum, non excuſatur trangreſſor à tali pœna: ergò Titius ſi habeat prædictam copulam cum ignorantia culpabili circa legem Eccleſiaſticam, non excuſabitur à pœna, id eſt, à privatione petendi debitum. ℞. diſting. antecedens: non excuſatur tranſgreſſor à tali pœna, ſi lex abſolutè loquatur; concedo; ſi lex requirat ſcientiam in operante, nego antecedens.

579 Quare obſervandum eſt diſcrimen inter leges pœnales maximè Eccleſiaſticas, quarum aliquæ imponunt pœnam abſolutè delinquentibus; aliæ veró eam imponunt non delinquentibus abſolutè, ſivè utcumque, ſed delinquentibus ex certa ſcientia, præſumptione, vel temeritate, quod luſitanè dicimus *de adrede*, *de propoſito*, *a ſabendas*, ideóque hujuſmodi leges utuntur verbis *ſcienter*, *præſumpſerit*, *temerè fecerit*, & ſimilibus, quæ ſecundùm Juriſtas dolum important. Quando leges primo modo ſe habent, adhuc inter Doctores controvertitur: an ignorantia culpabilis excuſet?

580 Et in primis ſi pœna impoſita per legem fuerit cenſura, communis Doctorum ſententia tenet, etiam non incurri, quoties datur legis ignorantia, quamvis mortaliter culpabilis, dummodò non ſit craſſa, & ſupina. *Sanch. cit. n.* 31. Et ratio deſumitur ex cap. *Ut animarum* De Conſtitutionib. in 6, ibi: *Sententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolùmus ignorãtes, dummodò eorũ ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina.*

581 Alias veró pœnas, quæ cenſuræ non ſunt, & à lege imponuntur abſolutè delinquentibus, incurri à tranſgreſſoribus, quoties ignorantia eſt mortaliter culpabilis, docet *Caſtr. Pal. lib.* 10. *tract.* 2. *diſp.* 1. *punct.* 18. *n.* 3. Et diſparitas eſt primó: quià circa alias pœnas non invenitur textus favens ignorantiæ culpabili (ſicut invenitur circa cenſuras) imó contrarium conſtat ex L. 1 ff. De legib. ibi: *Delictorum, quæ ſpontè, vel ignorantia contrahuntur, coerceo.*

582 Diſparitas eſt ſecundò: quià cenſura non incurritur ſine contumacia, quam non habet, qui laborat ignorantia non ſupina, nec af-

D ii fectata.

fectata. Ad alias verò pœnas ſufficit, quòd quis delinquat contrà legem, ut verè delinquit, qui illam tranſgreditur per ignorantiam mortaliter culpabilem.

583 At verò, quando leges ſehabent ſecundo modo, id eſt, imponendo pœnam delinquentibus *ſcienter*, *ex præſumptione*, *&c.* tunc quælibet ignorantia, quamvis culpabilis (dummodò non ſit affectata, quæ æquiparatur ſcientiæ) excuſat à pœna ipſius legis, quamvis actus ſit per aliam legem aliundè prohibitus. Ratio eſt: quià licèt talis ignorantia non excuſet abſolutè à culpa, excuſat tamen ab illo modo ſpecialis gravitatis, ſine quo lex non intendit tale peccatum punire, quandó addit prædictas particulas, & ideo excuſat etiam à pœna: cùm igitur textus imponens privationem petendi debitum requirat ſcientiam in conjuge, ideo propter prædictam ignorantiam excuſabitur.

584 Inſtabis: etiam particula: *Suadente Diabolo*, qua utitur textus imponens excommunicationem propter Clerici percuſſionem, cap. *Siquis ſuadente*, videtur requirere ſcientiam in percuſſore: & tamen ignorantia craſſa, vel ſupina non excuſat; juxtà Text. in cap. *cum illorum* De ſententia excommunicationis, ibi enim dicitur diſpenſari poſſe cum percuſſoribus Clericorum juris Eccleſiaſtici ignaris: ergó ſupponitur ibi etiam incurrere cenſuras taliter ignaros, atque adeó idem erit in noſtra quæſtione. ℞. negando maiorem: per illam enim particulam, *ſiquis ſuadente*, ſolum denotatur percuſſio peccaminoſa per diſtinctionem ab illa, quæ fieri poteſt ſine peccato à legitimo ſuperiore. Quare incurri poteſt talis excōmunicatio cum ignorantia craſſa, & ſupina, de qua intelligendus eſt textus in cap. *Ut animarum.*

585 Dices ſecundò. Sola ignorantia facti, non verò juris excuſat: ergò conjux inceſtuoſus quamvis habeat ignorantiam juris, ſi non habeat ignorantiam facti, incurrit privationem petendi. Antecedens cōſtat ex *Reg. ignorantia* 13. *De reg. jur. in* 6. ibi: *Ignorantia facti, non juris excuſat.* Confirmatur ex Leg. *Vulgaris* §. *Siquis æs* ff. De furtis, ubi qui furatur aurum putando æs, tenetur de furto auri. Unde infert *Bartholus* ſacrilegum eſſe illum, qui furatur calicem conſecratum, quamvis ignoret eſſe conſecratum.

586 ℞. diſting. anteced. Sola ignorantia facti, non verò juris excuſat, quo ad forum internum, de quo agimus, nego: quo ad forum externum, concedo antecedens: quia in foro externo non præſumitur ignorantia juris, niſi probetur. Et in hoc ſenſu procedit citata regula, ut cum aliis ſentit *Sanch. cit. n.* 10. Ad confirmationèm circa primum exemplum dicimus, ibi ſolum attendi ad damnum re ipſa illatum in ordine ad compenſationem, nōn vero ad intentionem inferentis: & circa ſecundum calicis, dicimus, ibi non præſumi ignorantiam, cum enim calices communiter ſint conſecrati, talem credere fur debuerat.

587 Alia prudens omitto argumenta, quæ à paritate aliarum pœnarum formari poſſunt: omnia enim facilimè diſſolventur, ſi præ oculis ſemper habeamus noſtram reſolutionem procedere de hac ſpeciali pœna, ad quam incurrendam requiritur, quod conjux *ſcienter* delinquat, uti diximus ex cap. 1. De eo, qui cognovit cōſanguineam. Unde quidquid ſit de aliis pœnis, & cenſuris, quando imponuntur abſolutè delin-

quen-

quentibus, privatio petendi debitum non incurritur, poſita ignorantia etiam culpabili, modo non ſit affectata, quia eo ipſo non verificatur terminus ille *ſcienter*.

§. III.

Ut amittatur jus petendi debitum conjugale, requiritur ſcientia pœnæ à jure impoſitæ.

588 NOtatio Quinta. An per ipſam ignorantiam ſolius pœnæ excuſetur Titius à privatione petendi debitum, ita ut diſpenſatione non egeat ad petendum? Poteſt enim contingere, quod Titius habendo copulam cum conſanguinea uxoris ſuæ, ut tali cognita intra ſecundum gradum, optimè ſciat illam copulam eſſe per jus Eccleſiaſticum ſpecialiter prohibitam; ignoret tamen, quod in pœnam talis delicti impoſita ſit ab ipſo jure privatio, ſeu inhabilitas petendi debitum ab uxore ſua: in quo eventu habet Titius ſcientiam juris, & facti cum ignorantia ſolius pœnæ. Terminis quæſtionis ita propoſitis,

589 Negativam ſententiam tenent *Suar. Covarr. Poncius, Salas*, & alii, illam etiam vocat probabilem *Sanch. lib.* 9. *diſp.* 32. *num.* 21. pro quo adducit *Sotum*, *Ledeſm. Henriq.* & alios. Docent igitur hi Doctores per ignorantiam ſolius pœnæ in lege ſtatutæ non excuſari tranſgreſſorem ab ipſa pœna; ſemper tamen excipiunt cenſuras, cum enim ad has incurrendas requiratur contumacia, debet priùs per comminationem notificari, atque adeò qui ignorat cenſuram eſſe impoſitam delicto à ſe ſcienter commiſſo, non illam incurrit.

590 Affirmativam ſententiam, quòd ſcilicet ignorantia ſolius pœnæ generaliter excuſet ab ipſa pœna per legem humanam ſtatuta tenent *Navarr. Silveſtr. Oſtienſ. Angel.* & alii apud *Sanch. cit. n.*20. qui illam vocat probabilem, ſicut & alii, qui tamen reſolutionem intelligunt, quando pœnæ non ſunt ita leves, delictoque proportionatæ, ut nulla ratione videantur excedere.

591 Hæc generaliter de pœnis: loquendo tamen de privatione petendi debitum, eam non incurri à conjuge, qui deliquit ignorando talem pœnam, docet expreſsè *Caſtr. Pal. lib.* 10.*tract.*2.*diſp.*1.*punct.*18. *n.* 8. in fine, nec improbat *Sanch. cit. n.* 5. Aliqui hanc opinionem vocant plauſibilem Confeſſariis ſæcularibus, qui non habent privilegium in prædicto impedimento diſpenſandi. *Reginald. lib.* 3. *num.* 298. ait: *Hanc opinionem non carere probabilitate, poſſeque practicari in caſu urgentis incommodi, quando ſaltem difficilis erit diſpenſatio.*

592 Fundatur hæc ſententia primò; quia delinquens non debet obligari ad ſubeundam pœnam, niſi in illam aliquo modo conſentiat, vel ſaltem in culpam non utcumque, ſed formaliter ut cauſam talis pœnæ: ſed quando quis ignorat pœnam, præſertim extrordinariam, neque conſentit in pœnam, neque in culpam formaliter, ut illius cauſam: ergo non debet talem pœnam ſubire. Maiorem non probant, ſed ſupponunt citati Doctores. Et ratio eſſe poteſt: quia delinquens in tantum videtur fieri pœnæ obnoxius, in quantum volendo culpam cenſetur velle ſe pœnæ ſubjicere.

593 Suadetur minor: quia nihil volitum, quin præcognitum: ergo ſi delinquens non cognovit pœnam, quæ aliundè impoſita eſt culpæ, non conſentit in ipſam pœnam,

nam, neque in culpam, ut illius cauſam Dixi: *Præſertim extraordinariam*: quia ſi pœna eſt ordinaria, & juxta prudentum æſtimationem ipſi culpæ ſecundum ſe conſideratæ proportionata, tunc qui conſentit in culpam, conſecutivè conſentit in pœnam: cum omnis culpa eo ipſo, quòd talis ſit, mereatur pœnam ſibi proportionatam, ſitque illius cauſa.

594 Fundatur Secundò: quia poſita lege graviſſimis, & extraordinariis pœnis munita, graviùs delinqueret, qui illam violaret cum pœnarum notitia, quam cum ignorantia: ſiquidem primo modo maior oſtenditur audacia, & legis contemptus: ſicut graviùs delinqueret, qui ad furandum ingrederetur hortum muro altiſſimo circumſeptum, quam tenui, vel nullo aggere vallatum; ſed qui cum pœnarum notitia legem violaret, illas incurreret: ergo cum violatore pœnarum ignaro mitiùs agendum, nec ei imponenda eſt eadem pœna, ut hæc proportionetur delicto.

595 Totus hic diſcurſus optimè congruit, nam privatio juris ad petendum debitum, cum ſit pœna per totam vitam duratura, eſt pœna graviſſima reſpectu conjugis, ut per ſe patet, illamque vocat *Sanch.* rigidam, & extraordinariam; alii verò exorbitantem, atque adeò videtur excedere quantitatem, & qualitatem delicti ſecundum ſe conſiderati, ſolùmque cenſetur juſta ob circunſtantias, propter quas imponitur ab Eccleſia, videlicet, nè frequenter committatur tale delictum, ut conjuges ab inceſtu deterreantur, & hujuſmodi: cum ergo non ſit proportionata delicto ſecundum ſe conſiderato, non incurritur ab ignorante.

596 Confirmatur: quia talis privatio petendi eſt pœna, quam ipſe delinquens debet in ſe ipſo exequi: (ex quo etiam capite redditur pœna gravior, extraordinaria, & exorbitans:) ſed pœna, cujus executio eſt ab ipſo delinquente facienda, nullo modo eſt annexa delicto ſecundùm ſe conſiderato: ergo qui conſentit in delictum, ignorando pœnam, ut à ſe ipſo in ſe exequendam, nullo modo in illam conſentit. Quòd autem teneatur quis exequi in ſe ipſo pœnam, in quam nullo modo conſentit, quando delinquit, durum nimis, ac rigidum, immò, & à Matris Eccleſiæ pietate videtur alienum.

597 Dices primò: Ignorantia pœnæ non excuſat à culpa; cum hæc tota conſiſtat in tranſgreſſione legis, ad quam tranſgreſſionem ſufficit ipſius legis notitia: ergo neque excuſat á pœna. ℞. negando conſequentiam. Sed probatur: Non ceſſante cauſa, non ceſſat effectus: ſed culpa eſt cauſa pœnæ: ergo ſi per ignorantiam non evitatur culpa, neque pœna. ℞. diſting. minorem: culpa eſt cauſa pœnæ ordinariæ, & ſibi proportionatæ, concedo: extraordinariæ, & exorbitantis, qualis eſt privatio petendi, nego minorem.

598 Dices ſecundò: Ignorantia pœnæ ſolùm facit, quòd ipſa non ſit voluntaria, aliter neque Deus puniret peccatores pœna æterna, qui ignorarent peccato deberi talem pœnam, neque Reſp. puniret homicidas pœna capitali: ergo ignorantia ſolius pœnæ ab illa non excuſat. ℞. diſting. minorem: quando pœna eſt proportionata culpæ, & ab alio exequenda, concedo, ut probant adducta exempla: quando pœna eſt ſecundum ſe impro-

proportionata, & ab ipſo delinquente in ſe exequenda, nego minorem, ut patet ex dictis.

599 Dices tertiò: Vel pœna eſt proportionata, vel improportionata delicto: ſi primum; eo ipſo, quod committatur delictum, datur condignitas pœnæ, quamvis ignoretur. Si vero ſecundùm, erit injuſta, nec reus ad illam tenebitur: ergo ignorantia pœnæ per accidens omninò ſe habet ad illam incurrendam. ℟. ad maiorem utroque modo poſſe conſiderari pœnam: poteſt enim eſſe major, & improportionata delicto, ſi comparetur cum illo nudè ſumpto ſecundùm ſuam naturam: ſi verò attendatur ad talis delicti frequẽtiam, quam lex vitare intendit, & alias circunſtantias, non erit pœna improportionata, ſed juſta, & ita ſe habet privatio petendi debitum, quam ideo imponit Eccleſia, quia alioquin frequentes ſunt occaſiones propter ordinariam affinium familiaritatem.

600 Quare delinquens ignorans pœnam à lege impoſitam, ſolùm incurrit pœnam proportionatam ipſi delicto ſecundùm ſe conſiderato præciſivè à circunſtantiis, maximè ſi delinquens ipſe futurus ſit ejuſdem pœnæ executor; quia nimirùm quando voluntariè conſentit in delictum, ſolùm cenſetur conſentire in pœnam, quæ modo ordinario, & naturali quadam connexione ipſam delicti naturam, & meritum conſequitur: cum vero privatio petendi debitum ſit pœna, quæ videtur excedere delicti meritum ſecundum ſe expectati, non videtur cogendus ad illam in ſe exequendam, qui propter ignorantiam nullo modo in illam conſentit, neque illi voluit ſe ſubjicere.

SECTIO VII.

De poteſtate diſpenſandi ad petendum debitum.

601 NOtatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare cum conjugato, qui voto caſtitatis ligatus tranſit ad nuptias, ut petat debitum? *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 12. *num.* 4. tenet hoc poſſe Epiſcopos independenter â quocumque privilegio. Ratio eſt illi: quia conſuetudine, quæ juriſdictionem præbet Cap. *Cum conting.* De foro compet. jam obtentum eſt hanc poteſtatem Epiſcoporum eſſe: ergo á fortiori id poſſunt Braſiliæ Epiſcopi ex Indulto Apoſtolico, quod habent.

602 Notatio Secunda. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ad petendum debitum; primò, quando alter conjux abſque alterius licentia vovit caſtitatem: ſecundò, quando de alterius licentia alter ſolus vovit: tertò, quando uterque abſque alterius licentia: quartò, quando uterque ſeorſim de alterius licentia, non tamen per modum contractus: quintò, quando uterque de mutua licentia per modum contractus continentiam vovit. Affirmat quoad omnia *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 11. *à num.* 1. ſpectato tantum jure communi: ergo potiori jure affirmandum, ſpectatis ſpecialiſſimis indultis Apoſtolicis, quæ Braſiliæ Epiſcopis ſunt conceſſa.

603 Notatio Tertia. An id etiam poſſint Braſiliæ Epiſcopi cum conjugatis, qui prædicto modo voverunt poſt Matrimonium contractum, nondum tamen conſummatum? Reſolutionem affirmativam de omnibus Epiſcopis tenet *Sanch. citat.*

cit. diſp. 12. *à num.* 6. ergo multò magis de Braſiliæ Epiſcopis affirmandum.

604 Notatio Quarta. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ad petendum debitum cum conjuge, cui debiti petitio interdicta eſt ratione affinitatis contractæ cum altero conjuge per copulam illicitam cum ejus conſanguinea? ℞. affirmativè: quamvis enim rigore juris attento id nequeant Epiſcopi, at ratione conſuetudinis jam præſcriptæ id poſſunt omnes juxta *Sanch. citat. diſp.* 12. *num.* 13. id ergo poſſe Braſiliæ Epiſcopos quis neget? attenta præſenti facultate Pontificia?

605 Notatio Quinta. An etiam poſſint diſpenſare cum conjuge, qui cúm ſuo conjuge contraxit cognationem ſpiritualem? Id poſſe Epiſcopos ex conſuetudine docet *Sanch. citat. diſp.* 12. *num.* 14. potius ergo id poſſunt Braſiliæ Epiſcopi ex facultate Pontificia generaliter loquente.

906 Notatio Sexta. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ad petendum debitum quocumque modo amittatur jus ad illud? ℞. affirmativè: Ratio eſt: quia in facultate Pontificia non apparet dictio ulla reſtringens: favores autem ſunt ampliandi. Gloſſ. fin. in L. *Servus.*

607 Notatio Septima. An id poſſint Braſiliæ Epiſcopi toties quoties ab eis petatur diſpenſatio? ℞. affirmativè cum praxi; neque enim in facultate Pontificia viſitur clauſula, vel particula in contrarium.

608 Notatio Octava. Qualiter etiam poſſint in iſtiusmodi impedimento diſpenſare Societatis Confeſſarii? ℞. eo modo poſſe, quo conſtat ex *Compendio Indico* verb. *Matrimonium* §. 6. ubi habetur ſic: *Poſſunt Confeſſarii noſtri juxta conceſſionem factam à Benedicto XIII. in Bulla Animarum ſaluti diſpenſare in foro conſcientiæ ad petendum debitum cum iis, qui conſanguineam, vel conſanguineum ſui conjugis poſt Matrimonium carnaliter cognoverunt, & cum illis, qui poſt votum ſimplex caſtitatis Matrimonium cõtraxerunt.*

609 Ubi adverte, quòd prædictum privilegium ad ſolos Neophytos extenditur: nam Bulla: *Animarum ſaluti*, quam compendium citat, ſic habet: *Necnon cum Indis in foro conſcientiæ tantum, & cum Neophytis in utroque foro ſuper jejuniis, gratis tamen diſpenſandi, necnon ab onere petitionis debiti Matrimonialis, quando non eſſet licitum illud ratione voti caſtitatis, vel alia rationabili cauſa petere in foro conſcientiæ tantum, & gratis liberandi.* Undè patet, quod ex vi præſentis privilegii omnes Societatis Confeſſarii tranſmarini facultatem habemus à Reverendiſſimo P. N. Generali communicatam diſpenſandi cum Neophytis ad petendum debitum conjugale.

610 Addo tamen, quod Societatis Confeſſarii etiam poſſunt ex commiſſione R.P. Provincialis diſpenſare ad petendum debitum conjugale, cum omnibus aliis perſonis cujuſcũque generis ſint, etiam non Neophytis, qui conſanguineum, vel conſanguineam ſui conjugis poſt Matrimonium carnaliter cognoverunt, atque etiam cum illis, qui poſt votum caſtitatis Matrimonium contraxerunt. *Inſtit. Societ. tom.* 1. *ſub tit. Compend. Privileg. pag* 155. §. 7. & 8. Hoc autem privilegio ſolum uti poſſunt Confeſſarii, quibus RR. PP. Provinciales per ſe, vel per alios commiſerint, ut ibidem notatur.

611 No-

611 Notatio Nona. An prædicta omnia poſſint Societatis Confeſſarii non ſolùm in Sacramento confeſſionis, ſed etiam extrà illud? Ratio dubitandi oritur ex illà particulà *Confeſſarii*, quæ ad Sacramentum Confeſſionis referenda videtur, ità ut extrà illud nequeant Societatis confeſſarii dictis privilegiis uti.

612 ℞. poſſe Societatis confeſſarios talibus privilegiis uti etiam extrà Sacramentum Confeſſionis. Ratio eſt: quià in talibus privilegiis nulla fit mentio confeſſionis audiendæ, nec ad eorumdem privilegiorum uſum neceſſaria eſt confeſſio Sacramentalis: ergó non eſt, cùr reſtringantur prædicta privilegia ad Sacramentum Confeſſionis. *Sanch. cit. diſp.* 16. *n.* 11. Et quidem hujus ſententiæ ſunt omnes Doctores neoterici, qui hac ratione ducti, ut notat *Sanch. cit.* in fine, concedebant per Bullas antiquas indulgentes auditis confeſſionibus abſolutionem à peccatis, & cenſuris, poſſe extrà confeſſionem impendi abſolutionem à cenſuris.

613 Ad rationem dubitandi. ℞. verum quidem eſſe, quód prædicta privilegia, ſeu illorum uſus non niſi confeſſariis communicentur; communicari tamen præciſivè ab eo, an in Sacramēto Cōfeſſionis, an potiùs extrà illud exerceri debeant: cùm prædicta privilegia, ſeu illorum uſus non communicentur ſimul cum facultate abſolvendi, hæc enim facultas alibi, in aliis nempè privilegiis, verb. *Abſolutio*, communicatur: unde tenenda eſt ſententia citati *Sanch.*

DISPUTATIO OCTAVA

DE NONA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit cognatio ſpiritualis.

614 Nona Facultas Pontificia. *Diſpenſandi in impedimento cognationis ſpiritualis, præterquam inter levantem, & levatum.*

615 Notatio Prima. Quid ſit cognatio ſpiritualis? ℞. Eſt quædam propinquitas perſonarum ex ſtatuto Eccleſiæ conſurgens, propter collationem Baptiſmi, vel Confirmationis, vel ſuſceptionem recipientis hæc *Sacramenta*. Ità cum communi DD. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 54. *n.* 1. *Pyrrh. lib.* 8 *cap.* 8. *n.* 2. Quod quidem impedimentum Matrimonium contrahendum impedit, & contractum dirimit, ut habetur in cap. 1. De cognatione ſpirituali in 6. & in cap. *Veniens extra*, eod. titul.

616 Notatio Secunda. Quotuplex ſit cognatio ſpiritualis? ℞. cognatio

gnatio ſpiritualis ? ℞. cognatio ſpiritualis duplex eſt, altera proveniens ex Baptiſmo, altera ex Confirmatione. Cognatio ſpiritualis ex Baptiſmo dirimit inter baptizantem, & baptizatum, & hujus patrem, & matrem. *Trident. Seſſ.* 24. *cap.* 2. *de Reformat. Matrim.*

617 Cognatio verò ſpiritualis ex Cõfirmatione imitatur cognationem ſpiritualem ex Baptiſmo, & de illà intelligitur, quidquid dicitur de cognatione ſpirituali ex Baptiſmo. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 57. *n.* 9. Hinc etiam Patrinus, & Confirmans contrahunt cognationem cum confirmato, cumque hujus Patre, ac Matre. *Sanch. l.* 7. *diſp.* 54. *n.* 10.

618 Nota deinde hoc impedimentum cognationis ſpiritualis eſſe perpetuum, ac proinde non extingui morte perſonæ, quà mediante contractum eſt. Ratio eſt: quià jura abſolutè hoc impedimentum ſtatuunt, nec invenitur textus id limitans, dùm ea perſona, quá mediante contractum eſt, ſuperſtes fuerit. *Sanch. cit. n.* 8.

SECTIO II.

Peculiares caſus circa cognationem ſpiritualem.

619 NOtatio Prima. An ille, qui per errorem levat filium Petri, exiſtimans ſe filium Pauli levare, contrahat cognationem ſpiritualem cum Petro, an cum Paulo ? ℞. cum neutro contrahere. Non cum Paulo; quià reverà non levavit ejus filium; non cum Petro; quià non habuit intentionem requiſitam, ut verè fieret Patrinus; ergò cum neutro contraxit. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 58. *n.* 6. & 7.

620 Secùs dicendum de Baptizante, ſive ille baptizet filium Petri, exiſtimans ſe Pauli filium baptizare, ſive Petri. Ratio eſt: quià baptizans habet animum miniſtrandi Sacramentum præſenti, quicumque ille ſit, ac proinde quamvis erretur in perſonà, cùm verus ſit Baptiſmus, vera cognatio ſpiritualis contrahitur. *Sanch. cit. n.* 7.

621 Notatio Secunda. An infidelis baptizans, ſuſcipiensvè in Baptiſmo, aut Confirmatione filium fidelis, contrahat cognationem ſpiritualem cum perſonà baptizata, vel ſuſceptà, ac ejus parentibus ? ℞. negativè. Ratio eſt: quià cognatio ſpiritualis oritur ex mero Eccleſiæ inſtituto; cum igitur infidelis ſit extrà Eccleſiam, non eſt illius legibus ſubditus. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 60. *n.* 7.

622 Quod tamen intellige de infideli non baptizato: nam infidelis baptizatus, v. g. hæreticus prædictam cognationem contraheret. Ratio eſt: quià hæreticus cùm ſit charactere Baptiſmi inſignitus, legibus Eccleſiæ ſubjicitur, ac proinde iſtius cognationis capax eſt. *Sanch. cit. n.* 2.

623 Notatio Tertia. An ſaltem infidelis baptizans, aut ſuſcipiens cõtrahat cognationem ex eo actu, tempore infidelitatis geſto, ſi poſteà baptizetur ? ℞. negativè. Ratio eſt: quià, quod á principio fuit nullum, tractu temporis non convaleſcit. *Sanch. cit. n.* 11.

624 Notatio Quarta. An é contrá; ſi fidelis baptizet, ſeu teneat in Baptiſmo, aut Confirmatione filium infidelis, contrahat fidelis ipſe ex parte ſuá cognationem cum parentibus infidelibus illius pueri, quamvis parẽtes infideles illam non contrahant ? ℞. negativé. Ratio eſt: quiá cognatio ſpiritualis eſt quædam relatio,

relatio, ſupponens extrema duo: ergò non poteſt ab altero contrahi, quin ab utroque contrahatur: cùm igitur infidelis incapax ſit cognationis ſpiritualis, utpote qui Eccleſiæ non ſubjacet, etiam fidelis cum infideli non contrahet. *Sanch. cit. n.* 14.

625 Eadem eſt reſolutio, quàvis tales infideles poſteá baptizentur. Ratio proximé data eſt, videlicet, quod enim á principio irritum fuit, convaleſcere nequit. *Sanch. cit. n.* 15.

626 Unde validum eſt Matrimonium inter fidelem ſic baptizantem, vel ſuſcipientem, & parentes illos infideles, quamvis poſteá baptizentur. Ratio eſt: quià nulla inter illos ſuborta fuit cognatio ſpiritualis. *Sanch. cit. n.* 16. ſi plura velis, vide *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 54. & Sequentibus.

SECTIO III.

De poteſtate diſpenſandi in impedimento cognationis ſpiritualis.

627 NOtatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſuper impedimento cognationis ſpiritualis inter compatres, & comatres, ut Matrimonium cõtrahant? ℞. affirmativè. Ratio eſt; quià in facultate Pontificià ſolúm excipiuntur *levans*, *&* *levatus*: ibi: *Præterquam inter levantem*, *&* *levatum*: cùm igitur exceptio firmet regulam in contrarium, inde fit, quòd inter compatres, & comatres, qui non ſunt *levans*, *&* *levatus*, poſſint Epiſcopi diſpenſare.

628 Declaratur: quià cognatio ſpiritualis eſt duplex tantùm, altera inter compatres, & comatres, & altera inter Patrinos, & filios ſpirituales, ſive ex Baptiſmo, ſive ex Confirmatione: cùm ergò Braſiliæ Epiſcopi nequeant diſpenſare ſuper impedimento cognationis ſpiritualis inter patrinos, & filios ſpirituales, ſive ex Baptiſmo, ſive ex Confirmatione: ut conſtat ex facultate, ibi: *Præterquàm inter levantem*, *&* *levatum*: rectè ſequitur, quòd poſſint diſpenſare ſuper impedimento cognationis ſpiritualis inter compatres, & comatres, cum nihil ultrà ſuperſit, quod facultas concedat, niſi hoc.

629 Notatio Secunda. An neceſſarium ſit mentionem facere de numero filiorum, quos compater, ſeu comater de ſacro fonte levavit, vel in Sacramento Confirmationis tenuit? ℞. negativè Ratio eſt: quia etiam in tali eventu unica tantùm eſt compaternitas, ut docet quotidiana praxis apud *Pyrrh. lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 16.

630 Notatio Tertia. An autem idem dicendum, quando compater comatris, & rurſùs comater compatris prolem tenuit, ac levavit? ℞. negativè. Ratio eſt: quià tunc duplex eſt compaternitas, duplexque oritur impedimentum, ità ut uno per diſpenſationem ſublato, aliud remaneat, ac proinde de utroque impedimento erit mentio facienda. *Pyrrh. cit.* verſu. *Non enim ex eo*, *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 54. *n.* 17. fine.

631 Notatio Quarta. An pro impetrandà diſpenſatione ſuper impedimento compaternitatis, facienda ſit mentio de copulà carnali, ſi forte inter compatres habita fuerit? Affirmat *Pyrrh.* & copulam declarandam aſſeverat *lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 12. Ratio illi eſt: quià ità obtinuit ſtylus Curiæ, ut copula inter

cognatos ſpirituales exprimatur, perinde, ac ſi eſſet inter conſanguineos, & affines, ac proinde copula inceſtuoſa. Videatur *Pyrrh.cit.*

632 Nihilominùs negat Navarrus, quem citat, & ſequitur *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 25. *n.* 2. Ratio eſt: quia ſola copula cum conſanguineis, aut affinibus habet veram rationem inceſtùs: ergò ſola hæc, & non copula inter cognatos ſpirituales declarari debet. Ità cum multis ſequitur *De Juſtis lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 255. & clarius *lib.* 2. *cap.* 5. 82. §. *Nec erit.*

633 Juxtà praxim, & ſtylum Curiæ quando pro cognatis ſpiritualiter petitur diſpenſatio; pro cauſa, ſi alia non adſit, allegari poterit copula inter eos habita. *Pyrrh. cit.*

634 Addit *De Juſtis lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 72. quòd in compaternitate tàm ſimplici, quàm duplici Summus Pontifex non difficilè diſpenſat, ſi aliqua juſta cauſa adſit, imó quo ad hoc ſufficiet aliqua ex levibus cauſis, quæ ſufficere ſolent ad impetrandam diſpenſationē in gradibus remotioribus.

635 Notatio Quinta. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſuper impedimento cognationis ſpiritualis inter patrinos, & filios ſpirituales, ut Matrimonium contrahant? ℞. negativè. Ratio eſt: quià in Indulto Apoſtolico excipiuntur *levans*, *&* *levatus*, ibi: *Præterquam inter levantem*, *&* *levatum*: hi autem ſunt patrini, & filii ſpirituales, ut ex dicendis conſtabit.

636 Ratio autem, ob quam Braſiliæ Epiſcopis ea facultas non conceditur, eſſe poteſt: quià regeneratio ſpiritualis, ex qua filiatio iſta conſurgit, aſſimilatur generationi naturali. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 15. ratione autem iſtius ſimilitudinis indecentius eſt cum filio, aut cum filia ſpirituali, quám cum compatre, aut commatre contrahere, ut notat *Pyrrh. cit. n.* 15. Unde cum talibus, niſi raró, & de urgentiſſimis cauſis, ne Papa quidem diſpenſat.

637 Fortaſſe hoc fuit in cauſá, cùr Braſiliæ Epiſcopis non concedatur facultas diſpenſandi ſuper impedimento cognationis Legalis inter adoptantem, & adoptatum. Vel ſi alia fuit cauſa, certum videtur Braſiliæ Epiſcopos diſpenſare non poſſe ſuper impedimento talis cognationis; cùm in eorum Indultis nulla reperiatur particula, ex quá colligi poſſit talis conceſſio.

638 Notatio Sexta. An ſaltem poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſuper impedimento cognationis ſpiritualis inter patrinos, & filios ſpirituales ex Confirmatione? Ratio dubitandi eſt: quia in Indulto ſolùm excipiuntur *levans*, *&* *levatus*: at verò de patrino Confirmationis non dicitur, quòd *levat*, ſed quòd *tenet*. Affirmare utique vellem, ut Indultum latè exponerem juxtá interpretis munus: non audeo tamen, tùm ob identitatem rationis, tùm ob rationum momenta, quæ affert *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 56. *n.* 1. ait enim ibi, quòd textus cognationem ſpiritualem ſtatuentes utuntur his verbis; *ſuſcipit*, *accipit*, *tenet*, *levat*, *tangit.* Unde quo ad cognationem inter patrinos, & filios ſpirituales contrahendam, idem importat verbum, *tenet*, ac verbum, *levat*; adeòque reſolutio negativa ad omnes patrinos, & filios ſpirituales extenditur tám ex Baptiſmo, quám ex Confirmatione.


639 Notatio Septima. Quid verò, ſi patrini, vel filii ſpirituales ex

ex Baptiſmò, vel Confirmatione fuerint Neophyti? Extatnè aliquod privilegium, vi cujus diſpenſari poſſit cum illis?

640 ℞. cum diſtinctione, & dico primò: in ordine ad Matrimonium primò contrahendum, nullum extat privilegium, vi cujus diſpenſari poſſit in cognatione inter patrinos, & filios ſpirituales etiam Neophytos. Conſtat ex iis, quæ ſuprà diximus n. 550.

641 Dico ſecundò. At verò in ordine ad Matrimonium de facto, & in facie Eccleſiæ, ſive ſcienter, ſive ignoranter contractum, extat privilegium, vi cujus poſſunt cum Neophytis diſpenſare Societatis Presbyteri, etiam in cognatione inter patrinos, & filios ſpirituales, ſive ex Baptiſmo, ſive ex Cõfirmatione, dũmodo impedimentum ſit occultum, & diſpenſatio fiat in foro conſcientiæ tantùm. Conſtat etiam ex dictis ſuprà n. 546.

SERIES
COGNATIONIS SPIRITUALIS
EX BAPTISMO, VEL CONFIRMATIONE.



DIS-

DISPUTATIO NONA
DE DECIMA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.
De Raptu.

642 DEcima Facultas Pōtificia. *Hæ verò diſpenſationes Matrimoniales, videlicet, 6. 7. 8. & 9. non concedantur, niſi cum clauſula, dummodò mulier rapta non fuerit, vel ſi rapta fuerit, in poteſtate raptoris non exiſtat, & in diſpenſatione tenor hujuſmodi facultatum inſeratur cum expreſſione temporis, ad quod fuerint conceſſæ.*

643 Quid ſit Raptus, diximus ſupra n. 24. nunc verò ad ea, quæ híc dicenda ſuperſunt. Et quidem circa raptum jure novo *Tridentin. Seſſ. 24. cap. 6. de Reformat. Matrim.* Sic ſtatuitur. *Decernit Sancta Synodus inter raptorem, & raptam quandiù ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullū poſſe conſiſtere Matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virū habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſiliū, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: & ſi Clerici fuerint de proprio gradu decidant: Teneatur præterea raptor mulierē raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.*

644 Notatio Prima. An ſi fœmina in poteſtate raptoris non exiſtat, ſed jam ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta ſit, tollatur impedimentum raptùs, ità ut abſque diſpenſatione cōtrahere valeant, niſi aliundè impediantur? Reſolutiò affirmativa conſtat ex *Trident. citat.*

645 Notatio Secunda. An facta ſeparatione, & mulieris reſtitutione in loco tuto, ac libero, debeat nihilominus raptor ante Matrimonium abſolvi ab ex communicatione, quam ipſo facto incurrit raptor ipſe? ℞. affirmativè ex *citat. Tridentin.*

646 Circa quod notat *Pyrrh. lib. 7. cap. 6. n. 65.* quòd ſi pro alio impedimento dirimente erit petenda diſpenſatio cum mentione hujuſmodi raptus, tunc nemo poteſt, niſi ille, à quo petitur diſpenſatio, abſolvere raptores ab ex communicatione inde incurſa. Ratio eſt: quià per recurſum ad ſuperiorem diſpenſaturum advocatur totum negotium ad illum, & ligantur inferiorum manus.

647 Notatio Tertia. An ſi mulier rapta ſit, non tamen ex intentione Matrimonii, ſed propter libidinem exercendam, detur impedimen-

dimentum raptus? ℞. negativè cum *Sanch. lib. 7. diſp. 13. n. 4.* Ratio eſt: quià Tridentinum innuit tunc tantùm eſſe impedimentum raptus, quando fit cauſa Matrimonii. Hinc, ut teſtatur *Gallem.* in declaratione ad locum Tridentini, decidit *Sacra Cōgregatio die* 23. *Januarii* 1586. raptores ob aliam cauſam non comprehendi à Tridentino illis infligente pœnam excommunicationis.

648 Notatio Quarta. An, ut dicatur raptus, requiratur primò violentia phyſica, an potiùs ſufficiat ſolùm moralis per minas, & metum gravem? Secundò, an ſatis ſit puellam trahi ab uno conclavi ad aliud, an potiùs neceſſe ſit, ut vi abducatur de loco in alium moraliter locū? Tertiò, ſiquis puellam, non per ſe, ſed per alium rapiat; an ſolus ille, qui rapi mandat, incurrat impedimentum?

649 ℞. ad primum. Sufficere violentiam ſolùm moralem per minas, & metum gravem. Ad ſecundum, requiri abductionem de loco in alium moraliter locum. Ad tertium verò; ſolùm mandantem incurrere impedimentum.

650 Notatio Quinta. An ſi fœmina, quæ rapitur, ſit meretrix, aut vidua, etiam rapiens incurrat impedimentum? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia Tridentinum non attendit ad qualitatem fœminæ, quæ rapitur, ſed tantùm ad ejus libertatem in ordine ad Matrimonium contrahendum.

651 Notatio Sexta. An ſi fœmina fortis, & robuſta, vel authoritate pollens virū rapiat incurreret impedimentum? Sententiam affirmativam late probat *De Juſtis lib. 2. cap. 8. à n. 72.*

652 Negat tamen *Sanch. lib. 7. diſp. 12. n. 25. & diſp. 13. n. 16. Bonac. Pont. Filliuc.* & alii, quos citat *De Juſtis* cit. Ratio eſt: quià Tridentinum ſolùm loquitur de raptore, & leges non fiunt de caſibus rariſſimis, qualis hic eſſet. Hæc, & alia plura invenies apud *Sanch. locis citatis.*

653 Notatio Septima. An impedimentum raptus incurratur ab ignorante illud eſſe tali Crimini annexū? Ratio dubitandi oritur ex eo, quòd tale impedimentum ſit propriè pœna; pœna autem non incurritur ab ignorāte, ut ex materia de cenſuris notum eſt. Non obſtante ratione dubitandi.

654 ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia tale impedimentum, licèt imponatur in pœnam delicti, tamen primariò, & principaliter eſt inhabilitas Canonica: hæc autem etiam ab ignorante incurritur, ut viſitur in affinitate fornicaria ex copula illicita, quæ incurritur etiam ab ignorante. Unde patet ad rationem dubitandi.

655 Neque obſtat, quòd alibi diximus de impedimento ad petendum debitum à propria uxore, videlicet, non incurri ab ignorante: hoc enim ſpeciale eſt in impedimēto ad petendū, propter Text. in cap. *Siquis cum filiaſtrà* ubi expreſſè requiritur ſcientia ad incurrendum tale impedimentum, ibi: *Siquis cum filiaſtrà ſuâ ſcienter.*

SECTIO II.

Priora Facultatis verba declarantur.

656 IN hac Sectione priora verba Indulti exponimus, videlicet: *Diſpenſationes Matrimoniales*, videlicet, 6. 7. 8. & 9. *non concedantur, niſi cum clauſulà, dum-*

dummodò mulier rapta non fuerit, *vel ſi rapta fuerit, in poteſtate raptoris non exiſtat.* Sectione verò ſequenti interpretabimur poſteriora verba; ſcilicet: *& in diſpenſatione tenor hujuſmodi facultatum inſeratur cum expreſſione temporis, ad quod fuerint conceſſæ.* Circa quod

657 Notatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare cum rapta ad nubendum, dùm exiſtit in poteſtate raptoris? ℟. negativè. Ratio eſt: quia verba Indulti quo ad hoc ſunt clara, & manifeſta, tàm propter particulam *non* ibi appoſitam, quæ eſt malignantis naturæ, & negat omnia, atque adeò omnem, & qualemcumque diſpenſationem faciendam excludit; tum etiam propter particulam *niſi*, quæ natura ſua excipit, & in effectu ità contradicit præcedentibus, ut ſi oratio affirmativa præcedat, ut præcedit in facultat. 6. 7. 8. & 9. tunc dictio *niſi* neget præcedentia. *Elucidar. Benedict. Pereyr. lib.* 1. *Elucidat.* 14. *pag. mihi* 132. *n.* 422. Undè ſi Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare præſumerent juxtà facult. 6. 7. 8. & 9. cum rapta ad nubendum, dùm rapta exiſtit in poteſtate raptoris, diſpenſatio eſſet nullà.

658 Notatio Secunda. Dubium tamen eſt: Quid Epiſcopis concedatur circa impedimentum raptûs, quando illis conceditur ſuprà n. 24. poteſtas diſpenſandi in impedimento Criminis, ſub quo continetur impedimentum raptûs? Ratio dubitandi eſt: quià ſi muliter rapta non fuerit, vel ſi rapta fuerit, in poteſtate tamen raptoris non exiſtat, tollitur omninò impedimentum raptûs, ut conſtat ex *Trident. citat.*

659 ℟. quòd rapta duplicis cõditionis eſſe poteſt: primò, affinis, vel conſanguinea, vel aliter impedita ad nubendum raptori. Secundò, neque affinis, neque conſanguinea, ſed omninò libera, & expedita ad nubendum raptori. In hoc ſecundo caſu nulla Epiſcopis conceditur facultas diſpenſandi, imò nec neceſſaria eſt hujuſmodi facultatis conceſſio; cũ in hoc caſu nullum ſit impedimentum, quippe quod jam ſublatum eſt per *Tridentin.*

660 In primo autem caſu, cùm præter Crimen raptus, adhuc obſtet matrimonio impedimentum affinitatis, vel conſanguinitatis, vel aliud quodvis impedimentum; in tali caſu conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi in impedimento affinitatis, vel cõſanguinitatis, vel cujuſque alterius juxta facultat. 6. 7. 8. & 9. vel aliter: ſuppoſita diſpẽſandi facultate in n. 6. 7. 8. & 9. conceſſa, relinquitur Epiſcopis, & veluti renovatur in præſenti liberum diſpenſandi exercitium, ſub conditione tamen, quòd mulier rapta non fuerit, vel ſi rapta fuerit, in poteſtate raptoris non exiſtat.

SECTIO III.

Poſteriora Facultatis verba declarantur.

661 NOtatio Prima. An validæ ſint diſpenſationes Matrimoniales, videlicet, 6. 7. 8. & 9. ſi concedantur, quin in diſpenſatione tenor facultatum inſeratur, nec exprimatur tempus, ad quod fuerint conceſſæ? ℟. affirmativè. Ratio eſt: quia particula *non*, & particula *niſi* cùm nimis diſtent ab ultimis verbis Indulti, non debent ad ea referri; ſed tantùm ad priora verba, ſuprà quæ immediatè cadunt: nam licèt ea ſit regula, ut clauſula poſita in una parte diſpoſitionis,

tionis, ſive ponatur in principio, ſive in medio, ſive in fine, debeat referri ad omnia in tali clauſula contenta, ut obſervant DD. ad cap. ſecũdò *requiris*, De Appel. hoc tamen intelligitur, quando omnium eſt eadem ratio, *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 16. *n.* 11. at verò priorum verborum, ſimul & poſteriorum, quæ in noſtro Indulto apponuntur, non eſt eadem ratio; nam priorum ratio eſt; nè mulier rapta contrahat invitè, & coactè, adeoque oportet, ut, priusquàm Matrimonium celebret, libertati reſtituatur: in poſterioribus autem verbis non viget hæc ratio, ut conſtabit ex notat. ſequent.

662 Notatio Secunda. Cùr Epiſcopis præcipiatur, ut in diſpenſatione Matrimoniali tenor facultatum inferatur cum expreſſione temporis, ad quod fuerint conceſſæ? ℟. primò, ut conſtet Epiſcopos non de jure ordinario, ſed ex facultatibus Pontificiis ſibi ſpecialiter conceſſis, diſpenſare. ℟. ſecundò. Ut ſi quando dubitetur de diſpenſatione pro foro externo, ſit, unde dubium tolli poſſit, recurrendo ad Cameram Epiſcopalem, ubi diſpenſationes factæ ſunt: aut etiam, ſi opus eſſet, ad Cameram Apoſtolicam, ubi tales facultates cum duratione conceſſionis ſuæ aſſervantur. Quamvis ergó in diſpenſatione Matrimonii tenor facultatum non inferatur, nec exprimatur tempus, ad quod fuerint conceſſæ: violabitur quidem præceptum Pontificis, valebit tamen diſpenſatio, cùm verba Indulti quo ad hoc irritantia non ſint.

663 Poſtremò, ut conſtet de praxi, & uſu præſentis Indulti, juvat hic ad longum ſubjicere diſpenſationem ab Excellentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. N. Epiſcopo Fluminenſi factam. Praxis eſt, ut ſequitur.

Chriſti nomeni invocato.

Viſtos eſtes autos, petiçaõ de Salvador Correa, e Roza Maria, ſeus depoimentos, e prova de teſtemunhas: moſtra-ſe, que querendo elles contrahir Matrimonio entre ſi, o naõ podem fazer por ſe acharem com impedimento de cõſanguinidade em quarto grào mixto com o terceiro, em razaõ de que Anna Borges, e Eſtacia Requeixa foraõ Irmãas, e deſta naſceu Fauſtina Riſcada da qual foy filha Ignez de Jeſus, e deſta, a Oradora Roza Maria, e de Anna Borges naſceu Ignacio Fernandez, do qual he filho o Orador Salvador Correa. Moſtra-ſe, que os Oradores tiveraõ entre ſi copula carnal, de que reſulta, que a Oradora naõ acharà outra peſſoa, com quem caze; e que naõ foy raptada por eſtar em caza de ſua Mãy, e em ſua liberdade.

O que tudo viſto havemos as premiſſas por juſtificadas, e diſpenſamos pela faculdade, que temos da Sé Apoſtolica por tempo de dez annos concedidos em 20. *de Janeiro de* 1735. *no impedimento, que os Oradores tem entre ſi de conſanguinidade no quarto grào mixto cõ o terceiro, para effeito de contrahirem Matrimonio, legitimando a prole, que delles naſcer. E mandamos ao R. Vigario da Vara N. que depois de cumpridas as penitẽcias abaixo rèferidas, e naõ antes, lhes mande paſſar Provizaõ para ſerem recebidos pelo ſeu Parocho, ou outro Sacerdote de licença ſua. E damos faculdade a qualquer Cõ-*

feſſor approvado para os abſolver da Excommunhaõ incurrida pelo inceſto, e de todos os cazos reſervados para effeito ſómente de receberem a graça do Sacramento.

E ſuppoſto que os ditos Oradores alleguem, que tiveraõ a copula ſem ter noticia do parenteſco, naõ ſe prova legitimamente eſſa ignorancia; pelo que lhe impomos a penitencia de que eſtejaõ em tres Domingos á Miſſa Conventual no arco da Capella Maior da Igreja da ſua Freguezia em corpo, cada hum com ſua vela aceza na maõ, e em cada hum dos ditos Domingos ſe confeſſaraõ, e Commungaraõ pelas Almas do Purgatorio, e diſpenderaõ tres mil reis na fabrica da dita Igreja, que entregaraõ ao R. Parocho, e ſatisfeito tudo, ſe paſſará a certidaõ para ſe receberem, e paguem os autos. Rio de Janeiro 30. de Outubro de 1738.

N. Biſpo.

664 Ubi notandum, quód ſicut in ſuperiori diſpenſatione expreſſum eſt, *que naõ foy raptada por eſtar em caza de ſua Mãy, e em ſua liberdade*: ità etiam, ſi mulier rapta fuiſſet, exprimendum erat per ſequentia verba, aut hujuſmodi ſimilia: *a qual ainda que foy raptada, eſtá reſtituida à ſua liberdade por eſtar em caza de N. donde livre, e expontaneamente diz, q̃ quer cazar cõ N.*

En habes, quomodo in diſpenſatione facienda, tenor facultatum inſeratur cum expreſſione temporis, ad quod fuerint conceſſæ. Diſce igitur, qui infrà Epiſcopum, es, ſi fortè diſpenſabis ex cõmiſſione, diſce praxim diſpenſandi, & ſententiam ferendi.

DISPUTATIO DECIMA.

DE UNDECIMA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

De Vinculo Matrimonii inter fideles.

665 Undecima Facultas Pontificia. *Diſpenſandi cum Gentilibus, & Infidelibus plures uxores habentibus, ut poſt converſionem, & Baptiſmum, quam ex illis maluerint, ſi etiam ipſa fidelis fiat, retinere poſſint, niſi prima voluerit converti.*

666 Ut prædicta facultas plenè intelligatur, præmitto differentiam inter Fidelium, & Infidelium Matrimonia quo ad indiſſolubilitatem. Dixi: *quo ad indiſſolubilitatem*: nam quo ad eſſentiam, & rationem Matrimonii, utrimque ſupponitur eſſe contractus naturalis de mutuà corporum traditione, qui con-

cōtractus ſub his, vel his ſignis externis celebratur juxtà diverſos ritus, & ceremonias Gentium. His præmiſſis.

667 Notatio Prima. Matrimonium ratum inter Fideles eſt à Papà diſſolubile per diſpenſationem. *Sanch. lib.* 2. *diſp.* 14. *Pyrrh. lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 26. *Pignat. tom.* 1. *Conſultat.* 148. ubi *n.* 6. Pontifices ſæpè diſſolviſſe teſtatur. Fundamentum eſt: quià Matrimonium ratum inter Fideles ſignificat unionem Chriſti cum animà per gratiam: cùm igitur unio gratiæ ſit per peccatum ſolubilis, etiam Matrimonium ratum inter Fideles manet aliquandò ſolubile.

668 Notatio Secunda. Matrimonium consummatum inter Fideles eſt per leges diſſolubile quoad torum per divortium temporale, vel perpetuum. Conſtat ex cap. *Quanto*, & ex cap. *Gaudemus* De divortiis. Sic per Crimen adulterii, aut morbum contagioſum, v. g. lepram, aut per hæreſim, & apoſtaſiam à fide ſupervenientem Matrimonio; conjuges ſeparari quo ad torum paſſim conſtat.

669 Notatio Tertia. Matrimonium conſummatum inter Fideles eſt omninò indiſſolubile, quo ad vinculum. Conſtat ex Trident. *ſeſſ.* 24. *de Reformat. Matrim.* cap. 8. *canon.* 5. & ex Sacra pag. *Matth.* 5. *&* 19. *Marc.* 28. *Luc.* 16. ubi Chriſtus præcipit indiſſolubilitatem Matrimonii, quod præceptum ſic interpretatur Apoſt. ad *Rom.* 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi.* Et 1. ad Corinth. 7. *His autem, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo recōciliari, & vir uxorem non dimittat.*

670 Deinde, quià ſecundùm Apoſt. *ad Epheſ.* 5. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia:* id eſt, Sacramentū Matrimonii cōſūmati inter Fideles ideò magnū eſt, quià ſignum eſt conjunctionis Chriſti cum Eccleſia: ergò ſicut cōjunctio Chriſti cū Eccleſia eſt perpetua, & indiſſolubilis, quià tota Eccleſia ſimul nunquàm peccat: ità etiam conjunctio Matrimonii conſummati inter Fideles eſt perpetua, & indiſſolubilis.

SECTIO II.

De Vinculo Matrimonii inter Infideles.

671 Notatio Prima. Matrimonium ratum Infidelium eſt jure naturæ diſſolubile. Ratio eſt: quia nihil tàm naturale eſt, quàm eo genere quidquam diſſolvere, quo colligatum eſt: *Regul.* 35. ff. De diverſis reg. juris: ergò ſicut infideles quando Matrimonium contrahunt, de mutuo conſēſu contrahunt, & ad invicem obligantur: ità etiam poſſunt, ſi velint, de mutuo conſenſu diſtrahere, & ad invicem deobligari.

672 Notatio Secunda. At verò Matrimonium conſummatum infidelium eſt ſaltem jure divino indiſſolubile. *Sanch. lib.* 2. *diſp.* 13. *n.* 3. Ratio eſt: quià lex Divina omnes obligat tàm fideles, quàm infideles, ut ex *Abulenſ.* tenet *Sanch. citat.* Lex autem divina eſt. *Matth.* 19. *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparat.* Et 1. *ad Corinth.* 7. *His, qui Matrimonio conjūcti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere.* Et *Rom.* 7. *mulier, vivente viro, alligata eſt legi*: ergò Matrimonium conſummatum etiam infidelium eſt ſaltem

 jure

jure divino indiſſolubile.

673 Notatio Tertia. His non obſtantibus, Matrimonia infidelium etiam conſummata diſſolvuntur ex diſpenſatione divina, & in bonum fidei. 1. Si conjux infidelis ideó nolit habitare cum converſo, quia cōverſus eſt, dicente Apoſt. 1. *ad Corinth.* 7. *Si infidelis diſcedit, diſcedat.* 2. Quamvis velit habitare cū converſo, non tamen ſine injuria Creatoris, vel quià blaſphemat Epiſcopum; vel quià ſpernit fidem &c. 3. Si ex infidelis contubernio immineat periculum perverſionis, vel ad peccatum mortale inducatur converſus.

674 Quæ omnia comprehendit Innocentius VIII. ad C. *Quanto* De divort. ſub his verbis: *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente, qui relinquitur ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit*, & in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus, *quòd ſi infidelis, &c.* ubi nota Pontificem nihil definire, ſed ſolum declarare textum Apoſtoli.

675 Notatio Quarta. An autem Matrimonium infidelium poſt Baptiſmū fiat Sacramentum gratiæ collativum? Negant aliqui apud *Sãch. lib.* 2. *diſp.* 9. *à n.* 3. Fundamentum eſt: quià novum Sacramentum indiget novà materià, & nova formà, hæc autem non adhibetur poſt Baptiſmum, quià licèt poſt Baptiſmum iteretur conſenſus, non eſt novi, ſed antiqui ratificatio: ergò.

676 E contrà affirmat *Sanch. cit. n.* 5. Fundamentum eſt: quià ſtatim ac baptizantur infideles conjugati, repræſentat eorum Matrimonium unionem Chriſti cùm Eccleſià, cùm tale Matrimonium in Chriſti fide contractum perſeveret, & fiat indiſſolubile, ſaltem ad inſtar Matrimonii rati inter fideles: ergò ſtatim, ac baptizantur infideles conjugati, fit Sacramentum eorum Matrimonium.

SECTIO III.

Præſentis Facultatis amplificatio.

677 NOtatio Prima. An poſſit Infidelis plures habere uxores? Dubium oritur ex verbis illis Indulti, ſcilicet; *diſpenſandi cum Gentilibus, & Infidelibus plures uxores habentibus.* Sed ante dubii deciſionem explorandum, quid in talibus verbis ſupponat Pontifex; videtur enim ſupponere, quòd Infidelis plures uxores legitimas habere poſſit: ſiquidem earum legitimitate ſublatà, nullum jus ſpeciale in viro eſt, ſicut neque in fœminis, ad cujus relaxationem, ſeu diſpenſationem neceſſaria ſit præſens Pontificis cōceſſio, & indulgentia.

678 Nihilominùs, quòd ſaltem prima uxor pro legitima habenda ſit, deducitur ex cap. *Gaudemus*, De divort. ubi Pontifex quæſtionem proponit hoc modo: *Quià verò Pagani circà plures inſimul fœminas affectum dividunt conjugalem, utrùm poſt converſionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immeritò dubitatur.* Et licèt Pontifex difficultati propoſitœ non reſpondeat directè, ut notat Gloſſa verb. *Vel quam*; tamen indirectè ſatis reſpondet primam eſſe uxorem legitimam, quatenùs reprobat pluralitatem ex utroque

troque ſexu, ut notat eadem Gloſſa, verb. *Pluralitatem.*

679 Deinde *Sanch. lib. 7. diſp. 73. n. 5.* expreſſè infert ex eod cap. *Gaudemus*, quòd prima ſit uxor legitima, ibi: *Si Infidelibus converſis plures ſint uxores. eos ſeparandos eſſe ab aliis, demptà primà, quæ ſola eſt legitima uxor.* Idem, & in noſtra facultate non obſcurè inſinuatur, dùm dicitur: *Niſi prima voluerit converti*: in hac enim clauſulà ſatis innuitur, quòd ſi omnes convertantur, prima uxor præferatur. Si autem præferri debet ex aliquo jure præferri debet.

680 Unde patet, quód in primà uxore aliquod jus agnoſcatur ad habitandum cum viro jam converſo, & conſequenter in viro jam cõverſo aliqua etiam obligatio correſpondeat primam uxorem retinendi poſt Baptiſmum; ſecundam verò, aut tertiam non ducendi; ſecundam enim, aut tertiam ducendo, violaret jus primæ. Quando igitur Põtifex facultatem facit diſpenſandi cum Gentilibus, & Infidelibus plures uxores habentibus, nil aliud intendit, quàm in favorem fidei, & gratiam converſi illum abſolvere, & liberare à prædictà obligatione per diſpenſationem faciendam, ut in ſimili conceſſit Gregor. XIII. in Bulla: *Populis, & Nationibus*, quàm infrà citabimus *n.* 695.

681 Ut ergò talis obligatio relaxari, & omninò tolli poſſit, ſi opus ſit, conceditur à Pontifice præſens Indultum: non autem quià inter converſum, & ſecundam, aut tertiam fœminam agnoſcatur aliquod jus, quod diſpenſatione indigeat ad cohabitandum: cùm ſola prima uxor pro legitima habeatur, reliquæ verò ſint pellices, & concubinæ; quamvis à Pontifice lato modo appellentur uxores.

682 Advertendum tamen, quód pro primà uxore non intelligimus eam, quæ ſit prior tempore, ſed quæ ſit prior jure: poteſt enim Matrimonium Infidelis initum cum fœminà, quæ fuit prior tempore, irritum eſſe, & invalidum, vel ex defectu cõſenſus, & intentionis perpetuò ſe obligandi ad cohabitandum: vel quia contractum cum matre, aut filià, quarum conſanguinitas cùm ſit in primo gradu lineæ rectæ, jure naturæ dirimit apud omnes: poteſt autem eſſe validum, & legitimum Matrimonium infidelis, contractum cum ſecundà, vel tertià fœminà ob rationem contrariam: nempè, quià in Matrimonii poſterioris celebratione omnia concurrerunt, quæ ad validum, & legitimum Matrimonium requiruntur. Unde validum, & legitimum Matrimonium inter infideles, plures uxores habentes, non ex primitate, ſeu prioritate temporis colligendum eſt, ſed potiús ex conſenſu, & voluntate in eo permanendi ſecundùm principalem rationem contractùs lumine naturæ conſtantem: ergò ſi Matrimonium infidelis initum cum fœminà, quæ fuit prior tempore, irritum fuit ex aliquo capite: validum verò, quod fuit contractum cum ſecundà, vel tertià fœmina, hæc, & non alia, pro primà uxore habenda erit, utpotè prior jure, quamvis fuiſſet poſterior tempore. Vide *Avendan.* qui aliter diſcurrit, & quidem fuſe, *tom.* 1. *Theſaur. Indic. Titul.* 12. *cap.* 14. *à n.* 414. His poſitis, ad dubium ſuprà excitatum *n.* 677.

683 ℞. negativè. Ratio eſt: quia quandò Matrimonium pro lege naturæ inſtitutum eſt, *Sanch. lib.* 2. *diſp.* 4. inter unum, & unam inſtitutum

tutum eſt. Geneſ. 1. *Maſculum, & Fœminam creavit eos; adhærebit uxori: erunt duo in carne una.* Hinc jure divino naturali prohibita eſt polygamia, ut innuit *Trident. ſeſſ.* 24 *canon.* 2. *Siquis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.*

684 Et quamvis Deus aliquandò diſpenſaverit in tali jure, permittens Hæbreis libellum repudii propter duritiem cordis eorum, *Matth.* 19. tamen cum gentibus numquàm diſpenſavit. Dato tamen, quòd etiam cum gentibus aliquandò diſpenſaſſet; ſicut Hæbreis jam non licet plures habere uxores, quià lex vetus jam ceſſavit, ex quo promulgata eſt lex Nova, ſeu Evangelica; ità nequè gentibus jam licet polygamia, ſeu plures habere uxores. Quando igitur dicitur in Indulto: *Diſpenſandi cum Gentilibus, & Infidelibus plures uxores habentibus*, intelligendum eſt de uxoribus non propriè, & ſtrictè, ſed latè & impropriè talibus, & juxtà vulgarem dicendi modum, juxtà quem etiam concubinæ, & pellices dicuntur uxores.

685 Notatio Secunda. An poſtquàm conjuges infideles convertũtur, & baptizãtur, liceat alteri ab altero diſcedere? ℞. negativè. Ratio eſt: quià Matrimonium infidelium poſt Baptiſmum ſit indiſſolubile, ſaltem adinſtar Matrimonii rati inter fideles *Sanch. lib.* 2. *diſp.* 9. *n.* 5. & poſt conſummationem poſt Baptiſmum ſit indiſſolubile non aliter, ac Matrimonium conſummatum fidelium *Sanch.* ibid: ergò poſtquàm conjuges infideles convertuntur, & baptizantur, non licet alteri ab altero diſcedere.

686 Hinc non eſt opus, ut coram Parocho, & teſtibus iterùm contrahant tales conjuges; cum eam formam præſcripſerit *Tredint. ſeſſ.* 24. c. 1 pro nuptiis inter fideles denuò contractis: infideles autẽ fideles facti non denuò contrahunt, ſed in legitimo Matrimonio priùs cõtracto perſeverant. *Sanch. lib.* 2. *diſp.* 9. *n.* 1. nec etiam tenentur benedictiones Eccleſiæ recipere; quamvis optimè facerent, ſi eas reciperent. *Sanch. cit. n.* 2.

687 Notatio Tertia. An ſi poſt converſionem velit conjux infidelis cohabitare cum converſo etiam ſine injuria Creatoris, debeat id permitti? ℞. negativè. Ratio eſt: quià licet hoc primis ſæculis permiſſum fuerit, dicente Apoſtolo, 1. *Corinth.* 7. *Cæteris ego dico, non Dominus, ſiquis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſenti et habitare cum illo, non dimittat illam: & ſiqua mulier virum habet infidelem, & hic conſentiet habitare cum illa, non dimittat illum*: tamen jam hodie ob perverſionis periculũ, quod ſemper imminet converſo, non amplius licet id permitti. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 73. *n.* 12. hinc notanter apponitur in Indulto: quòd infidelis plures habens uxores poſt converſionem, & Baptiſmum, quam ex ipſis maluerit, ſi ipſa etiam fidelis fiat, retinere poſſit.

688 Notatio Quarta. An ſi converſus malit ſecundam, vel tertiam fœminam, non verò primam retinere, debeat poſt Baptiſmum poni novus conſenſus ad Matrimonium revalidandum? ℞. cum diſtinctione, & dico primò. Si Matrimonium cum prima fœmina contractum tempore infidelitatis fuit validum, in eo eventu ad retinendam ſecundam, vel tertiam fœminam, non verò primam, debet poni novus conſẽſus ad

Matri-

Matrimonium revalidandum poſt Baptiſmum.

689 Fundamentum eſt: quia in eo eventu præter primam fœminam, cum qua converſus valide contraxerat tempore infidelitatis, omnes aliæ ſunt pellices, & concubinæ, non vero uxores proprie, & ſtricte tales, ut nuper diximus n. 681. ergo ut ſecunda, vel tertia fœmina retineatur poſt Baptiſmum, non vero prima, debet poni novus conſenſus ad Matrimonium revalidandum poſt Baptiſmum.

690 Ubi nota iſtius modi Matrimonium cum ſecunda, vel tertia fœmina, poſthabita prima, celebrandum fore in facie Eccleſiæ, & coram Parocho, & teſtibus juxta decretum *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. Ratio eſt: quia in tali eventu eſt Matrimonium fidelium, cùm ſit celebratum poſt Baptiſma, & inter conjuges jam fideles: ergo celebrari debet eo plane modo, quo illud celebrant fideles, ubi receptum eſt *Trident.*

691 Dico ſecundo. Si vero Matrimonium cum prima fœmina fuit invalidum, vel quia defuit conſenſus, vel quia contractum cum matre, aut filia, quarum conſanguinitas cum ſit in primo gradu lineæ rectæ, jure naturæ dirimit apud omnes; in tali caſu dupliciter ſe gerere poteſt converſus: primo, retinendo eam, cum qua valide contraxerat tempore infidelitatis, dummodo ipſa etiam fidelis fiat, ſive ea ſit ſecunda, ſive tertia, ſive hujuſmodi, ut jam dictum eſt: ſecundo, ponendo novum conſenſum, ſi alteram retinere malit; ex ſuppoſitione tamen, quod illa, cum qua valide contraxerat, converti nolit. Ratio eſt: quia Matrimonium irritum, non niſi per novum conſenſum, ſic vel ſic expreſſum revalidatur, ut inter omnes conſtat: ergo vel Matrimonium fuiſſet irritum defectu conſenſus, vel culpa alicujus impedimenti dirimentis, vel ratione polygamiæ etiam prohibitæ inter gentes, Matrimonium non valebit, quin novus conſenſus accedat.

692 Notatio Quinta. An ſi Matrimonium fuiſſet validum cum ſecunda, vel tertia fœmina, non vero cum prima, poſſit converſus retinere eam, cum qua Matrimonium fuit validum tempore infidelitatis, prætermiſſa omnino prima, quamvis ipſa velit converti? ℞. affirmative. Ratio eſt: quia poſtquam conjuges infideles convertuntur, & baptizantur, non licet alteri ab altero diſcedere, *Săch. lib.* 2. *diſp.* 9. *n.* 5 immò tenetur converſus, ſi etiam convertatur ejus uxor, eam recipere, cap. *Quanto*, & cap. *Gaudemus* de Divort. Poteſt igitur, immò & tenetur converſus poſt Baptiſmum retinere illam, cum qua Matrimonium valide contraxit tempore infidelitatis, dummodo ipſa etiam fidelis fiat, ſive ea ſit ſecunda, ſive tertia fœmina; primam vero, cum qua irrite contraxerat, repudiare, quamvis ipſa converti velit.

693 Dices tamen. In Indulto Apoſtolico habetur: *Quòd ſi prima voluerit converti, ipſa retineatur*: ergo. ℞. id intelligi, quando Matrimonium cum prima initum tẽpore infidelitatis validum fuit: ſecus, ſi tale Matrimonium fuiſſet irritum: tunc enim præferenda eſt illa, cum qua Matrimonium fuit validum, & in hoc ſenſu loquitur Indultum ob rationes jam factas.

694 Notatio Sexta. An Æthiopes infideles, qui ex Africa, & Aſia, earumve Inſulis in Braſiliam tranſportantur; & ſimiliter Indi, qui intra

tra Braſiliam à propriis pagis in Oppida Chriſtianorum abducuntur, poſſint poſt ſuſceptum Baptiſmum, etiam ſuperſtite conjuge infideli, & ejus conſenſu minime requiſito, & reſponſo non expectato, cum quovis fideli aliàs tamen ritè contrahere, & in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eis carnali copula conſummatis, quoad vixerint, licite remanere? Certa eſt reſolutio affirmativa ex Bulla Gregor. XIII. ſtatim citanda.

695 Quin etiam additur, quod licet priores conjuges infideles poſt contractum ſecundum Matrimonium ad fidem convertantur, ut oſtendant ſe juſtè impeditos fuiſſe ad declarandam ſuam voluntatem; nihilominus prædicta Matrimonia reſcindi non debere, ſed valida, & firma, prolemque ſuſceptam legitimã fore declaravit, & conceſſit Greg. XIII. die 25. Januarii 1585. in Bulla: *Populis, & nationibus*, cujus mentionem facit Compend. Indic. verb. *Matrimonium* §. 3. eamque ad longum affert *Montenegr. lib.* 3. *de Sacram. tract.* 9. *ſect.* 8.

FINIS LIBRI SECUNDI.

BRA-

BRASILIÆ PONTIFICIÆ
LIBER TERTIUS.
NOTATIONES
Ad ulteriores novem facultates Pontificias,

QUÆ

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDUNTUR,

CONTINENS.

Diſtribuitur in diſputationes octo. Prima agit de Facultate conficiendi Olea ſacra, etiam extra diem Cœnæ Domini. Secunda de Facultate delegandi ſimplicibus Sacerdotibus poteſtatem benedicendi paramenta, & alia utenſilia ad ſacrificium Miſſæ neceſſaria. Tertia de facultate largiendi ter in anno Indulgentiam plenariam. Quarta de Facultate abſolvendi ab Hæreſi, Apoſtaſia à Fide, & à Schiſmate quoſcumque etiam Eccleſiaſticos. Quinta de facultate abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis. Sexta de Facultate concedendi Indulgentiam plenariam primo converſis ab hæreſi, atque etiam fidelibus quibuſcumque in articulo mortis. Septima de Facultate concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione 40. Horarum, & lucrandi ſibi eaſdem Indulgentias. Octava de Facultate liberandi animas per modum ſuffragii, ſingulis ſecundis feriis non impeditis officio 9. Lectionum à Purgatorii pœnis.

DISPUTATIO PRIMA.
De duodecima facultate Pontificia,

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCESSA.

SECTIO I.
Proponitur, & explanatur præſens Facultas Pontificia.

1 DUODECIMA Facultas Pontificia. *Conficiendi olea ſacra cum Sacerdotibus, quos potuerint habere, & ſi neceſſitas urgeat, etiam extra diem Cœnæ Domini.*

Quamvis reſolutiones de Chriſmate ad Tractatum de Sacramento Confirmationis, & reſolutiones de Oleo infirmorum ad Tractatum de Extrema Unctione pertineant, tamen occaſione præſentis Indulti de ſacris Oleis conficiendis, quæſtiones aliquot ſingulares, & praxi utiles ex utroque tractatu excerpere, easque ad finem diſputationis appendere viſum eſt.

2 Et ante alia ſciendum 1. per

Olea ſacra intelligi Oleum infirmorum, Oleum ad ſanctum Chriſma, & Oleum Catechumenorum. Oleum infirmorum, non alio, quàm Oleo olivarum conſtat. Ita communis uſus Eccleſiæ, CC. Florent. & Trident. apud *Salmantic. tom.* 1. *Theolog. Moral tract.* 7. *cap.* 2. *punct.* 1. *n.* 1.

3 Sciendum 2. Oleum infirmorum benedici ab Epiſcopo cum ritibus, & cæremoniis, quæ in Pontificali Romano præſcribuntur. An autem poſſit etiam benedici à ſimplici Sacerdote, ſaltem de commiſſione Pontificis? Alii affirmant, & alii negant apud *Salmantic. citatos à n.* 5.

4 Sciendum 3. Oleum ad ſanctum Chriſma confici ex balſamo, & oleo olivarum. Conſtat ex Pontificali Romano, & ex communi praxi Eccleſiæ.

5 Notatio Prima. An balſamum ſit pars eſſentialis, & ita requiſita ad conficiendum Chriſma, ut ſine balſamo non habeatur materia ſimpliciter neceſſaria pro Chriſmate conficienbo? Affirmat ſententia probabilior, quam pluribus relatis ſequuntur *Salmantic. citati tract.* 3. *cap.* 2. *punct.* 1. *à n.*7. Ratio potiſſima eſt: quia ad verificandam formam illam: *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, neceſſarium eſt Chriſma: at verò Chriſma ex communi loquendi conſuetudine, & accommodatione illorum, qui res divinas tradunt, conficitur ex balſamo, & oleo olivarum.

6 Nihilominus probabilis eſt ſententia negativa, quæ aſſerit balſamum non eſſe neceſſarium de neceſſitate Sacramenti; ſed ſolum de neceſſitate præcepti. Eam tenent *Caet. Sott. Navarr. Covarr. Valentia*, & alii, quos citant, non tamen ſequuntur *Salmantic. cit. n.* 5. Fundamentum hujus ſententiæ eſt: quia Innocentius III. in cap. *Paſtoralis* de Sacramentis non iterandis, interrogatus: an Sacramentum Confirmationis eſſet iterandum in eo, qui per errorem fuit, non Chriſmate, ſed oleo delinitus? Reſpondit, *non eſſe iterandum, ſed caute ſupplendum, quòd incaute fuerit prætermiſſum*: ubi Pontifex videtur docere verum fuiſſe Sacramentum, quod in oleo tantum fuerit miniſtratum.

7 Neque obſtat Concil. Florent. in Decreto Eugenii, ubi ſic: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ*. Non, inquam, obſtat, quia Florentinum etiam dicit, quòd materia Euchariſtiæ ſit vinum aqua miſtum, quodque materia Pœnitentiæ etiam ſit ſatisfactio: & tamen ſatis conſtat, quòd neque aqua ſit materia eſſentialis Euchariſtiæ, neque ſatisfactio Pœnitentiæ: ergo neque balſamum erit materia ſimpliciter neceſſaria ad conficiendum Chriſma. In hac igitur opinione non requiritur balſamum de neceſſitate Sacramenti, ſed ſolum ex præcepto, non purè Eccleſiaſtico, ſed divino Chriſti, ut cum *Dicaſt.* ex antiqua traditione Eccleſiæ, & Patrum colligit *La Croix lib.*6. *part.* 1. *n.* 375.

8 Unde ſi haberi non poſſet Chriſma ex oleo, & balſamo, non peccaret, qui in articulo mortis confirmaret aliquem ſolo oleo olivarũ. *La Croix cit. n.* 376. quatenus opinio eorum, qui dicunt ſufficere ſolum oleum, eſt probabilis: & in caſu neceſſitaris licitum eſt procede-

re

re juxtà opinionem probabilem, ut tenet commune Theologorum.

9 Notatio Secunda. Olea benedicuntur, aſſiſtentibus duodecim Sacerdotibus, ſeptem Diaconis, ſeptem Subdiaconis, Acolythis &c. conſtat ex Pontificali Romano, ibi: *Hora competenti, Pontifex venit ad Eccleſiam, ubi parat ſe ad Miſſam &c. Parant ſe etiam Miniſtri Pontificis, & ultrà illos duodecim Presbyteri, ſeptem Diaconi, ſeptem Subdiaconi, Acolythi, & alii neceſſarii, omnes veſtibus albi coloris Ordini ſuo congruentibus.*

10 Notatio Tertia. An autem Sacerdotes ſint Epiſcopo neceſſarii ad Chriſma conſecrandum? Affirmat, & probabilius vocat *Lacroix lib. 6. part. 1. n.* 379. Ratio eſt: quia in Pontificali Romano dicitur de Sacerdotibus, quod ſint, & teſtes, & cooperatores, jubenturque ipſi poſt Epiſcopum inſufflare, ſignare, oſculari ampullam &c. ergo ſunt Epiſcopo neceſſarii.

11 Secùs dicit *Lacroix cit.* De Diaconis, & Subdiaconis. Ratio eſt: quià Diaconi, & Subdiaconi in Pontificali Romano vocantur Miniſtri tantùm, & aſſiſtentes, non autem teſtes, & cooperatores, ſicut vocantur Sacerdotes: ergó Diaconi, & Subdiaconi non ſunt æquè neceſſarii, ac Sacerdotes.

12 Notatio Quarta. Oleum Catechumenorum, quòd etiam dicitur puerorum (quiá pueri cùm baptizantur, eo inunguntur, primùm in pectore, deinde inter ſcapulas in modum Crucis, ſicut inunguntur Catechumeni) eſt Oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum cum ritibus, & Cœremoniis in Pontificali Romano præſcriptis.

13 Notatio Quinta. Prædicta tria Olea benedicuntur Feriâ quinta in Cœna Domini, deſumpto exemplo à Chriſto Domino, qui nocte Cœnæ Apoſtolos docuit Chriſma conficere, ut apertè tradit S. Fabianus Papa Epiſt. 2. cap. 2. ibi: *Dominus JESUS poſtquam cœnavit cum Diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut à Sanctis Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit.*

SECTIO II.

Quid in præſenti Facultate Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur?

14 NOtatio Prima. Conceditur 1. ſpecialis facultas conficiendi Olea Sacra cum paucioribus Sacerdotibus, quam duodecim. Conſtat: quià Braſiliæ Epiſcopis cōceditur facultas *Conficiendi Olea Sacra cum Sacerdotibus, quos potuerint habere.* Si verò clauſula illa: *Cum Sacerdotibus, quos potuerint habere*, non reſtringatur ad pauciores, quam duodecim, tunc fruſtraneum eſſet Indultum, & nihil in eo concederet Pontifex, cum ad Olea benedicēda cum duodecim Sacerdotibus, ut diſponit Pontificale Romanum, habeat Epiſcopus poteſtatem ordinariam.

15 Dubium eſſe poteſt: an deficientibus omninò Sacerdotibus ſæcularibus, poſſit Epiſcopus Olea benedicere cum Sacerdotibus Regularibus? Affirmamus. Ratio eſt: quià neque in Pontificali Romano, neque in Indulto, de quo agimus, reperitur clauſula ulla, vel dictio excluſiva Sacerdotum Regularium: deinde Sacerdotes, ex eo quod ſint Regulares, non ſunt minùs digni ad

ad Sacerdotum Sæcularium defectum ſupplendum pro tali miniſterio: poſſet igitur Epiſcopus, deficientibus omninò Sacerdotibus Sæcularibus, convocare Regulares, (de conſenſu tamen ſuorum Superiorum) & unà cum illis Olea benedicere.

16 Notatio Secunda. Conceditur 2. facultas conficiendi Olea Sacra, etiam extrà diem Cœnæ Domini; conſtat expreſſè ex Indulto. Sic benedixerunt, me teſte, non in die Cœnæ Domini, ſed in feſto Pentecoſtes anno 1718. Excellentiſſimus, & Reverendiſſimus D.D. Franciſcus á S. Hieronymo: & in eodem Feſto Pentecoſtes, ſed anno 1731. Excellentiſſimus, & Reverendiſſimus D.D. Fr. Antonius de Guadalupe, hujus Fluminenſis Diæceſis, & immortalis memoriæ Epiſcopus uterque.

17 Quemadmodum verò præfati D.D. Epiſcopi Olea benedixerunt in Feſto Pentecoſtes, ità benedicere potuerant in quocumque alio die, tàm feſto, quàm non feſto. Fundamentum eſt: quià in Indulto Apoſtolico conceditur facultas conficiendi Olea Sacra, etiam extrà diem Cœnæ Domini: non tamen præſcribitur, neque determinatur dies infra annum, quo Epiſcopus conficere teneatur: ergò in quocumque die infrà annum, tam feſto, quam non feſto, poteſt Epiſcopus Olea Sacra conficere, cum favores ſint ampliandi, Reg. *odia*, De reg. jur. in 6. & Gloſſ. *reſtringi*, cap. *Si gratioſè* 5. De reſcript. in 6. & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, Gloſſ. *differentiam* in Leg. *fin.* C. De hæredit, vel actione.

SECTIO III.

Quando liceat Olea Sacra conficere extrà diem Cœnæ Domini?

18 IN præſenti Indulto exponēdo principale dubium eſt: quando liceat Olea Sacra conficere extrà diem Cœnæ Domini? Ratio dubitandi oritur ex eo, quòd in Indulto apponitur hæc conditio: *Si neceſſitas urgeat.* Videndum igitur, quando urgebit neceſſitas Olea Sacra Conficiendi extrà diem Cœnæ Domini. Ut clarè, & diſtinctè precedatur, ſit.

19 Notatio Prima. Urgebit 1. neceſſitas, ſi Epiſcopus ſit legitimé impeditus, v. g. ob ægritudinem; ratione cujus non in die Cœnæ Domini, ſed in feſto Pentecoſtes, Olea benedixerunt D.D. Epiſcopi, quos nuper laudavi n. 16.

20 Notatio Secuna. Urgebit 2. neceſſitas ſi deficiat balſamum, vel Oleum olivarum: nam, comparente poſteà Oleo, vel balſamo poterunt Braſiliæ Epiſcopi in quocumque die infrà annum, tàm feſto, quam non feſto, Chriſma conficere, & Olea infirmorum, & cathechumenorum benedicere.

21 Notatio Tertia. Urgèbit 3. neceſſitas, ſi Epiſcopus á Catedrali abſens ſit, v. g. Diœceſim viſitando, ità ut in die Cœnæ Domini ſit in via, vel exiſtat in loco, ubi Olea benedicere commodè nequeat. Ratio eſt: quià leges ad ſui obſervantiam non obligant, eo ipſo quòd obſervari nequeant, ut in materia de legibus communiter dicitur: ritus verò, & cæremoniæ, quæ in Pontificali Romano præſcribuntur pro Oleis benedicendis, in figurato eventu obſervari non poſſent.

22 No-

22 Notatio Quarta. Urgebit 4. neceſſitas, ſi deficiant omnino Sacerdotes, qui tali functioni adeſſe poſſent. Ratio eſt: quia res ſacræ reverenter, ac decenter tractari debent, ut ait vulgare axioma: Indultum verò Apoſtolicum, quamvis permittat olea benedicere cum paucioribus Sacerdotibus, quam cum duodecim, ut ſupra n. 14. nihilominus deficientibus omnino Sacerdotibus, benedicere non permittit, alias indecenter benedicere permitteret, quod non eſt dicendum.

23 Notatio Quinta. Urgebit 5. quælibet neceſſitas, quæ in poſterum occurret phyſica, vel moralis, ſi judicio prudentum talis reputetur. Ratio eſt: quia in Indulto Apoſtolico nulla determinata neceſſitas aſſignatur: ſed hujuſmodi Indultum, cum ſit beneficium Principis, eſt late interpretandum, *Bart. & Jaſon in leg. Beneficium* ff. De Conſtit. Princip. ergò quælibet neceſſitas, quæ in poſterum occurret phyſica, vel moralis, ſi judicio prudentum talis reputetur, ſufficiens erit, ut olea benedicantur extra diem Cœnæ Domini.

24 Notatio Sexta. Quòd ſi à prudentibus adhuc dubitetur: An neceſſitas, quæ in poſterum occurret, verè ſit urgens? ℞. adhuc in eo eventu fore urgentem. Ratio eſt: quia hæc urgens neceſſitas non conſiſtit in indiviſibili, ut in ſimili diximus lib. 1. n. 118. ea verò, quæ non conſiſtunt in indiviſibili, ſuſcipiunt magis, & minus. Ut igitur neceſſitas, quæ pro tempore occurret, verè dicatur urgens, non eſt neceſſe, quòd ſit tanta, quanta à nimis ſcrupuloſis requiritur.

25 Confirmatur: quia in dubio de rationabilitate cauſæ ſufficientis ad diſpenſandum in voto Caſtitatis, aut Religionis in benigniorem partem inclinandum eſt: *Sanch. lib. 8. de Matrim. diſp. 20. num.* 10. ergo ſimiliter in dubio, an neceſſitas ſit urgens ad olea benedicenda extra diem Cœnæ Domini, pro urgentia neceſſitatis judicandum eſt.

SECTIO IV.

Reſolutiones de Chriſmate miniſtrando ſingulares.

26 NOtatio Prima. Solus Epiſcopus Chriſmatis conferendi eſt ordinarius miniſter. Ita definitur in Concil. *Trident. ſeſſ. 7. canon. 3. de Confirmat.* Et habetur in Florent. in Decreto Eugenii. Idque ex ſacris literis, & Maximorum Pontificum Decretis, & SS. PP. teſtimoniis oſtendit Catechiſmus Romanus *part. 2. de Sacram. confirmat. n.* 1.

27 Dixi: *Ordinarius*, quia ſimplex Sacerdos ex commiſſione Pontificis ſacramentum Confirmationis adminiſtrare poteſt. Ita cum *D. Thom. communis Theologorum, ſententia*, quæ ſatis indicatur à *Trident.* aſſerente Epiſcopum eſſe ordinarium Confirmationis miniſtrum; cum enim dicit *Ordinarium* ſupponit alium eſſe poſſe ex commiſſione, & delegatione. Ita *Salmant. tom. 1. Theolog. Moral. tract. 3. de Sacrament. Confirmat. cap. 4. punct. 1. n. 7.*

28 Adverte tamen, quòd licet Epiſcopus ſit ordinarius Confirmationis miniſter, non ideo poteſt concedere ſimplici Sacerdoti facultatem miniſtrandi hoc Sacramentũ, ſicut neque Papa alicui non Sacerdoti. Hæc quoad utramque partem eſt ſententia communis apud *Salmant. cit. n.* 18. Et conſtat ex uſu, &

& conſuetudine Eccleſiæ, qua inſtitutio Chriſti declaratur.

29 Notatio Secunda. Epiſcopus conſecratus, licet excommunicatus, vel etiam degradatus, vel hæreticus, validè, quamvis illicitè, confirmat. *Suar. Sá, Reginald. Conninch. Filliuc. Bonac. Barboſ. & Caſtr. Pal.* quos citant, & ſequuntur *Salmant. cit. n.* 2. Ratio eſt: quia Epiſcopus conſecratus, quamvis excõmunicatus, vel hæreticus, vel etiam degradatus, characterem Ordinis, à quo hæc provenit poteſtas, non amittit.

30 Dixi: *Conſecratus*, quia Epiſcopus nondum conſecratus, quamvis ſit electus ad Epiſcopatum, confirmare non poteſt. Ratio eſt: quia nondum habet characterem Ordinis Epiſcopalis. *Salmantic. citat. num.* 4.

31 Notatio Tertia. Sacramentum Confirmationis iterari non poteſt. *Trident. Seſſ.* 7. *de Sacram. in genere canon.* 9. Ratio eſt: quia ſacramentum Confirmationis imprimit characterem. *Trident. cit.* Sacramenta verò, quæ characterem imprimunt, ut Baptiſmus, & Ordo, non iterantur. *Salmant. cit. cap.* 3. *punct.* 1. *n.* 2.

32 Unde ſequitur, quod ſi confirmatus moreretur, & iterum à mortuis reſurgeret, non eſſet denuò confirmandus, ſicut nec denuò baptizandus, vel ordinandus. *La Croix lib.* 6. *part.* 1. *n.* 383. Ratio eſt: quia anima retinuiſſet characteres illos, quamvis aliud eſſet de Matrimonio cum uxore ſua, quod iterum contrahi deberet, quia omninò deſiiſſet ejus vinculum. *La Croix cit.*

33 Nihilominus, ſi ſacramentum Confirmationis iteretur, non incurritur irregularitas. *La Croix cit. n.* 402. Ratio eſt: quia pœnam irregularitatis ſolummodo jus ſtatuit contra iterantes Baptiſmum.

34 Notatio Quarta. Tametſi pro infantibus confirmandis expediat, regulariter loquendo, expectare uſum rationis; in locis tamen remotis, quo rarò accedit Epiſcopus, convenienter confirmantur infantes. Ita *Verjuys*, & cum eo *La Croix cit. n.* 391. nam & Græci, teſte *Arcud. lib.* 1. *cap.* 13. ſtatim poſt Baptiſmum infantibus conferunt Confirmationem.

35 Notatio Quinta. Epiſcopus in ſua Diœceſi ſubditos alterius licitè confirmat. *Henriq. Præpoſit. Laym. Barboſ. Tanner. Caſp. Sá, Averſ. Burgh. Delbene, Dian. & Stephan.* quos citat, & ſequitur *La Croix cit. n.* 392. *Genuenſ. & Caſtr. Pal.* apud *Salmant. cit. n.* 25. Ratio eſt: quia hoc jam ratum, & gratum eſt aliis Epiſcopis, uti probat praxis.

36 Hinc ſiquis afferat literas dimiſſorias ex alia Diœceſi pro Ordinibus, vel prima Tonſura hic ſuſcipienda, licite confirmabitur, ſi nondum fuerit confirmatus. Ratio eſt: quia Confirmatio Ordinibus recipiendis præmitti debet. *Trident. Seſſ.* 23. *c.* 4. Qui igitur ſubditum dimittit, ſicut in ejus ordinationem conſentit, ita in ejus Confirmationem neceſſario præmittendam conſentire cenſetur. *Zambran. Laym. Fagund. Dian. & Palaus*, quos referunt, & ſequuntur *Salmant. cit. n.* 24.

37 Notatio Sexta. Chriſma debet eſſe novum, conſecratum nimirum intra illum annum à die Jovis ſancta computatum: ſi ſecus fiat ſine urgente neceſſitate, peccabitur lethaliter. *Suar. Granat.* & *Palaus*, quos ſequuntur *Salmant. cit. n.* 29. Colligitur ex *Fabiano*

Pa-

Papa Epiſt. 2. *&* ex cap. *Siquis* de Conſecrat. diſt. 4. & cap. *quoniam* de Sentent. Excommunic. in 6.

38 Addo, quòd licet Chriſma fuiſſet conſecratum extra diem Jovis ſanctum, debet nihilominus novum Chriſma confici eo ipſo die Jovis ſancto anni ſequentis, quamvis ab una conſecratione ad aliam minus anno computetur. Ratio eſt: quia ex praxi, & conſuetidine Eccleſiæ eo ipſo die Jovis ſancto, & non alio, Chriſma conficitur.

39 Excipe, ſi de novo obſtaret legitimum impedimentum ad Chriſma conſecrandum eo ipſo die Jovis ſancto anni ſequentis; ſi enim de novo legitimum impedimentum obſtaret, tunc licitus eſt noſtri privilegii uſus, & poterit Chriſma conſecrari etiam extra diem Jovis ſanctum anni ſequentis, ſive ab una conſecratione ad aliam annus integer, ſive plus anno computetur.

40 Notatio Septima. Si anno nondum finito timeatur defecturum Chriſma, poteſt affundi guttatim oleum olivarum, ita tamen, ut quod denuo infunditur, ſit ſemper minus oleo conſecrato, & ſic oleum denuo infuſum, & veteri additum fiet conſecratum. Ita *Gobat tom.* 1. *tract.* 2. *n.* 512. quem refert, & ſequitur *La Croix n.* 343. Vide, quæ dicimus ſection. ſequent. *n.* 56.

SECTIO V.

Reſolutiones de Extrema Unctione ſingulares.

41 Notatio Prima. Extremam Unctionem eſſe verum, & proprie dictum novæ legis Sacramentum, patet ex *Trident. ſeſſ.* 14. *de Extrem. Unct. cap.* 1. ibi: *Inſtituta eſt ſacra hæc Unctio infirmorum, tamquam vere, & proprie Sacramentum novi Teſtamenti.* Et rurſus canon. 1. *Siquis dixerit Extremam Unctionom non eſſe vere, & proprie Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, & à B. Jacobo Apoſtolo promulgatum .... anathema ſit.* Quæ ſit ejus materia, & à quo benedicenda? Diximus ſupra *n.* 2. 3. *&* 4.

42 Notatio Secunda. Nemo, qui non ſit Sacerdos, Sacramentum Extremæ Unctionis adminiſtrare poteſt. Quilibet verò Sacerdos licet degradatus, vel excommunicatus exiſtat, illud valide miniſtrat. Proprius ejus Miniſter eſt ſolus Parochus infirmi, & non alius licite, niſi de Parochi licentia. Ita quoad omnes partes *Salmant. tom.* 1. *Theolog. Moral. tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 1. 2. *&* 3.

43 Notatio Tertia. Si ægrotus petat Extremam Unctionem, tenetur Parochus ex juſtitia, & ſub mortali adminiſtrare. *Suar. Carden. La Croix lib.* 6. *p.* 2. *n.* 2113. Ratio eſt: tum quia hujus Sacramenti adminiſtratio ſpectat ad officium, quod Parochus in ſe ſumpſit: tum quia Parochianus habet jus ad petendum, & ſuſcipiendum id, ex quo magnam ſibi ſperat utilitatem.

44 Ubi nota cum *La Croix cit. n.* 2116. quod licet ſit gravis obligatio in adminiſtratione hujus Sacramenti, uti habitu, id eſt, ſuperpelliceo, & ſtola; attamen in neceſſitate poſſet miniſtrari ſine habitu.

45 Notatio Quarta. Etiam conferri debet, quamvis æger non petierit,

tierit, nec ullo ſenſu tunc utatur, quando ei confertur tale Sacramentum. Ita plures, quos citat, & ſequitur *La Croix cit. n.* 2107. Ratio eſt: quia qui vixit in Eccleſia, & in ea vult mori, etiam vult ejus Sacramentis juvari tempore debito: ſemel igitur, quod æger Chriſtianus ſit, cenſetur velle ſibi dari hoc Sacramentum. Huc facit, quod de voluntate interpretativa ſcribit D. Auguſt. *lib. de adult. Conjug.* cap. ult. ibi: *Multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, non apparet*: præterquam quod credibilius eſt eum, ſi poſſet, velle ſe potius dicturum fuiſſe.

46 Notatio Quinta. Ægrotus, qui caret organo ſenſuum, ungi debet in partibus proximioribus organo, quod non habet. Ita cum *D. Thom.* cum communi conſenſu Doctorum, & praxi Eccleſiæ, *Salmant. cit.* cap 2. *punct.* 3. *n* 23.

47 Notatio Sexta. Hinc muti, ſurdi, & cæci à nativitate ſunt capaces hujus Sacramenti, ut cum *Poſſev. Nald. Præpoſit. & Dian.* tenet *Buſemb. tract.* 5. *de Extrema Unctione n.* 3.

48 Neque obſtat, quod verba illa: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, &c.* de talibus videantur non verificari: quatenus cæcus à nativitate nunquam per oculos peccavit, nec ſurdus per aures, nec mutus per os.

49 Non, inquam, obſtat: quia licet tales per ſenſus externos, quibus ſemper caruerunt, nunquam peccaverint, potuerunt tamen peccare per interiores potentias, quibus ſenſus ipſi reſpondent: & prout ſic efficiunt hunc ſenſum verba illa: *Indulgeat tibi Deus quidquid per viſum, per aures, aut os*, id eſt, ſiquid forte ſaltem interius in ullo iſtorum ſenſu, cogitando, aut deſiderando, deliquiſti. *Salmant. cit. num.* 24.

50 Notatio Septima. Sufficit ad valorem Sacramenti, ſi in quinque ſenſuum unctione unum oculum, unam aurem, manum, narem, & os inungat Sacerdos. Ita cum pluribus *Salmant. cit. cap.* 2. *num.* 16. Ratio eſt: quia ex unius unctione optime dicitur ſenſus unctus. Quare urgente neceſſitate, licite id faciet Sacerdos, ut ſi infirmus nequeat converti in aliud latus, aut timeatur periculum infectionis. *Salmant. ibid.* Non urgente autem neceſſitate, mos Eccleſiæ ſervandus eſt, alioquin graviter peccabitur. *La Croix lib.* 6. *part.* 2 *n.* 2117.

51 Notatio Octava. Etiam durante eadem infirmitate diuturna, v. g. hectica, vel hydropiſi, ſi varietur morbi ſtatus, ita ut æger dicatur incidere in novum periculum, iterari poteſt Extrema Unctio. Ita cum multis *Salmant. citat. cap.* 4. *punct.* 1. *n.* 9.

52 Notatio Nona. Communis, & vera eſt ſententia affirmans quinque unctiones in locis quinque ſenſuum ita eſſe de neceſſitate Sacramẽti, ut nulla illarum per ſe ſumpta verum Sacramentum, etiam partiale, (ut contingit in Euchariſtia, & Ordine) conſtituat. Ita DD. quos allegant *Salmant. cap.* 2. *punct.* 3. *n.* 19. Ratio eſt: quia ita Chriſtum Dominum inſtituiſſe hoc Sacramentum, ut dictæ quinque unctiones ſint de neceſſitate illius, colligitur ex communi ſenſu DD. qui omnes illas quinque requirunt, & ex communi uſu Eccleſiæ, qui habet, ut ſemper adhibeantur. Nec in praxi tuta eſt, quamvis ſit ſpeculative probabilis,

babilis, ſententia contraria propter damnationem Innocent. XI. in 1. propoſitione.

53 Nihilominus in praxi tutum eſt, ut in urgente articuli mortis neceſſitate poſſint ſaltem ſub conditione unus oculus, naris, auris, os, & manus velociter ungi ſine forma Crucis, & ſub una tantum forma complectente omnes, v. g. *Per iſtas ſanctas unctiones parcat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, &c.* Ita plures, quos citant, & ſequuntur *Salmantic. cap. 2. punct. 3. num. 22.*

54 Ubi etiam cum *Averſa* notant *Salmanticenſes*, quod ſi timeatur, ne interim expiret infirmus: dicatur antea ly *Deliquiſti*, & poſtea *per viſum, & auditum*, nam alioquin *ſi deliquiſti*, ſervetur in finem, & interim decedat ægrotus, non conficitur Sacramentum. At vero ſi dicatur antea ly *Deliquiſti*, jam per unctionem, & nominationem aliquorum, vel alicujus ſenſus, in ſententia eorum, qui dicunt unctionem unius partis ſufficere ad valorem Sacramenti, habebitur ſpes de valore Sacramenti, & aliquo ejus effectu ad ſalutem infirmi.

55 Notatio Decima. Quamvis ad valorem Sacramenti non ſit neceſſe, quod Oleum ſit eo anno benedictum, ut communiter docent AA. teſte *Leandro diſp. 2. quæſt. 10.* tamen ita requiritur de neceſſitate præcepti, ut cum communi tenent *Salmant. cap. 2. punct. 1. num. 11.* In caſu autem, quo Sacerdos non habeat Oleum eo anno benedictum, & adhibeat Oleum anno præterito benedictum, non peccabit: immò tenetur eo uti, ne ſinat infirmum decedere abſque ſubſidio hujus Sacramenti. *Salmant. cit.*

56 Notatio Undecima. Si anno nondum finito timeatur defecturum Oleum benedictum; tunc poteſt affundi guttatim Oleum non benedictum, ita tamen, ut quod denuo infunditur, ſit ſemper minus Oleo benedicto, & ſic Oleum denuo infuſum, & veteri additum, fiet etiam benedictum. Ita Sacra Congregatio in reſponſione *ad P. Carden. datam in 2 Criſi diſſert. 2. à num* 460. uſque ad *num.* 492. Et hoc eſſe tutum in praxi, dicit *La Croix lib. 6. part. 2. num.* 2093.

57 Notatio Duodecima. Si tamen deeſſet Oleum benedictum, dubium eſt: an liceat uti Chriſmate? ℟. quod in caſu neceſſitatis liceret uti Chriſmate. Ratio eſt: quia quoties haberi non poteſt medium certum, utendum eſt probabili.

58 Si tamen poſtea haberi poſſet Oleum, aut ſi Sacerdos per errorem inuxiſſet ægrum Chriſmate, tunc repetendum eſſet Sacramentum ſub conditione, quatenus dubium eſt: An Chriſmate fuerit validum? Idem dicendum, ſi Sacerdos per errorem uſus eſſet Oleo Cathecumenorum. Ita cum aliis, quos citat *La Croix lib. 6. part. 2. num.* 2090.

59 Notatio Decimatertia. Inter effectus, quos præſtat Extrema Unctio, aliquando confert primam gratiam ſanctificantem, & reddit hominem de impio juſtum, ſi nempè inveniat peccata mortalia in anima, de quibus infirmus habeat attritionem, & non contritionem, nec fuerit de illis confeſſus, maneat tamen in bona fide: vel quia invincibiliter non cognoſcit, nec advertit talia peccata: vel quia putat ſe de illis contritum, aut rite confeſſum. Ita cum multis *Salmant. cit. cap. 3. punct. 1. num. 2.*

60 Notatio Decima quarta. Sacramentum Extremæ Unctionis po-

teſt eſſe validum, & informe, ita ut recedente fictione, producat gratiam, ut certum eſt de Baptiſmo, & probabile de Sacramento Pœnitentiæ. *Salmantic. citat. punct.* 3. *num.* 10. Quomodo autem id fiat in hoc Sacramento Extremæ Unctionis? Vide *Salmant.* ibid.

DISPUTATIO SECUNDA

DE DECIMA TERTIA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

De benedicendis paramentis, & aliis utenſilibus ad Sacrificium Miſſæ neceſſariis.

61 Decima Tertia facultas Pontificia. *Delegandi ſimplicibus Sacerdotibus poteſtatem benedicendi paramenta, & alia utenſilia ad Sacrificium Miſſæ neceſſaria, ubi non intervenit Sancta Unctio, & reconciliandi Eccleſias pollutas aqua ab Epiſcopo benedicta, & in caſu neceſſitatis, etiam aqua non benedicta ab Epiſcopo.*

62 Supponit prædicta facultas 1. Amictum, Albam, Cingulum Stolam, Manipulum, & Caſulam, ad Sacrificium Miſſæ parata eſſe, unde dicuntur paramenta. *Paſqualig. quæſt.* 796 *num.* 3. præter Pluviale, ſeu Cappam, Dalmaticam, & Tunicellam, quæ Diacono, & Subdiacono inſerviunt. *Paſqualig. quæſt.* 799. *num.* 1.

63 Supponit 2. talia paramenta, atque etiam mappalia, ſeu linteamina, Pallas, Corporaiia, & omnia alia, quibus utuntur celebrantes, & veniunt ſub nomine *utenſilia*, fore benedicenda, juxta cap. *veſtimenta* de conſecrat. diſtinct. 1. ubi Stephanus Papa ita injungit: *Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, & ſacrata debent eſſe, & honeſta, quibus aliis in uſibus non debent frui, quam in Eccleſiaſticis, & Deo dignis officiis.* Hinc ſit.

64 Notatio Prima. Paramenta Eccleſiaſtica, & alia utenſilia ad Sacrificium Miſſæ neceſſaria poſſunt benedicere Epiſcopi. Ita cum multis *Paſq. quæſt.* 801. Ratio eſt primò: quia Epiſcopi de jure ordinario habent poteſtatem ad quamcumque benedictionem, licet privilegiatam, & eminentem. Secundò: quia praxis habet, ut nullus Sacerdos, tametſi in dignitate conſtitutus præter Epiſcopum, præſumat benedicere paramenta Eccleſiaſtica. Tertio: quia id etiam declarant privilegia, quæ à Sede Apoſtolica emanarunt in favorem Regularium pro hujuſmodi benedictionibus: ergo.

65 Dubium eſt: An Epiſcopus poſſit dictam facultatem delegare ſimplici Sacerdoti? Negarunt aliqui apud *Paſq. quæſt.* 801. *n.* 2. Primò: quia hæc benedictio eſt actus Ordinis Epiſcopalis: ea vero, quæ ſunt Ordinis

Ordinis Epiſcopalis, nequit Epiſcopus delegare. Secundò, quià Sacra Rituum Congregatio ſæpiùs cōceſſit etiam Epiſcopis Cardinalibus, ut poſſent ipſi pro ſuis Diœceſibus talem facultatem delegare, ut refert *Paſq.* citatus: ergó ſignum eſt, quòd ipſi Epiſcopi, quamvis Cardinales, de jure nequeant delegare.

66 Affirmandū tamen cum multis apud *Paſq.* citatum n.;3. Fundamentum eſt: quiá Epiſcopus poteſt delegare omnia, quæ non ſūt Ordinis Epiſcopalis: talis verò benedictio non eſt actus Ordinis Epiſcopalis, neque ex jure divino, ut per ſe patet, neque ex jure Eccleſiaſtico, cùm nullibi habeatur, quòd ſit actus talis Ordinis: neque etiam id inferri poteſt ex eo, quod ſit reſervata Epiſcopis eá benedictio, cum plura alia reſerventur Epiſcopis in ſignum præminētiæ Epiſcopalis, quamvis non ſint actus Ordinis Epiſcopalis. Vide *Paſq.* citatum.

67 Ad 1. fundamentum opinionis contrariæ ℞. prædictas benedictiones non eſſe actus Ordinis Epiſcopalis, cúm de ſe non excedant facultatem Sacerdotalem, ſintque ſimplices benedictiones, quæ ideó ſolùm reſervantur Epiſcopis, ut ipſi in ſuis Diœceſibus cultum divinum regulare poſſint, & illa Deo dedicare, quæ in ejus obſequium inſervire debent.

68 Ad 2. ℞. conceſſiones allegatas procedere juxtá petitiones Sacræ Congregationi factas: petitiones verò Sacræ Congregationi factæ procedūt ex ſuppoſitione, quòd Epiſcopi nequeant delegare. Unde ſi corruat ea ſuppoſitio, corruit etiam argumentum, quod ex talibus conceſſionibus deducitur, Cap. *Si Papa*, De privileg. in 6. & Clement. *Si Summus*, De ſentent. excommunicat. Hæc autem ſuppoſitio corruit, ſi teneatur ſententia affirmativa, quæ probabiliſſima eſt, ut ait *Paſqualig.* cit.

69 Notatio Secunda. Præter Epiſcopos, etiam Abbates, qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, Abbates quoque Regulares, & omnes alii Prælati Regulares, ſive Generales, ſive Provinciales, ſive etiam locales poſſunt benedicere paramenta Eccleſiaſtica. *Averſ. Tambur*, *Sporer*, *Gobat. tom.* 3. *à n.* 356. *Pellizar. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *n.* 106. *Paſq. quæſt.* 803. *Bordon. de Benedict. rer. Eccleſiaſtic. Reſol.* 17. *n* 2. *Lacroix lib.* 6. *part.* 2. *n.* 353. Conſtat ex variis Pontificum privilegiis, in quibus Religiones communicant, ut videre eſt apud *Bordon Paſq. & Pelliz.* citatos.

70 Prædictam facultatem benedicendi paramenta Eccleſiaſtica Præpoſitis Domorum, & Rectoribus Collegiorum expreſſé concedit Inſtitutum Societatis *tom.* 1. *pag.* 142. *verb. Benedictio*, ubi citantur Pontificum Bullæ id concedentes. Nomine Rectoris autem in Societate putat *Lugo in Reſponſ. Moral. lib.* 4. *dub.* 39. venire etiam Rectorem Seminarii habentem ſub ſe perſonas Societatis. Nec diſſentire videtur *Lacroix lib.* 6. *part.* 2. *n.* 353.

71 Neque obſtat reſtrictio, quam Cōpendium Indicum pag. 22. adhibet, videlicet: *Hac facultate* (benedicendi) *uti poſſunt Provinciales, & reliqui Superiores de illorum licentiá.* Non, inquam, obſtat: quia Compendii non eſt reſtringere, ſed tantùm proponere, & nudè allegare privilegia, & facultates à Summis Pontificibus conceſſas, & per R. admod. P. N. Præpoſitum Generalem communicatas,

juxtà Bullam Gregorii XIII. datam 30. Maii 1575. quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem.* Præpoſiti veró, & Rectores habent facultatem benedicendi, ubi non intervenit Chriſma, à Summis Pontificibus conceſſam, & per R. admod. P. N. Præpoſitum Generalem cõmunicatam apud Inſtitutum loco citato, adeòque facultatem Ordinariam, & independentem à nova licentiâ Provincialium, ad quod fortaſſè non advertit Compendiator.

72 Secùs dicendum de his, in quorum benedictione intervenit Chriſma: in his enim ſtandum eſt Compendio Indico, ejuſque limitationi pag. 22. adhibitæ.

73 Notatio Tertia. An verò dicti Prælati Regulares poſſint uti prædictis privilegiis benedicendi indumenta Eccleſiaſtica, non ſolùm ad uſum ſuarum Eccleſiarum, ſed etiam aliarum quarumcumque? *Pellizar. cit. à n.* 100. in partem affirmativam inclinat; addit tamen, ſi non extet uſus in contrarium, & id fiat ſine offenſione Ordinariorum. At verò *Paſq. cit. á n.* 7. abſolutè affirmat, multis Authoribus, & privilegiis Pontificum adductis. *Lacroix cit.* poſtquàm ex *Tamburin.* refert, quòd Superiores Ordinum Mendicantium poſſunt benedicere pro extraneis; & ex *Sporer*, quòd Superiores Ordinis Seraphici bonâ fide id faciunt paſſim, addit ibi: *Scio etiam factum ſæpiùs per Rectores Societatis JESU.*

74 Dubitabis hic 1. An Prælati Regulares poſſint delegare ſuis ſubditis Regùlaribus facultatem benedicendi prædicta? ℞. affirmativè cum *Bordon. cit. n.* 2. ad medium, & *Pelliz. cit. n.* 113. Fundamentum eſt: quià poteſtas conceſſa Prælatis Regularibus per privilegia perpetua, eſt Ordinaria; *Bart.* in leg. *Ambitioſa*, ff. De decret. ab Ordin. faciendis *n.* 34. *Bald & Imol. in* Cap. *fin.* De offic. Ordin *Sanch. lib.* 2. *diſp.* 40. *n.* 14. *& lib.* 8. *diſp.* 2. *n.* 10. Poteſtas veró Ordinaria delegari poteſt, Cap. *Aqua*, 9. De Conſecr. Ergo Prælati Regulares hanc Ordinariam poteſtatem benedicendi delegare poſſunt ſuis ſubditis Regularibus.

75 Dubitabis 2. An Prælati Regulares dictam facultatem benedicendi poſſint delegare alicui Sacerdoti non ſubdito, etiam Sæculari? ℞. affirmativè cum *Pelliz. cit. n.* 114. Ratio eſt: quià nulla ratio extat, cur ea poſſit delegari Religioſis ſubditis, & non poſſit delegari Sacerdoti non ſubdito, etiam Sæculari: ſi enim Prælati Regulares poſſunt delegare cuicumque Sacerdoti extraneo, etiam Sæculari, qui ſit idoneus ad Confeſſiones audiendas, facultatem abſolvendi Religioſos ſubditos à reſervatis in Ordine: non eſt maior ratio, cur poſſit delegari talis facultas, & non poſſit delegari facultas benedicendi Veſtimenta Eccleſiaſtica.

76 Hanc verò delegationem, quæ fieri poteſt Sacerdoti extraneo, etiam Sæculàri, intelligo de benedicendis paramentis Eccleſiarum, quæ ſunt propriæ Prælatorum Regularium delegantium, non autem Eccleſiarum, quæ ad extraneos ſpectant: quemadmodùm facultas abſolvendi, quæ à Prælatis Regularibus concedi poteſt Sacerdoti extraneo, etiam Sæculari, verſatur circá proprios ſubditos abſolvendos, non verò alienos.

77 Quid ampliùs poſſint Prælati Regulares circa ea, in quorum benedictione intervenit Chriſma, ex ſpecialibus privilegiis cuique Ordini

dini conceſſis conſtare debet: ſicut ex Compendio Indico *pag.* 21. & 22. conſtat, qualiter Provinciales, & reliqui Superiores Societatis Jeſu Calices, & Altaria conſecrare poſſunt.

SECTIO II.

Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur circa benedicenda paramenta, & alia utenſilia ad Sacrificium Miſſæ neceſſaria?

78 CUM ſupra diximus *num.* 66. poſſe Epiſcopos de jure delegare ſimplici Sacerdoti poteſtatem benedicendi paramenta, & alia utenſilia ad Sacrificium Miſſæ neceſſaria; examinandū hic eſt, qui ſpeciale in præſenti Indulto Braſiliæ Epiſcopis cōcedatur.

79 Notatio Prima. In præſenti Indulto conceditur 1. eadem facultas, quam de jure habent Epiſcopi delegandi ſimplici Sacerdoti poteſtatem benedicendi paramenta Eccleſiaſtica, juxta ſententiam, quam ſupra ſecuti ſumus *num.* 66. Conceditur tamen conditionaliter, & ex ſuppoſitione, quod Epiſcopi talem poteſtatem non haberent, ſtando opinioni ſupra traditæ *num.* 65. eo ſcilicet fine, ut omnis omninò ſcrupulus amoveatur de opinionum diverſitate. *Paſq. quæſt.* 801. *num.* 6. in fine.

80 Conceditur 2. eadem facultas abſque limitatione perſonarum; cum enim concedatur quoad ſimplices Sacerdotes, etiam conceditur quoad alios in dignitate conſtitutos juxta illud, *cui cōceditur maius, etiam conceditur minus in eodem genere*: maior autem eſt conceſſio delegandi ſimplicibus Sacerdotibus quam aliis in dignitatate conſtitutis, ut per ſe patet.

81 Conceditur 3. eadem facultas delegandi abſque limitatione temporis, neque enim in indulto apparet dictio reſtrictiva temporis, & ubi lex non reſtringit, nec nos reſtringere debemus. Gloſſ. *differentiam* in leg. fin. C. de Hæredit. vel Action.

82 An vero, qui ab Epiſcopo obtinuiſſet facultatem benedicendi paramenta Eccleſiaſtica, tali facultate uti poſſet etiam poſt finitum decennium, ad quod dictæ facultates Epiſcopo deleganti fuiſſent conceſſæ? Dicemus *lib.* 4. *à num.* 557.

83 Notatio Secunda. An vi præſentis indulti Braſiliæ Epiſcopis concedatur poteſtas delegandi ſimplici Sacerdoti facultatem conſecrandi Calices, Patenas, & Altaria portatilia, vulgo *pedras de ara*? ℞. negativè. Ratio eſt: quia ad illa conſecranda, in quibus intervenit S. Unctio, non extenditur poteſtas conceſſa delegandi, immò quoad ea expreſſe reſtringitur, & fit exceptio in indulto, in conſecratione autem Calicis, Patenæ, & Altaris portatilis intervenit S. Unctio, ut conſtat ex Pontificali Romano.

SECTIO III.

Præmittuntur variæ Notationes ad reconciliationem Eccleſiæ pollutæ.

84 NOtatio Prima. Eccleſia non reconciliatur, niſi ſit polluta: nulla vero Eccleſia polluitur, quæ prius non fuiſſet benedicta, vel conſecrata. *Paſq. quæſt.* 539. *num.* 1. Quando autem, & quomodo polluatur Eccleſia, vide *Paſq. cit.* & deinceps.

85 Inte-

85 Interim quatuor ſunt cauſæ, quibus Eccleſia polluitur. 1. Eſt homicidium voluntarium intra Eccleſiam commiſſum, vel cum effuſione ſanguinis, vel ſine illa, ut cum quis ſuffocatur. 2. Effuſio ſanguinis, etiam ſine homicidio, graviter culpabilis, & in magna quantitate. 3. Effuſio ſeminis mortaliter peccaminoſa, & abundans ſecundum ſubjectam materiam. 4. Sepultura excommunicatorum, & infidelium. Ita DD. communiter ex cap. *Eccleſiam*: de Confec. diſt. 1. ex cap. *Propoſuiſti* de Conſecr. Eccleſ. ex cap. *Significaſti*, de Homicidio, ex cap. *Conſuluiſti*, de Conſecr. Eccleſ. ex cap. *Unic.* de Conſecr. Eccleſ.

86 Notatio Secunda. Polluta Eccleſia, etiam polluitur Cœmeterium, ſi Eccleſiæ ſit contiguum: è contra verò, polluto Cœmeterio, non polluitur Eccleſia. Statuit Bonifacius VIII. in cap. *Unic.* de Conſecrat. Eccleſ. in 6. ubi iſtius diverſitatis rationem reddit, videlicet: *Ne minus dignum maius, aut acceſſorium principale ad ſe trahere videatur.*

87 Notatio Tertia. In dubio, an Eccleſia ſit polluta, reſolvimus non eſſe pollutam. Ita cum aliis, quos citat, & ſequitur *Paſq. quæſt.* 502 *num* 2. Quia tamen dubium, aut poteſt eſſe facti, aut juris: facti, quando dubitatur, an actio pollutiva Eccleſiæ certò facta ſit in Eccleſia: juris verò, quando actio certò facta fuit in Eccleſia, dubitatur tamen, an habeat omnes illas circunſtantias, quæ ad polluẽdam Eccleſiam requiruntur; ideò quo ad primam partem.

88 Probatur reſolutio: quia ſuper facto dubio ferri nequit ſententia certa; cap. *Grave* 11. *quæſt.* 3. & cap. *Judicantem*, *quæſt.* 3. & cap. *Habuiſſe*, *diſt.* 33. §. *Illud quæſitum*, Inſtit. de rer. diviſ. & §. *Curare*, Inſtit. de action. ſed ſi factum pollutionis ſit dubium, & Eccleſia judicetur polluta, jam ſuper facto incerto fertur ſententia certa: ergo in dubio actionis pollutivæ non dedet Eccleſia pro polluta reputari.

89 Probatur eadem reſolutio quo ad ſecundam partem: quia iniqua eſſet ſententia, quæ in jure dubio fundata juſtum poſſeſſorem deturbaret poſſeſſione ſua, ut conſtat ex variis Leg. quibus cõgruit Regula juris, quod *in pari cauſa favendum eſt poſſeſſori*, cap. *In pari*, de reg. jur. in 6. ſed Eccleſia benedicta, vel conſecrata, eſt in poſſeſſione benedictionis, vel conſecrationis ſuæ: ergo in dubio juris, an Eccleſia fuerit polluta, deturbari non debet benedictione, vel conſecratione ſua.

90 Notatio Quarta. Ut Eccleſia habeatur pro polluta non requiritur ſententia judicis, ſed ſufficit, quod pollutio ſit notoria. Ita cum multis, quos citat, & ſequitur *Paſq. quæſt.* 501. Ratio eſt: quia pollutio Eccleſiæ neque eſt cenſura, neque interdictum, neque pœna aliqua Eccleſiaſtica ſub cenſura, aut interdicto contenta: ergo licet ad cenſuram, & interdictum, tanquam pœnas Eccleſiaſticas declarandas, requiratur judicis ſententia: non tamen requiritur ad pollutionem Eccleſiæ declarandam. Quodque ita habeat praxis non ſolum Romæ, ubi plures caſus vidit, ſed etiam in aliis Civitatibus Italiæ, ubi ſimiliter plures hujuſmodi caſus obſervavit, ait *Paſq. cit. num.* 3.

91 Notatio Quinta. Judicium de pollutione Eccleſiæ ad eum ſpectat, ad quem ſpectat ejus reconciliatio. Sic judicium de pollutione Eccleſiæ, quæ ſit Epiſcopo ſubjecta, ad

ad Epiſcopum ſpectat. *Paſq. quæſt.* 555. *num.* 3. Ratio eſt : quia reconciliatio Eccleſiæ, quæ ſubditur Epiſcopo, ad Epiſcopum ſpectat: ergo etiam judicium de pollutione talis Eccleſiæ: alioquin reconciliandi poteſtas, quam habet Epiſcopus, non eſſet omninò expedita; ſi aliunde expectandum eſſet judicium de pollutione Eccleſiæ.

92 Hinc etiam ad Regulares, qui habent privilegium reconciliandi Eccleſias proprias, ſpectat ſimiliter judicium de pollutione illarum; *Paſq. quæſt.* 555. *num.* 4. Ratio eſt: quia poteſtas reconciliandi trahit ſecum facultatem arbitrandi, an ſecuta ſit pollutio? Ergo facultas arbitrandi, an ſecuta ſit pollutio, ſpectare debet, ad quem ſpectat poteſtas reconciliandi. Oſtenditur antecedens, & conſequentia : quia ſi aliunde expectandum eſſet judicium de pollutione ſecuta, & indigentia reconciliationis, tunc privilegium reconciliandi non eſſet omninò expeditum, immò aliquando inveniret obicem pro executione : ergo ne id contingat, facultas arbitrandi, an ſecuta ſit pollutio, ſpectat, ad quem ſpectat poteſtas reconciliandi.

93 Notatio Sexta. Eccleſia multipliciter polluta reconciliatur per unam tantum reconciliationem. *Paſq. quæſt.* 539. *num.* 4. Supponitur hic poſſe Eccleſiam multipliciter pollui, quatenus pollutio Eccleſiæ ſe habet proportionaliter ad ſanctitatem Eccleſiæ, ſicut ſe habet macula peccati ad animam : unde ſicut maculæ habituales formaliter multiplicantur ad multiplicationem peccatorum, ita maculæ, ſeu pollutiones Eccleſiæ multiplicantur ad multiplicationem actionum pollutivarum. Sic poteſt Eccleſia multipliciter pollui, v.g. per multiplex homicidium, aut per unum tantum homicidium, & effuſionem ſeminis; & ſic de aliis cauſis pollutivis Eccleſiarum.

94 Probatur modo reſolutio: quia maculæ, ſeu pollutiones Eccleſiæ ſe habent adinſtar macularum habitualium in anima: ſed maculæ habituales in anima, quamvis ſint plures, per unicam gratiæ infuſionem tolluntur: ergo ſimiliter maculæ, ſeu pollutiones Eccleſiæ, quamvis ſint plures, per unicam tolluntur reconciliationem, quippè quæ cum omnibus, & ſingulis pollutionibus oppoſitionem habet.

95 Notatio Septima. Eccleſia polluta quam cito reconciliari debet. Conſtat ex cap. *fin.* de conſecr. Eccleſ. ibi : *Aqua protinus exorcizata lavetur*, ubi redditur ratio, cur ſtatim reconcilianda ſit Eccleſia: *Ne divinæ laudis organa ſuſpendantur.* Accedit, quod neque per Eccleſiam, neque per ejus Miniſtros ſtetit, quod Eccleſia pollueretur: ergo juſtum non eſt, quod Eccleſia ob alienam culpam honore ſuo diu privetur.

96 Intelligi tamen debet prædicta concluſio pro tempore opportuno : ſi enim reconciliatio exigat celebrationem Miſſæ, tunc manè fieri debet, & ad manè differenda eſt reconciliatio. *Paſq. quæſt.* 602. *num.* 1.

SE-

SECTIO IV.

Quid de jure poſſint Epiſcopi circa reconciliationem Eccleſiæ ſolum benedictæ?

97 NOtatio Prima. Eccleſia ſolum benedicta reconciliari poteſt per ſimplicem Sacerdotem. Idem dicendum de Cœmeterio ſolum benedicto. *Gloſſ. Joan. Andr. Panormitan. Canoniſt. & Paſq. quæſt.* 603. *num.* 1. Ubi pro hac parte citat, & ſequitur 21. Doctores. Deſumitur ex cap. *fin.* de conſecrat. Eccleſ. ubi Pontifex agens de Eccleſia non conſecrata dicit, quod *aquâ exorcizatâ protinus lavetur.* Cum igitur Pontifex ex dict. cap. nihil dixerit de Epiſcopo, rectè colligitur locutum fuiſſe de Sacerdote quocumque. Et hanc eſſe praxim, itaque declaraſſe Sacram Rituum Congregationem 15. Decembris 1632. teſtatur *Pax Jordanis* apud *Paſq. citat.* Ratio verò eſt: quia non plus requiritur ad reconciliandam, quam ad benedicendam Eccleſiam; ſed ſimplex Sacerdos poteſt benedicere Eccleſiam, ut conſtat ex Rubr. Ritual. Roman. ergo poteſt illam quoque reconciliare.

98 Notatio Secunda. Ut ſimplex Sacerdos poſſit Eccleſiam reconciliare, ſi ſit tantum benedicta, non requiritur de jure licentia Epiſcopi. Ita communiter. *Abbas in cap. fin. num.* 6. de conſecrat. Eccleſ. *Angel. verb. conſecratio* 2. *quæſt* 8. *in fin. Sair. lib.* 5. *cenſur. cap.* 16. *num.*32. *Fagund. Præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 60. *Laym. lib.*5. *Theolog. Moral.tract.* 5, *cap.* 5. *num.* 12. & alii, quos refert, & ſequitur *Paſq. quæſt.* 604. *num.* 3. Ratio eſt 1. quia in cap. *fin.* de conſecrat. Eccleſ. dicitur, quod *Eccleſia polluta aqua exorcizata lavetur*, qui locus juxta ſui obſervantiam, & communem interpretationem intelligitur de Sacerdote quocumque: & tamen Pontifex nullam ibi mentionem facit de licentia Epiſcopi: ergo quia ád reconciliandam Eccleſiam ſolum benedictam non requiritur de jure licentia Epiſcopi. Ratio eſt 2. quia actus reconciliationis Ordinem Sacerdotalem non excedit, aliás neque cum licentia Epiſcopi poſſet ſimplex Sacerdos recõciliare: ergo de jure non requiritur licẽtia Epiſcopi.

99 Notatio Tertia. De facto tamen convenit, quod reconciliatio Eccleſiæ, quamvis ſit ſolum benedicta, fiat de licentia Epiſcopi. *Paſq. cit. num.* 4. & conſtat ex Ritual. Roman. Tit. *de Reconciliat. Eccleſ. in Rubric. init.* ubi dicitur, quod *Eccleſiæ violatæ reconciliatio fiat per Sacerdotem ab Epiſcopo elegatum.* Accedit ratio 1. quia reconciliatio Eccleſiæ eſt ſpiritualis: ergo ad Epiſcopum pertinet, adeòque reconciliari non debet ſine ejus licentia. Accedit ratio 2. quia reconciliatio eſt veluti quoddam conſectarium ad pollutionem Eccleſiæ: pertinet ergo ad idem tribunal, v. g. Epiſcopi, ad quod pertinet examen, ſeu judicium de pollutione.

100 Notatio Quarta. Sufficit, quod aqua, cum qua reconciliatur Eccleſia non conſecrata, à ſimplici Sacerdote benedicatur. Ita cum communi, & vera ſententia. *Paſq. quæſt.* 605. *num.* 2. Probatur 1. ex cap. *fin.* de conſecrat. Eccleſ. ubi dicitur, quod Eccleſia non conſecrata ſi polluatur, *aquâ exorcizatâ lavetur*; non dicitur autem ibi, quod talis aqua debeat ab Epiſcopo

po

po benedici : ſufficit ergò , quòd à ſimplici Sacerdote benedicatur , cùm aquæ benedictio , & exorcizatio facultatem Sacerdotalem non excedat.

101 Probatur 2. Ideò non ſufficeret , quòd aqua à ſimplici Sacerdote benedicatur ; quia aqua cùm ab Epiſcopo benedicitur, maiorem, & ſpecialem virtutem accipit ; ſed aqua nec maiorem , nec ſpecialem virtutem accipit , cùm ab Epiſcopo benedicitur. Oſtenditur hoc 1. quià Epiſcopus aquam communem benedicit , ut Sacerdos , non ut Epiſcopus , cum aquæ benedictio non ſit actus ordinis Epiſcopalis. Oſtenditur 2: quià Epiſcopus aquam benedicit communi modo , ſeu cum benedictione aſſignata pro aquâ exorcizata , qua etiam Sacerdos benedicit:ergò aqua comunis nec maiorẽ, nec ſpecialem virtutem accipit, cùm ab Epiſcopo benedicitur , adeòque ſufficit , quòd á ſimplici Sacerdote benedicatur.

102 Neque obſtat, quòd in Ritual. Roman. dicatur, *paretur vaſculum cum aquà benedicta* : nam per hoc ſatis innuitur locutionem eſſe de aqua communiter benedicta, nam dum dicitur *paretur* , non faciendo mentionem de nova benedictione , apertè ſignificatur , & ſupponitur adeſſe aquam benedictam , & non eſſe de novo benedicendam ab Epiſcopo.

SECTIO V.

Quid de jure poſſint Epiſcopi circà reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ ?

103 Notatio Prima. Si Eccleſia conſecrata polluatur , nemo illam de jure , niſi Epiſcopus reconciliare poteſt. Ità cõmuniter Theologi , & Canoniſtæ , Gloſſ. in cap. *Aqua* De conſecr Eccleſ. præter 24. DD. quos citat, & ſequitur *Paſqual. quæſt.* 606. *n.* 1. Oſtenditur : quià reconciliatio Eccleſiœ ſequitur naturam conſecrationis, tanquam in eodem ordine cõſtituta ; ſed conſecratio Eccleſiæ fuit inſtituta , tanquam actus Ordinis Epiſcopalis , ut ex variis TT ; & DD. probat *Paſqual. quæſt.* 512. *n.* 1. ad dict. Cap. *Aqua* : ergò ejus reconciliatio ad eumdum quoque Ordinem Epiſcopalem pertinet , atque adeò ſi polluatur Eccleſia conſecrata , nemo illam de jure , niſi Epiſcopus reconciliare poteſt.

104 Notatio Secunda. Hinc eſt ſententia communis apud *Paſqual. quæſt.* 607. *num.* 2. de jure non poſſe Epiſcopum delegare ſimplici Sacerdoti reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ : nam quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, delegari non poſſunt Ordinem Epiſcopalem non habenti ; Cap. *Quamvis*. Diſt. 68. cũ in delegato requiratur capacitas delegationis , ſeu habilitas ad exercendum actum delegatum ; ſed ſimplex Sacerdos Ordinem Epiſcopalem non habet : ergò non eſt capax tantæ delegationis , ſeu non habet habilitatem ad exercendum actum Epiſcopalem , qualis eſt reconciliatio Eccleſiæ conſecratæ.

105 Dixi : *Simplici Sacerdoti*: quià alteri Epiſcopo poteſt Epiſcopus cõmittere reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ. Conſtat ex Cap. *Aqua* De conſecr. Eccleſ. ibi: *Aqua per Epiſcopum benedicta Eccleſiam reconciliari poſſe per alium Epiſcopum non negamus.*

106 Notatio Tertia. Aqua per Epiſcopum benedicenda in figurato caſu commiſſionis benedici poteſt ,

 vel

vel ab Epiſcopo committente, vel ab Epiſcopo, cui committitur Eccleſiæ conſecratæ reconciliatio. Ità ad Cap. *Aqua* De conſecr. Eccleſ. obſervant multi, quos refert, & ſequitur *Paſq. quæſt.* 606. *n.* 5. Ratio eſt: quià alteri Epiſcopo cōmitti poſſunt, quæ ſūt Ordinis Epiſcopalis, ut dicitur in eod. Cap. *Aqua*: ergò ad reconciliandam Eccleſiam conſecratam, quando reconciliatio committitur Epiſcopo, etiam committi poteſt aquæ benedictio.

SECTIO VI.

Quid ſpecialiter poſſint Braſiliæ Epiſcopi circà reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ?

107 NOtatio Prima: An vi præſentis Indulti poſſint Braſiliæ Epiſcopi delegare ſimplici Sacerdoti facultatem reconciliandi Eccleſias conſecratas? Ante reſponſionem nonnulla tanquam certa ſupponenda ſunt. Supponendum 1. poſſe Summum Pontificem concedere ſimplici Sacerdoti facultatem reconciliandi Eccleſias conſecratas. Ita cum communi *Paſq. quæſt.* 609 *n.* 1. Conſtat ex Ritual. Roman; ubi poſt ritum reconciliandæ Eccleſiæ tantùm benedictæ dicitur: *Simplex Sacerdos tantùm ex privilegio Sedis Apoſtolicæ poteſt Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam reconciliare*: ſequitur ergò, quòd ex privilegio Sedis Apoſtolicæ poteſt ſimplex Sacerdos Eccleſiam conſecratam reconciliare.

108 Supponendū 2. poſſe Summum Pontificem Epiſcopis concedere facultatem delegandi ſimplici Sacerdoti poteſtatem, quam de jure habent Epiſcopi reconciliandi Eccleſias conſecratas. Ità Innocent. in Cap. *Aqua* De conſecrat. Eccleſ. teſtans, quòd Pontifex id indulſerit multis Epiſcopis, *Joan. Andr. in* 2. *Anchar. n.* 2. *Butr. n.* 7. *Hoſtiens*, & cæteri Canoniſtæ ibid. *Miranda tom.* 2. *manualium q.* 49. *art.* 8. *Concluſ.* 2. *Pax Jordanis tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *n.* 163. *Paſq. quæſt.* 609. *n.* 5. Ratio eſt 1. quià Summus Pontifex poteſt concedere ſimplici Sacerdoti facultatem reconciliandi Eccleſias cōſecratas, ut in 1. ſupponendo dicimus n. 107. ergò etiam poteſt Epiſcopis concedere facultatem delegandi ſimplici Sacerdoti poteſtatem, quam de jure habent Epiſcopi reconciliandi Eccleſias conſecratas.

109 Ratio eſt 2. quià in hujuſmodi facultate Epiſcopis concedenda, ejuſque uſu, nihil aliud intervenit, quàm actus reconciliandæ Eccleſiæ conſecratæ per inferiorem Epiſcopo exercendus; ſed hoc à Summo Pontifice concedi poteſt. Oſtenditur hoc: quià licet reconciliatio Eccleſiæ conſecratæ ſit actus Ordinis Epiſcopalis, id totum provenit ex jure Eccleſiaſtico. *Paſq. cit. n.* 2 Pontifex autem cùm ſit ſuprà jus Eccleſiaſticum, in illo diſpenſare poteſt, & de facto diſpenſat cum Regularibus, quibus facultatem facit reconciliandi Eccleſias ſuas conſecratas, ut videre eſt apud *Paſq. quæſt.* 610. His ſuppoſitis, ad quæſtionem propoſitam n. 107.

110 ℞. affirmativé. Probatur reſolutio: quià Summus Pontifex poteſt Epiſcopis concedere facultatem delegandi ſimplici Sacerdoti poteſtatem, quam de jure habent Epiſcopi reconciliandi Eccleſias conſecratas: ergo ità de facto concedit Braſiliæ Epiſcopis. Antecedens probatum manet in 2. ſupponendo n. 108. Probatur conſequen-

quentia: quià Pontifex in præſenti Indulto, non diſtinguit inter Eccleſias conſecratas, & non conſecratas: ergo quando Braſiliæ Epiſcopis facultatem concedit delegandi ſimplici Sacerdoti poteſtatem reconciliandi Eccleſias pollutas, intelligendus eſt Pontifex promiſcuè concedere de utriſque Eccleſiis tàm conſecratis; quam non cõſecratis nam ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, Gloſſ. *differentiam*, in leg.fin.C.De hæredit; vel action.maximè, quià favores ſunt ampliandi, Reg. *Odia.* De Reg.jur.in 6.& Gloſſ.*reſtringi* Cap. *Si gratioſès.* De reſcript. in 6.

111 Probatur 2. eadem reſolutio: quià Pontifex in præſenti Indulto aliquid amplius concedit, quam de jure poſſunt Epiſcopi; aliàs gratia Pontificis, ſi nihil de novo concederet, eſſet inutilis, & deluſoria, ut latè probavimus *lib.* 1. *n.* 7. & 8. ſed Braſiliæ Epiſcopi poſſunt de jure delegare ſimplici Sacerdoti poteſtatem reconciliandi Eccleſias non conſecratas, ut ſuprâ diximus *n.* 99. ergò ut Pontifex in præſenti Indulto dicatur aliquid amplius concedere, quàm de jure poſſunt Epiſcopi, neceſſario dicendum eſt, quod facultatem concedat delegandi ſimplici Sacerdoti poteſtatem reconciliandi Eccleſias cõſecratas.

112 Probatur eadem reſolutio 3. quià ad reconciliandam Eccleſiam non conſecratam non requiritur aqua ab Epiſcopo benedicta, ſed ſufficit aqua communis à quocumque Sacerdote benedicta, ut ſuprà diximus *n.* 100. è contra verò ad reconciliandam Eccleſiam cõſecratam requiritur aqua ſolemniter benedicta ab Epiſcopo, ut latè probat *Paſq. quæſt.* 608. *à n.* 3. ſed in præſenti Indulto conceditur, quòd Epiſcopus delegare poſſit ſimplici Sacerdoti facultatem reconciliandi Eccleſias pollutas, ſub conditione tamen, quòd id fiat cum aquà ab Epiſcopo benedicta: (excepto caſu neceſſitatis, de quo infrà:) ergo ſignum eſt, quod Pontifex cùm taliter indulget, indulgeat de reconciliatione Eccleſiæ cõſecratæ, & non tantùm benedictæ.

113 Confirmatur á pari: quià facultas delegandi ſimplici Sacerdoti poteſtatem recõciliandi Eccleſias conſecratas, non eſt maior, quàm facultas reconciliandi Hæreticum cum Eccleſià, quæ facultas Braſiliæ Epiſcopis conceditur in facultatum Catalogo *lib.* 1. *n.* 1. §. 15: ergò ſi Pontifex longè maiora ibi concedit, cur hîc dubitabimus concedere minora? Nempè, facultatem delegandi ſimplici Sacerdoti poteſtatem reconciliandi Eccleſias conſecratas?

114 Notatio Secunda. A quo benedicenda ſit aqua, quà ſimplex Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliare debet? Dico 1. Extra caſum neceſſitatis debet ſimplex Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliare aquà ab Epiſcopo benedicta. Conſtat ex Indulto.

115 Dico 2. in caſu neceſſitatis poteſt ſimplex Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliare aquà à ſe ipſo benedictà. Conſtat ex Indulto ſaltem illativè, ibi: *& in caſu neceſſitatis etiam aquà non benedictâ ab Epiſcopo.*

116 Notatio Tertia. Dubium tamen eſt: quomodò benedicenda ſit aqua, quà Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliare debet, quando reconciliat aquà ab Epiſcopo non benedicta? Ratio

 dubi-

dubitandi eſt: quiá duplex eſt reconciliatio Eccleſiæ pollutæ: alia ſolemnis, quæ fit per Epiſcopum cum aquà mixtà vino, & cinere; & alia ſimplex, quæ fit per ſimplicem Sacerdotem cum aquà communiter benedictà. *Paſq. quæſt.* 608. *n.*1. Prima aqua benedicta cum vino, & cinere non adhibetur, niſi in functionibus Epiſcopalibus, v. g. cum Epiſcopus conſecrat, aut reconciliat Eccleſiam conſecratam Cap. *Conſuluiſti*, De conſecrat. Eccleſ. Secunda verò aquà cõmuniter benedicta utitur ſimplex Sacerdos, v. g. cum benedicit, aut reconciliat Eccleſiam tantùm benedictam. His poſitis.

117 Ad dubium videtur dicendum, quòd ſimplex Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliare poſſit, & uti aquà, vel ſolemniter, vel communiter benedicta. Ratio eſſe poteſt: quià Pontifex non diſtinguit inter aquam ſolemniter, & communiter benedictam: & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Gloſſ. *Differentiam*, in leg. *fin.* C. De hæredit, vel action. ergo ſicut Põtifex diſpenſat in eo, quòd ſimplex Sacerdos Eccleſiam conſecratam reconciliare poſſit; ità etiam diſpenſare videtur in eo, quòd recõciliare poſſit aquà communiter benedictà, adeòque neceſſarium non videtur, quod reconciliet aquá ſolemniter benedictà.

118 Nihilominùs dicimus aquam, quà Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliare debet, eſſe ab ipſo ſolemniter benedicendam. Colligitur ex leg. *Mævius*, & leg. *Qui hæredi* ff. De Condit; & demonſtr. ubi ſtatuitur, quod quando aliquid eſt inſtitutum cum certà formà, deficiente formà, & ipſum quoque deficit; ſed pro reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ inſtituta eſt aqua ſolemniter benedicenda ab Epiſcopo, ut diximus proximè 116. ergo etiam quãdo Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliat, & ad id aquam benedicit, debet ſolemniter benedicere.

119 Urgetur: nam cui conceditur principale, etiam conceditur acceſſorium in eodem genere, leg. *Si eum* §. *qui injuriarum* ff. Siquis Caut; ſed ſolemnis benedictio aquæ eſt acceſſoria ad conſecrationem, & conſecratio eſt principalis, & principaliter cõceſſa: ergo cui cõceditur Eccleſiam conſecratam reconciliare poſſe, etiam conceditur aquam ſolemniter benedicere: aliàs facultas Eccleſiam conſecratam reconciliandi conceſſa ſimplici ſacerdoti non eſſet omninò expedita, & qualiter ſupponitur conceſſa à Pontifice. Sic Regulares, quibus conceditur facultas reconciliandi Eccleſias ſuas, etiam conſecratas, tenentur aquam ſolemniter benedicere, præſertim ſi Epiſcopus diſtet ultrà duas dietas, ut videre eſt apud *Paſq. quæſt.* 610. *n.* 4. *&* 5. idem ergo tenendum de Sacerdote delegato ad reconciliandam Eccleſiam conſecratam in caſu neceſſitatis.

120 Neque dicas, quòd ſolemnis benedictio aquæ requirat Ordinem Epiſcopalem. Non, inquam, hoc dicas: quia etiam reconciliatio Eccleſiæ conſecratæ requirit Ordinem Epiſcopalem ex inſtituto Eccleſiæ; & tamen Pontifex diſpenſat in eo, quod ſimplex Sacerdos poſſit Eccleſiam conſecratam reconciliare: ergo etiam diſpenſat in eo; quòd poſſit aquam ſolemniter benedicere pro reconcilianda Eccleſia conſecrata, quatenus cui conceditur

tur principale, etiam conceditur acceſſorium in eodem genere, alias conceſſio non eſſet expedita, ut dictum eſt.

121 Notatio Quarta. Maius dubium eſt: Quæ neceſſitas ſufficiat, ut ſimplex Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliare poſſit aqua à ſe ipſo ſolemniter benedicta? Dico 1. Sufficit abſentia Epiſcopi ultrà duas dietas. Ratio eſt: quià dicta diſtantia ſufficit, ut Pontifices concedant Regularibus privilegium reconciliandi Eccleſias ſuas etiam conſecratas aqua ab ipſis benedicta, & non ab Epiſcopo, ut videre eſt apud *Paſqual quæſt.* 610. ergo eadem diſtantia ſufficiet, ut ſimplex Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliare poſſit aqua à ſe ipſo ſolemniter benedicta. Quid verò ſit dieta? Diximus lib. 2. à n. 225.

122 Dico 2. Ut ſimplex Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratã reconciliare poſſit aqua à ſe ipſo ſolemniter benedicta, potiori jure ſufficit mors Epiſcopi, caſu quo ſuperſit, cui facultates ſuas ipſe communicaſſet, dum vixit, juxà facult. catalog. n. 28. Ratio eſt: quià non eſt maior diſtantia, quam ea, quæ ponitur per mortem, nec etiam maior abſentia, cùm ſit ſine ſpe reverſionis *Paſq. cit n.* 5.

123 Dico 3. Ut ſimplex Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliare poſſit aqua à ſe ipſo ſolemniter benedicta, ſufficit quodcumque impedimentum phyſicum, v. g. infirmitas, quà Epiſcopus ita detineatur, ut impotens ſit aquam benedicere. Ratio eſt: quià gravis infirmitas Epiſcopi æquiparatur ejus abſentiæ; nam ſicut Epiſcopus abſens, ità & graviter infirmus impotens eſt aquam benedicere: ergò ſicut ſufficit abſentia Epiſcopi, ità & ſatis erit gravis ejus infirmitas, ut Sacerdos delegatus poſſit Eccleſiam conſecratam reconciliare aqua à ſe ipſo ſolemniter benedicta.

124 Dico 4. Ut ſimplex Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliare poſſit aqua à ſe ipſo ſolemniter benedicta, ſufficit quodcumque impedimentum morale, quo Epiſcopus reddatur moraliter impotens aquam benedicere. Ratio eſt: quià neceſſitas à Pontifice requiſita, ut Sacerdos delegatus poſſit Eccleſiam conſecratam reconciliare aqua non benedicta ab Epiſcopo, non conſiſtit in indiviſibili, ut in ſimili diximus lib. 1. n. 118. ergò quælibet neceſſitas, quæ arbitrio prudentum pro tali reputetur, ſatis erit, ut Sacerdos delegatus poſſit Eccleſiam conſecratam reconciliare aqua à ſe ipſo ſolemniter benedicta.

SECTIO VII.

Quid ſpecialiter ſervandum in reconciliatione Eccleſiæ pollutæ ex ſepultura infidelis, aut excommunicati?

125 NOtatio Prima. Si contingat Eccleſiam pollui ex ſepultura infidelis, aut excommunicati, ante reconciliationem extrahenda ſunt eorum corpora ab Eccleſia, vel Cæmeterio. De corporibus infidelium ſtatuitur in Cap. *Eccleſiam.* 1. & 2. De conſecrat. diſt. 1. De Corporibus verò excommunicatorum, in Cap. *Sacris* De ſepult. ubi redditur hæc ratio; nam quibus viris non communicamus, nec debemus etiam mortuis communicare.

126 Hoc

126 Hoc autem intelligitur, quando infidelis, aut excommunicati corpora à cæteris diſcerni poſſunt; ſecùs, ſi diſcerni non poſſint ut declaratur in eod. Cap. *Sacris*, & tenet quo ad utramque partem *Paſq. quæſt.* 614. *n.* 1. Oſtenditur quo ad primam partem: nam locus deſtinatus pro ſepultura fidelium prodeſſe non debet impiis infidelibus, aut excommunicatis. Oſtenditur quo ad ſecundam partem: quià corpora, & oſſa fidelium præjudicium pati non debent, ut certò paterentur, ſi à ſepultura ſua extraherentur loco cadaveris, aut oſſium infidelis, vel excommunicati.

127 Hinc in dubio: an cadaver ſit infidelis, aut excommunicati, non erit extrahendum ob eamdem rationem, & quià textus dicit, quòd *extrahatur quando diſcerni poteſt*; in dubio autem non diſcernitur, cujus ſit cadaver; cùm ad diſcernendum neceſſe ſit affirmari poſſe cum certitudine; hoc cadaver eſt infidelis, aut excommunicati. *Paſq. citat.*

128 Notatio Secunda. Dubium eſt: utrum ante reconciliationem Eccleſiæ ſint radenda ejus tigna, & parietes? Ratio dubitandi oritur ex text. Cap. *Eccleſiam* 2. De conſecr. diſt. 1. ubi videtur diſponi; quòd ità fiat. Reſolutio tamen ſit. Non eſt opus radere parietes, & tigna ad reconciliandam Eccleſiam conſecratam, vel benedictam *Paſq. cit.* 4. Probatur 1. quià ſi parietes eſſent radendi, jus obligaret ad impoſſibile, maximè, quando parietes eſſent marmorei, aut opere muſſivo ornati, aut picturis inſignibus diſtincti: in his enim caſibus neque parietes radi poſſunt, neque dealbari, niſi cum notabili detrimento Eccleſiæ, ejuſque ſplendoris deſtructione, adeòque raſio, & dealbatio habentur pro impoſſibilibus, ut ad varias LL. notant varii DD. quos refert, & ſequitur *Paſq. cit.*

129 Probatur 2. quià in Cap. *final.* De conſecr. Eccleſ. ubi diſponitur de reconciliatione Eccleſiæ non conſecratæ, nihil prorſùs dicitur de raſione parietum, & tignorum; imò tacitè excluditur ea raſura, dum ſtatuitur, quòd *protinùs aquâ exorcizatâ lavetur*: quod eſt reconciliari; non enim poſſet protinùs reconciliari; ſi parietes eſſent radendi, præſertim quando non ſuppeteret pecunia pro expenſis, unde aliquando contingeret per menſes & mēſes ſuperſedendum eſſe à reconciliatione Eccleſiæ. *Paſq. cit. n.* 5.

130 Nec contrarium convincitur ex text. in Cap. *Eccleſiam* 2. De conſecr. diſt. 1. ubi diſponi videtur, quòd pro reconciliatione Eccleſiæ ſint radendi parietes. Nam ſi attentè ponderetur textus, nil tale diſponit, quatenùs non loquitur de reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ, vel benedictæ; ſed de Eccleſiâ, in quâ ex conſuetudine ſepeliuntur infidelium cadavera, ut ſatis conſtat ex init. text. ibi: *Eccleſiam, in quâ mortuorum cadavera infidelium ſepeliuntur.* Ubi non dicit textus, in quà infidelis cadaver ſit ſepultum, ſed in quà cadavera infidelium ſepeliuntur; qui loquendi modus importat frequētiam actus, ideóque ſignificat eſſe locum quaſi deſtinatum, ſaltem ex conſuetudine, pro infidelium ſepulturá.

131 Vult ergò textus, quòd tunc parietes, & tigna radantur, quando Eccleſia fuiſſet locus Sepulturæ infidelium ex conſuetudine. Et tunc concedit, quòd Eccleſia infidelium conſecretur, ſi apta ſit, ne

ne videlicet pereat ædificium, ut de idolorum templis olim fiebat; concedit tamen ſub conditione extractionis cadaverum, & raſuræ, per quam veluti reædificetur Eccleſia, ſeu ædificium ad memoriam profanitatis loci penitus delendam.

SECTIO VIII.

An, & quomodo reconciliandum ſit Cæmeterium?

132 NOtatio Prima. Cœmeterium benedictum cõmuni tantum benedictione reconciliari poteſt per ſimplicem Sacerdotem. *Paſq. quæſt.* 615. Ratio eſt: quia Cœmeterium eſt minùs dignum Eccleſia. Eccleſia verò benedicta communi tantum benedictione reconciliari poteſt per ſimplicem Sacerdotem, ut ſupra diximus *num.* 97.

133 Notatio Secunda. Cœmeterium conſecratum reconciliari debet per Epiſcopum, conſtat ex cap. *Conſuluiſti*, de Conſecr. Eccleſ. ubi ſtatuitur, quod pollutum Cæmeterium erit reconciliandum *aſperſione aquæ ſolemniter benedictæ, ſicut in dedicationibus Eccleſiarum*: in dedicationibus autem Eccleſiarum Cœmeteria benedicuntur aqua ſolemniter benedicta cum vino, & cinere, quæ non adhibetur, niſi in functionibus Epiſcopalibus.

134 Excipe 1. Si Cœmeterii conſecrati reconciliationem alteri committant Braſiliæ Epiſcopi ex præſenti Indulto; tunc enim Cœmeterium reconciliari poteſt per ſimplicem Sacerdotem, ſicut de Eccleſia conſecrata diximus ſuprà *num.* 107.

135 Excipe 2. Regulares, qui ex privilegio Eccleſias ſuas conſecratas reconciliare poſſunt: hi enim Cœmeteria ſua etiam conſecrata reconciliare poſſunt. Ratio utriuſque exceptionis eſt: quia Cæmeteria ſunt acceſſorium Eccleſiæ, cap. *unic.* De conſecrat. Ecleſ. in 6. quod autem conceditur circa principale, etiam circa acceſſorium cenſetur conceſſũ.

136 Ubi adverte, quod tum Sacerdos delegatus, tum Regularis privilegiatus, quando Cœmeterium conſecratum reconciliant, uti debẽt ritu in Pontificali Romano præſcripto, ut notat Rubrica Ritual. Rom.

137 Notatio Tertia. Reconciliata Eccleſia, non manet reconciliatum Cœmeterium, quamvis ſolum fuiſſet pollutum in conſequentiam ad pollutionem Eccleſiæ. Ita *Pax Jordan Gloſſ. Margin.* in cap. *Conſuluiſti*, De conſecrat. Eccleſ. ubi obſervatur, quod in Pontificali ponitur Rubrica de reconciliatione Eccleſiæ, & Cœmeterii. Deinde Pontificale mandat, quod tam Eccleſia, quam Cœmeterium reconcilietur, & formam pro utraque reconciliatione præſcribit; in hac autem materia Pontificale habet vim legis: ergo, reconciliata Eccleſia, non remanet reconciliatum Cœmeterium.

138 Replicabis. Cæmeterium polluitur in conſequentiam ad pollutionem Eccleſiæ: ergo reconciliabitur in conſequentiam ad reconciliationem Eccleſiæ. ℞. negando conſeq. Diverſa ratio eſt: nam quoad pollutionem Cœmeterii in conſequentiam ad pollutionem Eccleſiæ, ſtatuitur in cap. *unic.* De conſecrat. Ecleſ. in 6. Quo verò ad reconciliationem Cœmeterii in conſequentiam ad reconciliationem Eccleſiæ, non ita decernitur in jure, immò pro ejus reconciliatiatione ſpecialis forma præſcribitur in Pontificali, ut proximè diximus.

DIS-

DISPUTATIO TERTIA.

DE TERTIA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Indulgentia?

139 DEcima quarta Facultas Pontificia: *Largiendi ter in anno Indulgentiã Plenariam contritis, confeſſis, ac Sacra Communione refectis.*

140 Notatio Prima. Indulgentia communiter definitur: *Remiſſio pœnæ temporalis pro actualibus peccatis debitæ extra Sacramentum facta ex Theſauri Eccleſiæ diſpenſatione. Nogueir. in Bull. Cruciat. diſp. 7. ſect. 1. num. 3.* Dicitur: *Remiſſio pœnæ*: quia culpa, ſive ſit mortalis, ſive venialis, per Indulgentiam non remittitur, ſed per Sacramentum, vel contritionem cum voto Sacramenti.

141 Dicitur: *Pœnæ temporalis*: quia pœna æterna peccato mortali debita, & in Inferno ſuſtinenda per Indulgentiam nõ remittitur: ſolum igitur remittitur per Indulgentiam ea pœna temporalis, quæ in hac vita, vel in Purgatorio ſolvenda erat.

142 Dicitur: *Pro actualibus peccatis debitæ*: quia pœna peccati originalis non per Indulgentiam, ſed per Baptiſmum, aut veram dilectionem charitatis cum voto Baptiſmi dimittitur cum ipſo originali.

143 Dicitur: *Extra Sacramentum facta*: quia etſi Sacramenta minuant pœnam ex opere operato, & ex inſtitutione Chriſti, & ex opere operantis juxta devotionem uniuſcujuſque. non dicitur tamen hæc remiſſio *Indulgentia*, ſed effectus Sacramenti.

144 Ultimo dicitur: *Ex Theſauri Eccleſiæ diſpenſatione*: quia remiſſio pœnæ pro peccatis debitæ; quam homo conſequitur per ſua bona opera, dum eſt in gratia, non eſt Indulgentia: eſt enim ſatisfactio ex propriis meritis, & non ex theſauro Eccleſiæ. Quid ſit theſaurus Eccleſiæ? Infra dicam.

145 Notatio ſecunda. Quotuplex ſit Indulgentia. Dico 1. Indulgentia dividitur in Perſonalem, Realem, & Localem. Perſonalis eſt, quæ alicui perſonæ immediate conceditur, v. g. ut eam in mortis articulo conſequatur. Realis, quæ alicui Imagini, Grano, Numiſmati, aut ſimilibus conceditur: non quidem ipſis, ſed hominibus illa trahentibus, vel coram ipſis orantibus. Localis illa dicitur, quæ alicui Eccleſiæ, Capellæ, vel Oratorio annexa eſt: non quia ipſe locus ſit Indulgentiæ capax, ſed quia in ejus favorem hominibus ibi orantibus conceditur.

146 Dico 2. Quæcumque ex his ſubdi-

ſubdividitur in Totalem, & Partialem. Indulgentia Totalis illa eſt, quæ totam pœnam remittit, ſive peccata ſint plura, & graviora, ſive pauciora, & minus gravia, ut contingit in Baptiſmo, qui omnem pœnam pro peccatis debitam remittit non ſolum ei, qui levem tenebatur ſolvere, ſed etiam ei, qui graviſſimam debebat ſuſtinere.

147 Ubi notandum diligenter primò, quod hæc Indulgentia Totalis aliquando dicitur Plena, aliquandò Plenaria, & aliquando Pleniſſima, ut ex Extravag. *Antiquorum*, De pœnit. & remiſſ. liquet.

148 Notandum ſecundò, quòd non obſtantibus his diverſis nominibus, nullum eſt diſcrimen inter Indulgentiam Plenam, Plenariam, & Pleniſſimam; & eam, quæ conceditur in anno Sancto, vel aliis Temporibus virtute Jubilæi. Ità quo ad omnia *Nogueir. citat. n* 9.

149 Notandum Tertiò nullum etiam dari diſcrimen inter unam, & aliam Indulgẽtiam Plenariam, quaſi una ſit maior alia, ut vulgus exiſtimat: quià certum eſt inter Indulgentias Plenarias non dari inæqualitatem: Unde eamdem conſequitur Indulgẽtiam, qui obtinet Jubilæum, ut vulgò dicitur, Porciunculæ, aut 40. Horarũ in tribus diebus Feriam Cinerum præcedentibus: ac ſi obtineret Jubilæum die S. Franciſci de Aſſis, aut S. Ignatii Parentis N. in Templis harum Religionum. *Nogueir. cit. ſect.*4. *n.* 39.

150 Notandum Quartò. Poſſe aliquem obtinere Indulgentiam Plenariam, & nihilominus ei ſupereſſe pœnam luendam in Purgatorio, illa ſcilicet, quæ correſpondeat venialibus, de quibus ipſe, qui lucratus eſt Indulgentiam, non doluit. Ratio eſt: quià non remiſſa culpa, etiam non remittitur pœna. *Mend. & Nogueir. cit. ſect.* 1. *n.* 11.

151 His notatis, ad Indulgentiam partialem. Indulgentia igitur partialis alia eſt indeterminata, v. g. Tertiæ, vel Quartæ Partis pœnarum debitarum; alia verò determinata, v. g. Septem, vel centum Annorum, vel Quadraginta dierum. Ut tamen hæc intelligantur, advertè olim pro criminibus gravioribus pœnitentias publicas imponi, v. g. Septem annorum, & Quadragenarii jejunii, & etiam Quadraginta dierum jejunii in pane, & aqua, quæ dicebatur *Carena*.

152 Quando ergò Indulgentia conceditur Quadragena, intelligendum eſt concedi pœnæ remiſſionem, quæ Quadragena Pœnitentia obtineretur. Si autem ſit ſeptena, ea Indulgentia conceditur, quæ per pœnitentiam Annorum ſeptem obtineretur: & ſic quando conceditur Indulgentia unius, vel plurium annorum, credendum eſt concedi illam indulgentiam, quæ Pœnitentia communi, & juridica unius, vel plurium annorũ obtineretur. *Suar*; *Gobat*; *& Nogueir. cit. n.* 12.

SECTIO II.

Quis poſſit Indulgentias concedere?

153 NOtatio Prima. Ex jure divino ſolus Summus Pontifex poteſt Indulgentias concedere. Ita communiter Theologi apud *Nogueir. in Bull. Cruciat. diſp.* 7. *ſect.* 3. *a n.* 22. Ratio eſt: quià ſoli Petro, ejusque ſucceſſori, qui eſt Summus Pontifex, Chriſtus dixit, *Paſce oves meas.* Joan. 21 & claves Regni Cœlorum, Theſaurique Eccleſiæ traditi ſunt. Dixi: *Ex jure*

re divino: quià Indulgentias de jure divino, nec Concilium Generales nec Cardinales, nec Archiepiſcopi, aut Epiſcopi poſſunt concedere, ob rationem datam.

154 Notatio Secunda. Nihilominus Epiſcopi quamvis non habeant poteſtatem á Chriſto Domino concedendi Indulgentias, illam tamen habent à Sũmo Pontifice. Hæc verò poteſtas non extenditur ad eorum Vicarios, nec ad Capitulum Sede Vacante, ut probabilior fert ſententia. Poſtremò iſtiuſmodi poteſtas Epiſcopo conceſſa, eſt limitata, ut conſtat ex Cap. *cum ex eo*, De pœnit; & remiſſit; at eſt ordinaria, vel quaſi ordinaria, quià eorum officio annexa eſt. *Mend. Caſtro Pal.* & alii communiter apud *Nogueir. citat. num.* 23.

SECTIO III.

Quas Indulgentias concedere poſſit Summus Pontifex, & quas Epiſcopus?

155 NOtatio Prima. Omnes Indulgentias tam partiales, quam totales, ſeu Plenarias, & Pleniſſimas concedere poteſt Sũmus Pontifex. Ratio eſt: quià Indulgentiæ ſunt gratiæ ex Eccleſiæ Theſauro depromptæ: Sũmus verò Pontifex eſt hujus Theſauri diſpenſator. Ità cum communi *Nogueir. in Bull. Cruciat. diſp.* 7. *ſect.* 1. *n.* 7.

156 Quid autem ſit Theſaurus Eccleſiæ? ℞. Eſt cumulus infinitus ex ſatisfactionibus Chriſti Domini, & ex ſatisfactionibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum conſtans, ut traditur à Clemente VII. in Extravag. *Unigenitus* De pœnit; & remiſſ; & á Leone X. in Bulla condemnatoria Martini Lutheri, & *à Trid. ſeſſ.* 21. *Cap.* 9. *& ſeſſ.* 25. *ad finem.*

157 Notatio Secunda. Solus Papa primariò poteſt Indulgentias concedere, ſolasque Plenarias concedit, & perpetuas. *Barboſ. de poteſt. Epiſc. part.* 3. *allegat.* 88. *num.* 5.

158 Notatio Tertia. Quamvis ſolus Papa poſſit Indulgentias Plenarias concedere, tamen Epiſcopi in Dedicatione Eccleſiæ poſſunt cõcedere Indulgentiam unius anni, & in Anniverſario, vel aliàs, quando placuerit, Indulgentiam Quadraginta dierum, ex eodem Cap. *cum ex eo*, De pœnit; & remiſſ. Nomine Epiſcoporum veniunt Archiepiſcopi, ut colligitur ex Cap. *Noſtro* De pœnit; & remiſſ.

159 Notatio Quarta. Archiepiſcopi poſſunt in tota ſua Provincia, & ſuffraganeorum Diæceſibus, prædictos 40. dies concedere, quamvis non ſint in actu viſitationis. *Nogueir. cit. ſect.* 3. *n.* 25. Quin etiam poſſe Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas in ſuis Diæceſibus Indulgentiam 80. dierum concedere, tenet *Barboſ. cit. num.* 16.

160 Nota tamen, quòd ſi Archiepiſcopi, aut Epiſcopi ampliorem Indulgentiam concedant, quam ipſis permiſſum eſt, ſolùm quo ad exceſſum irrita erit conceſſio. *Barboſ. cit. n.* 22. Ratio eſt: quià utile per inutile non vitiatur.

161 Notatio Quinta. Non ſolùm ſuis ſubditis, & extrà ſuum Territorium, ſed etiam Regularibus exemptis poſſunt Epiſcopi Indulgentias concedere. Ità multi, quos citat, & ſequitur *Noguei. cit. n.* 27. Ratio eſt: quià inventa in favorem Religioſis obeſſe non valent. His præjactis.

SEC-

SECTIO IV.

An, & quomodo poſſint Braſiliæ Epiſcopi Indulgentiam Plenariam concedere?

162 NOtatio Prima. Ex ſpeciali, & extraordinaria facultate Pontificia poſſunt Braſiliæ Epiſcopi largiri ter in anno Indulgentiam Plenariam contritis, confeſſis, ac Sacra Communione refectis. Conſtat ex ipſa facultate.

193 Notatio Secunda. Ex ſpeciali, & extraordinaria facultate Pontificia poſſunt Braſiliæ Epiſcopi perſonis idoneis communicare prædictam facultatem largiendi ter in anno Indulgentiam Plenariam contritis, confeſſis, ac Sacra Communione refectis. Fundatur in eo, quod Summus Pontifex poſſit committere perſonis idoneis facultatem concedendi Indulgentias; cum ea poteſtas in Pontifice ſit ordinaria, atque adeò delegabilis, ut tenent omnes apud *Nogueir. in Bull. Cruciat. diſp.* 7. *ſect.* 3. *num.* 29. De facto autem ita committit Pontifex, quibus Braſiliæ Epiſcopi communicaverint, ut videre eſt in facultat. Catalog. *num.* 28.

164 Notatio Tertia. In omnibus, & ſingulis locis propriæ Diœceſis poſſunt Braſiliæ Epiſcopi largiri ter in anno Indulgentiam Plenariam contritis, confeſſis, ac Sacra Communione refectis. Conſtat ex dictis *lib.* 1. *à num.* 101. Ubi oſtendimus facultates Pontificum, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, non limitari ad hunc, aut illum locum, ſed ad totam Diœceſim extendi pro maiori utilitate, & bono ſpirituali ſubditorum.

165 Notatio Quarta. Tribus anni diebus quibuſcumque, ſive ii ſint continui, ſive interpolati, ſive fixi, ſive vagi, poſſunt Braſiliæ Epiſcopi ad libitum largiri ter in anno Indulgentiam Plenariam contritis, confeſſis, ac Sacra Communione refectis. Fundamentum eſt: quia Summus Pontifex quando concedit Braſiliæ Epiſcopis facultatem largiendi ter in anno Indulgentiam Plenariam, illis non præſcribit dies ejuſmodi largitionis, ſeu conceſſionis: ergo neque nos præſcribere debemus juxta leg. *Si ſervum.* Confirmatur: quia in facultat. Catalog. *num.* 18. ubi Summus Pontifex concedit Braſiliæ Epiſcopis facultatem concedendi Indulgentiam Plenariam 40. Horarum, illis non præſcribit dies, ſed dies ipſos relinquit arbitrio Epiſcoporum, ibi: *Diebus Epiſcopo bene viſis*: ergo à fortiori in noſtro caſu, ubi Pontifex nequidem dies nominat.

166 Notatio Quinta. An autem pro tali Indulgentia concedenda congruentius ſit ſtatuere dies fixos, vel potius eam concedere tribus anni diebus vagis, & incertis? Diſſidium eſt, quod quiſque juxta proprium ſenſum reſolvit. Ego inclino in dies vagos, & incertos, modo præcedat ſufficiens notitia, & publicatio Indulgentiæ. Ratio mihi eſt: quia devotiones fixæ, & certæ tractu temporis frigeſcunt, ut experientia docet; devotiones autem vagæ, & incertæ, tamquam quid novum, & inſperatum, ſemper cum gaudio excipiuntur. Deinde Indulgentiæ ſi ſint alligatæ ad certum diem, ad alium transferri non poſſunt. *Pelliz. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 227 Poteſt autem contingere, ut aliquando congruum eſſet Indulgentiam transferre.

167 Notatio Sexta. An qui in uno loco talem Indulgentiam lucratur, poſſit in alio loco eam iterum lucrari? Pro dubii reſolutione ſuppono in hac Civitate Fluminenſi, v. g. unos dies aſſignari ad Indulgentiam lucrandam, & in Civitate S. Pauli, v. g. alios dies fixos, vel vagos ad arbitrium Epiſcopi. Nunc ſic. Petrus, qui in hac Civitate lucratus eſt Indulgentiam, proficiſcitur poſtea, & accedit ad Civitatem S. Pauli tempore, quo ibi promulgatur Indulgentia: poteritne ibi eam iterum lucrari?

168 ℞. cum diſtinctione, & dico 1. Si Petrus in hac Civitate bis tantum lucratus eſt Indulgentiam; in Civitate S. Pauli poterit eam tertiò lucrari. Ratio eſt: quia Petrus toties poteſt Indulgentiam lucrari, quoties Epiſcopus poteſt eam concedere. Epiſcopus autem poteſt eam ter concedere. Confirmatur: quia hæc facultas eſt quaſi privilegium locale ſumpto loco pro tota Diœceſi, ut alibi diximus: privilegio autem locali fruitur, qui in eodem loco exiſtit, ut eſt omnium.

169 Dico 2. Si vero Petrus ter conatus fuiſſet Indulgentiam lucrari in hac Civitate; re tamen vera non fuiſſet lucratus, adhuc poteſt in Civitate S. Pauli ter conari Indulgentiam conſequi. Ratio eſt: quia Petrus toties poteſt conari Indulgentiam conſequi verè, & cum effectu, quoties Epiſcopus eam poteſt concedere verè, & cum effectu; ſed in noſtro caſu Epiſcopus ter concedit verè, & cum effectu: ergo Petrus poteſt conari Indulgentiam conſequi, donec eam ter conſequatur verè, & cum effectu. Immò optimum conſilium erit, ſi in omnibus Indulgentiis acquirendis ita fiat, ne forte cum aliquas amiſerimus, amittamus omnes.

170 Dico 3. Aſt ſi Petrus in hac Civitate Indulgentiam verè lucratus eſt jam ter, nequit poſtea in Civitate S. Pauli Indulgentiam iterum lucrari. Ratio eſt manifeſta: quia Petrus ſolum poteſt Indulgentiam lucrari, quoties Epiſcopus eam poteſt concedere, & non pluries; Epiſcopus autem ſolum ter in anno, & non pluries dictam Indulgentiam concedere poteſt, ut patet ex facultate Pontificia.

171 Neque obſtat, quod poſt abſolutum Romæ Annum Sanctum ſoleat Pontifex concedere Jubilæum etiam pro aliis Provinciis extra Italiam, & nihilominus poſſint Jubilæum in aliis partibus iterum lucrari, qui illud jam Romæ lucrati ſunt. *La Croix lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1405. Non, inquam, obſtat, quia Summus Pontifex non habet poteſtatem limitatam, ut habent Braſiliæ Epiſcopi ad concedendam Indulgentiam Plenariam ter in anno, & non pluries. Unde ex plenitudine poteſtatis in Pontifice infertur ejus plenitudo voluntatis.

172 Notatio Septima. Prædictam Indulgentiam lucrari poſſunt omnes Chriſti Fideles, tam Braſiliæ incolæ, quam advenæ, & peregrini, tam ſubditi, quam non ſubditi, atque etiam Regulares exempti. Conſtat ex his, quæ diximus *lib.* 1. *à num.* 9. Confirmatur: quia inducta in favorem non debent converti in exemptorum læſionem. *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 88. *num.* 27.

173 Notatio Octava. An etiam Epiſcopus poſſit ſibi lucrari eãdem Indulgentiam? Manifeſta eſt reſolutio affirmativa. Ratio eſt: quia Epiſcopus non debet eſſe deterioris

ris conditionis; ſicut igitur poteſt aliis concedere Indulgentiam, ita poteſt ſibi lucrari. *Barboſ. cit. n.*28. Confirmatur, quia Summus Pontifex ſicut Braſiliæ Epiſcopis dat facultatem concedendi Indulgentias, ut habetur in facultat. Catalog. *n.* 14. 17. 18. ita etiam illis dat facultatem lucrandi ſibi eaſdem Indulgentias, ut habetur in eodem Catalog. *num.* 19.

SECTIO V.

De Conditionibus ad lucrandam Indulgentiam Plenariam requiſitis.

174 NOtatio Prima. Ad lucrandam Indulgentiam Plenariam, quam ter in anno largiri poſſunt Braſiliæ Epiſcopi, requiritur 1. Contritio. Conſtat ex facultate Pontificia, ibi: *Cõtritis*. Hæc autem Contritio ſufficit, quod ſit perfecta, quæ dicitur ſimpliciter *Contritio*: vel etiam imperfecta, quæ dicitur *Attritio*, & juſtificat cum Sacramento. *Nogueir. in Bull. Cruciat. diſp.* 7. *ſect.* 12. *à num.* 132. Ratio eſt: quia in concedendis Indulgentiis Plenariis, quando requiritur Contritio, intentio Pontificis eſt imponere partes eſſentiales Sacramenti Pœnitentiæ, quarum una eſt ſaltem *Attritio* vera, & ſupernaturalis.

175 Dixi: *Saltem Attritio vera, & ſupernaturalis*: quia ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ non ſufficit Attritio exiſtimata, neque etiam Attritio naturalis: tum, quia Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem: *Probabile eſt ſufficere Attritionem naturalem, modo honeſtam*: tum, quia Attritio, quæ diſponit ad gratiam in Sacramento impetrandam, eſt donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus, ut dicitur in *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 4.

176 Notatio Secunda. Requiritur 2. Confeſſio; id eſt, oris Confeſſio in Sacramento Pœnitentiæ Conſtat ex facultate Pontificia, ibi: *Confeſſis*.

177 Quod intellige de Confeſſione valida, non autem de invalida. Ratio eſt 1. quia per Confeſſionem invalidam non redditur homo Deo gratus: ergo neque dignus Indulgentiæ impetrandæ. 2. quia per Confeſſionem invalidam, ſi voluntaria ſit, non ſatisfit Eccleſiæ præcepto, juxta Propoſitionem ab Alexandro VII. damnatam; *Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*: ergo neque conditioni requiſitæ ad Indulgentiam lucrandam,

178 Obſerva tamen, quod licet in facultate Pontificia ponatur prius particula *contritis*, & poſterius particula *Confeſſis*, ibi: *Contritis Confeſſis*, nihilominus ad Indulgentiam lucrandam ſufficit, quod Contritio, (ſive perfecta, ſive imperfecta) ſubſequatur ad Confeſſionem, dummodò præcedat abſolutionem. Eſt ſententia communis. Fundatur in eo, quod Sacramentum Pœnitentiæ eſt quoddam compoſitum morale, cujus pars materialis eſt contritio, ſeu dolor; abſolutio vero forma, ſufficit autem ad compoſitum, quod materia præcedat formam.

179 Notatio Tertia. Requiritur 3, Communio; id eſt, Sacræ Euchariſtiæ ſumptio. Conſtat ex facultate Pontificia, ibi: *Sacra Communione refectis.*

180 Adverte tamen cum *Nogueir.* quod Indulgentia non obtinebitur, ſi Cõmunio ſit ſacrilega. Ratio eſt 1. quia Summus Pontifex quando ad Indulgentias requirit Cõmunionem

nem, eam intendit, qua communicantes redduntur ſpiritualiter refecti: ſpiritualiter autem refecti non redduntur, qui ſacrilegè communicant. 2. quia communio ſacrilega non admittitur ad ſatisfaciendum præcepto communionis Paſchalis, juxta propoſitionem damnatam ab Innocentio XI. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*: ergo neque ad Indulgentiam lucrandam.

181 Unde colligitur 2. quod ad Indulgentiam conſequendam requiratur ſtatus gratiæ. *Nogueir. cit. num.* 40.

182 Colligitur 2. quod Contritio, Confeſſio, & Communio non debent ſumi diſtributivè, nempè ut aut Contritio detur, aut Confeſſio, aut Communio: ſed neceſſario ſumi debent conjunctivè, nempè, ut detur Contritio, & Confeſſio ſimul cum Communione. *Nogueir. cit. ſect.* 9. *à num.* 98. Deſumitur ex facultate Pontificia, ibi: *Contritis, Confeſſi, ac Sacra Communione refectis.*

183 Sic qui in Quadrageſima præterita Confeſſus fuit, licet poſtea eliceat Contritionem, in qua includitur votum confitendi in Quadrageſima futura, ſi re ipſa non confiteatur ad Indulgentiam conſequendam, eam utique non conſequetur: id quod cum *Nogueir. cit.* extendimus etiam ad eos, qui nulla habeant peccata mortalia, ſed ſolum venialia.

184 Neque obſtat, quòd præcepto annuæ Confeſſionis ſolum obligentur, qui habent conſcientiam peccati mortalis: idem ergo videtur dicendum de eo, qui Indulgentiam conſequi velit. Non, inquam, obſtat: quia per id præceptum ſolum obligamur ad Confeſſionem, ad quam tenemur ex jure divino: ex jure autem divino non tenemur confiteri peccata venialia, ſed tantum mortalia. At verò ad Indulgentiam conſequendam poteſt Summus Pontifex exigere Confeſſionem etiam venialium, ſicut alia opera pietatis, & conſilii. *Nogueir. cit. à num.* 98.

185 Notatio Quarta. Quæſtio eſt: An ad Indulgentiam conſequendam requiratur intentio actualis, an virtualis, an ſatis ſit habitualis, & interpretativa? Pro quæſtionis intelligentia præmittendum eſt diſcrimen inter has intentiones. Intentio igitur actualis eſt illa, qua quis actu intendit aliquid facere.

186 Virtualis eſt intentio præterita non retractata, quæ tamen aliquatenus influit in opus, ut quando quis ex intentione celebrandi, induitur veſtibus Sacris, accedit ad altare, & reliqua peragit, quamvis dum actu conſecrat, involuntariè diſtrahatur.

187 Habitualis eſt intentio præterita non retractata, ut ſiquis heri intenderit aliquid facere, & hodie illud efficiat, quin intentionem retractarit.

188 Interpretativa demum intentio ea eſt, qua quis aliquid vult in cauſa, ut quando quis inebriatur advertens ſe facilè in ebrietate patraturum homicidium, ſicut etiam ea, quam quilibet cenſetur communiter habere ſaltem implicitè, dùm operatur. His præmiſſis,

189 Putant aliqui, inter quos *Nogueir. cit. num.* 166. non lucrari Indulgentias, qui opera injuncta facit ignorans illis annexam eſſe Indulgentiam: quia ſcilicet non videtur ea eſſe intentio Pontificis, quòd Indulgentia concedatur ignoranti,

ranti, habenti ſolum voluntatem Habitualem, aut interpretativam lucrandi illam: Indulgentia enim eſt veluti donatio ſatisfactionum Chriſti Domini, quibus ſolvimus debita propria: donatio autem ſine acceptione eſt invalida. Ità diſcurrunt, qui ad Indulgentiam lucrandam requirunt intentionem formalem, actualem, vel virtualem.

190 Nihilominùs oppoſitum tenent *Sanctarellus*, *& Layman.* apud *Viva tom.* 1. *Theſ. damnatar.* in fine, ubi *de Jubilæo quæſt. 6. art.* 4. Fundamentum eſt, quià mens Pōtificis non videtur poſtulare, quòd opera ponantur ex intentione Indulgentiam conſequendi, cum Pontifex id nunquàm expreſſerit; nec ſit ratio, cur ea mens de Pontificis benignitate præſumatur. Confirmatur: quià id non exigit natura Indulgentiarum, cum Indulgentiæ etiam amentibus concedi poſſint, & ſatisſit ad eas lucrandas paſſivè ſe habere.

191 Quemadmodùm igitur, ut ego eximar ab aliquo debito ſatis eſt, quòd alius pro me ſolvat; etiam ſi id ignorem, nec ullatenùs hujuſmodi veluti donationem acceptem; imò licet renuam, adhuc immunis ſum à debito, ſi creditor ceſſit jure ſuo, acceptando ſolutionē, quam alius fecit pro me: ità pariter, ut ego eximar à debito pœnarum, ſatis eſt, quòd Pōtifex velit pro me ſatisfactiones Chriſti Domini offerre, & Deus eas acceptet, quāvis me inſcio, ſicut accidit, quoties applicatur Sacrificium Miſſæ pro me id ignorante.

192 His non obſtantibus, conſultius eſt in Indulgentiis lucrandis intentionem habere actualem, vel virtualem, intendendo lucrari Indulgentias annexas operibus faciendis. *P. Viva cit.*

193 Colliges adhuc 1. Indulgentiam plenariam à Braſiliæ Epiſcopis conceſſam, caſu, quo promulgetur tempore Quadrageſimæ, etiam obtineri poſſe per Confeſſionem, & Cōmunionem, quibus ſatisfit præcepto annuæ Confeſſionis, & Communionis. *Nogueir. cit. n.* 170.

194 Colliges 2: ad Indulgentiam lucrandam non requiri confeſſionem generalem totius vitæ. *Nogueir. cit. n.* 112. cum id non exprimatur in facultate, quam Pontifex Braſiliæ Epiſcopis concedit.

195 Colliges 3. quod occaſione Indulgētiæ Plenariæ ſicut non ſunt imponendæ Pænitētiæ graves, ità leves non ſunt omittendæ, præſertim ſi ſint medicinales. Ratio primi eſt: quià per Indulgentiam Plenariam remittitur omnis pœna in Purgatorio luenda, & per conſequens Pœnitens iſtam Indulgentiam lucrans, nullius manet reus pœnæ, pro quà ſatisfacturus ſit in Purgatorio.

196 Ratio ſecundi eſt: quià pœnitentia eſt pars integralis Sacramēti: Undè ut Sacramentum maneat integrum, debet confeſſarius aliquam pœnitentiam imponere Pœnitenti, neque enim Indulgentiæ ſubſtituuntur pro pœnitentia Sacramentali. Neque obſtat, quod *Trid.* dicat: *Ne leves pœnitentiæ pro gravibus culpis injungātur*: Concilium enim loquitur, & intelligitur præſcindendo ab Indulgentiis, & Jubilæis.

197 Dixi ſuprà: *Præſertim ſi ſint medicinales*: quià obligatio Pœnitentiæ medicinalis nullo modo per conſecutionem Indulgentiæ plenariæ extinguitur: cùm adhuc detur cauſa, ſive finis, ob quem fuit impoſita, nempe evitatio culpæ, & emendatio vitæ Pœnitentis, ad quem finem unicè conducit Pœnitentia me-

medicinalis. Ita communiter.

APPENDIX

Ad præcedentem Diſputationem.

198 PRæter Indulgentiam plenariam, quam ter in anno largiri poſſunt Braſiliæ Epiſcopi, extant, & aliæ, quas tranſmarini conſequantur, ex multiplici Summorum Pontificum conceſſione facta Eccleſiis Societatis, & quibuſdam miniſteriis, ac piis operibus. Ne igitur tanto bono fraudētur defectu notitiæ, qui alioquin, ſi eam haberent, has etiam Indulgentias conſequi vellent, libens tranſcribam, de quibus indubitabiliter conſtat ex novo Compendio Indico V. *Indulgentia.*

Indulgentiæ propriæ Scholarium, qui Gymnaſia Societatis frequentant.

1 SCholares utriuſque Indiæ B. V. Mariæ Confraternitatibus adſcripti, qui in Annuntiationis, & Aſſumptionis B. V. Feſtis, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſceperint, & coronam vel Tertiam partem Roſarii recitaverint, Indulgentiam plenariam conſequentur. Gregorius XIII. ad decennium conceſſit 12. Auguſti 1573. Benedictus XIII. in Bullà. *Animarum ſaluti*, confirmavit, & prorogavit uſque ad 11. Februarii 1750.

2 Eamdem Indulgentiam conſequentur in mortis articulo, ſi pœnitentes, & Confeſſi Sacrà Communione reficiantur, aut ſaltem actum contritionis efficiant; ſi confiteri, & Communicare non poterunt. Benedictus XIII. in citata Bullà.

3 Eiſdem ab eodem Pontifice conceduntur decem anni Indulgentiæ, ſi Præmiſſa devotè egerint in Feſtis B. Mariæ V. & Pentecoſtes, Nativitatis, & Reſurrectionis D. N. JESU Chriſti.

Indulgentiæ communes tàm Scholaribus, quàm non Scholaribus.

1 OMnes utriuſque ſexùs Fideles, qui in utràque Indià viſitaverint Eccleſias Societatis tàm erectas, quàm erigendas in die Dedicationis, ſeu Invocationis illarum, aut Circumciſionis Domini, & Confeſſi, ac contriti Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, & ibi pias ad Deum preces fuderint pro S. R. Eccleſiæ exaltatione, ac Fidei Catholicæ propagatione, plenariam peccatorum ſuorum Indulgentiam conſequentur. Conceſſit primò ad decennium Gregorius XIII. 8 Septembris 1573. Prorogarunt Succeſſores, & nuperrimè Benedictus XIII. in Bullà: *Animarum ſaluti*: uſque ad annum 1750.

2 Idem Pontifex in eàdem Bullà, aut de novo conceſſit, aut prorogavit ad annum 1750. ſequentes Indulgentias: videlicet.

3 Plenariam; toties quoties verè pœnitentes, & Confeſſi, ac Sacrà Communione refecti aliquem ex Infidelitate, & Idolatria ad veri Dei cognitionem reduxerint.

4 Plenariam: ſi viſitaverint Eccleſiam Meliopurenſem S. Thomæ, & Eccleſias Societatis JESU inter ſe per centum milliaria diſtantes, in quatuor Feſtis D. N. B. Mariæ V. & Sanctorum per Præpoſitum Generalem deſignandorum.

5 Aſſiſtentibus Proceſſionibus, quæ fiunt in diebus Veneris Quadra-

dragefimæ, ad orandum pro converſione Gentilium, & Hæreticorũ, ſi fuerint è Congregatione B. Mariæ, annos tres; ſi verò non fuerint ex Congregatis, unius anni Indulgentiam.

6 Quadraginta dies viſitantibus, & orantibus in Eccleſiis, aut Capellis Societatis erectis, & erigendis, & ſemel in anno in die à Provinciali aſſignato ſeptem annos, & totidem Quadragenas.

7 Septem annos viſitantibus Eccleſias noſtras diebus Feriæ Sextæ I. Hebdomadæ cujuſcumque menſis, ibique quinquies Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitantibus pro exaltatione Fidei Catholicæ.

8 Decem annos idipſum facientibus in Feſtis D. N. JESU Chriſti, B. V. & Tituli, ſeu Patroni Eccleſiæ.

9 Viginti quinque annos viſitantibus Hoſpitalia, Xenodochia, & ſimilia loca pia, præſertim Indorum, infirmisque inſerviendo, vel per ſe, vel per alium: & ſi ibi pernoctaverint, annos quinquaginta.

10 Viſitantes Eccleſias Societatis, ibique devotè orantes in diebus ſtationum Urbis, eaſdem, & ſingulas Indulgentias conſequuntur, ac ſi Romanas Baſilicas, & Eccleſias viſitaſſent.

11 Toties quoties quivis Chriſti Fidelis Confeſſus, ac Sacra communione refectus B. V. Coronam, aut Tertiam Roſarii partem recitaverit pro animabus eorum, qui in præfatis utriùſque Indiæ navigationibus pro negotio Fidei inſtitutis mortui ſunt, toties unam ex eorum animabus à pœnis Purgatorii liberabit.

12 Innocentius XI. Bulla lata 30. Maii 1686. incipit: *Pietatis, ac Chriſtianæ*: conceſſit docentibus Doctrinam Chriſtianam, & ad ſanctum id miniſterium cooperantibus Indulgentiam plenariam conſequendam ſemel in anno in die ab Ordinario aſſignato, ſi pœnitentes confeſſi, ac Sacra Communione refecti Eccleſiam deſignatam viſitaverint. Item ducẽtos dies mittentibus filios, ſervos, & mancipia ad addiſcendam Doctrinam Chriſtianam. Centum annos illis, qui illam publicè docent. Septem annos Magiſtris Scholarum. Centum annos Patribus, & Matribusfamilias, illam domeſticos docentibus. Ducentos dies aſſiſtentibus Doctrinæ explicationi, & inſuper ducentos dies, quoties infirmos viſitaverint.

DISPUTATIO QUARTA

DE DECIMA QUINTA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid ſit Hæreſis?

199 DEcima quinta Facultas Pontificia; *Abſolvendi ab Hæreſi, & Apoſtaſia à Fide, & à Schiſmate quoſcumque etiam Eccleſiaſticos, tàm ſæculares, quàm Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, niſi in locis Miſſionum, in quibus impunè graſſantur Hæreſes, deliquerint, nec illos, qui judicialiter abjuraverint, niſi iſti nati ſint, ubi impunè graſſantur Hæreſes, & poſt judicialem abjurationem, illuc reverſi in hæreſim fuerint relapſi, & hos in foro cōſcientiæ tantùm.*

200 Notatio Prima. Quid ſit Hæreſis? ℞. *Hæreſis eſt error voluntarius, & pertinax contrà aliquam doctrinam, & veritatem Fidei Chriſtianæ in eo, qui fidem recepit.* Ità communiter Theologi cū *D Thom.* 22. *q.* 11. *art.* 1. & 2. Explicatur definitio per ſingulas ſui particulas. Dicitur *error*: quià recipitur in intellectu. Undè qui metu compulſus aliquod opus externum faceret, v. g. idolis thurificando, dummodò interiùs nullum errorem haberet in intellectu, non eſſet verè, & propriè Hæreticus, nec in foro interno incurreret pœnas Hæreticis impoſitas, v. g excōmunicationem Pontifici reſervatam in Bulla Cœnæ.

201 Ratio eſt: quià talis excōmunicatio contra illos fertur, qui ſunt verè, & propriè Hæretici; ſed prædictus non eſt talis defectu erroris intellectualis juxta AA. infrà citandos: ergo prædictam excommunicationem non incurrit pro foro interno, eſto pro foro extèrno reputari poſſet Hæreticus, & ut talis puniri ab Eccleſia. Quo poſito, ſiquis prædictum peccatum, aut aliud ſimile committeret cùm excommunicationem Papalem non incurrat, á quolibet Confeſſario abſolvi poteſt. Ità *Suar de fide diſp.* 14. *ſect. ultim. n.* 3. *Sayr. in Clavi Reg. lib.* 4. *Cap.* 4. *n.* 11. *Sanch. lib.* 2. *in Decalog. Cap.* 7. *n.* 8. *Caſtro Palao tom.* 1 *tract.* 4. *diſp.* 3. *punct.* 2. *n.* 17. & *alii contra Caet. in* 22. *quæſt.* 12. *art.* 1.

202 Dicitur *Voluntarius*: quià ſine voluntate non eſt peccatum. Sic qui blasfemias, & graviſſimas tentationes contrà Deum, & Sanctos involūtariè patiuntur, non ſunt Hæretici. *Ledeſma* 2. *par Cap.* 6. *concl.* 3. & *Sanch. n.* 14. Ratio eſt: quià talibus deficit cōſenſus, & plena deliberatio. Quod valdè notandum eſt pro his, qui cū animi angore, & triſtitia ſimiles tentationes inviti patiuntur. Hi enim, plerūque ſunt animæ Deo charæ, & non flagitioſæ, nam

nam flagitioſos rarò tentationes affligunt. Et quidem modus tales tentationes vincendi, eſt prorſùs eas contemnere, & aliud agere, ac ſi minimè pungerent, ut bene docet *D. Bonavent. opuſc. de profect. Religioſ. lib.* 2. *cap.* 3. *tom.* 7. *pag.* 615.

203 Dicitur *pertinax*: qui enim ſciens tenet aliquid contrà id, quod ab Eccleſià eſt definitum Hæreticus reputatur. *D. Thom.* 1. *part. quæſt.* 32. art. 4. Ubi notandum, quod pertinacia non requirit temporis moram, ut adeſſe dicatur, ſed poteſt in inſtanti conſummari, adeo, ut ſi plenè advertens teneas aliquid Eccleſiæ determinationi contrarium, verè eris pertinax, & obſtinatus in tuo errore; etſi poſteà facti te pœniteat. *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *q.* 1. *Sanch. cap.* 7. & alii apud ipſum, *Trullench. cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 8. *Lugo diſp.* 20. *Sect.* 5. *n.* 157.

204 Dicitur: *Contra aliquam doctrinam, & veritatem Fidei Chriſtianæ*: quià ſi ſit contrà omnes, eſt apoſtaſia, quæ in hoc diſtinguitur ab hæreſi, quòd hæc tantùm eſt contraria alicui veritati fidei Catholicæ, illa verò omnibus fidei articulis; & ſic Apoſtata omnia dogmata fidei Chriſtianæ negat, & derelinquit, convertens ſe ad Judaiſmum, aut Paganiſmum. Sic non eſt Apoſtata, ſed tantùm Hæreticus, qui divinæ revelationi veræ, privatæ tamen, non credit, eſto ex hoc præciſè puniri non poſſit ab Eccleſià. *Suar. diſp.* 19. *Section.* 5. *n.* 11. *&* 12. *Sanch. cit. cap.* 7. *n.* 32. *Fagund. in Decalog. lib.* 1. *cap.* 10. *à n.* 36. *Caſtr. Pal. punct.* 2. *n.* 14. *&* 15.

205 Dicitur: *in eo, qui fidem recepit*: quià ſi priùs non ſuſcepit fidem, conſtituit Paganiſmum, aut Judaiſmum, quorum primus nullo modo recepit Chriſti fidem, & ſecundus tantùm in figurà.

206 Notatio Secunda. Hinc de Catechumeno, qui jam in Chriſtum credidit, & fidem ſuſcepit, non tamen Baptiſmum in re, ſi intereà aliquem fidei articulum neget, dubitari ſolet: an ſit Hæreticus? Negant *Sanch. citat. num.* 7. *Sayr. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 11. *& alii.* Ratio illis eſt: quià qui ſolemniter fidem in Baptiſmo profeſſus non eſt, nequit recedere à fide Chriſti, quam non ſuſcepit: ergò non eſt Hæreticus, ſed infidelis.

207 Affirmant *Suar. diſp.* 19. *Section.* 5. *n.* 3. *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæſt.* 3. *Caſtr. Pal. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 3. *punct.* 2. *n.* 20. *Fagund. lib.* 1. *in* 1. *præcept. Decalog. cap.* 10. *n.* 27. *& alii.* Fundamentum eſt: quiá talis Catechumenus, quamvis non ſit baptizatus, verè credit in Chriſtum; ſed qui verè credit in Chriſtum, ſi intereá aliquem fidei articulum neget, neque eſt infidelis, neque Judæus: non infidelis, quià is nunquàm credidit in Chriſtum, non Judæus, quià is ſolùm credidit in figurà, ideſt, Chriſtum venturum: ergo talis Catechumenus verè, & propriè eſt Hæreticus.

208 Quod tamen intelligunt hi AA. de foro interno, & apud Deum; nam in foro externo catechumenus non reputatur Hæreticus, nec ut talis puniri poteſt ab Eccleſia. *Suar. cit. n.* 6. *Sanch. cit. n.* 34. *Caſtr. Pal. cit. n.* 20. *& alii apud ipſos.* Ratio eſt: quià Catechumenus non baptizatus, licet fidem Chriſti jam profiteatur, nondùm tamen in Eccleſiam eſt ingreſſus: ergò licèt ſit Hæreticus internus, aliquem

fidei articulum interim negando, tamen ab Eccleſia puniri nequit, ut Hæreticus publicus. Quod eſt conforme *Tridentino Seſſ.* 14. *cap.* 2. *ibi*: *Cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de his, qui foris ſunt, judicare?*

SECTIO II.

Quotuplex ſit Hæreſis?

209 NOtatio Unica. Quotuplex ſit Hæreſis? ℞. Hæreſis dividitur 1. in formalem, & materialem. Formalis eſt: quando datur error pertinax contra aliquem fidei articulum, ut ſiquis ſciens Chriſtum eſſe ſimul verum Deum, & hominem, id contumaciter negaret. Materialis eſt: quando aliquid ignoranter, aut externé tantùm, & non internè, profertur cōtra fidem.

210 Dividitur 2. Hæreſis formalis in mentalem, ſeu purè internam, & in externam ſimul, & internam. Hæreſis mentalis eſt, quæ nullo ſigno ex ipſa hæreſi interiori orto, exteriús manifeſtatur: externa verò, & ſimul interna eſt, quando error interior intellectús aliquo ſigno, ex ipſa hæreſi interiori orto, & per ſe illius manifeſtativo oſtenditur.

211 Et quidem hæc Hæreſis externa dividitur rurſús in eam, quæ eſt omninò manifeſta per ſe, & in eam, quæ eſt manifeſta per ſe, ſed occulta per accidens. Illa eſt, quæ manifeſtatur non ſolúm exteriús verbo, aut ſigno, verúm etiam coram pluribus id videntibus, aut audientibus: iſta verò eſt, quæ licet exteriús verbo, aut ſcripto pateſiat, tamen hoc ſit, nullo id vidente, aut audiente.

212 Quæres igitur: Quotuplex ſit Hæreticus? ℞. vel eſſe Affirmativum, vel Negativum. Hæreticus Affirmativus eſt, quando errorem exiſtentem in mente, verbo, aut factis oſtendit: Negativus vero, quādo quis legitime convictus de hæreſi, pertinaciter illam negat, profitens exterius fidem Catholicam. De modo procedendi contra hæreticum negativum, videantur *Farinac. de Hæreſi lib.* 5. *quæſt.* 178. §. 1. *à n.* 20. *Caſtr. Pal. tract.* 4. *diſp.* 3. *n.* 5. *& alii apud ipſos.*

SECTIO III.

Quid ſit Apoſtaſia à Fide?

213 NOtatio Prima. Quid ſit Apoſtaſia à Fide? ℞. *Apoſtaſia eſt error volūtarius, & pertinax contrà omnem veritatem, & doctrinam fidei Chriſtianæ in eo, qui fidem ſuſcepit.* vel, ut ait *Bañez ex D. Thom.* 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *Apoſtaſia eſt retroceſſio hominis baptizati à totâ fide.* Definitio liquet ex dictis, ubi de Hæreſis definitione, & rurſús patet: quià Apoſtata in hoc deficit ab Hæretico, quod hic habet errorem contrarium huic, aut illi veritati Catholicæ, ille verò omnibus. Videatur *D. Thom. loc. cit.* De Apoſtaſiæ diviſionibus. Vide *Delbene part.* 2. *Dubitat.* 236. *á n.* 1.

214 Notatio Secunda. An autem Apoſtaſia differat ſpecie ab Hæreſi? Duplex eſt ſententia. Prima aſſerit Hæreſim, & Apoſtaſiam ſpecie differre. Sic *Sylveſter* verb. *Hæreſis*, *Canus de locis lib.* 12. *cap.* 9. *col.* 3. *Turrecremata lib.* 4. *Sum. part.* 2. *cap.* 13. Secunda verò ſententia

tentia docet non differre ſpecie, ſed tantum ſecundum magis, aut minus. *Ità D.Thom. 22. quæſt.2.art. 1. ad* 3.his verbis: *Unde Apoſtaſia non importat determinatam ſpeciem infidelitatis, ſed qnandam circũſtãtiam aggravantem. D. Thom.* ſequuntur plurimi apud *Sanch. citat. Cap. 7. n.* 16; *&* 17.

215 Notatio Tertia. Suppoſitâ tamen hac ſecunda ſententia, adhuc ſupereſt difficultas: an Apoſtaſia à Fide quando præciſè importat circunſtantiam notabiliter aggravantem, ſit peccatum neceſſario aperiendum in Confeſſione? Negant plurimi: contrà verò affirmant *Sãch. n.* 17. *Ledeſma* 2. *p. tract.* 1. *Cap.* 7. *concl.* 3. *Trullench. n.* 22; *& alii.* Vide illos.

SECTIO IV.

Quid ſit Schiſma?

216 NOtatio Unica. Quid ſit Schiſma? ℞. *Schiſma eſt ab unitate Eccleſiæ voluntaria ſeparatio.* Ità *D. Thom.* 22. *quæſt.* 39. *art.* 1. *Sylveſter* verb. *Schiſma Navarrus in ſummâ Cap.* 2. *n.* 67. *Ledeſma tract.* 3. *Cap.* 12. Unde fit, quod omnis Hæreticus ſit Schiſmaticus, cum hæreticus ſeparetur ab unitate Eccleſiæ: quamvis non omnis Schiſmaticus ſit hæreticus: quià Schiſmaticus poteſt eſſe ſine aſſenſu contrà fidem, credẽdo omnibus veritatibus fidei Catholicæ, cum ſola voluntate ſeparandi ſe ab unitate Eccleſiæ, & talis dicitur purè Shiſmaticus.

217 Sed licet metaphyſicè loquendo, hæc ità ſint, tamen moraliter ſemper hujuſmodi Schiſmatici habent aliquam hæreſim conjunctam, ut rectè ab Eccleſia receſſiſſe videantur. Sic *D. Thom. cit. ad* 3. *Sanch. lib.* 2. *Decalog. Cap.* 36. *à n.* 1. *Caſtro Pal. tract.* 6. *diſp.* 4. *punct.* 5. *Bonac. diſp.* 3. *quæſt.* 4. *punct. ultim.* §. *propoſit.* 1. *&* 2. & alii communiter. Qui omnes addunt Schiſma eſſe graviſſimum peccatum, cùm ſcindat unitatem Eccleſiæ, eam ſeparando á capite, ac proinde incapax, ut aliquando ſit veniale ex parvitate materiæ.

218 De Schiſmate autem, quando in Eccleſia inſurgunt plures Sũmi Pontifices, an omnes ſint Schiſmatici? Et quid debeant tunc facere fideles? Reſpondent *Salmantic. tom.* 3. *Moral. tract.* 21. *Cap.* 8. *punct.* 2. *n.* 15. quòd ſi contrà Pontificem certum alii poſteà inſurgant Pontifices, omnes iſti, & eorum ſequaces ſunt Schiſmatici: at ſi nullus ſit ritè, & certò in Pontificem electus, ſed de omnibus æqualiter dubitetur, tunc omnes tenentur cedere, & conari ad unius capitis deſignationem: quòd ſi hoc renuant, & pertinaciter perſiſtant, erunt omnes verè, & realiter Schiſmatici, Deoque reddent rationem villicationis ſuæ, & damni inde toti Eccleſiæ provenientis. Et in hoc caſu docent ex *Tapia*, *Ledeſma*, *& Caetano*, fideles tunc nullum ex illis debere, ut Pontificem habere, cum exponantur periculo errandi, ſed tantùm credere, ſe eſſe membra Eccleſiæ Catholicæ, cujus caput principale eſt Dominus JESUS Chriſtus.

SEC-

SECTIO V.

De pœnis, quibus Hæretici ſubjacent.

219 NOtatio Prima. Quibus pœnis ſubjaceat Hæreticus? ℟. Hæreticum variis pœnis temporalibus, & ſpiritualibus ſubjacere, de quibus breviter. Prima igitur pœna temporalis, cui ſubjacet Hæreticus, eſt confiſcatio omnium bonorum, ut patet ex leg. *Manichæos*, C. De hæreticis: & ex pluribus aliis textibus, quos eruditè congerit *Farinac. quæſt.* 190. *n.* 1. *& in* Cap. *Excommunicamus* leg. 1. §. *Damnati*, dicitur: *Itá quòd bona hujuſmodi damnatorum, ſi Laici fuerint, confiſcentur; ſi verò Clerici, applicentur Eccleſiis, à quibus ſtipendia receperunt.*

220 Secunda pœna temporalis eſt infamia, ob quam hæreticus fit inhabilis ad omnes honores, dignitates, & officia, ut conſtat ex Cap. *Infames*, 6. *quæſt.* 1. Cap. *ſtatutum* 2. De hæretic. in 6. & ex pluribus aliis textibus juris Civilis, & Canonici. Adquâ infamiæ pœnâ reducitur portatio illius habitus, vulgò, *San Benito*, Crucibus ante, & retrò rubei, & crocei coloris ſignati.

221 Jam verò ſi hujuſmodi habitelli ethymon ſcire appetas, deducitur ab eo, quòd in primitiva Eccleſia, qui publicè pœnitentiam agebant, induebantur ſacco, ab Epiſcopo, vel Sacerdote benedicto, & eo induti coram foribus Eccleſiæ perſeverabant quouſque ab ea pœnitentia abſoluti ad Eccleſiæ gremium admittebantur. Atque inde ortum duxit, quòd S. Inquiſitionis Tribunal imperet, ut ſimili ſacco induti incedant Judæi, vel Hæretici converſi, tàm in ſignum publicæ deteſtationis erroris præteriti, quàm ad eorum infamiam: quiá cùm publicè deteſtati fuerint fidem Catholicam, & Chriſti crucem, juſtum eſt, ut illius ſignum etiam publicè geſtent. *Farinac. de Hæreſi, quæſt.* 193. §. 4. *n.* 91; *&* 92.

222 Tertia eſt pœna perpetua carceris, ut expreſſè habetur in Cap. *Excommunicamus* 2. De hæreticis, his verbis: *Siqui autem de prædictis poſtquàm deprehenſi fuerint, redire voluerint ad agendum pœnitẽtiam, in perpetuò carcere dãnentur.* Videatur *Farinac. quæſt.* 193. §. 1. *n.* 103.

223 Quarta eſt pœna mortis, ut habetur in leg. *Ariani*. C. De Hæretic, leg. *culpa*, C. De maleficiis, leg. *Quicumque*, C. De Hæretic. Quam poteſtatem habet Eccleſia à Chriſto, ut docet *D. Thom.* 22. *quæſt.* 11. *art.* 3. & cum eo plurimi, quos refert, & ſequitur *Suar. de fide diſp.* 22. *à. n.* 2. contrà Lutherum, & alios Hæreticos. Sic D. Petrus Act. 15. jam Summus Pontifex à Chriſto creatus ob uſurpationem bonorum Eccleſiæ Ananiam, & Saphiram ſolo verbo interfecit. Hactenùs de pœnis temporalibus.

224 Notatio Secunda. Inter pœnas verò ſpirituales, quas incurrunt Hæretici, & quæ inſtituti noſtri ſunt propriæ, prima eſt Excõmunicatio, ut conſtat ex Cap. *Excommunicamus* 1. & 2. De Hæreticis, & Cap. *Quicumque* De hæreticis in 6. in Cap. *Noverit*. De ſent. Excommunicat. Et licet talis excõmunicatio olim non eſſet lata, ſed ferenda, ut patet ex Cap. *Siquis Epiſcopus*, 1. *quæſt.* 7. & ex Conciliis antiquis, juxtà quæ videtur loqui *D. Thom.* 22. *q.* 11. *art.* 3. tamen in allegatis juribus, talis excommunicatio eſt lata, licet non reſerva-

ſervata: reſervatur tamen à Pontifice in Canone 1. Bullæ Cœnæ.

225 Secunda pœna ſpiritualis contra Hæreticos lata, eſt irregularitas, ut conſtat ex cap. *ſaluberrimum*, & cap. *Convenientibus*, 1. *quæſt.* 7. & cap. *Nos conſuetudinem diſt.* 12. ubi Clerici ab hæreſi redeuntes permittuntur in ordine ſuſcepto miniſtrare, non tamen alium denuo ſuſcipere.

226 Tertia pœna ſpiritualis eſt, privatio poteſtatis ſpiritualis, non ordinis, (niſi ad ſumum quoad uſum licitum illius), ſed juriſdictionis. Prima pars conſtat ex cap. *Arianos* 1. *quæſt.* 1. ex Cap. *Convenientibus*, & Cap. *Siquis voluerit* 1. *q.* 7. & Cap. *Ordinationes*. Videatur *Suar. diſp.* 21. *ſect.* 5. *num.* 6. *&* 9. Secunda verò pars, videlicet privatio juriſdictionis, incurritur ex vi excommunicationis maioris latæ in Canone 1. Bullæ Cœnæ.

227 Quarta pœna Spiritualis eſt, privatio Beneficiorum, & Officorum ritè acquiſitorum, & inhabilitas ad alia obtinenda. Ita in Cap. *Quo jure*, *diſtinct.* 8. Cap. *Ut commiſſi*, de Hæretic. in cap. 6. *Ad abolendum* §. 1. De hæretic. cap. *Statutum*, & 1. eodem titul. De hæretic. in 6.

228 Quinta Hæreticorum pœna ſpiritualis, eſt privatio ſepultuturæ, ut expreſsè conſtat ex cap. *Quicumque* De hæretic, in 6. cap. *Excommunicamus*, & 1. §. *Credentes* De hæretic. & cap. *Sicut* De hæretic. in fine, ubi advertendum obiter, quod ſiquis in publica hæreſi decedentem ſepeliat, is etiam excommunicatur, ut conſtat ex cap. *Quicumque*, De hæreticis in 6. Videantur *Filliuc. tract.* 22. *cap.* 7. *quæſt.* 6. *num.* 229. *Caſtr. Pal. tract.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 4. *&* *Farinac. loc. cit. quæſt.* 192. *a num.* 38.

SECTIO VI.

De pœnis, quas incurrunt Apoſtata à Fide, & Schiſmaticus.

229 NOtatio Prima. An Apoſtata à Fide incurrat omnes pœnas, & Cenſuras, quibus ſubjacet Hæreticus? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia omnia jura de hæreticis loquentia procedunt etiam de Apoſtatis, & omnes pœnæ contra illos in jure latæ, etiam ab iſtis incurruntur; quatenus iſti, aut etiam ſunt verè hæretici, aut ſaltem hæreticis æquiparantur, ut fatentur omnes DD. juris Pontificii, & cum illis *Sanch. lib.* 2. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 18.

230 Notatio Secunda. Quas deinde pœnas incurrat Schiſmaticus? ℞. multiplices incurrere. Prima eſt Excommunicatio maior ipſo facto incurrenda, ut habetur in Canone 1. Bullæ Cœnæ, Secunda, Privatio juriſdictionis ſpiritualis. Tertia. Inhabilitas ad Beneficia in poſterum habenda, ex cap. *Quia diligentia* de Electione. Quarta. Suſpenſio ordinis á Schiſmaticis ſcienter recepti: ex cap. 1. & 2. De Schiſmaticis. Quinta. Irritatio beneficiorum ab eis collatorum, ex cap. 1. De Sciſmaticis. Sexta. Suſpicio vehemens hæreſis. Septima pœna eſt, eſſe ſubjectos judici Eccleſiaſtico, ut eos puniat carcere, vel triremibus, aut alia digna pœna. *Bonac. Sanch. Valentia*, *Silveſter*, *Navarrus*, *Azor*, & alii, quos citant, & ſequuntur *Salmantic. tom.* 5. *Moral. tract.* 21. *cap.* 8. *punct.* 2. *num.* 14.

SECTIO

SECTIO VII.

Qui dicantur propriè Hæretici, Apoſtatæ, & Schiſmatici ad incurrendas pœnas talibus impoſitas?

231 NOtatio Prima. Hæreticus internus ſimul, & externus, qui verbo, aut ſigno per ſe manifeſtat interiorem hæreſim, incurrit excõmunicationem in Canone 1. Bullæ Cœnæ latam. Ratio eſt: quia talis excommunicatio contra illos fertur, qui verè, & completè crimen hæreſis exterius committũt; ſed tales ſunt, qui hæreſim interiorem verbo, aut ſigno ad id ſufficienti exterius manifeſtant: ergo hi tales incurrunt excommunicationem in Canone 1. Bullæ Cœnæ latam. Ita communiter DD.

232 Notatio Secunda. Quæ autem verba, aut ſigna ſint ſufficientia ad hæreſim internam manifeſtandam, & complendam externe? ℞. duo requiri: primùm, quod ſignum ſit completum, & integrum ad hæreſim internam exprimendam, ſive hoc habeat ex ſe, ſive ex conſuetudine, ſive ex circunſtantiis antecedentibus, concomitantibus, aut conſequentibus, aut etiam ex qualitate perſonæ. Ratio eſt: quia hæreſis interna fieri nequit externa, niſi per ſignificationem ſenſibilem; atqui talis ſignificatio fieri nequit ſenſibilis, niſi per ſigna complete, & integrè hæreſim manifeſtantia: ergo ad hæreſis internæ manifeſtationem requiritur, quod ſignum ejus manifeſtativum ſit integrum, & completum externe.

233 Secundum requiſitum eſt, quod ſignum externum ſit ex ſe peccatum grave in materia hæreſis. Ratio eſt: quia excommunicatio maior non incurritur, niſi ob culpam gravem, ut eſt commune DD. ergo ut incurratur excommunicatio in Canone 1. Bullæ Cœnæ lata contra Hæreticos, requiritur, quod ſignum externum hæreſis internæ manifeſtativum, ſit peccatum grave in materia hæreſis. Ita quoad utrumque *Suar. diſp.* 21. *ſect.* 2. *Vazq* 1. 2. *diſp.* 160. *cap.* 5. *Sanch. in Decalog. cap.* 8. *Caſtro Pal. tract.* 4. *diſp.* 3. *punct.* 3. *num.* 2.

234 Hinc colliges 1. prædictam excommunicationem non incurrere hæreticum internum, qui ſuam hæreſim internam manifeſtat verbo, aut ſigno externo, quod de ſe non eſt peccatum mortale, ſed ſolùm veniale in materia hæreſis. Ratio eſt: quia ob parvitatem materiæ non incurritur pœna adeò gravis, qualis eſt excommunicatio maior *Sanch. lib.* 2. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 11. *& alii.*

235 Colliges 2. talem excommunicationem multò minùs incurrere hæreticum purè internum, qui nec verbo, nec ſigno hæreſim internam manifeſtat. Ratio eſt: quia de occultis per ſe non judicat Eccleſia, ut patet ex cap. *Sicut tuis* §. *ultim.* cap. *Tua.* de Simonia: ergo excommunicatio in Bulla Cœnæ lata hæreticos purè internos non comprehendit. Eſt commune DD.

236 Notatio Tertia. Ultimum dubium: An hæreticus internus ſimul, & externus, occultus tamen per accidens, v. g. quia in cubiculo ſuo, nemine præſente, animo hæretico Chriſtum conculcavit, incurrat excommunicationem? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quia Eccleſia poteſt judicare de hæreſi, quæ vere externa eſt: atqui talis hæreſis vere externa eſt: ergo de illa judicat Eccleſia

cleſia, eamque punit excõmunicatione. Ità multi apud *Sanch. lib.* 2. *Decalog. Cap.* 8. *n.* 6. *Suar. de fide diſp.* 21. *ſect* 2. *n.* 6. *Azor. lib.* 8. *Cap.* 10. *quæſt.* 4. *Caſtro Palao tract.* 4. *diſp.* 3. *punct.* 3. *n.* 1. *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. allegat.* 49. *n.* 9. Hucuſque dicta de Hæreticis, proportionaliter accommoda Apoſtatis, & Schiſmaticis, & quæ hic deſiderantur, vide apud præcitatos DD.

SECTIO VIII.

Quid de jure poſſint Epiſcopi circa Hæreſis, Apoſtaſiæ, & Schiſmatis abſolutionem?

237 NOtatio Prima. An de jure poſſint Epiſcopi abſolvere ab hæreſi, quam incurrunt Hæretici, Apoſtatæ, & Schiſmatici, ſi eorum hæreſis ſit publica? Certa eſt reſolutio negativa, & Conſtat ex Canone 1. Bullæ Cœnæ, ubi Pontifex hæreſim ſibi reſervat. Unde ſicut Confeſſor Ordinarius abſolvere nequit à peccatis, quæ Epiſcopus ſibi reſervat, ut Superior Confeſſoris Ordinarii, *Trid. Seſſ.* 14. *Cap.* 7. ità Epiſcopus abſolvere nequit ab Hæreſi, quam Pontifex ſibi reſervat, ut ſuperior Epiſcopi.

238 Certum eſt etiam nec Prælatos regulares abſolvere poſſe ſæculares ab excõmunicatione, quam incurrunt Hæretici, Apoſtatæ, & Schiſmatici, ſive hæreſis ſit publica, ſive etiam per accidens occulta. Cõſtat ex 4. Propoſitione ab Alexandro VII. damnata, videlicet: *Prælati Regulares poſſunt in foro cõſcientiæ abſolvere quoſcumque Sæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.* Procedit tamen reſolutio ſecundùm jus commune, & non attentis privilegiis, quæ aliquibus Prælatis Regularibus ſpecialiter cõceduntur, de quibus aliquid dicemus diſp. ſequenti.

239 Notatio Secunda. An ſaltem poſſint Epiſcopi poſt Bullam Cœnæ abſolvere ab hæreſi occulta, ex vi facultatis ipſis conceſſæ à *Trid. Seſſ.* 24. *Cap.* 6. *de Reformat*; ibi: *Liceat Epiſcopis in quibuſcumque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvere: idem, & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ, eis tantùm, & non eorum Vicariis, ſit permiſſum.* Eſt controverſia inter AA. circa quam affirmant plurimi poteſtatem à Trid. conceſſam Epiſcopis ablatam fuiſſe per Bullam Cœnæ: *Navar. in ſum. Cap.* 27. *n.* 275. *verſ.* 14. *Suar. tom.* 4. *diſp.* 30. *in* 3. *part. ſect.* 2. *& tom.* 5. *diſp.* 21. *ſection.* 4. & alii, quos citat, & ſequitur *Sanch. in Decalog. lib.* 2. *Cap.* 11. *n.* 27. ultrà alios 50. quos refert, & ſequitur *Barboſ. de poteſt. Epiſc. allegat.* 40. *n.* 25.

240 Contra verò prædictam facultatem non fuiſſe revocatam per Bullam Cœnæ tenent alii Doctores, quorum plurimos affert *Sanch.* proximè citatus. Idem ſentiunt *Dian*; *Trullench. Caſtro Pal*; *& Leander* apud *Salmantic. tom.* 5. *tract.* 20. *Cap.* 3. *punct.* 8. *n.* 82. & prætereà non pauci, quos refert, & ſequitur *Torrecilla in Examin*; *& poteſtat. Epiſc. tract.* 1. *quæſt.* 1. *ſect.* 1. *difficult.* 2. *n.* 4. Qui omnes, ut notant Salmantic. reddunt hanc partem, tùm authoritate, tum ratione ſatis probabilem.

241 Hujuſce tamen opinionis probabilitas in novum dubium revocatur,

catur, poſt. 3. Propoſitionem ab Alexandro VII. damnatam, nempe: *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt: anno 1629. die 18. Julii in conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.* Adhuc enim dubitant DD; an ſententia aſſerens poteſtatem à Tridentino conceſſam abſolvendi ab hæreſi occulta non revocari per Bullam Cœnæ, fuerit etiam damnata ſimul cum prædicta propoſitione: ità ut in damnatione propoſitionis prædictæ non ſolùm damnetur, quòd prædicta Epiſcoporum facultas per Bullam Cœnæ non ſit revocata, ſed etiam damnetur, quòd ſententia id aſſerens in Conſiſtorio Eminentiſ. Cardinalium fuerit, ut probabilis, viſa, & tolerata?

242 *P. Dominicus Viva in Expoſitione dictæ propoſitionis tom.* 1. *Theſ. damnat. pag. mihi* 17. *n.* 4. aſſerere non audet utrumque ab Alexandro damnari; cenſet tamen, quòd ſicut maximum pondus acceſſiſſet ſententiæ affirmanti facultatem à Tridentino conceſſam non revocari per Bullam Cœnæ, ſi talis ſententia in Conſiſtorio viſa, & tolerata fuiſſet: itá maximum pondus de facto acceſſit ſententiæ id neganti ex hoc, quòd Pontifex ex Cathedra doceat ſententiam ipſam affirmãtem non fuiſſe viſam, & toleratam. Unde ſi antea tenuem habebat probabilitatem ſententia affirmans, nũc habet tenuiſſimam: ſi verò anteà erat ſolidè probabilis, nunc ab ea ſolida probabilitate multùm eſt deturbata: & à DD. examinandum eſſet, an à tenui probabilitate declinaſſet in ſufficientem ad prudenter operandum.

243 Reſolvunt alii utrũque dãnari in propoſitione. Ità *Carden. in criſ. Theolog. tract.* 1. *diſp.* 9. *Cap.* 20. *art.* 5. *n.* 345. *Lumbier tom.* 1. *n.* 547. & *tom.* 2. *n.* 720. & alii, quos citant, non tamen ſequuntur *Salmant. tom.* 5. *Moral. tract.* 20. *Cap.* 3. *punct.* 8. *n.* 83. Moventur ex eo, quòd Summus Pontifex in his propoſitionibus principaliter dãnat praxim earum, & non præciſè eas in Scholis, ut licitas, defendere; ſed praxis prædictæ propoſitionis non eſt, quòd ſit viſa, & tolerata à S. Congregatione Cardinalium, ſed quòd de facto ex vi illius ſententiæ abſolvatur ab hæreſi occulta, & aliis criminibus à Summo Pontifice in Bulla Cœnæ reſervatis: ergò hoc eſt, quòd præcipuè damnat Summus Pontifex.

244 His non obſtantibus, defendunt *Salmantic. citati n.* 84. in prædicta propoſitione ſolùm prohiberi, quòd talis ſententia fuerit viſa, & tolerata à S. Congregatione, & pro hac parte citant, præter alios *Moya in ſelectis tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 8. *quæſt.* 5. §. 2. *n.* 5. *Torrecilla loco citato n.* 22. Fundantur primò: quià damnatio prædictæ propoſitionis, ſicut & aliarũ, eſt decretum prohibitivum, & odioſum: ergò ſtrictè eſt interpretandum, & non ampliandum ad caſum non expreſſum, juxtà axioma illud: *Odia ſunt reſtringẽda*: Tum ſic: ſed ſufficienter interpretatur decretum Alexandrinum, ſi dicatur illud dumtaxat prohibuiſſe ultimam partem propoſitionis damnatæ, cum ibi ſit principalis copula eiuſdem propoſitionis hypotheticæ: ergo cum dãnatio quo ad primam partem propoſitionis non ſit expreſſa, ad eam non

non eſt extendenda.

245 Fundantur ſecundò : quià ſi mens Pontificis eſſet utramque partem hujus propoſitionis hypotheticæ damnare, non ſolum eſſet jam deciſum non poſſe Epiſcopos abſolvere ab hæreſi occulta, ſed etiam nec ab aliis criminibus Bullæ Cœnæ occultis; ſed videtur nimis durum, alienumque á pietate Eccleſiæ, facultatem Epiſcopis conceſſam pro omnibus criminibus occultis derogare : ergò intelligenda non eſt talis derogatio. Maior oſtenditur : quià eodem modo loquitur propoſitio quo ad hæreſim occultam, & quo ad alia crimina, ut patet ex textu dictæ propoſitionis : ergò vel nullum crimen occultum prohibet abſolvere, vel omnia concedit.

246 Quibus ſuppoſitis, inclino in judicium Salmanticenſium n. 86. ubi concludunt, quòd ex vi dictæ propoſitionis adhuc non tollitur probabilitas ſententiæ affirmantis poſſe DD. Epiſcopos etiam poſt Bullam Cœnæ abſolvere ab hæreſi, & aliis criminibus occultis ex facultate ipſis conceſſa à Trid. loco citato. Videantur Salmanticenſes citati.

SECTIO IX.

De abſolutione hæreſis in articulo mortis.

247 NOtatio Prima. An in articulo mortis poſſit Hæreticus abſolvi à quolibet Sacerdote? ℞. affirmativè. Conſtat ex *Trid. Seſſ.* 14. *Cap.* 7. ibi : *Verum tamen piè admodùm, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque adeo omnes Sacerdotes quoſcumque pœnitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſint* : ergò & ab hæreſi etiam publica, idque ſeu Sacerdos ſit degradatus, ſeu etiam hæreticus. *Suar. tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 30. *ſect.* 3. *à num.* 2. *Petrus Hurtado diſp.* 84. *ſect.* 8. *Salmantic. tom.* 5. *Moral. tract.* 20 *Cap.* 3. *punct.* 8. *n.* 93. & communiter DD.

248 Notatio Secunda. Maior eſt difficultas : an ſi in articulo mortis adſit Sacerdos habens requiſita ad abſolvendum ab aliis reſervatis, & pariter ab hæreſi, poſſit adhuc pœnitẽs ſimplici Sacerdoti cõfiteri, & ab illo abſolvi, tũ validè tùm licitè. ℞. affirmativè : quo ad utramque partem. Probatur quo ad validum : quià ſimplex Sacerdos vi ordinis habet facultatem abſolvendi, *Trident. Seſſ.* 23. *Cap.* 15 : ergò ut ſimplex Sacerdos validé abſolvat, ulteriori approbatione non eget, ut patet ex *Trid. ſeſſ.* 14. *Cap.* 7. *Piè ſemper in Dei Eccleſia cuſtoditum, ut nulla ſit in mortis articulo reſervatio* : ex quo principio Tridentinum infert *omnes Sacerdotes quoſcumque pœnitentes à quibuslibet peccatis, & cenſuris abſolvere poſſe* : ergò cùm Tridentinum tàm illimitaté loquatur, ſimplex Sacerdos validé ſaltem tunc abſolvet. *Caſnedi in Criſ. Theolog. tom.* 3. *diſp.* 30. *n.* 202.

249 Probatur quo ad licitum, quià nullus eſt textus, lex, aut præceptum obligans ſimplicem Sacerdotem, nè præſente approbato, moribundum abſolvat à quibuslibet peccatis, & cenſuris, cùm Tridentinum ſine ulla prorſùs limitatione dicat *omnes Sacerdotes*, quoſcumque pœnitentes à quibuslibet peccatis, & cenſuris abſolvere poſſe in articulo mortis : ergò nulla eſt

 ratio,

ratio, vi cujus illimitatum Tridentini aſſertum reſtringamus ad caſum, quo non adſit Sacerdos approbatus.

250 Urgetur primò: quià cõtigere poteſt, ut in articulo mortis conſtitutus ſummam habeat confitendi cum Sacerdote approbato difficultatem: cùr ergò non guadebit moribundus privilegio Sacerdoti (etiam ſimplici) conceſſo, ut per eum poſſit ob omni peccato, & cenſura abſolvi? Si dicas ideò non poſſe, quià adeſt Sacerdos approbatus; hoc ipſum negatur, dum non aſſignatur lex certa, aut præceptum limitans Tridentini textum, evidenter quo ad hæc illimitatum. Ità *Caſned. citat.*

251 Urgetur ſecundò ex *Tamburin. in methodo expeditæ confeſſionis lib.* 3. *Cap.* 7. §. 1. *quià nimirum*: *Præpoſitus de Pœnit. q.* 7. *dub.* 5. *n.* 4. aliique paſſim *ex Trident. Seſſ.* 14. *Cap.* 7. & quidem probabiliter etiam præſente Confeſſario approbato, *Caſtro Palao tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 3. §. 5. *n.* 8. *&* 9. *de Lugo de Pœnit. diſp* 18. *ſect.* 2. *n.* 23. vocant probabilem hanc opinionem, cujus probabilitatem ſic ego breviter oſtendo, ait *Tamburin.* Non poteſt negari hanc ſententiam eſſe probabilem, ut fatentur ipſi *Caſtro Pal. De Lug.* & alii ſexdecim Doctores à Lugone citati, alii que: ſed in juriſdictione probabili, ſententia eſt communis, quòd Eccleſia confert juriſdictionem certam; ergò prædicta juriſdictio non eſt amplius probabilis, ſed certa. Minorem hujus argumenti probat ipſe *Caſtro Pal. eod. tom.* 1. *diſp.* 2. *de conſcientia opinante punct.* 5. *num.* 9. *afferens Suar. Thom. Sanch. Baſil. de Leon. Ægid. Koninch. Bonacin.* aliosque, qui omnes affirmant operanti ex opinione probabili, quà ſcilicet quis probabiliter judicat ſe habere juriſdictionem ſtatim de facto ab ipſa Eccleſia juriſdictionem certam conferri: ergò.

252 Urgetur tertiò: ex *P. Viva tom.* 1. *Theſ. damnat ad* finem, ſub hoc titulo: *Non nullæ difficultates hùc pertinentes enodantur*, §. *Certum quidem eſt*, pag. mihi. 532. ubi habet ſequentia. *Certum quidem eſt ex Trid. Seſſ.* 14. *Cap.* 7. *in articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſe. In Eccleſia quippe Dei piè admodum cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit pro eo articulo reſervatio, nè hac ipſa occaſione aliquis pereat*: *ex quo probabiliter multi Doctores docent apud Dian. part.* 4. *tract* 4. *Reſol.* 161. *& apud Martinum Perez diſp.* 43. *de Pœnit. ſect.* 4. *poſſe pro eo articulo, nec non in periculo mortis, quẽlibet Sacerdotem, etiam præſente Parocho, aut alio juriſdictionem habente in reſervata, abſolvere à reſervatis omnibus, eo quòd Tridentinũ loquatur indefinitè, & abſque ulla limitatione*: *Ratio enim à Tridentino adducta, cur id ſervetur in Eccleſia* (*videlicet, nè hac occaſione aliquis pereat*) *ſuadet Eccleſiam velle pro eo articulo adjuvare moribundum quantum poteſt, ut proinde ſi erubeſcat Superiori peccata ſua detegere, poſſit à quolibet Sacerdote abſolvi, nè aliter pereat, ſi ob eam erubeſcentiam culpas occultet. Quamvis autem à reſervatis ſine cenſura conferatur abſolutio in articulo mortis à quolibet Sacerdote abſque ullo onere, & juxtà probabilem ſententiam apud Dianam part.* 5. *tract.* 3. *Reſolut.* 60. *& part.* 10. *tract.* 14. *Reſol.* 63.

cum

cum Marchantio á Millardo, *Januario*, *Texeda*, *etiam abſolutio á cenſuris reſervatis*, *quando non ſunt notoriæ*, *nec deductæ ad forum contentioſum*, *eò quòd ex Tridentino pro illo articulo ceſſet omnis reſervatio*; *nihilominùs quando excommunicatio eſt notoria*, *aut deducta ad forum contentioſum*, *abſolvi debet ægrotus cum onere comparendi coram ſuperiore*, *ſi cõvaleſcat*, *non quidem ut iterùm abſolvatur*, *ſed ut præſtet ei debitum obſequium*, *&* *obedientiam*, *&* *ſimul conſtet apud Superiorem de ſatisfactione parti præſtita*, *aliter in eamdem cenſuram reincidet*. Hæc citatus *P. Viva.*

253 Dices tamen: ex Trident. colligitur, quòd ſimplex Sacerdos nequeat abſolvere à reſervatis, & cenſuris, præſente approbato: ibi enim dicitur *nè hac ipſa occaſione aliquis pereat*, *in eadem Eccleſia Dei*, *&c.* id eſt, nequis defectu Confeſſoris damnetur, omnes Sacerdotes poſſint abſolvere in articulo mortis á quibuslibet peccatis, & cenſuris; ſed quando adeſt Sacerdos approbatus, & juriſdictionem habens, non datur occaſio periculi, & damnationis pœnitentis, cùm adſit, cui confiteri poſſit: ergo, rejecto Sacerdote approbato, nequit moribundus Sacerdoti ſimplici confiteri.

254 ℟. negando totum diſcurſum: 1. quià priùs eſt attendendum, & obſervandum, quod *Trid.* ſtatuit expreſſe, quàm quod ex eo colligitur, aut colligi poteſt: *Trid.* autem loc. citat. ſtatuit expreſſè loquendo indefinitè, & illimitatè, quod omnes Sacerdotes poſſint in articulo mortis abſolvere quoſcumque pœnitentes á quibuslibet peccatis, & cenſuris. 2: quià *Trid.* Ità ſtatuit in favorem periclitantium in articulo mortis, non autem ad cõſervandam authoritatem Sacerdotis approbati, nec ad illi dandam præferentiam in concurſu ſimplicis Sacerdotis 3: quià contingere poteſt, ut in articulo mortis conſtitutus ſũmam habeat confitendi cum Sacerdote approbato difficultatem: cùr ergò pœnitens ille non gaudebit privilegio cuilibet etiam ſimplici Sacerdoti conceſſo, ut poſſit eum ab omni peccato, & cenſura abſolvere? 4. quià nullus eſt textus, lex, aut præceptum limitativum *Tridentini* quo ad prædicta: ubi autem *Tridentinum* non limitat, undé nobis facultas ad illud limitandum? Quid ſit mortis articulus? Dicemus diſp. 6. hujus Libri III.

SECTIO X.

Quid ſpecialiter poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa Hæreſis, Apoſtaſiæ, & Schiſmatis abſolutionem?

255 NOtatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi abſolvere ab hæreſi, Apoſtaſia á Fide, & Schiſmate, ſive hæc crimina ſint occulta, ſive publica? ℟. affirmativè: ratio eſt 1: quià Indultum Apoſtolicum eſt ampliſſimum, nec ullam continet particulam reſtrictivam, aut limitantem quo ad abſolutionem hæreſis occultæ tantùm, & non publicæ, exceptis quibuſdam caſibus, de quibus infrà; cum igitur favor Principis ſit amplè interpretandus, *Caſtro Pal. de privil. diſp.* 4. *punct.* 10. *n.* 5. ideò, ubi Pontifex non limitat, nec nos limitare debemus.

256 Ratio eſt 2: quià ad finem Indulti Apoſtolici excipiuntur quidam

dam caſus, in quibus non poſſunt Braſiliæ Epiſcopi abſolvere, niſi in foro conſcientiæ tantùm: ergò cum exceptio firmet regulam in contrarium, ex *Regul. jur. in 6. Reg.* 4. rectè deducitur, quod in omnibus aliis caſibus, qui non ſunt excepti, poſſint Braſiliæ Epiſcopi abſolvere in utroque foro, ſeu ab utraque hæreſi, tàm occulta, quàm publica.

257 Ratio eſt 3: quià praxis habet, ut intrà Europam nati, v. g. in Anglia, Scotia, Hibernia, & Hollandia, atque etiam extrà Europam in variis Inſulis, & Coloniis tranſmarinis Hæreticorum, qui hoc, vel illo caſu ad Braſiliam appellunt, ſi fortè eorum aliqui, vel zelo PP. Societatis JESU, vel ope aliorum Miſſionariorum ad fidem Catholicam convertuntur, ut non raro fit, omnes prædicti patrios errores abjurent, faciant profeſſionem Fidei, & ab hæreſi publicè abſolvantur virtute præſentis Indulti: ergò ex præſenti Indulto poſſunt Braſiliæ Epiſcopi abſolvere ab hæreſi tàm occultà, quâm publica.

258 Notatio Secunda. An ab Hæreſi, Apoſtaſia à Fide, & Schiſmate poſſint Braſiliæ Epiſcopi abſolvere omnes, & quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas, tàm ſæculares, quàm Regulares? Certa eſt reſolutio affirmativa, & comprehendit omnes, & quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas, ſive dignitate fulgeant, ſi ſint ſæculares, ſive Superioratu, ſi Regulares. Ratio eſt 1: quià Indultum Apoſtolicum loquitur indefinitè, ut Conſtat ex ejus contextu: ſub locutione autem indefinita omnes comprehenduntur.

259 Ratio eſt 2: quià qui totum dicit, nihil excludit: ex Cap. *Solitæ* De maiorit; & obedient. leg. *Julianus*, in principio. ff. De Hæred. inſtitut; ſed dictio *quicumque* in Indulto poſita, non eſt minus univerſalis, nec minus comprehendens, quam dictio *quivis*, ut per ſe patet: ergò ſicut dictio *quivis* omnes cõprehendit, & neminem excludit, leg, A *procuratore*, C. Mandati, & Cap. *Solitæ*, De maiorit; & obedient; ita etiam dictio *quicumque* in Indulto poſita omnes cõprehendit, & neminem excludit, atque adeò omnes, & ſingulæ perſonæ Eccleſiaſticæ, ſive dignitate fulgeant, ſi ſint ſæculares, ſive ſuperioratu, ſi Regulares, á Braſiliæ Epiſcopis abſolvi poſſunt.

260 Notatio Tertia. Unde deducitur potiori jure poſſe Braſiliæ Epiſcopos abſolvere ab Hæreſi, Apoſtaſia, & Schiſmate omnes, & quaſcumque perſonas laicas, tàm ſæculares quam Regulares. Fundamentum eſt: quià ubi maius conceditur, minùs conceſſum eſſe videtur, ex Cap. *Ex parte tua*, De decimus. Et in Cap. *Per Venerabilẽ* Qui filii ſint legitimi, dicitur, *quod in maiori conceditur, licitum eſſe videtur, & in minori*; ſed in hominum æſtimatione minus eſt perſonas laicas, quàm perſonas Eccleſiaſticas abſolvere poſſe: ergò ſi Braſiliæ Epiſcopis conceditur poteſtas abſolvendi perſonas Eccleſiaſticas, etiam conceditur poteſtas abſolvendi perſonas laicas, tàm ſæculares, quàm Regulares.

261 Confirmatur: quià particula *etiam* eſt reduplicativa, & idem valet, ac ſi dicat: Braſiliæ Epiſcopis conceditur facultas abſolvendi non ſolùm perſonas laicas, ſed etiam perſonas Eccleſiaſticas: ergo ſi Braſilliæ Epiſcopis data eſt facultas abſolvendi omnes, & quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas, tàm ſæculares, quàm Regulares; multò magis

gis datur facultas abſolvendi omnes, & quaſcumque perſonas laicas, tàm ſæculares, quàm Regulares.

262 Notatio Quarta. An etiam poſſint Braſiliæ Epiſcopi abſolvere ab Hæreſi, Apoſtaſia, & Schiſmate omnes, & quaſcumque perſonas Regulares, tàm laicas, quam non laicas, etiam ignorantibus, aut etiam invitis ſuperioribus? ℞ affirmativè cum *Pignat. tom. 7. conſult. 53. num. 1. ad. 1.* dummodò non in fraudem fiat, juxta Cõſtitutionem Clementis X. anno 1. ejus Pontificatus §. *Et an habentes, facultatem abſolvendi*, Vide, quæ diximus lib. 1. à n. 9.

263 Notatio Quinta. An ſi Braſiliæ Epiſcopus (quod Deus avertat) in Hæreſim, Apoſtaſiam, aut Schiſma incideret, poſſit dare facultatem alteri, ut ipſum Epiſcopum abſolvat? ℞. affirmativè. Ratio generalis eſt: quià hæc poteſtas Braſiliæ Epiſcopis conceſſa, non eſt contentioſa, ſed gratioſa: bene igitur poſſunt Braſiliæ Epiſcopi eam committere alteri, ut eam exerceat in ipſoſmet. Ità cum *Henriq. Palud. & Maiol. Avila part 7. diſp. 10. Dubitatur ultimò.* Ratio verò ſpecialis eſt; quià in Facult. Catalog. num. 28. Braſiliæ Epiſcopis conceditur, ut facultates ſibi conceſſas poſſint alteri communicare: ergò ab illo, cui prædictam facultatem communicaverint, poterunt Braſiliæ Epiſcopi abſolvi ab Hæreſi, Apoſtaſia, & Schiſmate; alioquin deterioris eſſent conditionis, quàm illi, qui ab ipſis abſolvi poſſunt.

SECTIO XI.

Quid ulteriùs poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa Hæreſis, Apoſtaſiæ, & Schiſmatis abſolutionem?

264 Notatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi abſolvere omnes, & quaſcumque perſonas, quæ ex locis fuerint, ubi S. Officium exercetur, ſi tales perſonæ extrà loca Miſſionum, in quibus impunè graſſantur Hæreſes, incidant in Hæreſim, Apoſtaſiam, aut Schiſma? ℞. negàtivè. Fundamentum eſt: quià illi, qui ex locis ſunt, ubi S. Officium exercetur, tunc à Braſiliæ Epiſcopis abſolvi poſſunt, quando tales in locis Miſſionum, in quibus impunè graſſantur hæreſes, prædicta crimina cõmittunt, ut dicitur in Indulto: ergò ſi tales extrà loca Miſſionum, in quibus impunè graſſantur hæreſes, incidant in hæreſim, Apoſtaſiam, aut Schiſma, tunc à Braſiliæ Epiſcopis abſolvi non poſſunt.

265 Notatio Secunda. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi abſolvere omnes, & quaſcumque perſonas, quæ ex locis fuerint ubi S. Officium exercetur, ſi tales perſonæ in locis Miſſionum, in quibus impunè graſſantur hæreſes, incidant in Hæreſim, Apoſtaſiam, aut Schiſma? ℞. affirmativè. Fundamentum eſt: quià Indultum expreſſè dicit abſolvi non poſſe, qui ex locis fuerint, ubi S. Officium exercetur, *niſi in locis Miſſionum, in quibus impunè graſſantur hæreſes, delinquant*: ergò ab oppoſito, ſi tales perſonæ in locis Miſſionum, in quibus impunè graſſantur hæreſes, deliquerint, tunc à Braſiliæ Epiſcopis abſolvi poſſunt; nam

nam particula *niſi* eſt excluſiva, & ſolum removet ab excipienda abſolutione, qui ex locis fuerint, ubi S. Officium exercetur, ſi tales extrà loca Miſſionum delinquant, ut notation. proxim. dictum eſt. Et hujus ratio eſt: quià illi, qui in locis Miſſionum, in quibus impunè graſſantur hæreſes, delinquunt, difficilem fortaſſe recurſum habent ad S. Tribunal, & prætereà, quià authoritas S. Tribunalis non minuitur in eorum abſolutione, qui delinquunt, ubi non eſte S. Officium.

266 Notatio Tertia. Quinam ſint ex locis, ubi S. Officium exercetur? Tribus reſolutionibus dirimenda eſt quæſtio. Reſolutio, 1. Braſiliæ coloni non ſunt ex locis, ubi S. Officium exercetur. Ratio eſt: quià in Braſilia non eſt S. Officium. Quâvis enim S. Officium vim coactivam habet, & quo ad forum contentioſum exerceatur in Braſilia, Judæos incarcerando, eoſque, & altos delinquentes, quos in Luſitaniam transfretare cogit, juſtiſſimis pœnis afficiendo: tamen in Braſilia forum gratioſum, & conſcientiæ non exercet S. Officium, cùm ejus Reverendiſſimi Commiſſarii, qui per Braſiliam conſtituuntur, facultatem non habeant abſolvendi ab hæreſi, & aliis criminibus, de quibus Indultum noſtrum. Unde juxtà ſenſum, & finem Indulti noſtri verum eſt, quod in Braſilia non exerceatur S. Officium, *ſumpto exercitio* pro foro gratioſo, & conſcientiæ, & quo ad effectum abſolvendi ab Hæreſi, ad quem dumtaxat finem reſpicit Indultum noſtrum, & Pontifex in eo concedendo.

267 Reſolutio 2. Qui Braſiliam conveniunt, vel cauſa mercaturæ faciendæ, vel alterius cujuſcumque negotii expediendi, & in Braſilia habitare incipiunt cum animo permanendi in perpetuum, vel ſaltem per maiorem anni partem, etiam non cenſentur ex locis, ubi S Officium exercetur. Ratio eſt: quià primi per animum habitandi perpetuò in Braſilia acquirunt ſimpliciter domicilium; *Sanch. lib. 3. de Matrim. diſp. 23 n. 1.* ſecundi verò per animum habitandi in Braſilia per maiorem anni partem, acquirunt quaſi domicilium, & jus ad omnia Sacramenta recipienda, præter Ordines. *Sanch. citat. n. 13.* ergò qui domicilium, ſeu quaſi domicilium habent in Bràſilia, etiám dicendi ſunt ex locis, ubi S. Officium non exercetur quo ad effectum Indulti noſtri participandi.

268 Eadem ratio militat 1. in illis, qui ex Africa, ejusve Inſulis ad Braſiliam appellunt, & hîc habitant etiam ad breve tempus. Ratio eſt: quià neque in Africa, neque in ejus Inſulis S. Officium exercetur quo ad forum gratioſum, & cõſcientiæ, ſed ſolùm quo ad vim coactivam, & forum contentioſum, eo prorſùs modo, quo in Braſilia: ergò ſicut Braſilienſes non cenſentur ex locis, ubi S. Officium exercetur, ideòque poſſunt ab Epiſcopis abſolvi: ità nec illi, qui ex Africa, ejusvè Inſulis ad Braſiliam appellũt, dicendi ſunt ex locis, ubi S. Officium exercetur, præſertim accedente ratione, quàm dabimus ad finem ſequentis paragraphi.

269 Militat 2. in illis, qui ex Aſia, ejusvè Inſulis Braſiliæ applicant, & hîc habitant etiam ad breve tempus. Ratio eſt: quià licèt Goæ in Aſia S. Officium exerceatur quo ad utrumque forum tàm contentioſum, quam gratioſum, & conſcientiæ; attamen, qui ex Aſia navigant, & Braſiliæ applicant, redduntur mo-

moraliter impotentes redeundi in Aſiam pro abſolutione á S. Officio Goano, ad quod veluti ſpectant, impetranda: deinde tales, quamvis ſint in via ad Ulyſſiponem, nondùm tamen ſpectant ad S. Officium Ulyſſiponenſe quatennùs tales jam Goæ, vel in alio Aſiæ loco domicilium, vel quaſi domicilium acquiſierunt, cùm hoc acquiratur primo die ſtatim, ac quis alicubi habitare incipit cum voluntate ibi permanendi, ſaltem per maiorem anni partem, licet poſteà Parochiam mutet, & alterius fiat ſubditus, *Sanch. de matrim. lib. 3. diſp. 23. n. 14.* ergò ad Braſiliæ Epiſcopos ſpectat Aſiaticos abſolvere poſſe, & qui ex Aſia ejuſvè Inſulis Braſiliæ applicant, & hic habitant etiam ad breve tempus.

270 Reſolutio 3. Etiam qui in Claſſe annua, vel navigio ſolitario, ex Luſitania veniunt cum animo non permanendi in Braſilia, imò potiùs cum animo intrà quatuor, vel pauciores menſes revertendi, dicendi non ſunt ex locis, ubi S. Officium exercetur quo ad effectum privilegii noſtri fruendi. Ratio eſt: quià licet tales nec domicilium, nec quaſi domicilium in Braſilia acquirant, tamen, nimis durum videtur, quòd dùm in Braſilia commorantur, abſolvi nequeant virtute privilegii Braſilici. Primò, quià ſunt intrà fines, v. g. Diœceſis Fluminenſis: Epiſcopo autem Fluminenſi ſolùm prohibetur facultates ſibi conceſſas exercere extrà fines ſuæ Diœceſis. Secundò: quia tales, dum in Braſilia cõmorantur, ſunt moraliter impotentes ad S. Officium recurrendi. Tertiò: quià in abſolutione talibus conferenda, cùm S. Officium tàm longè diſtet, non minuitur ejus authoritas. Quartò: quià omnes facultates in Cathalogo contentas à n. 1. uſque ad n. 17. poteſt Epiſcopus exercere cum peregrinis, advenis, & exteris, etiam Regularibus, ignorantibus, aut etiam invitis eorum ſuperioribus, ut diximus lib. 1. à n. 9. dummodò ſint intrà fines ſuæ Diœceſis: una autem ex facultatibus eſt poſſe abſolvere ab hæreſi.

SECTIO XII.

Quid poſſint Braſiliæ Epiſcopi circa relapſos in Hæreſim, Apoſtaſiam, & Schiſma?

271 Notatio Prima. An ab hæreſi, apoſtaſia, & ſchiſmate poſſint Braſiliæ Epiſcopi abſolvere eos, qui judicialiter abjurarunt, & poſt judicialem abjurationem in hæreſim fuerunt relapſi, quando iſti nati ſunt, ubi puniuntur hæreſes, ut v. g. in Portugalia? Reſolutio negativa colligitur ex Indulto, quòd tantùm facultatem concedit abſolvendi illos, qui judicialiter abjurarunt, & poſt judicialem abjurationem in hæreſim fuerunt relapſi: quando iſti nati ſunt, ubi impunè graſſantur hæreſes, ut v. g. in Anglia, & poſt judicialem abjurationem illuc reverſi, in hæreſim fuerunt relapſi: ergò è contrario quandò iſti nati ſunt, ubi puniuntur hæreſes, ut v. g. in Portugalia, ſi poſt judicialem abjurationem iterùm in hæreſim fuerint relapſi, abſolvi nequaquam poterunt.

272 Notatio Secunda. An ab hæreſi, apoſtaſia, & ſchiſmate poſſint Braſiliæ Epiſcopi abſolvere illos, qui judicialiter abjurarunt, & poſt judicialem abjurationem in hæreſim fuerunt relapſi, quãdo iſti nati ſũt, ubi impunè graſſantur hæreſes, ut v. g. in Anglia, & illuc reverſi iterum in hæreſim fuerunt relapſi? Re-

ſolutio affirmativa expreſſè conſtat ex Indulto. Quid autem ſit abjuratio judicalis? Dicemus infrà diſp.6.

273 Notatio Tertia. An verò prædictos relapſos poſſint Braſiliæ Epiſcopi abſolvere in foro externo, & publico, an potiùs in ſolo foro interno, & conſcientiæ? ℞. poſſe Braſiliæ Epiſcopos abſolvere in ſolo foro interno, & conſcientiæ tantùm. Ità expreſſè Indultum.

SECTIO XIII.

Quid veniat nomine Miſſionum?

274 NOtatio Prima. Quid nomine Miſſionum intelligatur? Ratio dubitandi eſt: quià in Indulto apponitur hæc clauſula: *Niſi in locis Miſſionum, ubi impune graſſantur hæreſes*: inquirendum igitur eſt, quid hic veniat nomine *Miſſionum*?

275 Dico 1. Nomine Miſſionum veniunt Miſſiones Europææ, præſertim Germanicæ, ubi impunè graſſantur hæreſes, vel quià in locis, ubi fiunt Miſſiones, prædominantur Lutherani, Calveniſtæ, & alii ſectarii: unde fit, ut Catholici inter hæreticos vivant, & Miſſionarii occulté diſcurrant: vel quià in locis Miſſionum, licet Religio Catholica prædominetur, adhuc tamen hæretici permittuntur, & illorum errores non puniuntur, ut in variis Germaniæ oppidis. Ratio eſt: quià præſens Facultas priùs fuit conceſſa Germaniæ Epiſcopis, ut diximus lib. 1. n. 4. in fine, poſteà verò Braſiliæ Epiſcopis: ergò nomine Miſſionum veniunt Miſſiones Europææ, præſertim Germanicæ.

276 Dico 2. Nomine Miſſionum veniunt Miſſiones Braſilicæ, ſi in illis impunè graſſentur hæreſes. Ratio eſt: quià præſens facultas Braſiliæ Epiſcopis conceditur ad inſtar illius, quæ Germaniæ Epiſcopis priùs fuit conceſſa, ut proximè diximus: ergò nomine Miſſionum veniunt Miſſiones Braſilicæ, ſi in illis impunè graſſentur hæreſes.

277 Dico 3. Nomine Miſſionum veniunt Miſſiones Braſilicæ, ſi in illis impunè graſſetur Paganiſmus, aut Judaiſmus. Ratio eſt: quià Paganiſmus, & Judaiſmus non differunt ſpecie ab hæreſi, ſed tantùm accidentaliter ſecundum magis, & minùs, ut habet *Suar. de fide, diſp.* 16. *ſect.* 4. *n.* 8. *Koninch. diſp.* 18. *dub.* 6. *à n.* 64. *Caſtro Pal. de fide tract.* 4. *diſp.* 2. *punct.* 1. *n.* 4. & oſtenditur: quià Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis privant eadem fide, & cum illa habent eamdem oppoſitionem: ergò non differunt ſpecie. Conſequentia eſt bona: quià diverſitas ſpecifica in peccatis deſumitur ex oppoſitione ad virtutem: virtus verò, cui opponuntur Paganiſmus, Judaiſmus, & hæreſis eſt una, eademque fides. Probatur modò antecedens; quià tota oppoſitio cum virtute fidei, in Paganiſmo eſt negatio totius fidei, hoc eſt, omnium myſteriorum, quæ à fide Chriſtiana proponuntur: in Judaiſmo eſt negatio myſteriorum legis Evangelicæ, in hæreſi eſt negatio aliquorum myſteriorum veteris, & novi Teſtamenti: ergò eſt oppoſitio non formaliter diverſa, ſed materialiter, ſiquidem tàm Paganiſmus, quam Judaiſmus, & hæreſis in negandà veritate divinæ revelationis conveniunt, & ſolùm differunt in negandis pluribus, vel paucioribus veritatibus revelatis.

278 Dico 4. Nomine Miſſionum veniunt Miſſiones Braſilicæ, ſi in illis impune graſſetur Turciſmus. Ratio

tio eſt: quia Turciſmus ſub Paganiſmo comprehenditur, quatenus Turcæ non admittunt Chriſtum Redemptorem, & quamvis aliqua ex veteri, & aliqua ex novo Teſtamento credant, tamen, quia ea non credunt, ut à Chriſto revelata, ſed à Mahomete dicta, ideò Turcæ abſolutè nominandi ſunt Pagani. Ita *Caſtr. Pal. cit. num. 9.* Unde ſubſumo: ſed Paganiſmus non differt ſpecie ab hæreſi, ſed ſolum materialiter, & ſecundum magis, & magis, ut proximè diximus: ergo etiam Turciſmus non differt ſpecie ab hæreſi, ſed tantum materialiter, & ſecundum magis, & minus, adeòque nomine Miſſionum, ubi impunè graſſantur hæreſes, veniunt etiam Miſſiones Braſilicæ, ſi in illis impunè graſſetur Turciſmus.

179 Notatio Secunda. Hinc deducitur, quod nomine Miſſionum non veniunt Oppida illa, ſeu Pagi, in quibus Indi ab infantia baptizati vivunt per modum Reipub. ſub Parochis Sæcularibus, vel Regularibus, licèt tales Pagi latè dicantur Miſſiones. Ratio eſt: quia tales Indi vivunt more Chriſtianorum; & ſub Parochis Catholicis, eorumque directione quoad ſpiritualia gubernantur, ita ut inter illos non permittatur uſus, vel exercitium Paganiſmi, Judaiſmi, Turciſmi, aut Hæreſis: ergo de his Miſſionibus non loquitur Indultum, neque enim in his Miſſionibus impune graſſantur Paganiſmus, Judaiſmus, Turciſmus, aut Hæreſis.

DISPUTATIO QUINTA

DE DECIMA SEXTA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Reſervatio?

280 Decima Sexta Facultas Pontificia: *Abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis.*

281 Notatio Prima. Quid ſit Reſervatio? ℞. Reſervatio communiter definitur: *Reſtrictio juriſdictionis à legitimo Superiore inducta Confeſſariis, per quam reſtrictionem ii non valeant aliqua peccata ſacramentaliter abſolvere. Nogueir. in Bull. Cruciat. diſp. 15. num. 4.*

282 Notatio Secunda. Quotuplex ſit reſervatio? ℞. Reſervationem communiter dividi in Pœnalem, & Medicinalem. Et omiſſis aliis explicationibus circa differentiam reſervationis, *Gobat tom. 3. tract. 7. num. 260.* dicit: *Reſervationem tunc eſſe pœnalem, quando habet cenſuram annexam: medicinalem verò, quando non habet cenſuram annexam.*

282 Primi generis ſunt caſus

Pontificii, qui ſemper reſervantur ſub excommunicatione, immò propter excommunicationem reſervantur, ut tenent communiter DD. & ideo dicuntur habere cenſuram annexam. Secundi verò generis ſunt omnes fermè caſus Epiſcopales, qui plerumque reſervantur ſine excommunicatione, (quamvis etiam ſub illa reſervari poſſint) & ideò dicuntur non habere cenſuram annexam. Cum diximus caſus Pontificios ſemper reſervari ſub excommunicatione, id intellige regulariter loquendo; quia olim per Motum proprium Sixti V. contra male promotos reſervabatur caſus ſine excommunicatione; & de facto modo datur caſus Papæ reſervatus ſine excommunicatione, ſcilicet, peccatum eorum, qui falſo, & per calumniam innoxios Sacerdotes Inquiſitoribus denuntiant, vel denuntiare faciunt de crimine ſolicitationis ſibi factæ in confeſſione; quod quidem peccatum ſine excommunicatione ſibi, & ſucceſſoribus ſuis reſervavit Benedictus XIV. in Bull. *Sacramentum Pœnitentiæ*, edita anno 1741. die 1. Junii.

284 Notatio Tertia. Reſervatio medicinalis etiam ignorantes ligat. *Nogueir. cit. num.* 5. Ratio eſt: quia reſervatio hæc, cum ſit juriſdictionis reſtrictio, dirigitur ad Cõfeſſarium, & in eo reſidet: ut ergo liget, ſufficit, quod Confeſſario nota ſit, licèt à pœnitente ignoretur.

285 Notatio Quarta. Reſervatio verò pœnalis ignorantes non ligat. *Nogueir. cit. num.* 15. Ratio eſt: quia cenſura, ſive excommunicatio, quam ſecum imbibit reſervatio pœnalis, fertur contra contumaces: in ignorante autem non præſumitur contumacia, & ideò ab illo non incurritur reſervatio.

285 Hinc deducitur 1. quod ſicut quando ignoratur cenſura reſervationi Pontificiæ annexa, neque incurritur cenſura, neque reſervatio; ita etiam quando cenſura incurritur, & conceditur licentia ad illius abſolutionem, cenſetur etiam conceſſa ad abſolvendum à peccato, & è contra. *Nogueir. cit. à num.* 14.

286 Aliter contingit, quando reſervatio pœnalis, & ſub cenſura, eſt facta ab Epiſcopo, tunc enim, ait *Nogueir. diſput.* 18. *num.* 309. quamvis cenſura non incurratur ab ignorante, adhuc tamen incurritur reſervatio. Ratio illi eſt: quia Summus Pontifex non reſervat delictum ſine cenſura; at verò Epiſcopus: & cum cenſura, & abſque cenſura illud reſervat: unde ſequitur, quod quando ignoratur cenſura, adhuc ipſum delictum maneat reſervatum Epiſcopo.

Sed probabilius videntur ſentire *Lezana, & alii apud Nogueir cit.* qui dicunt peccatum reſervatum cum cenſura non eſſe reſervatum quoties non incurritur cenſura, v. g. ab ignorante illam, ſive reſervatio ſit Papalis, ſive Epiſcopalis. Et ratio eſt: quia abſolute tam Papa, quam Epiſcopus reſervant caſus cum cenſura, & ſine cenſura, quamvis Epiſcopus plures reſervet ſine cenſura, quam Papa: ergo idem dicendum eſt de reſervatis Epiſcopalibus, quod dicitur de Papalibus.

Probatur conſequentia. Licet Epiſcopus alios caſus ſibi reſervet ſine cenſura, tamen nunquam ſibi reſervavit ſine cenſura illud peccatum, cui cenſuram annexit: ergo ſicut reſervatio Papalis dependet à cenſura in ſuo fieri, & conſervari, & ita ſunt connexa, ut ſublato uno tollatur aliud, & data facultate ad abſolvendum á cenſura, cenſeatur etiam

etiam data ad abſolvendum á peccato, & é contra:ità etiam in reſervatione Epiſcopali, ut bene docet *Fagundes in 2. Eccleſ. præcept. lib.* 8. *Cap.* 1. *num.* 3. Tandem, quia reſervatio caſus cum cenſura eſt reſervatio pœnalis, quæ non incurritur ab ignorante, ut diximus: ergò ignorans cenſuram non incurrit, nec pœnam cenſuræ, nec reſervationem peccati, quæ quidem reſervatio etiam eſt pœna.

287 Deducitur 2. quòd ſub reſervatione alicujus delicti non comprehenduntur actiones leves externæ, quamvis ex affectu mortali interno procedant, v. g. intendit quis ſubripere quantitatem notabilem ex bonis naufragantium Chriſtianorum: furtum tamen externum fuit leve: in tali caſu non incurritur reſervatio, neque cenſura lata in Bulla Cœnæ. *Nogueir. diſp.* 15. *á n.* 169. Ratio eſt: quia pœna gravis, qualis eſt cenſura, non imponitur, niſi ob peccatum grave externum.

288 Deducitur 3. quòd peccata venialia, & mortalia ritè, & jam ſemel confeſſa à Pontifice non reſervantur, quamvis reſervari poſſint. *Nogueir. diſp.* 15. *n.* 7. tùm ob rationem proximè datam, tùm quià nemo tenetur talia peccata confiteri, ac proinde inutilis eſſet talis reſervatio. His breviter prælibatis, videamus, qualia peccata ſibi reſervet Pontifex, ut indè conſtet, de quibus poſſunt abſolvere Braſiliæ Epiſcopi.

SECTIO II.

Caſus Sedi Apoſtolicæ Reſervati in Decretalibus.

289 IN Decretalibus reſervantur Papæ octo excōmunicationes præter eam, quæ imponitur *Clement Siquis.* De pœnit. cōtrà inferentes violentiam S. R. E. Cardinalibus, & Epiſcopis, quæ continetur in *Can.* 11. *Bullæ Cœnæ.*

Prima excommunicatio fertur in percuſſorem Clerici, vel Monachi in Cap. *Siquis ſuadente* 17. *q.* 4.

Secunda, quandò fertur à Delegato Papæ in eum, qui rei judicatæ parere contemnit, quæ poſt tranſactum annum manet reſervata Pontifici. Cap. *Quærenti.* De *offic. Delegat.*

Tertia, quandò fertur ab Epiſcopo in eos, qui litteras Apoſtolicas falſas habentes non eas deſtruunt, aut reſignant intrà viginti dies, quæ ſimiliter poſtquàm contracta eſt, manet reſervata Pontifici. Cap. *Dura.* De crimine falſi §. *Adjicientes.*

Quarta, in Sacrilegos, qui violenter Eccleſiam confringunt animo eamdem ſpoliandi Cap. *Conqueſti.* De ſent. excommunic.

Quinta, quà Pontifex excōmunicat Clericos, qui cum excommunicatis de ſe participant in divinis. Cap. *Significavit* De ſent. excommunic.

Sexta, fertur in Incendiarios, qui publicati per ſententiam Eccleſiæ ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutione mittendi ſunt. Cap. *Tua nos.* De ſentent. excommun. in 6.

Septima in eos, qui alios in perſonis, vel in bonis lædunt, eo

quòd

quòd ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, aut Interdicti in aliquem tulerint, à quà excommunicatione ſolùm à Pontifice abſolvi poſſũt lædentes, niſi intrà duos mẽſes reſipiſcant. Cap. *Quicumque* eodem titulo.

Octava, fertur in capit. *Eos*; *ibidem*: contrà eos, qui poſt abſolutionem ab excommunicatione reſervata Papæ, ſub conditione comparendi coram ipſo, vel ſatisfaciendi parti læſæ, eam conditionem tempore debito implere negligunt. Prædictos caſus, & alios infrà ponendos, ut faciliùs memoriæ mandentur, & firmiùs retineantur, quidam é Societate noſtrà curioſus his verſibus comprehendit.

Octo hæc Pontifi cum ſibi Decretalia ſervant.
1. *In Clerum violenter agens.* 2. *Parere recuſans*
Intrà annum: *&* 3. *qui bis dena jam luce peracta*,
Falſa ſibi Romæ retinet diplomata Patrum.
4. *Templorum valvas infringere, opesque ſacratas*
Diripere audentem, 5. *Sacravè à ſede repulſos*
Admittentem aris ſecum ad commercia Divum
Enſe ferit Pater ipſe Patrum: *&* 6. *qui incendia miſcet*
Tecta per, aut ſegetes, privato judice poſtquàm
Conſtiterit ſcelus: *inde* 7. *aliis qui damna rependunt*,
Propter Apoſtolico vibratas fulmine pœnas,
Plena ubi ſuppoſito bis luna refulſerit orbi.
8. *Succumbunt qui, ut Romam adeant, hac lege ſoluti*
Ulterius Romam ire negant: *vel debita certo*
Tempore ſolvenda, emenſo haud in tempore ſolvunt.

SECTIO III.

Caſus Sedi Apoſtolicæ reſervati in Clementinis, & Extravagantibus.

290 IN Clementinis, & Extravagantibus reſervantur Pontifici aliæ octo Excommunicationes. Nona enim lata à Sixto IV. in Extravaganti communi *Grave nimis*. De Relig. & vener. Sanctorum, contrà docentes Beatiſſimam V. conceptam fuiſſe in peccato originali, &c. Continetur latiùs in Bullà Alexandri VII.

Prima habetur in Clementinà 1. De Hæreticis §. *Verium* contrà Fidei Quæſitores, & eorum vices gerentes, ſi in uſu S. Officii ducantur odio, vel amore.

Secunda habetur in Clementina *Religioſi*. De privilegiis, contrà Religioſos miniſtrantes Sacrum Viaticum, vel Extremam Unctionem, vel ſolemnizantes matrimonium abſque Parochi ſpeciali, expreſſaque licentia. Item in Religioſos abſolventes excommunicatum á Canone, præterquam in caſibus ſibi à Pontifice conceſſis.

Tertia habetur Clementina *Capientes*. §. *Sanè*. De pœnis, in Clericos, aut Religioſos, qui aliquem inducunt ad vovendum, vel jurandum, vel aliàs promittendum, quòd

quòd in eorum Eccleſiis electuri ſint ſepulturam, aut electam mutaturi non ſint.

Quarta in Clementina *Gravis* de ſententia Excommunicationis contra violantes interdictum quavis actione ex quatuor ibidem poſitis.

Quinta in Extravag. 1. inter communes de ſepulturis contra lacerantes, vel exenterantes, vel coquentes defunctorum cadavera, etiam prætextu eorum oſſa alio tranferendi, vel eadem conſervandi.

Sexta in eadem Extravag. 1. inter communes, de Simonia. In eos, qui recipiunt, & in eos, qui dant aliquid ob ingreſſum in Religionem per modum pacti, aut conventionis.

Septima in eadem Extravag. 1. de Regularibus, ubi Martinus II. prohibebat, ne Religioſi Mendicantes ad aliam Religionem tranſirent (excepta Carthuſienſi) abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali.

Octava in eadem Extravag. 1. de Simonia. In eos, qui ſimoniæ realis peccatum committunt. Intellige autem ſimoniam realem conſummatam, in qua de facto datum, & acceptum eſt temporale pro ſpirituali.

E Clementinis, Extraquevagantibus octo
Adde Patrum ſervata Patri; ut 1. *ſi ductus amore,*
Aut odio in cauſis Fidei ſacra munia tractet
Quæſitor, lectusvè eadem tractare Miniſter.
2. *Si Monachus (proprius quin det ſua jura Sacerdos)*
Connubio jungat ſtabili, aut ſi deferat ægro
Chriſti epulum, extremeve artus morientis inungat.
3 *Si pariter quemquam tu juxta altaria ſuades*
Deligere, ut condatur humi poſt fata ſepulchrum.
4. *Interdicta modis violes ubi lata quaternis.*
5. *Si laeeras, aut igne coquis tumulata virorum*
Corpora, ut oſſa tegas. 6 *Si nummum, aut munera pacto*
Accipis excipiens in Religionis alumnum.
7. *Si tua, quæ primum tenuiſti, clauſtra relinquens,*
Clauſtra aliena petis, niſi ſint Carthuſia clauſtra.
8. *Si per facta Magum Simonem imitatus avara*
Das, recipisvè ſacris dona inconceſſa Miniſtris.

SECTIO IV.

Caſus Sedi Apoſtolicæ reſervati extra corpus Juris, & Bullam Cœnæ.

291 SEx aliæ circumferuntur excõmunicationes Pontifici reſervatæ extra corpus Juris, & Bullam Cœnæ.

Prima fuit lata à Leone X. in Concilio Lateranenſi. In concionatores, vel quosvis alios, qui Euangelicam veritatem, & ſacram Scripturam juxta declarationem DD. & Eccleſiæ non pertractant, aut aliquid adjiciunt contrarium, diſſonumvè eidem Scripturæ. Item in concionatores,

tores, qui Prælatis, aliisve ſuperioribus concionando graviter detrahunt.

Secunda fuit lata à S. Pio V. in quodam Motu proprio, qui incipit: *Regularium perſonarum*, in fœminas, quæ ingrediantur Monaſteria Religioſorum.

Tertia fuit lata ab eodem Pontifice in Conſtit. quæ incipit: *Intolerabiles*, in eos, qui committunt ſimoniam confidentialem, ubi comprehenduntur, qui Beneficium ab alio recipiunt ſub confidentia, quod illud poſtea eidem reſtituent, aut alteri dabunt, vel ejus fructus omnes, aut partem, ſive penſionem ſolvent.

Quarta fuit lata à Gregor. XIV. in quodam Motu proprio, qui incipit: *Eccleſiæ Catholicæ.*

Quinta fuit lata à *Concil. Trident. Seſſ.* 22. *cap.* 11. *de Reformat.* in Clericos, aut etiam laicos, qui præſumunt uſurpare bona, res, jura, fructus, redditus, aut juriſdictiones alicujus Eccleſiæ, Montium pietatis; aliorumve piorum locorum, quæ excommunicatio latius patet canon. 17. Bullæ Cœnæ.

Sexta fuit lata ab Urbano VIII. contra eos, qui ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia tractatus edunt de gratia, & libero arbitrio, in Bulla, quæ incipit: *In eminenti.*

Septima fuit lata à Trident. & extenſa à Gregor. XIII. in conſtitutione 78. quæ incipit: *Ad tollendum.*

Octava fuit lata ab Alexandro VII. in Bulla: *Solicitudo omnium Eccleſiarum*, contra eos, qui quovis modo piam ſententiam de Immaculata B. Virginis Conceptione, vel contra ejus feſtum, ſeu cultum publice, aut privatim voce, vel ſcripto, aut etiam loqui auſi fuerint.

Hæc quoque privatis damnantur crimina Bullis
1. *Concio, quæ ſcriptis fiat contraria ſacris.*
2. *Aut ubi judicii ſtatuantur tempore certo*
Formidanda dies, & præſcia ſigna futuri.
3. *Aut ubi Prælati feriuntur dente maligno.*
4. *Fœmina ſi vetitum per religioſa virorum*
Limina tendat iter. 5. *Siquis fidentibus auſis*
Percipiat, quæ vult gratis Romana poteſtas,
Dona reſignentur. 6 *Siquis rationibus ultrò*
Jeſuadum impugnet leges. 7 *Pietatis Acervos*
Fraudet jure ſuo, vel Templa. 8 *Volumina ſiquis*
Edat, ubi arbitrium, Divinaque gratia certant,
Ni Romana prius ſibi ſit conceſſa facultas.
9 *Siquis in arma ruat præmiſſo ſtricta duello.*
10 *Siquis primævi conceptam labe Parentis*
Adſtruat ore tenus, ſcriptisve procacibus illam,
Quæ Sacri peperit Patris ſine crimine Natum.

SECTIO V.

Caſus Sedi Apoſtolicæ reſervati intra Bullam Cœnæ.

292 Intra Bullam Cœnæ Domini excommunicantur: primo Hæretici cujuſcumque ſectæ ſint, eorumque tum fautores, tum libros legentes, tenentes, imprimentes, & ſchiſmatici.

Secundo, Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores.

Tertio, Piratæ maris Pontificii, eorumque fautores, & receptores.

Quarto, Naufragorum Chriſtianorum bona ſubripientes.

Quinto, Imponentes, vel augentes nova pedagia, & gabellas: vel imponi, augerique prohibita exigentes.

Sexto, Falſificantes literas Apoſtolicas.

Septimo, Ferentes belli inſtrumenta ad inimicos Fidei Romanæ, vel hos de Republica Chriſtiana in damnum Fidelium certiores facientes.

Octavo, Impedientes victualia in Romam, horumque fautores, & defenſores.

Nono, Vexantes eos, qui Sedem Apoſtolicam petunt, vel ab ea recedunt; & qui falſa juriſdictione vexant Romæ incolas.

Decimo, Vexantes, & deprædantes devotos Romipetas de facto, vel ad id dantes conſilium, vel auxilium.

Undecimo, Cardinalium, Epiſcoporum, Legatorum, Nuntiorum offenſores; & horum mandatores, approbatores, fautores.

Duodecimo, Romam per ſe, vel alios pro negotiis ſuis ad Curiam recurrentium, horumque agentium vexatores, & ſpoliatores, opere, conſilio, vel favore.

Decimo tertio, Appellantes à gravamine, vel futura executione literarum Apoſtolicarum ad laicam poteſtatem, eique crimini ſe immiſcentes, & impedientes earumdem literarum executionem, aut ad gratias impetrandas acceſſum.

Decimo quarto, Cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas authoritate propria ad ſe, ut Judices, avocantes, & impedientes facto, conſilio, vel favore earum cauſarum executionem.

Decimo quinto, Sæculares trahentes Eccleſiaſticos contra vim Canonum ad ſua Tribunalia, & Decreta ferentes contra libertatem Eccleſiaſticam.

Decimo ſexto, Impedientes etiam indirecte Prælatos, ne ſua juriſdictione utantur, eorumque conſiliarii, auxiliatores, & fautores.

Decimo ſeptimo, Uſurpantes Eccleſiaſtica bona, & juriſdictionem.

Decimo octavo, Imponentes onera Eccleſiaſticis perſonis, & bonis, vel ea ab ſponte dante Eccleſiaſtico recipientes, horumque conſultores, & fautores.

Decimo nono, Judices ſæculares cauſis criminalibus Eccleſiaſticorum ſeſe interponentes.

Vigeſimo, Occupantes terras, & bona Pontificia, ad idque conſilium, auxilium, favoremve præſtantes.

Hæc bis dena ſibi ſolvenda piacula ſervant
Pontifices Domini in Cœna: ſtant ordine primi.
1. Hæretici: his quicumque favet, qui ſcripta per ipſos.
Aut legit, aut retinet, typicove dat ære legenda.
Schiſmatici pariter. 2. Quique ad decreta futuri
Concilii appellat: vel ad id dat crimine vires.
3. Is, qui Thyrrenum colluſtrat navibus æquor,
Incumbens prædæ, aut prædonem in tecta receptans.
Et 4. Chriſtiadum bona littore ſubripit udo.
Nec non 5. qui impoſito, aut aucto gravat ære clientes,
Falſave 6. Romulidum reddit Diplomata Patrum.
7. Qui Turcas monitis in bella, vel inſtruit armis.
8. Qui convectantes Romam cerealia turbant.
9. Qui peregrinantem Romanæ ad limina Sedis,
Sive recedentem exagitat, vel urbe morantem,
10. Romipetasve pios furto premit, aut juvat auſum.
11. Purpureis etiam Patribus, vel ab urbe Legatis,
Præſulibusve aliis quiſquis nocet: 12. aut ſua Romam
Judicibus ſummis referentem jurgia vexat.
13. Nec minùs in ſacri quicumque gravamine juris
A' Laicis depoſcit opem: & 14. quicumque ſuprema
Scripta ſuo ut careant temerarius impedit uſu.
15. Qui libertatem, qua Chriſti Eccleſia pollet,
Judicio coram imminuit, turbatve profano.
16. Qui Prælatorum conatibus obſtrepit audax,
Ne ſua jura ferant: decretaque Regia poſcit,
Poſcentesve favore juvat: tum 17. qui ſibi furto
Sedis Apoſtolicæ, aut Templorum jura capeſcit.
18. Qui Templis decimas, onera atque indebita figit.
19. Qui ſe miſtarum immiſcens in crimina Judex
Jura fori proferre audet. 20. Qui prædia, campos,
Pontificumve ſacras arces, aut oppida captat.

SECTIO VI.

An, & quomodò poſſint Braſiliæ Epiſcopi abſolvere à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis?

293 NOtatio Prima. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi abſolvere ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis. Conſtat ex facultate Pontificia.

294 Notatio Secunda. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi abſolvere ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, quamvis tales caſus ſint publici. Colligitur ex Indulto Apoſtolico, quod eſt ampliſſimum, & indifferenter loquitur, nec ullam continet particulam reſtrictivam ad caſus occultos. Ubi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus Leg. *Si ſervum.*

295 Nihil-

295 Nihilominùs probatur ſpecialiter de caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis extrà Bullam Cœnæ: quià nimirum à caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſervatis extrà Bullam Cœnæ poſſunt abſolvere Epiſcopi de jure ordinario per Cap. 6 *Trid. ſeſſ.* 24. *de Reform. Liceat Epiſcopis*, *&c.* Ubi committitur Epiſcopis abſolutio quorumcumque caſuum occultorum Sedi Apoſtolicæ reſervatorum: ergò quando conceditur ſpecialis facultas abſolvendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis extrà Bullam Cœnæ, non conceditur facultas ordinaria, quam habent Epiſcopi abſolvendi á caſibus occultis, ſed extraordinaria, quam non habent, abſolvendi à caſibus publicis.

296 Quæ probatio, ut altiùs percipiatur, notandum 1. tripliciter poſſe aliquid dici occultum: primò, quod per ſe, & natura ſua non eſt probabile, quales ſunt actus merè interni: ſecundò, quod per accidens in foro externo probari non poteſt, quià deſunt teſtes: tertiò, quòd licet tribus, aut quatuor teſtibus probari poſſit, non tamen eſt notum notorietate Juris, vel facti.

297 Illud autem dicitur notum notorietate Juris, de quo conſtat per ſententiam judicis, aut confeſſionem ipſius Rei. Notorium autem notorietate facti illud eſt, quod eſt notum in maiori parte Viciniæ, Collegii, Monaſterii, vel Parochiæ, dummodò in Vicinia, Collegio, Monaſterio, aut Parochia, inveniantur ſaltem decem perſonæ.

298 Notandum 2. in citato Trident. loco committi Epiſcopis facultatem abſolvendi à caſibus occultis non ſolum primo, & ſecundo modo, prout occultum opponitur probabili, & noto duobus, vel tribus; ſed etiam à caſibus occultis, prout occultum opponitur publico, & notorio tertio modo explicato num. antecedenti; ut contra aliquos benè probat *Nogueir. diſp.* 15. *n.* 104.

299 Notandum 3. Cum *Henr. lib.* 6. *de Pœnit. Cap.* 1. *art. ult.* ad finem; per facultatem hanc à Trident. conceſſam abſolvendi à caſibus Pontificiis occultis, reſtitui Epiſcopis ſublatam olim juriſdictionem, quam habebant jure communi. Unde hæc poteſtas (inquit *Mend. diſp.* 23. *n.* 62.) convenit Epiſcopis jure communi, & ordinario, & non ex privilegio, nam privilegium non cenſetur juriſdictionis reſtitutio.

300 Caſus igitur Sedi Apoſtolicæ reſervati extrà Bullam Cœnæ, eo ipſo, quòd ſint occulti modo dicto, ſunt Epiſcopales, & poſſunt ab Epiſcopis abſolvi de jure ordinario; atque adeò de his non loquitur Indultum Apoſtolicum Braſiliæ Epiſcopis conceſſum, ſed de caſibus publicis; cùm ſpecialis, & extraordinaria facultas aliquid amplius cōcedat, quàm de jure poſſunt Epiſcopi, ut late oſtendimus lib. 1. n. 7. & 8. His diligenter notatis.

301 Probatur modò de caſibus publicis Sedi Apoſtolicæ reſervatis intrà Bullam Cœnæ. Nam etiam dato, quod Epiſcopi de jure nequeant abſolvere à caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſervatis intrà Bullam Cœnæ, cùm tales caſus non ſint ampliùs Epiſcopales, ut fert ſententia apud *Nogueir. diſp.* 15. *num.* 105. *ad num.* 113. poſt propoſitionem damnatam ab Alexandro VII. quæ incipit: *Sententia aſſerens.* Nihilominùs ex ſpeciali facultate Pontificia, quam habent Braſiliæ Epiſcopi, eodem modo poſſunt ab-

ſolvere à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis intrà Bullam Cœnæ, ac extrà Bullam Cœnæ, ut apertè innuit particula reduplicativa, & conjunctiva, *etiam* poſita in faculate Pontificia, ibi: *etiam, in Bulla Cœnæ Domini contentis*: atqui à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis extrà Bullam Cœnæ poſſunt abſolvere Braſiliæ Epiſcopi, tametſi tales caſus ſint publici: ergò etiam à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis intrà Bullam Cœnæ, quamvis tales caſus ſint publici.

302 Notatio Tertia. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi abſolvere ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, tàm per ſe, quam per alios quoſcumque, quibus ipſi facultates ſibi conceſſas communicaverint. Conſtat expreſſè ex facultatum catalogo num. 28.

303 Notatio Quarta. Habens Pontifici reſervatum intrà, vel extrà Bullam Cœnæ, & confitens Braſiliæ Epiſcopo, vel ejus Delegato, quamvis nullâ ex oblivione mentionem faciat de reſervatis manet liber ab reſervatione oblitorum, & ab illis poteſt abſolvi à quocumque cõfeſſario, perinde, ac ſi non fuiſſent reſervata. Ità multi, quos citat *Nogueir. diſp.* 15. *n.* 143. Ratio eſt: quià dum Braſiliæ Epiſcopus, vel ejus Delegatus in abſolutione dicit: *In quantum ego poſſum*, intendit abſolvere, & reſervationem tollere, in quantum poteſt; poteſt autem tollere omnem prædictã reſervationẽ.

304 Notatio Quinta. Idem erit, ſi talis Pœnitens alicui ex prædictis confiteatur, quamvis faciat confeſſionem nullam. Ità omnes, quos allegat *Nogueir. diſp.* 15. *n.* 147. Ratio eſt: quià talis Pœnitens jam Pontificis vices habenti, nempe Epiſcopo, vel ejus Commiſſario, ſe, præſentavit animo medicinam ab eo recipiendi circa reſervata: ergò eam recepit, ac proindè manet liber à reſervatione illorum, quæ in tali confeſſione, quamvis invalida, aperuit: quemadmodum maneret, ſi ab Epiſcopo, vel ejus Commiſſario, obtineret facultatem, ut alteri confiteri poſſet, & ab eo abſolvi.

305 Notatio Sexta. Etiam extrà Sacramentum Pœnitentiæ poſſunt Braſiliæ Epiſcopi abſolvere ab omnibus caſibus Pontifici reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis. Fundamentum eſt: quià cenſuræ tolli poſſunt extrà Sacramentum Pœnitentiæ, ut tenet communis ſententia apud *Nogueir. diſp.* 17. *n.* 82. Peccata verò Pontifici reſervata ſub cenſura reſervantur: ablata igitur cẽſura extrà Sacramentum Pœnitentiæ, etiam ablata manet reſervatio.

306 Notatio Septima. Etiam abſentem poſſunt Braſiliæ Epiſcopi abſolvere ab omnibus caſibus Pontifici reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis. Fundamentum eſt: quià abſolutio à Cenſuris poteſt dari extrà Sacramentum Pœnitentiæ, ut proximè diximus: ergo etiam in abſentia. Et quamvis implicet, quòd abſolutio à peccatis in abſentia conferatur, ut declaravit Clemens VIII. anno Domini 1602. die 20. Junii in Motu proprio, qui incipit: *Sanctiſſimus*, non tamen implicat, quòd abſolutio à cenſuris detur in abſentia, ut proximè diximus. Data igitur abſolutione à cenſuris in abſentia, jam reſervata non manent, quæ anteà ſub cenſurâ reſervabantur, ac proinde poſſunt abſolvi à Confeſſore ordinario.

307 Notatio Octava. Ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis,

tentis, poſſunt Braſiliæ Epiſcopi abſolvere non ſolùm ſubditos ſuos, ſed etiam non ſuos, puta, Peregrinos, Advenas, atque etiam Regulares quoſcumque, dummodò hi omnes ſint intrà fines propriæ Diœceſis, eo plané modò, quo dictum eſt *lib.* 1. *á n.* 9.

308 Notatio Nona. Si Braſiliæ Epiſcopus (quod Deus avertat) incidat in aliquem caſum Pontifici reſervatum, etiam in Bullá Cœnæ contentum, poteſt abſolvi à quocumque Sacerdote, cui ipſe facultates ſibi conceſſas communicaverit, aliás Epiſcopus eſſet deterioris conditionis, quàm ejus ſubditus, imò & non ſubditus, ut peregrinus, advena &c.

SECTIO VII.

An præter Epiſcopos, ſint etiam in Braſiliâ, qui à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis poſſint abſolvere?

309 NOtatio Prima. An autem præter Braſiliæ Epiſcopos, & eorum Commiſſarios, ſint etiam Regulares, qui poſſint abſolvere à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bullá Cœnæ contentis? ℞. in novo Compendio Indico V. *abſolutio* ſic haberi de PP. Societatis JESU.

310 Poſſunt hi, qui mittuntur à Præpoſito Generali in terras Sarracenorum, Paganorum, aliorumque Infidelium, & in alias Provincias remotiſſimas, à quibus non poteſt adiri Sedes Apoſtolica; conceſſa ſibi facultate ab eodem Præpoſito Generali, Fideles ibi commorantes confeſſione ſuorum peccatorum auditâ, & pœnitentiâ ſalutari impoſitâ ab omnibus peccatis etiam in Bullâ Cœnæ Domini reſervatis, & à conſequentibus cenſuris, & pœnis abſolvere. Paulus III. in Bullâ, data 16. Octobris 1549. incipit. *Licet debitum.* Clemens VIII. in Bullá. *Domini gregis*, edita 14. Julii 1604.

311 Hanc facultatem confirmavit, & de novo conceſſit Gregor. XIII. 8. Septembris 1573. per Bullam: *Cum ſicut accepimus.* Eamque extendit ad omnes Presbyteros Societatis in Orientali, Occidentalique Indiá, omnibuſque Regionibus, Inſulis, & Provinciis tranſmarinis, ad quas Hiſpani, & Luſitani penetrant commeantes, & in eiſdem Regionibus pro tempore exiſtentes: Bulla edita 6. Jan. 1578. incipit: *Univerſis Chriſti Fidelibus.* Hæc extenſio facta fuit primò ad decennium, poſteá ad duo decennia à prædicto Gregor. XIII. & conſequenter ab illius Succeſſoribus uſque ad Benedictum XIII. qui in Bullâ, datâ 12. Decembris 1729. incipit: *Animarum ſaluti*: eam prorogavit ad duo alia decennia à fine ultimi computanda: ideſt, uſque ad diem 11. Februarii anni 1750. reſtrictam tamen ad loca, ubi non eſt Inquiſitionis Tribunal, nec Ordinarii intrà duas dietas hujuſmodi abſolvendi poteſtatem habentes, & Fideles inter Infideles vivunt.

312 Avertendum tamen, quòd Patres Societatis, quibus Provinciales prædictam facultatem communicaverint, neminem poſſunt abſolvere in abſentiá, nec extrá Sacramentum Pœnitentiæ, ut poſſunt Braſiliæ Epiſcopi. Diſparitas eſt: quiá Presbyteris Societatis conceditur facultas abſolvendi à caſibus Pôtifici reſervatis: *Confeſſione peccatorum auditâ, & pœnitentia ſalutari impoſitâ*; debent igitur tales Presbyteri priùs Pœnitentes audire, eorum-

eorumque confeſſiones excipere, & poſteà abſolvere.

313 At verò Braſiliæ Epiſcopis conceditur facultas abſolvendi ſine clauſulà, quód Pœnitentes audiant, eorumque confeſſiones excipiant: undé patet; quòd Braſiliæ Epiſcopi poſſunt liberare à cenſuris extrà Sacramentum Pœnitentiæ, vel etiam in abſentià, & poſteà liberatos remittere ad confeſſorem ordinarium pro abſolutione à peccatis, per ablationem cenſuræ non ampliùs reſervatis, obtinendà.

314 Notatio Secunda. An quando conceditur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bullà Cœnæ contentis; intelligatur etiam conceſſa facultas abſolvendi ab hæreſi? Partem affirmativam tenuerunt *Corduba*, *Sòttus*, *Farinac. Reginald. Fillìuc. tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. *n.* 165. *Fagund. de Præcept. Eccleſiaſ. tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 37. *& in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 3. *Card. Delug. diſp.* 23. *de Fide n.* 102. & alii, quos citant *Salmant. tom.* 5. *Theolog. Moral. tract.* 20. *cap.* 3. *punct.* 8. *n.* 87. Moventur hi AA. quià omnes caſus Bullæ Cœnæ ſunt æqualiter reſervati: ergò quando conceditur generaliter ad omnes caſus Bullæ Cœnæ, nullus excipitur: qui enim totum dicit, nihil excludit. Prætereà ſi Summus Pontifex hæreſim vellet excludere, illam expreſſé exciperet, ex cap. 2. De Translat. Epiſcop. ergò ſi non excipit, ſignum eſt velle ſub generali conceſſione eam comprehendere.

315 Negativam verò ſententiam vocat communiorem *P. Viva tom.* 1. *theſ. Damnat. in fin. quæſt.* 11. §. *ſecunda ſententia.* Deinde eam tenent *Suar. de Fide diſp.* 21. *Sect.* 4. *n.* 21. *Sanch. lib.* 2. *Decalog. cap.* 12. *n.* 10. *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. tom.* 2. *allegat.* 40. *n.* 31. *Caſtr. Pal. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 3. §. 4. *n.* 2. *Dian. part.* 1. *tract.* 5. *de abſolutione ab hæreſi Reſol.* 1. & alii, quos referunt *Salmantic. cit. n.* 88. Fundamentum eſt: quià in generali conceſſione non veniunt, quæ quis in ſpecie non eſſet veroſimiliter conceſſurus, ex Cap. *In generali* De Regul. Juris in 6. ſed hujuſmodi eſt caſus hæreſis: ergò. Probatur minor, quià in *Trident. Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* poſt conceſſionem Epiſcopis factam circá abſolutionem à caſibus occultis, Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ut ad hæreſim extenderetur conceſſio, immediatè expreſſit *Trident.* ibi: *Liceat Epiſcopis &c. idem, & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ, eis tantum, & non eorum Vicariis, ſit permiſſum*: ergò quià hæreſis eſt caſus in ſpecie, qui non venit in generali conceſſione.

316 Confirmatur: quià in Bullà Cruciatà Luſitanà poſtquam conceditur generalis facultas abſolvendi ſemel in vità, & ſemel in morte, à caſibus Pontifici reſervatis, etiam in Bullà Cœnæ contentis, excipitur hæreſis, & pauca alia crimina, à quibus abſolvere nequeunt confeſſarii, nequidem virtute Bullæ, ut conſtat ex textu Bullæ: ergo ſignum eſt, quòd hæreſis abſolutio in generali conceſſione non intelligitur comprehenſa. Pro hac etiam parte afferunt *Salmant. cit. n.* 89. decretũ Alexandri VII. die 23. Mart. 1656. ad Tribunal S. Inquiſitionis Hiſpanæ, ratione cujus decreti concludunt Salmant. ablatam eſſe probabilitatem ſententiæ contrariæ.

317 Quidquid tamen ſit de his ſen-

ſententiis, certum quidem eſt, quòd Braſiliæ Epiſcopis conceſſa ſit facultas abſolvendi non ſolum ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, ut conſtat ex præſenti Indulto, ſed etiam facultas expreſſa abſolvendi ab hæreſi, ut conſtat ex Facult. catalog. n. 15. de quo latè diximus diſp. præcedent. Quare in prædictis ſententiis examinandis, cum earum reſolutiones hic ſint ſuperfluæ, non eſt, cur amplius immoremur.

318 Notatio Tertia. Difficultas eſt: an facultas alicui conceſſa abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, atque etiam ab hæreſi, & hujuſmodi, revocetur per novam promulgationem Bullæ in Cœnæ Domini? Hanc quæſtionem, ejusque reſolutionem quoad alios vide apud *La Croix lib. 6. part.* 2. n. 1618. Quo verò ad Braſiliæ Epiſcopos R̸. cum eodem *Lacroix dict. n.* 1618. §. *Inſtabis*, in fine, facultates Braſiliæ Epiſcopis conceſſas non revocari per annuam promulgationem Bullæ in Cœna Domini. Ratio eſt: quia facultates, quas Pontifex Nuntiis, vel Epiſcopis concedit ad certos annos, cum ad tempus concedantur, dantur cum voluntate præveniendi revocationem novæ Bullæ quotannis in Cœna Domini emanaturæ. Undè cum tales ſint facultates Braſiliæ Epiſcopis conceſſæ, quatenus ad decennium conceduntur, idcirco non revocantur per annuam promulgationem Bullæ in Cœna Domini.

319 Undè nota, quòd ſimiliter, & ob eamdem rationem non revocantur per novam promulgationem Bullæ Cœnæ privilegia illa Indica, ſeu facultates PP. Societatis conceſſæ abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, Comp. Indic. verb. *Abſolutio*, cum hæc etiam privilegia, ſeu facultates ſint temporariæ, & duraturæ tantum ad annum 1750. ex conceſſione Benedicti XIII. niſi, quòd tempore habili renovabuntur, ut jam admonitum eſt.

320 Deinde in dict. Compend. Indic. verb. *Bulla Cœnæ* §. 1. & 2. habetur ita: *Promulgationem annuam Bullæ Cœnæ Domini non revocare privilegia conceſſa Miſſionariis ad abſolvendum in Indiis, Infideliumque partibus omnes Chriſti Fideles à caſibus in ea reſervatis, declaravit Clemens VIII. in citata Bulla: Dominici Gregis, edita* 14. *Julii* 1604.

321 Poſſunt Noſtri in Indiis abſolvere ab omnibus peccatis, & cenſuris in Bulla Cœnæ Domini reſervatis, non ſolum virtute Bullarum, quæ citantur ſupra verb. *Abſolutio*, ſed virtute Bullarum Innocentii IV. *Cum hora decima*, data 21. Julii 1253. Nicolai III. 28. Auguſti 1278. & Joannis XXII. 3. Idus Novembris 1321. quas omnes innovavit, & confirmavit Benedictus XIII. in citata Bulla *Pretioſus in conſpectu Domini* §. 31. abſque ulla temporis limitatione pro RR. PP. Prædicatoribus, ſicut & virtute Bullarum Clementis V. *Cum hora*, & Leonis X. *Alias felicis*, qui hoc conceſſerunt RR. PP. Minoribus, quam conceſſionem confirmat, innovat, & de novo abſque limitatione concedit Benedictus XIII. in prædicta Bulla: *Summe decet.*

Poſt hæc ſcripta accepi à viris doctis, Clem. XII. per Bullam: *Romanus Pontifex*, editam die 30. Martii anno 1732. revocaſſe duodecim

decim Bullas à Benedicto XIII. emanatas in favorem Regularium, inter quas expreſſe revocat Bullam *Pretioſus*, & Bullam *Summè decet.* Sed ibi dictus Clemens non revocat Bullam Benedictinam *Animarum ſaluti*, ideo adhuc vigent privilegia nobis per ipſam conceſſa.

DISPUTATIO SEXTA

DE DECIMA SEPTIMA FACULTATE PONTIFICIA,

QUÆ

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

De primo converſis ab hæreſi.

322 DEcima Septima facultas Pontificia. *Concedendi Indulgentiam plenariam primò converſis ab hæreſi, atque etiam fidelibus quibuſcumque in articulo mortis, ſaltem contritis, ſi confiteri non poterunt.*

323 Quid ſit Indulgentia plenaria? Diximus ſupra n. 146. Quid verò ſit hæreſis? Diximus etiam ſupra n. 200. Unde quoad hæc nil nobis ſupereſt addendum. Videantur loca citata.

324 Notatio Prima. Solum dubitari poteſt 1. Quæ conditiones requirantur, ut primo converſus ab hæreſi Indulgentiam plenariam acquirat? ℟. nullam aliam conditionem requiri, præter converſionem ab hæreſi. Ratio eſt 1. quia nullam aliam conditionem exigit facultas Pontificia, ut ex ejus tenore conſtat.

325 Ratio eſt 2. quia ad lucrandam Indulgentiam ſufficit executio operis, quod injungitur, modò fiat in ſtatu gratiæ, *Nogueir. in Bulla. Cruc. diſp. 7. n.* 144. converſo autem ab hæreſi, modò ſit in ſtatu gratiæ, nil amplius injungitur, quam converſio ab hæreſi.

326 Notatio Secunda. Dubitari poteſt 2. An ſicut Epiſcopus poteſt Indulgentiam plenariam concedere primo converſis ab hæreſi, poſſit etiam Indulgentiam plenariam concedere primò converſis à Paganiſmo, Judaiſmo, aut Turciſmo? ℟. affirmative. Ratio eſt: quia Paganiſmus, Judaiſmus, & Turciſmus non differunt ſpecie ab hæreſi, ſed ſolum accidentaliter ſecundum magis, & minus, ut cum multis oſtendimus ſupra à n. 277. ergo in favorabilibus differre non debent Pagani, Judæi, nec etiam Turcæ, atque adeo his omnibus primò converſis ad fidem poteſt Braſiliæ Epiſcopus Indulgentiam plenariam concedere.

327 His poſitis, quia in præſenti agimus de primo converſis ab hæreſi, non inutile duximus, ſi ritus, & cæremonias, quæ in actu ipſius converſionis adornando ſervantur, pleno calamo deſcribamus; ſæpe enim fit, ut in locis abhinc remotis viri alioquin docti cum exemplar. iſtius functionis non habeant,

beant, Cœremonias ejuſmodi, & ritus penitùs ignorent, & in hac Epiſcopali Civitate de hoc negotio conſulendà plùs temporis, quàm par eſt, conſumant.

328 Quarè ſuppoſita Hæretici reductione, ad cujus effectum varia dilemmata affert *ArſdeK in part.* 1. *cap.* 10. *pag. mihi* 32. atque etiam ſuppoſità ejuſdem Hæretici inſtructione, ad quam nonnulla docet *Lacroix lib.* 6. *part.* 2. *à n.* 1856. accipe praxim, & formulam Hæretici cum Eccleſià Catholicà reconciliandi.

SECTIO II.

Praxis, & formula Hæretici cum Eccleſià Catholicà reconciliandi.

329 IM primis Sacerdos, qui Hæreticum cum Eccleſià Catholicà reconciliare curat, ſi ad id non habeat ſpecialem facultatẽ, qualis requiritur ad abſolvendum ab hæreſi publicà, & ideò recurrendum ſit ad illum, qui eam habet, & committere poteſt v. g. ad D. Epiſcopum Fluminenſem, petitio fiet hoc ferè modo.

EXCELL.^mo^, E R.^mo^ SENHOR.

D*Iz Duarte Anderſon Inglez de naçaõ natural da Cidade de Londres de idade de* 30. *annos, e de Profiſſaõ Piloto, que conhecendo elle a verdade da Fé Catholica Romana, e que ſó nella ſe póde ſalvar, dezeja reduzir-ſe ao gremio da S. Igreja Romana, e abjurar todos os erros, em que ategora como Herege vivia; e porque o naõ póde fazer ſem licença de V. Excellencia Reverendiſſima.*

P. *A V. Excellencia Reverendiſſima ſeja ſervido commetter os ſeus poderes ao Padre N. Sacerdote da Companhia de JESUS para lhe receber a abjuraçaõ da heregia, e a profiſſaõ da Fé Catholica na Capella interior do Collegio da meſma Companhia deſta Cidade do Rio de Janeyro, e para o abſolver da Excommunhaõ, em que eſtá incurſo.*

E. R. M.

Commettemos noſſas vezes ao R. N. da Companhia de JESUS Rio de Janeyro 9. *de Dezembro de* 1743.

N. Biſpo.

P*Or Commiſſaõ do Excellentiſſimo, e Reverendiſſimo Senhor Biſpo do Rio de Janeyro recebi na Capella interior do Collegio da Companhia de JESU deſta Cidade a abjuraçaõ da heregia, e a Profiſſaõ da Fé Catholica Romana, q̃ fez Duarte Anderſon Inglez, e o abſolvi da Excommunhaõ na forma, que manda o Sagrado Concilio Tridentino, eſtando preſentes as teſtemunhas abayxo commigo aſſignadas aos* 6. *de Janeyro de* 1744.

N da Companhia de JESUS.

Duarte Anderſon.

Joaõ de Souza.

Andre Dias.

330 Poſt obtentam D. Epiſcopi licentiam ad Hæreticum cum Eccleſia Catholicà reconciliandum invitari debent nonnulli Patrini, ſeu futuri teſtes ex nobilioribus loci, aut ſiqui ſint, ex Familiaribus S. Officii, qui in Capellam, ſeu Eccleſiam, ubi celebranda eſt reconciliatio, die præfixo conveniant.

331 Ante hæc autem in eadem Capellà, ſeu Eccleſià, ubi celebranda eſt reconciliatio, parabitur altare parvum, accenſis cereis, Imagine Crucifixi, & Miſſali, ſeu libro Evangeliorum ſuper altare poſitis.

332 His paratis ad horam competentem, Sacerdos ſuperpelliceo, & ſtolá indutus ſedeat propè altare, & per unum ex Aſſiſtentibus v. g. per Acolithum, legere faciat petitionem D. Epiſcopo porrectam, ejuſque licentiam ad latus ſiniſtrum, & in parte ſuperiore ejuſdem petitionis poſitam, ut ſuprá.

333 Cum hæc lecta fuerint, genuflectunt converſus, & Sacerdos, qui ſtatim dicit Orationem.

Actiones noſtras quæſumus, Domine, adſpirando præveni, & adjuvãdo proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Dominum noſtrum &c.

Et proſequitur dicens hymnum: *Veni Creator Spiritus &c.* uſque ad finem. Poſt recitatum hymnum: *Veni Creator*: ſurgit Sacerdos, & ſtans dicit.

℣. *Dominus Vobiſcum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper cõſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum JESU Chriſtum &c. in unitate ejuſdem Spiritus &c.

334 Finitá oratione, *Deus, qui corda*, iterùm ſedet Sacerdos, non autem converſus, qui genuflexus, ut ante, facit profeſſionẽ Fidei. Quæ Fidei Profeſſio quãvis hic ſubjiciatur idiomate latino, tamen converſo danda eſt patrio ejus idiomate, ſi latinum non intelligat, aut in alio quocumque idiomate, quod converſus intelligat, atque etiam Commiſſarius reconciliationis, aut ſaltem aliquis Catholicus pro interprete aſſiſtens.

PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ.

Secundùm Bullam Pii IV, & præſcriptum Tridentini.

„ Ego N. N. firmá fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium; & in unum Dominum JESUM Chriſtum filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, Conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & Incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Mariá Virgine, & Homo factus eſt, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, Paſſus, & Sepultus eſt; & reſurrexit tertia

,, tertia die ſecundùm Scripturas, &
,, aſcēdit inCœlū, & ſedet ad dexte-
,, rāPatris; & iterùm venturus eſt cū
,, gloria judicare viros, & mortuos,
,, cujus regni non erit finis. Et in
,, Spiritum Sanctum Dominum, &
,, Vivificantem, qui ex Patre, Filio-
,, que procedit, qui cū Patre, & Fi-
,, lio ſimul adoratur, & conglorifi-
,, catur, qui locutus eſt per Prophe-
,, tas. Et unam Sāctam, Catholicam,
,, & Apoſtolicam Eccleſiam; Confi-
,, teor unum Baptiſma in remiſſio-
,, nem peccatorum, & expecto re-
,, ſurrectionem mortuorum, & vi-
,, tam venturi ſæculi. Amen. Apoſ-
,, tolicas, & Eccleſiaſticàs traditio-
,, nes, reliquasque ejuſdem Eccleſiæ
,, obſervationes, & conſtitutiones,
,, firmiſſimè admitto, & amplector.
,, Item Sacram Scripturam juxtà
,, eum ſenſum, quem tenuit, & te-
,, net Sancta Mater Eccleſia, cujus
,, eſt judicare de vero ſenſu, &
,, interpretatione Sacrarum Scrip-
,, turarum admitto: nec eam un-
,, quam niſi juxtà unanimem conſen-
,, ſum Patrum accipiam, & inter-
,, pretabor. Profiteor quoque ſep-
,, tem eſſe verè, & propriè Sacra-
,, menta novæ legis à Chriſto Do-
,, mino noſtro inſtituta, atque ad
,, ſalutem humani generis, licèt non
,, omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet
,, Baptiſmum, Confirmationem,
,, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extre-
,, mam Unctionem, Ordinem, &
,, Matrimonium, illaque gratiam
,, conferre, & ex his Baptiſmum,
,, & Confirmationem, & Ordinem
,, ſine ſacrilegio reiterari non poſ-
,, ſe. Receptos quoque, & appro-
,, batos Eccleſiæ catholicæ ritus in
,, ſupradictorum omnium Sacramē-
,, torum ſolemni adminiſtratione
,, recipio, & admitto, & omnia ſin-
,, gula, quæ de peccato originali,
,, & de juſtificatione in Sacroſancta
,, Tridentina Synodo definita, & de-
,, clarata fuerunt, amplector, &
,, recipio. Profiteor pariter in Miſ-
,, ſa offerri Deo verum, & propi-
,, tiatorium ſacrificium pro vivis,
,, & defunctis, atque in Sanctiſſi-
,, mo Euchariſtiæ Sacramento eſſe
,, verè, realiter, & ſubſtantialiter
,, Corpus, & ſanguinem, unà cum
,, anima, & divinitate Domini noſ-
,, tri JESU Chriſti, fierique con-
,, verſionem totius ſubſtantiæ panis
,, in Corpus, & totius ſubſtantiæ vi-
,, ni in ſanguinem, quam convertio-
,, nem Catholica Eccleſia tranſubſ-
,, tantiationem appellat. Fateor e-
,, tiam ſub altera tantum ſpecie to-
,, tum, atque integrum Chriſtum;
,, verumque Sacramentum ſumi.
,, Conſtanter teneo, Purgatorium
,, eſſe, animaſque ubi detentas fide-
,, lium ſuffragiis juvari: ſimiliter,
,, & Sanctos unà cum Chriſto reg-
,, nantes venerandos, & invocan-
,, dos, eſſe eoſque orationes Deo
,, pro nobis offerre, atque eorum
,, Reliquias eſſe venerandas. Firmiſ-
,, ſimè aſſero imagines Chriſti, ac
,, Deiparæ ſemper Virginis, nec
,, non aliorum Sanctorum haben-
,, das, & retinendas eſſe, atque eis
,, debitum honorem, ac veneratio-
,, nem impertiendam. Indulgentia-
,, rum etiam poteſtatem à Chriſto
,, in Eccleſia relictam fuiſſe, illarū-
,, que uſumChriſtiano populo maxi-
,, mè ſalutatem eſſe affirmo. Sanctā
,, Catholicam, & Apoſtolicam Ro-
,, manam Eccleſiam, omnium Ec-
,, cleſiarum, Matrem, & Magiſtram
,, agnoſco, Romanoque Pontifici,
,, Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac JESU Chriſti
,, Vicario, veram obedientiam ſpō-
,, deo, ac juro: cætera item omnia
,, à Sacris Canonibus, & œcumenis

,, Conciliis, ac præcipuè à Sacro-
,, ſancta Tridentina Synodo tradi-
,, ta, definita, & declarata, indubi-
,, tanter recipio, atque profiteor, ſi-
,, mulque contraria omnia, atque
,, hæreſes quaſcumque ab Eccleſia
,, damnatas, rejectas, & anathema-
,, tizatas, ego pariter damno, reji-
,, cio, & anathematizo: hanc veram
,, Catholicam fidem, extrà quam
,, nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in
,, præſenti ſponte profiteor, & ve-
,, raciter teneo, eamdem integram,
,, & inviolatam, uſque ad extremũ
,, vitæ ſpiritum cõſtantiſſimè (Deo
,, adjuvante) retinere, & confiteri,
,, atque à meis ſubditis, vel illis,
,, quorum cura ad me in munere
,, meo ſpectabit, teneri, doceri,
,, & prædicari, quantùm in me erit,
,, curaturum, ego idem NN. ſpõ-
,, deo, voveo, ac juro: ſic me
,, Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei
,, Evangelia: In principio erat Ver-
,, bum, &c.

335 Poſtquam facta ſit profeſſio Fidei, genuflectit Sacerdos, dicendo Pſalmum: *Miſerere* uſque ad finem. Deindè proſequitur.

Kyrie Eleyſon.
Chriſte Eleyſon.
Kyrie Eleyſon. Pater noſter.
Et nè nos inducas, &c.
℣. *Salvum fac ſervum tuum, Domine,*
℟. *Deus meus ſperantem in te.*
℣. *Eſto ei Domine Turris Fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
℣. *Domine, exaudi orationẽ meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus Vobiſcum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorũ catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Dominum, &c.

336 Poſt hæc, ſi converſus ſit Baptizandus ſub conditione, Baptizabitur hac forma *N. Si non es Baptizatus, Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sãcti.* Poſteà abſolvetur hac forma.

Authoritate Omnipotentis Dei, & BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli mihi commiſſa, Ego te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, quam per hæreſim incurriſti, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & Communioni Fidelium in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti Amen.

337 Si verò converſus ſit omninò certus ſe non eſſe Baptizatum, tunc ſolùm abjurabit hæreſim, faciendo profeſſionem Fidei, & ſolùm Baptizabitur; non tamen abſolvetur ab excommunicatione, nec ad Confeſſionem exhortabitur, ut exhortari debet Baptizatus ſub conditione.

338 Hoc deinde diſcrimen obſervant nonnulli inter utrumque Baptiſmum, quòd ſi Baptiſmus confertur ſub conditione, tunc confertur ſimpliciter, id eſt, abſque ritu, & Cæremoniis, quæ in Baptiſmo infantium adhibentur. Si verò Baptiſmus confertur abſolutè, quià converſus non eſt Baptizatus, tunc Baptiſmus confertur ſub omnibus ritibus, & Cæremoniis, quæ in Baptiſmo infantium adhibentur.

339 Ad-

339 Adminiſtrato igitur baptiſmo, ſi miniſtrandus erat ſub conditione, & collata abſolutione à cenſuris, ut ſuprà; aut etiam adminiſtrato ſimpliciter, genuflectunt omnes, & Sacerdos dicit:

Agimus tibi gratias Omnipotens Deus pro univerſis beneficiis tuis; qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. *Amen.*

340 Cum hymno: *Te Deum:* uſque ad finem. His peractis finitur actus reconciliationis, eoque finito, pulſantur campanæ, quæ è turri pendent, in ſignum lætitiæ, & in obſequium S. M. Eccleſiæ.

341 Reſtat tamen advertere 1. quòd converſus exhortetur ad confeſſionem, eo modo, quo docet *Lacroix lib. 6. part. 2. n.* 1859. ſi baptizatus fuit ſub conditione, ut proximè diximus, & deinde diſponatur ad Sacram Euchariſtiam recipiendam, de quibus à ſe factis, ſi opus ſit, dabitur ei Schedula per R. Commiſſarium reconciliationis ſubſcripta.

342 Reſtat advertere 2. quòd ad calcem petitionis, & licentiæ à D. Epiſcopo conceſſæ atteſtabitur Sacerdos, ſe excõmiſſione D. Epiſcopi N. recepiſſe profeſſionem Fidei in tali loco factam á N. videlicet, *Por commiſſaõ do Excellentiſſimo, e Reverendiſſimo Senhor Biſpo, &c.* ut initio Sectionis: & infrà atteſtationem ipſam nomina ſua ſubſcribent converſus ad latus ſiniſtrum, & ad latus dextrum Sacerdos, ſeu Commiſſarius reconciliationis, & præterea duo, vel tres, qui fuerunt teſtes reconciliationis, ut etiam viſitur initio Sectionis.

343 Reſtat advertere 3. quòd papyrus hæc, in quà petitio D. Epiſcopo facta, ejuſque licentia pro reconciliando hæretico conceſſa, & prætereà atteſtatio Sacerdotis continebuntur, eidem D. Epiſcopo tradi debent, ut ille apud ſe ſervet, vel ad S. Inquiſitionis Tribunal remittat.

344 Reſtat advertere 4. quòd converſo dabuntur literæ teſtimoniales abjurationis ſuæ, & profeſſionis Fidei à ſe factæ, in hunc modum.

Ego Rupertus de Campos Societatis JESU notum facio omnibus Chriſti Fidelibus Eduardum Anderſon natione Anglum, in gremium S. Romanæ Eccleſiæ fuiſſe admiſſum, omneſque hæreſes ex animo abjuraſſe, factaque profeſſione Fidei juxtà Eccleſiæ, Sacrorumque Canonum formulam, ab omni cenſurà Eccleſiaſtica, ex facultate mihi ab Excellentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino *D. N. N. Fluminenſi Epiſcopo conceſſà, à me fuiſſe abſolutum. In cujus rei fidem has teſtimoniales literas illi dedi, ſigillo meo munitas, propriàque manu ſubſcriptas. In Collegio Fluminenſi Societatis JESU. die Menſis Anni.*

Locus ſigilli. Locus nominis.

SECTIO III.

Quibus perſonis in articulo mortis concedenda ſit Indulgentia Plenaria?

345 CU'm in præſenti facultate dicatur: *Concedendi Indulgentiam Plenariam.. etiam Fidelibus quibuſcumque in articulo mortis.* Videndum in hac Sectione, quæ ſint perſonæ, quibus dicta Indulgentia concedi poteſt: in ſequen-

ſequenti verò, quiſnam ſit articulus mortis.

346 Notatio Prima. Sub clauſulâ: *Fidelibus quibuſcumque*: veniunt omnes utriuſque ſexûs Chriſtiani, exceptis Hæreticis, Apoſtatis, & Schiſmaticis. Ratio eſt: quià particula *quibuſcumque* neminem excludit, dummodo ſit Fidelis, ſeu Fide non careat: ergò comprehendit omnes utriuſque ſexûs Chriſtianos, ſeu Fideles.

347 Dixi: *Exceptis Hæreticis, Apoſtatis, & Schiſmaticis*: quià Hæreticus in favorabilibus non venit nomine Fidelis, cùm careat habitu Fidei. *Nogueir. in Bull. Cruc. diſp.* 2. *n.* 22. Deinde Apoſtata etiam eſt Hæreticus, quatenùs negat omnes Fidei articulos. *Nogueir. diſp.* 16. *n.* 22. Schiſmaticus verò licet Fidem non omninò deſeruerit, quià tamen ſe ſubtrahit ab obedientia Summi Pontificis, non eſt dignus, cui Indulgentia concedatur à Pontifice, quem Schiſmaticus non agnoſcit, ut Chriſti Vicarium. Præterquam quod *Mend. in Apendic. ad Bull. diſp.* 1. *n.* 32. dicit: *Schiſmaticum non venire nomine Fidelis*.

348 Notatio Secunda. Sub clauſulâ: *Fidelibus quibuſcumque*: venit etiam excommunicatus, dummodò pertinax non ſit, nec per eum ſtet, quominùs ab Excommunicatione abſolvatur in articulo mortis. Ratio eſt: quiá Excommunicatus eſt Chriſti Fidelis, cùm per Excommunicationem non amiſerit Fidem *Nogueir. diſp.* 2. *n.* 29. in fin. Indultum verò Apoſtolicum extenditur ad Fideles quoſcumque.

349 Confirmatur 1. quiá Excõmunicatus poteſt decedere in ſtatu gratiæ, id eſt, condonatus quoad culpas, ſi nimirùm decedat ſaltem contritus, & confiteri non poſſit: ergó etiam poteſt decedere condonatus quoad pœnas per Indulgentiam Plenariam, ſi nimirùm ei applicetur.

350 Confirmatur 2. quiá Excommunicatus, ſi pertinax non ſit, nec per eum ſtet, qu ominùs ab Excommunicatione abſolvatur, & deinde per contritionem ponatur in ſtatu gratiæ; poteſt ingredi Eccleſiam, ibique viſitare quinque altaria in diebus deſignatis pro Stationibus, & conſequi Cruciatæ Indulgentiam. *Nogueir. diſp.* 2. *n.* 30. ergo etiam ſi articulo mortis pertinax non ſit, nec per eum ſtet, quominùs ab Excommunicatione abſolvatur, dummodò per contritionem ponatur in ſtatu gratiæ, poterit conſequi Indulgentiam Plenariam, ſi ab Epiſcopo ei applicetur.

351 Ratio utriuſque eſt: quià ſicut Deus Excommunicatum recipit in ſuam amicitiam per contritionem, ità Mater Eccleſia in conſortium Theſauri ſui.

352 Dices tamen. Excommunicatus eſt extrà Eccleſiam, nec cõmunicat cum Fidelibus in bonis Theſauri Eccleſiæ: ergò neque in articulo mortis poteſt Indulgẽtias participare. ℟. Excommunicatum eſſe extrà Eccleſiam, dum pertinax eſt, & Eccleſiæ non obedit: ſi verò pertinax non ſit, nec per eum ſtet, quominùs Eccleſiæ obediat, & per contritionem reſtituatur in ſtatum gratiæ; tunc pia Mater Eccleſia illum recipit in conſortium Theſauri ſui; ſicut Deus illum recipit in ſuam amicitiam. Unde in articulo mortis poterit Indulgentiam conſequi, quam Pontifex concedit Fidelibus quibuſcumque ſub hac ſolà conditione, quod ſaltem conteratur, ſi confiteri non poterit.

353 No-

353 Notatio Tertia. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi Indulgentiam Plenariam concedere etiam Regularibus in articulo mortis. Ità habet praxis, & ulteriùs oſtenditur: quià Regulares venint nomine Fidelium. *Nogueir. diſp.* 2. *num.* 40. Epiſcopus autem habet facultatem concedendi Indulgentiam Plenariam Fidelibus quibuſcumque in articulo mortis.

354 Notatio Quarta. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi Indulgentiam cōcedere etiam abſenti in articulo mortis. Ratio eſt: quià in Indulto Apoſtolico dicitur: *Saltem contritis*: contritio verò elici poteſt ab abſente. Confirmatur: quià in Indulto additur: *Saltem contritis*, *ſi confiteri non poterunt*: ſed quod in articulo mortis conſtitutus nequeat confiteri, vel quiá abſens eſt Epiſcopus, vel alio ex capite, perinde eſt: ergò ubicumque moribundus ſit ſaltem contritus, quamvis non confiteatur, Indulgentiam acquiret.

355 Ubi notandum, quod licèt Pontifex videatur requirere in moribundo ſaltem contritionem, ſi confiteri non poterit, ut nimirùm potatur in ſtatu gratiæ, exiſtenti enim in peccato Indulgentia non prodeſt. *Nogueir. diſp.* 8. *n.* 41. Nihilominùs ſi moribundus jam ſit in ſtatu gratiæ, v. g. quià poſt ultimam confeſſionem non peccavit mortaliter, tunc Pontifex non videtur requirere in tali moribundo contritionem de venialibus, nec mortalibus jam confeſſis, & remiſſis.

356 Ratio eſt: quia ea contritio non requiritur ut forma, & conditio ad Indulgentiam conſequendam: ſed ut homo per illam ad effectum Indulgentiæ diſponatur, quæ non aliter, cum in ſtatu gratiæ acquiritur. Unde ſi moribundus jam anteà ſit in ſtatu gratiæ, quamvis in articulo mortis non conteratur actu, Indulgentiam lucrabitur.

357 Notatio Quinta. Non requiritur petitio moribundi, ut ei concedatur Indulgentia Plenaria in articulo mortis; ſed ſufficit Epiſcopi applicatio, & voluntas, ſeu acceptatio interpretativa moribundi. Ratio eſt: quià fructus ſuffragii mihi ab alio applicati acquiritur mihi etiam ignoranti, & non intendenti, ut ſuprà diximus à n. 190: ergò idem dicendum de fructu Indulgentiæ, quam Epiſcopus offert, & applicat moribundo.

358 Confirmatur: quià Paulus poteſt ſolvere pecuniam pro Petro, ignorante ipſo: ergò etiam Epiſcopus ex communi Theſauro poteſt ſolvere pro moribundo, ipſo ignorante, & cùr non? Imò hæc eſt intentio Pontificis de facto: ſœpè enim Indulgentiam, & benedictionem moribundo jam ſenſibus deſtituto concedit. *Card. de Lug. de Sacram. Pœnit. diſp.* 27. *num.* 81. *&* 82.

359 Notatio Sexta. Epiſcopus ipſe in articulo mortis conſtitutus poteſt ſibi applicare Indulgentiam Plenariam. Conſtat expreſſe ex facultatum Catalogo n. 19. ibi: *Lucrandi ſibi eaſdem Indulgentias*: ubi Epiſcopo conceditur facultas concedendi aliis, & prætereà lucrandi ſibi hanc, & omnes alias Indulgentias, quas ex Indulto Apoſtolico concedere poteſt.

SEC-

SECTIO IV.

Qualiſnam ſit articulus mortis, in quo concedenda eſt Indulgentia Plenaria?

360 DUplex eſt articulus mortis, verus alter, alter præſumptus. Verus mortis articulus ille dicitur, in quo quis verè moriturus eſt. Præſumptus autem, in quo quis moriturus præſumitur, ſed verè non moritur. *Nogueir. in Bull. Cruciat. diſp.* 8. *n.* 17.

361 Notatio Prima. In articulo mortis verò poſſunt Braſiliæ Epiſcopi Indulgentiam Plenariam concedere. Ratio eſt: quià articulus mortis eſt duplex tantùm: verus alter, & alter præſumptus, ut nuper vidimus: ſed de articulo mortis præſumpto dubitatur, an in eo poſſint Braſiliæ Epiſcopi Indulgentiam plenariam concedere: ergo dubium non eſt, quòd in articulo mortis vero poſſint Indulgentiam plenariam concedere, cùm de hoc ſaltem intelligi debeat Indultum Apoſtolicum, Braſiliæ Epiſcopis conceſſum.

362 Notatio Secunda. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi Indulgentiam Plenariam cōcedere, non ſolùm in mortis articulo vero, ſed etiam præſumpto. *Nogueir. citat. n.* 21. Ratio eſt: quià Beneficium Principis eſt amplè interpretandum, quando illud Princeps non limitat: Pontifex autem dicit: *in articulo mortis*, non limitando ad verum mortis articulum: ergò neque nos limitare debemus, cùm in hujuſmodi rebus propoſitio indefinita æquivaleat univerſali. *Nogueir. cit.*

363 Notatio Tertia. Dubium eſt: an poſſint Braſiliæ Epiſcopi dictam Indulgentiam concedere etiam in mortis periculo! Ante reſolutionem ſuppono mortis articulum, & mortis periculum, ſi ſtrictè ſumantur, inter ſe differre: nam mortis articulus ille eſt, quando mors apparet infallibiliter inevitabilis, ſive proveniat á cauſis naturalibus, ut á morbo, vel nimiá ſenectute; ſive à cauſa extrinſecá, quando v. g. quis per ſententiam Judicis, vel ab inimico juxtá breve ſpatium occidendus ſit. *Nogueir. cit. n.* 35.

364 Periculum verò mortis illud dicitur, quando probabile datur mortis dubium, quià in eo eventu mors frequenter accidere ſolet: unde prudenter timetur, ut in eo contingat, v. g. in febri acutà, vel ægritudine diuturnà, ex quibus plures non evaſerunt, in pugnâ campali, vel navali, periculoſà navigatione, partu primo fœminæ, & aliis, quæ inſpectis circunſtantiis periculoſa judicentur. *Nogueir. cit. n.* 36. ubi bené cum aliis rejicit periculum remotum v. g. quando navigatio eſt in principio, & partus fœminæ non ſentitur adhuc difficilis. Hactenùs differentia inter articulum, & mortis periculum inter ſe, ſi ſtrictè ſumantur.

365 Nihilominùs, ſi minùs ſtrictè ſumantur, & moraliter, idem ſunt articulus, & periculum mortis, imò pro eodem ſæpè uſurpantur in Jure, ut conſtat ex cap. *Siquis ſuadente* 17. *q.* 4. ibi: *niſi mortis urgente periculo*, & ex cap. *Non dubium*: ubi eadem apponitur Excommunicatio contrà eos, qui manus violentas in perſonas Eccleſiaſticas injiciunt, & jam non periculum, ut in cap. *Siquis*, ſed mortis articulus nuncupatur, ibi: *Nec niſi in articulo mortis.* Et non ſolùm in diverſis Juris capitibus, ſed

etiam

etiam in eodem capite unum pro alio uſurpatur ; ut liquet ex cap. *Eos , qui* , de ſentent. Excommunic. in 6. ibi. *Propter imminentis mortis articulum* , & ſtatim : *Si ceſſante poſtea periculo.* Si plura velis , adi *Nogueir. cit. n.* 37. His ſuppoſitis , ad dubium propoſitum *n.* 363.

366 ℟.affirmativè.Ratio eſt;quia beneficia Principis, qualia ſunt Indulta Apoſtolica, quæ Braſiliæ Epiſcopis cõceduntur, ſunt ample interpretranda , ut tenent omnes : ergo clauſula illa : *In articulo mortis*,appoſita in Indulto extendi debet ad mortis periculum. Confirmatur : quia in ordine ad pœnas inferendas ſæpè confunduntur in jure articulus , & periculum mortis , ut vidimus in præcitatis textibus : ergo à fortiori in ordine ad gratias conferendas v. g. Indulgentias , cùm hæ potius admittant interpretationes latas , quam illæ , ut eſt omnium.

367 Unde deducitur , quod eidem Petro v. g. qui ſæpè incidit in mortis periculum, & ſæpè convaluit, toties poteſt Epiſcopus Indulgentiam plenariam concedere. Ratio eſt : quia in Indulto Apoſtolico nulla adhibetur limitatio : ergo neque nos adhibere debemus. Confirmatur : quia Epiſcopus poteſt Indulgentiam concedere in favorem plurium , modo ſint in mortis periculo: ergo etiam in favorem ejuſdem , qui pluries ſit in mortis periculo , cùm hæc duo idem valeant.

368 Notatio Quarta. Poteſt quis in articulo mortis obtinere Indulgentias plenarias , & nihilominus ei ſupereſſe pœnam in Purgatorio luendam , ſi nimirum de aliquibus , aut pluribus venialibus non doluit. Ratio eſt : quia non remiſſa culpa , etiam pœna non remittitur , ut ſupra diximus *n.* 150. quatenus poſt commiſſum peccatum veniale remanet in anima reatus culpæ , quod Theologi vocant peccatum habituale , cui intime conjunctus eſt reatus pœnæ : perſeverante igitur culpa , ſeu peccato veniali non remiſſo defectu doloris , perſeverat etiam reatus pœnæ , quæ aliàs per Indulgentiam remitti poterat , in Purgatorio luendæ. *Nogueir. diſp.* 7. *n.* 11.

369 Notatio Quinta. Quæ conditiones requirantur ad lucrandam Indulgentiam plenariam , quam in articulo mortis poſſunt concedere Braſiliæ Epiſcopi ? Dico 1. Requiritur confeſſio ſacramentalis , ut ex Indulto Pontificio aperte colligitur, ibi : *Saltem contritis , ſi confiteri non poterunt* : ex quibus verbis manifeſte apparet , quòd ſi moribundus confiteri poterit , ad confeſſionem teneatur pro tali Indulgentia lucranda.

370 Notatio Sexta. Dico 2. Ad lucrandam Indulgentiam plenariam, quam in articulo mortis poſſunt concedere Braſiliæ Epiſcopi , requiritur ſaltem contritio , ſi moribundus confiteri non poterit. Conſtat aperte ex Indulto Pontificio , ibi : *Saltem contritis , ſi confiteri non poterunt.*

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE DECIMA OCTAVA, ET DECIMA NONA FACULTATIBUS PONTIFICIIS,

QUÆ

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDUNTUR.

SECTIO I.

De Oratione 40. *Horarum*, *ejuſque primæva inſtitutione.*

371 DEcima octava Facultas Pontificia: *Concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione* 40. *Horarum ter in anno indicenda diebus Epiſcopo benè viſis*, *contritis*, *confeſſis*, *& ſacra communione refectis*, *ſi tamen ex concurſu populi*, *& expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti nulla probabilis ſuſpicio ſit ſacrilegii ab hæreticis*, *& infidelibus*, *aut Magiſtratibus offenſum iri.*

372 Decima nona Facultas Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa: *Lucrandi ſibi eaſdem Indulgentias.*

373 Notatio Prima. Quæ fuerit occaſio inſtituendi Orationem 40. Horarum? ℞. fuiſſe vitam licentioſam, & populi Chriſtiani relaxationem in Bacchanalibus: cum enim triduo illo, quod ſolemne 40. dierum jejunium antecedit, Chriſtiani viderentur paſſim à Chriſto ſuo ad Bacchum, & Venerem palam, & aperte deficere: adeo, ut poſito pudore, & omnis Religionis ſenſu, in omnem licentiam crapulæ, comeſſationis, laſciviæ, & flagitiorum ſeſe effunderent, quaſi ex inſtante jejunio, quod ad remedium ſcelerum ab Eccleſia ſanctiſſime inſtitutum eſt, ſcelerum captarent anſam, & ad virtutem per flagitia ſeſe componerent. Hinc occaſionem arripuit Societas JESU, ut vitiis Bacchanalibus bellum indiceret, non aliis obarmata telis, quam exquiſito templorum ornatu, pio Muſicorum concentu, fervidis ad populum concionibus, ac ſolemnibus trium dierum precibus cum Indulgentiis plenariis indictis.

374 Primus, qui hunc zelum exercuit, fuit P. Oliverius Manaræus; is enim, ſuperſtite adhuc Parente N. Ignatio, dum Laureti degeret, intellexiſſetque hiſce Bacchi feriis comœdiam publicam omnino infamem, & obſcœnam apparari, eam ut impediret, nullum non movit lapidem; ſed dum nec oratione, nec ratione, nec comminatione diſturbare poſſet, conſilium cepit plenum religionis, & ſanctæ induſtriæ. Orationem 40. Horarum in Sacello Lauretano inſtituit, quod exquiſito, & magnifico apparatu adornavit, eoque populum adeo attraxit, ut foro deſerto, actores ſibi comœdiam, nemine applaudente, exhibuerint; & pro infami ſpectaculo, & lavernionum choragio omnes ad celebritatem ſacræ Ædis affluxerint. *Engelgrave tom.* 1. *Cœli Empyr.* 1. *die Bacchanal.* pag. *mihi* 170.

375 Lapſis poſt annis, in eumdẽ finem, & bonum ſpirituale animarum

rum noſter laudatiſſimæ memoriæ Quintus Præpoſitus Generalis P. Claudius Aquaviva ſupplicavit Sũmo Pontifici Paulo V. ut particulam Theſauri Eccleſiæ partiretur in eos, qui Orationi 40. Horarum inſtituendæ inquacumque noſtrarum Eccleſiarum intereſſent, atque confeſſione, Sacraque communione animos expiarent. Annuit Pontifex 3. Januarii anno 1603. Pio, ut vocat, Inſtituto. Et die 2. Februarii anno 1607. & anno 1611. idem Pontifex ampliavit ſuam gratiam his verbis.

376 *Cùm autem ejuſdem Claudii Præpoſiti nomine Nobis expoſitum fuerit nuper, quòd maiori cum fructu animarum dicta oratio ageretur, ſi prædicta Indulgentia ad duos ſequentes dies, ſeu ad tẽpus illud totum, quo dicta oratio durat, extenderetur, ac aliàs, ut infrà, in quibuſcumque locis concederetur. Nos ad augendum in dies magis, quantùm cum Domino poſſumus, eorundem FideliumReligionem, & animarum ſalutem, Cœleſtibus Eccleſiæ Theſauris intenti, ut inſtitutum prædictum amplioribus favoribus proſequamur, ejuſdẽ Præpoſiti Generalis precibus annuentes, omnibus Chriſti Fidelibus utriuſque ſexùs, qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti orationi 40. Horarum in Eccleſiis prædictorũ Religioſorum ubicumque exiſtentibus (non tamen in locis, Eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto) Dominica Quinquageſſimæ, aut alterà ex duabus immediatè ſequentibus Feriis, eadem oratione durante per aliquod temporis ſpatium devotè interfuerint, & ibi, ut ſuprà, aut aliàs prout ſua cuique ſuggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omniũ peccatorum ſuorum: iis verò, qui ſacrâ communione refecti non fuerint, ſi verè pœnitentes fuerint, & firmum confitendi propoſitum habuerint, decem Annorum Indulgentiam miſericorditer in Domino cõcedimus. In civitate verò Mediolani, hujuſmodi orationem 40. Horarum infrà quindecim eos dies, qui Dominicam primam Quadrageſimæ immediatè præcedunt, tribus diebus, arbitrio et juſdẽ Præpoſiti Generalis eligendis, haberi poſſe concedimus, & iis, qui prædictæ Orationi, his diebus, quibus agetur, ut ſuprà interfuerint, Indulgentiam eamdem modo præſcripto concedimus. Volumus autem, ut toto dicto Triduo durante ſemel tantùm ubiquè locorum quiſque Chriſti Fidelis Indulgentiam prædictam conſequatur. Præſentibus ad ſeptenium dumtaxat à die publicationis præſentium inchoandum, valituris. Ut autem præſentes ad ſingula quæque loca opportuna faciliùs deferri poſſint, volumus, ut earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici, ſeu dictæ Societatis Secretarii ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti Generalis ejuſdem Societatis munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ ad S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 3. Decembris M.D.C.XI. Pontificatùs noſtri anno ſeptimo.*

377 Hanc eamdem gratiam Apoſtolicam ſæpiùs cõfirmarunt Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. Clemens IX. Clemens X. & omnes horum Succeſſores, nullo renuente, qui ad finem cujuſ-

que ſeptenii, in quo eadem gratia renovatur, ſuper cathedram ſederunt. Quæ quidem gratia, cum quanto Reipublicæ Chriſtianæ emolumento conceſſa fuerit, & uſque in hodiernum diem prorogata, optimè declarant tot hominum millia, quot triduo Bacchanalium confitentur, & communicant in Eccleſiis Societatis.

378 Notatio Secunda. Quarè nullo modo prætermittendum eſt ſolemne hoc Triduum Bacchanalium in Eccleſiis Societatis, nequidem per occaſionem Anni Sãcti, ut huic Provinciæ recripſit R. adm. P. Thyrſus Gonzales de Santalla XIII. Præpoſitus Generalis Societatis noſtræ per literas à ſe datas ad hujus Provinciæ Moderatorem anno 1700. prout habetur in libro, qui eſt penes Præfectum Eccleſiæ Collegii Fluminenſis, in quo ſcribuntur Ordinationes Romanæ, & aliæ advertentiæ ad Eccleſiam ſpectantes. Literæ R. adm. P. quas ego fideliter tranſcripſi, ſunt tenoris ſequentis,

379 „ Certiores facti ſummus „ quòd in aliquibus Collegiis ipſius „ Provinciæ per occaſionem Anni „ Sancti non fuerit expoſitum San„ ctiſſimum tempore Bacchanalium, „ & quod ob id ipſum Populus non „ fuerit invitatus ſingulis menſibus, „ ut moris eſt, ad Confeſſionem, „ & Communionem. Factum om„ ninò reprobamus, & ordinamus „ pro tota Provincia, ut ſingulis an„ nis Sanctis tàm laudabilis conſue„ tudo non prætermitatur. *Hucuſ-„ que R. adm. P.*

380 Circà quòd duo ſunt notãda. Primum, quòd R. adm. P. non ſolùm mentionem facit de ſolemnizando Triduo Bacchanalium in Eccleſiis Societatis, ut moris eſt, ſed etiam de ſolemnizandis Dominicis cujuſcumque menſis, in quibus fit communio generalis in Eccleſiis Societatis, etiam concurrente Anno Sancto.

381 Secundùm, quod licèt PP. hujus Provinciæ à ſolemnizando Triduo Bacchanalium, & Dominicis menſium, illo Anno 1700. abſtinuerint, eo nixi fundamento, quià Anno Sancto ſuſpenduntur Indulgentiæ extrà Urbem, ut habet *P. Viva tom.* 1. *Theſium damnatarum* in fin. ubi de Jubilæo præſerim Anni Sancti, *quæſt.* 4. *art.* 4. per totum. Nihilominùs R. adm. P. Thyrſus, alioquin ſui ſæculi Theologus, ab hujuſmodi quæſtionibus præſcindit in ſua ordinatione, & poſitivè jubet, nè anno quidem Sancto prætermittantur in poſterum hujuſmodi ſolemnia. Et quidem bene: nam licèt eo anno ſuſpendantur Indulgentiæ extrà Urbem; adhuc tamen ex tàm laudabili conſuetudine colligitur multiplex fructus confeſſionum, & communionum.

382 His notatis, fateor nihil ad rem facere, quòd ego Breve Apoſtolicum, in quo conceditur Indulgentia menſium, hìc appendam; hìc enim agimus de Indulgentia in 40. Horis, non verò de Indulgentia in Dominicis menſium. Quià tamen in magnam Populi utilitatem, & fructum animarum fore exiſtimo, ſi omnibus innoteſcat, quanta ſit Indulgentia menſium: hac de cauſa Breve Apoſtolicum hic apponam. Breve igitur Apoſtolicum à Paulo V. impetratum, ab Urbano VIII. confirmatum, & ſic deinceps, ita habet ex Innocentio X. anno 1649. die 5. Februarii.

383 „ Ad augendam Fidelium „ Religionem, & animarum ſalutem „ cæleſtibus Eccleſiæ Theſauris pia

chari-

„ charitate intenti, omnibus utriuſ-
„ que ſexùs Chriſti Fidelibus verè
„ pœnitentibus, & confeſſis, qui
„ aliquam Societatis JESU, vel
„ quamcumque aliam ſæcularem
„ Eccleſiam ubicumque exiſtentem
„ unà ex Dominicis cujuslibet men-
„ ſis, quà communio Generalis ſol-
„ licitudine dilectorum Filiorum
„ Clericorum Regularium dictæSo-
„ cietatis, & quoad Eccleſias Sæ-
„ culares de licentià Ordinariorum
„ locorum, illorumque Rectorum
„ conſenſu, agetur, devotè viſi-
„ taverint, & iiſdem Dominicis
„ in prædictis Eccleſiis Sãctiſſimum
„ Euchariſtiæ Sacramentum ſump-
„ ſerint; ibique pro Chriſtianorum
„ Principum cõcordià, hæreſum ex-
„ tirpatione, ac S. M. Eccleſiæ
„ exaltatione pias ad Deum preces
„ effuderint, Plenariam omnium
„ peccatorum ſuorum Indulgen-
„ tiam, & remiſſionem, quam ani-
„ mabus Fidelium defunctorum ap-
„ plicare poſſint, miſericorditer in
„ Domino concedimus. Præſenti-
„ bus ad quindecim annos tantùm,
„ valituris.

SECTIO II.

Quæ conditiones requirantur ad Indulgentiam lucrandam Triduo Bacchanalium?

384 Suppono 1. Indulgentiam, quæ Triduo Bacchanalium conceditur in Eccleſiis Societatis, eſſe unam ex certiſſimis, quæ concedi ſolent *Gobat. tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 358. Ratio eſt: quià communiter dicitur, quòd ad Indulgentiam concedendam requiratur cauſa gravis: cauſa verò, propter quam conceditur talis Indulgentia, eſt graviſſima, nempè, ut illo Triduo, & graviſſimorum flagitiorum numerus minuatur, & loco illorum egregiæ pietatis opera fiant.

385 Suppono 2. Indulgentiam, quæ Triduo Bacchanalium conceditur in Eccleſiis Societatis, eſſe Plenariam, quamvis non applicabilem pro animabus Purgatorii, nec niſi ſemel tantùm toto illo Triduo à quoquam comparabilem, ut poſt Paulum V. expreſſit Urbanus VIII. in Brevi anni 1639. His ſuppoſitis.

386 Notatio Prima. Ad Indulgentiam lucrandam Triduo Bacchanalium requiritur 1. Confeſſio, & communio. Conſtat ex Brevi Apoſtolico. Qualis autem debeat eſſe cõfeſſio, & communio? Dixi ſuprà *diſp.* 3. hujus *lib.* 3.

387 Notatio Secunda. Requiritur 2. ut Orationi 40. Horarum in Eccleſiis Societatis per aliquod tẽporis ſpatium devotè interſit confeſſus ipſe, & communicatus, & ibi pias ad Deum preces effundat, prout ſua cuiqué ſuggeret devotio. Conſtat etiam ex Brevi Apoſtolico.

388 Notatio Tertia. Requiritur 3. ut iſtiuſmodi devotio, & piæ ad Deum preces in Oratione 40. Horarum effuſæ, aut expreſſè fiant pro Chriſtianorum Principum concordiâ, extirpatione hæreſum, & S. M. Eccleſiæ exaltatione, aut ſaltem in confuſo pro eà intentione, quam habuit Pontifex, qui talem Indulgentiam conceſſit. Ita praxis.

389 Notatio Quarta. An autem iſtiuſmodi devotio, & preces ad Deum effuſæ debeant fieri mentaliter, vel potius vocaliter? Litigant AA. apud *Viva tom.* 2. *theſium damnat.* in fine ubi de *Jubilæo quæſt.* 8. *art.* 5. *§. VII. Dubitatur tamen.*

tamen. Ego verò, ut litigantes conciliem, reſolvo quamlibet orationem ſufficere vocalem, vel mentalem? Ratio eſt: quià verba ſunt intelligenda ſecundùm uſum communem, ut docet utrumque Jus: uſus autem, penès quem eſt jus, & norma loquendi, habet, ut dicatur devotè preces ad Deum effundere, & intereſſe orationi, v. g. 40 Horarum, tùm qui id faceret mentaliter, tùm qui id faceret vocaliter.

390 Notatio Quinta. Adverto tamen, quod ſi quis orabit vocaliter, debeat ad minimum quinquies Pater noſter, & Ave Maria recitare. *Gobat. tom.* 2 *tract.* 3. *n.* 194.

391 Notatio Sexta. Ad prædictam Indulgentiam lucrandam ſufficit, quòd vel unicus homo oret in Templo, cum Breve Apoſtolicũ circà hoc nihil determinatè exigat. *Gobat.* citatus *n.* 149.

392 Neque obſtat 1. quòd per aliquantulum temporis intervallum nemo ſit in Templo, aut omnes, qui illic fuerint, per breviuſculum tempus dormiant. *Gobat. cit.*

393 Neque obſtat 2. quod ibi orent cum variis animi, voluntariiſque diſtractionibus, modò flectant genua, aut aliter interſint, prout ſua cuique ſuggeret devotio. Ratio eſt: quia non aliud requirit Breve, quàm prædicta: genuflexio autem, aut alia devota aſſiſtentia, pro piis ad Deum effuſis precibus cenſetur, quamvis aliundè aliqua interveniat diſtractio. *Gobat. cit.* §. *Addo.*

SECTIO III.

De Oratione 40. Horarum, quam indicere poſſunt Braſiliæ Epiſcopi.

394 Reprehendar fortaſſè, quod Orationem 40 Horarum Triduo Bacchanalium introduxerim, cùm potiùs de ſolà Oratione 40. Horarum, quam indicere poſſunt Braſiliæ Epiſcopi, agere debuiſſem. Cœterùm ſi attendatur, quòd ad lucrandam Indulgentiam Bacchanalium non aliæ requiruntur conditiones, quàm ad conſequendam Indulgentiam, quæ à DD. Epiſcopis indici poteſt, facilè excuſabor, quod de hac jam dixerim, quidquid de illà, cùm huic conveniat, quantum illi: quatenùs ex Oratione 40. Horarum, quam inſtituerunt Jeſuitæ, poſteà derivatæ ſunt aliæ, tũ Triduo Bacchanalium, *Engelgrave citat.* tùm aliis anni temporibus, *Gobat. cit.* quarum unam ſuppono, quam indicere poſſunt Braſiliæ Epiſcopi. Nihilominùs de hac ſit ſpecialiter.

395 Notatio Prima. Orationem 40. Horarum cum Indulgentià Plenarià indicere poſſunt Braſiliæ Epiſcopi. Conſtat ex facultate Pontificià.

396 Notatio Secunda. Orationem 40. Horarum cum Indulgentià Plenarià indicere poſſunt Braſiliæ Epiſcopi in Eccleſià, quam maluerint. Ità praxis. Ego enim in hac Civitate Flùminenſi nunc vidi ità inſtitui in Parochià, vulgò *Candelaria*, nunc in Templo *S. Joſeph* nuncupato. Fundamentum eſt: quià in facultate Pontificià non determinatur Eccleſia, in quà indicenda ſit Oratio 40. Horarum: relinquitur ergò

ergò arbitrio Epiſcopi determinatio Eccleſiæ.

397 Notatio Tertia. Indulgentiam Plenariam in Oratione 40. Horarum concedere poſſunt Braſiliæ Epiſcopi ter in anno, non ſolùm in hac Civitate Fluminenſi, verùm etiam in Civitate S. Pauli, in Oppido Sanctorum, in Oppido Spiritùs Sancti, & ſic in aliis locis; qui ſunt intrà fines Diœceſis Fluminenſis. Fundamentum eſt: quià Indulta Apoſtolica, quæ Braſiliæ Epiſcopis cōceduntur, totā Diœceſim reſpiciunt & ad totam illam extenduntur, non verò ad hoc, vel illud tantùm Oppidum, ut diximus *lib.* 1. *à num.* 101.

398 Notatio Quarta. Quibus Anni diebus indicenda ſit Oratio 40. Horarum cum Indulgentià Plenarià? ℞. arbitrio Epiſcopi id relinqui, ut conſtat ex facultate Pontificià, ibi: *Diebus Epiſcopo benè viſis.*

399 Notatio Quinta. Ut in Oratione 40. Horarum Indulgentia acquiratur, debet quis Eccleſiam, in quà indicitur Oratio, viſitare, & orare contritus, confeſſus, & communicatus. Conſtat ex facultate Pontificià. Qualiter autem debeat quis eſſe cōtritus, confeſſus, & communicatus? Diximus *diſp.* 3. hujus *lib.* 3.

400 Notatio Sexta. Ad lucrandam Indulgentiam non requiritur, quod confeſſio, aut communio fiant in Eccleſià, ubi indicitur Oratio 40. Horarum, ſed ſolùm requiritur, ac ſufficit, quòd contritus, ubicumque confeſſus ſit, & communicatus, viſitet Eccleſiam, & ibi oret modo ſupradicto: neque enim plus exigit facultas Pontificia, ut patet ex ejus contextu, & fit in quibuſdam Jubilæis.

401 Notatio Septima. In Eccleſià, ubi indicitur Oratio 40. Horarum, debet exponi Sanctiſſimum Sacramentum. Colligitur ex Facultate Pontificià, ibi: *Si tamen ex concurſu populi, & expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti.*

402 Notatio Octava. Si verò timeatur periculum ſacrilegii ab Hæreticis, vel Infidelibus, vel Magiſtratibus committendi contrà Sāctiſſimum Sacramentum, exponi non debet. Conſtat ex eàdem Facultate Pontificià, ibi: *Si tamen concurſu populi, & expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, nulla probabilis ſuſpicio ſit ſacrilegii ab Hæreticis, & Infidelibus, aut Magiſtratibus offenſum iri.*

403 Notatio Nona. An autem de facto timeri poſſit ejuſmodi ſacrilegium? ℞. negative. Ratio eſt 1. quià Magiſtratus ſunt Catholici. 2. quià Hæretici non ſunt hîc, niſi unus, vel alter advena, & peregrinus, idque ad breve tempus 3. quià licèt inter Indos, & Æthiopes, quorum multi ſunt infideles, in Braſilià vivamus: tamen ex horum ſervitute, & illorum humili conditione non eſt, unde timeatur periculum ſacrilegii ab Infidelibus perpetrandi contrà Sanctiſſimum Sacramentum.

404 Notatio Decima. Omnes tàm ſubditi, quàm non ſubditi, ut advenæ, & peregrini, atque etiam Regulares cujuſcumque Ordinis, lucrari poſſunt Indulgentiam plenariam á Braſiliæ Epiſcopis conceſſam in Oratione 40. Horarū, dummodò in aliquo trium dierum viſitent Eccleſiam, & ſervent conditiones requiſitas. Ratio eſt: quiá inventa in favorem Religionis obeſſe non valent. *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 88. *n.* 27. Conſtat etiam ex his, quæ diximus *lib.* 1. *à n.* 9.

405 No-

405 Notatio Undecima. Poſſũt Braſiliæ Epiſcopi ſibi acquirere Indulgentiam ab ipſis conceſſam in Oratione 40. Horarum, dummodò ſervent, quæ ſervari debent, viſitando Eccleſiam, &c. Fundamentum eſt: quia in Facult. Catalog. n. 19. ità habetur: *Lucrandi ſibi eaſdem Indulgentias*, id eſt, Braſiliæ Epiſcopis non ſolùm datur facultas concedendi aliis Indulgentiam Plenariam in Oratione 40. Horarum, verùm etiam datur facultas lucrandi ſibi eaſdem Indulgentias, hanc ſcilicet 40. Horarum, & reliquas in Facult. Catalogo contentas. Et hæc ſufficiant pro decima Octava, atque etiam pro decima Nona facultate Pontificia: nihil enim, quod ſuper hac ultima addatur, ampliùs occurrit.

DISPUTATIO OCTAVA

DE VIGESIMA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

ORdo, & ſcribendi methodus, quam huc uſque ſervavimus, in præſenti Indulto interpretando invertitur, & mutatur: nonnulla enim verba, quæ ad ejus finem continentur, explicanda ſunt à principio, & ſtatim exponenda pro pleniori ejuſdem Indulti intellectu. Sit igitur.

SECTIO I.

Quid ſit Purgatorium? Ubi exiſtat? Et quid animæ in eo detentæ patiantur?

406 VIgeſima Facultas Pontificia: *Singulis ſecundis Feriis non impeditis Officio 9. Lectionum, vel eis impeditis, die immediatè ſequenti, celebrando Miſſam de Requiem in quocumque altari etiam portatili, liberandi animas ſecundùm eorum intentionem à Purgatorii pœnis per modũ ſuffragii.*

407 Notatio Prima. Quid ſit Purgatorium? ℞. Purgatorium eſt locus, in quo animæ illorum, qui in gratia moriuntur, ut divinæ Juſtitiæ ſatisfaciant pro peccatis in hac vita remiſſis quidem quo ad culpam, non tamen quo ad totam pœnam, detinentur. Eſt veritas Catholica in *Trid. definita Seſſ. 6. Can. 30 & Seſſ. 25. Decret. de Purgatorio*, & Conſtat ex variis locis Sacræ Paginæ, præſertim ex *lib. 2 Machab. Cap. 12.* ubi dicitur, Judam Machabæum collegiſſe pecunias, & miſiſſe duodecim millia drachmarũ Jeroſolymam, ut offerretur ſacrificium pro iis, qui ceciderunt in bello, in cujus capitis fine ſic concluditur. *Sancta ergò, & ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.*

408 Notatio Secunda. Ubi exiſtat Purgatorium? ℞. Purgatorium exiſtit in parte inferiori verſùs terræ cen-

centrum. Ità cum *D. Thom. in* 4. *diſt.* 21. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtiuncula* 2. Theologi communiter, quos citat, & ſequitur *Suar. tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 45. *ſect.* 2. *n.* 3. Oſtenditur: quià locus, qui dicitur in Evangelio. *Sinus Abrahæ*, fuit verſùs terræ centrum, ut colligitur ex Symbolo Apoſtolorum, in quo dicitur de anima Chriſti: *deſcendit ad Inferos*: & ad Epheſ. 4. *In inferiores partes terræ*: ergò etiam Purgatorium erit verſùs terræ centrum in aliquo loco infimo, & humiliòri. Oſtenditur conſequentia: quià ſi animæ, quæ in illo ſinu detinebantur, tanquàm in cuſtodia, ab omni reatu perſonali erant immunes, & nihilominùs verſùs terræ centrum erant incluſæ: multò magis id ipſum dici debet de animabus, quæ non ſunt immunes ab omni reatu perſonali pœnæ, ut ſunt animæ in Purgatorio detentæ.

409 Notatio Tertia. Quid animæ in Purgatorio detentæ patiantur? ℞. Animæ in Purgatorio exiſtentes afficiuntur pœna damni, & pœna ſenſùs. Ità cõmuniter Theologi. Pœna damni conſiſtit in carentia Viſionis Dei, & aliorum bonorum ſupernaturalium, quæ cum Beatitudine conceduntur, & quibus animæ in Purgatorio detentæ ad tempus privantur. Pœna verò ſenſùs eſt pœna alicujus doloris ſpecialiter inflicti: non ex eo, quòd ſubjectum, in quo eſt, ſenſum habeat, ſed quià provenit ab extrinſeco, & ſenſibili corpore per realem mutationem ad modum rei ſenſibilis. Quo autem modo id fieri poſſit, & quanta ſit utraque pœna? Videatur *Suar. cit.*

410 Mihi placet ſententia docens, quòd animæ in Purgatorio detentæ non torqueantur à Dæmonibus. Ratio eſt: quià animæ in Purgatorio detentæ non ſolùm ſunt in gratia, & amicitia Dei, verùm etiam Dæmones finaliter, & ſæpiùs in hac vita vicerunt: non decet igitur, ut torqueantur, à quibus victoriam reportarunt. Sic cum *D. Thom. Suar.* ubi ſuprà *ſect.* 3. *n.* 8. & alii apud *Nogueir. in Bul. Cruciat diſp* 26. *ſect.* 2. *n.* 16. Ad revelationes verò, ſeu viſiones, quæ à ſententia contraria adducuntur ℞. Eſſe ſymbolicas, & allegoricas, & ideò ex illis nihil certum colligi. Ità *Nog. cit.*

411 Certum tamen eſt animas, quæ in Purgatorio detinentur, plures, & acerbiſſimas pœnas ſuſtinere: tùm quià convenit, ut qui in hac vita non plenè ſatisfecerunt pro peccatis commiſſis, tandem aliquãdo ſatisfaciant, unde ait *D. Aug. in Pſ.* 37. in principio: *Gravior erit ille ignis, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita*: tùm quià in illam Civitatem Hyeruſalem Cæleſtem nihil intrabit coinquinatum, ut dicitur in Apocal. 21; & ideò tales animæ, antequam in Cælum evolent, debent ab omni macula purgari.

SECTIO II.

An animæ in Purgatorio detentæ poſſint juvari fidelium ſuffragiis? Et quomodò?

412 Suppono 1. Suffragium hîc idem eſſe, atque auxilium, ſive ſubſidium oblatum ab uno fideli pro alio ad obtinendam à Deò remiſſionem pœnæ temporalis in Purgatorio luendæ. *Ità D. Thom. in* 4. *diſp.* 45. *Suar. tom.* 4. *in* 3. *part diſp.* 48. in principio.

413 Suppono 2. ex *Trid. ſeſſ.* 14. *Can.* 13. *& ex Cap. Animæ* 3.

. 2. quatuor eſſe genera ſuffragiorum. In *Trid.* ſic notantur: *Ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus.* Et in Cap. *Animæ* 13. q. 1. hoc modo: *Animæ defunctorum quatuor modis ſolvuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus ſanctorum, aut charorum eleemoſynis, aut jejunio cognatorum.*

414 Quodnam autem ex his quatuor ſuffragiis ſit præſtantius, & utilius defunctis? Conſtat *ex Trid. ſeſſ.* 25. in principio de Decreto Purgatorii, ubi dicitur: *Animas fidelium in Purgatorio detentas, fidelium ſuffragiis, potiſſimùm verò acceptabili altaris ſacrificio juvari.* Videatur de hoc *Nogueir. in Bull.Cruciat. diſp.* 26. *ſect.* 52. *à num.* 309.

415 Suppono 3. præter dicta quatuor ſuffragia dari etiam Indulgentias, quibus animæ in Purgatorio detentæ juvari poſſunt. Fundamentum eſt: quià animæ defuuctorum juvari poſſunt ſuffragiis, & ſatisfactionibus viventium, ut ſtatim dicemus: ergò etiam Indulgentiis à Summo Pontifice conceſſis.

416 Dixi: *à Summo Pontifice conceſſis*: quià Summum Pontificem poſſe Indulgentias concedere pro defunctis, nemo Catholicus negat: tum quià id probat diuturnus uſus Eccleſiæ in concedendis Indulgentiis pro defunctis, tum quià ità cōſtat ex declaratione Xiſti IV, & Leonis X. contrariam Lutheri doctrinam, tanquam erroneam condemnantis. His ſuppoſitis, ſit

417 Notatio Prima. Animæ in Purgatorio exiſtentes poſſunt juvari fidelium ſuffragiis. Habetur in *Trid. ſeſſ.* 25. in principio, & tenent *Bellarm*; *Suar.* & alii, quos refert, & ſequitur *Nogueir. cit. n.* 52. contrà hæreticos noſtri temporis, qui ſicut negant Purgatorium, ita etiam negant poſſe animas in Purgatorio exiſtentes fidelium ſuffragiis, orationibus, aut Indulgentiis juvari. Oſtenditur ratione: quia animæ in Purgatorio nobiſcum habent communionem, & nobiſcum uniuntur, tanquam membra viva in uno, eodemque capite, Chriſto Domino: ergò participare poſſunt de fructu noſtrarum piarum operationum, juxtà Symbolū Apoſtolorum, ibi: *Communionem Sanctorum.*

418 Notatio Secunda. Pia fidelium opera, ut jejunium, oratio, eleemoſyna, Miſſæ Sacrificium, & Indulgentiæ juvant animas defunctorum per modum ſuffragii. Quod ut plenè intelligatur, præſertim de Indulgentia, nota duplicem eſſe modum, ſub quibus Indulgentiæ conceduntur, nempe per modum abſolutionis, & per modum ſolutionis, ſeu ſuffragii.

419 Prima Indulgentia per modum abſolutionis tunc datur, quando Pontifex Indulgentiam vivis, tanquam Judex, & Dei Vicarius ſuis ſubditis immediatè concedit: ſecunda verò Indulgentia, quando illam concedit defunctis, qui jam non ſunt ſubditi Pontifici. Quod facit Pontifex Deo offerendo ex theſauro Eccleſiæ æquivalentem ſatisfationem pro aliquo defuncto, ut huic Deus ipſe remittat pœnam pro peccatis ſuis debitam: Unde ſolùm differunt hujuſmodi Indulgentiæ in eo, quod prima exercetur ergà ſubditos, ſecunda verò ergà non ſubditos Pontifici. Ità communiter DD. *cum D. Thom. in* 4. *diſt.* 25.

420 Hæc uberiùs ſequenti exēplo declarari ſolent, aſſignando duplicem modum, quo Princeps poteſt

teſt liberare, ſeu redimere captivos. Primus modus ita ſe habet: poteſt noſter Sereniſſimus Princeps aliquē reum carceribus, ſeu triremibus damnatum liberare per directam poteſtatem, & juriſdictionem, quam habet in illum, quià eſt ſuus ſubditus, & locis ſuæ ditionis incluſus detinetur, & ſic eum à carceribus, vel triremibus liberando, illum liberat per modum abſolutionis, nēpè per juridicam abſolutionem.

421 Secundo modo, etiam eum liberare valet, ſcilicet per modum adjuvantis, offerendo alteri Principi, ſub cujus poteſtate eſt captivus, æquivalentem compenſationem, ut ſic eum liberet à captivitate, quà detinetur ab extraneo Principe. Primo modo dicitur liberatio per modum abſolutionis, quià liberatio fuit per poteſtatem, quam habebat in ſuum ſubditum, ſub ſuà ditione exiſtentem: liberatio veró ſecundo modo eſt per modum auxiliantis, quià captivus non eſt ſub ſuà juriſdictione, ſed alterius Principis.

422 Sic in noſtro caſu. Summus Pontifex concedendo Indulgētias fidelibus viventibus, illos liberat á pœnis pro ſuis peccatis debitis juridica poteſtate, & per modum abſolutionis, quiá directam in illos habet poteſtatem. Defuncti autem detinentur in carceribus, nempè in Purgatorio, ſub alterius poteſtate, nempe Dei, & ſic in illos S. Pontifex non habet poteſtatem: offert tamen Deo, ex Theſauro Eccleſiæ, pro animà alicujus in Purgatorio detenti æquivalentem ſatisfactionem, & ſic illam animam adjuvando, dicitur illam juvare per modum ſolutionis, ſeu ſuffragii, non veró per modum abſolutionis.

423 Notatio Tertia. Hinc DD. non pauci cū, *Caetan. & Bonac. tom. 1. diſp. 6. q. 1. punct. 6. Henriq. & Laym. lib. 5. ſum. tract. 7. cap. 7. n. 2.* tenent applicationem Indulgentiæ pro defunctis non ſortiri infallibiliter ſuum effectum: quià Deus (inquiunt) non tenetur ipſam applicationem Indulgentiæ, ſive Indulgentiam applicatam acceptare ex juſtitià; ſed ſi illam acceptet, hoc faciet ex ſuá bonitate, & miſericordiá.

424 Nihilominùs undecim AA. inter quos eſt *Caſt. Pal. tom. 4. tract. 24. punct. 10. n. 45. & Suar. tom. 4. in 3. part. diſp. 53. n. 3.* docent dictam Indulgentiam infallibiliter prodeſſe defunctis. Ratio præcipua deſumitur ex Bulla Leonis X. apud *Cardin. De lug. diſp. 27. de Pœnit. n. 59.* in quà S. Pontifex aſſerit, Indulgentias defunctis applicatas, non minùs illis prodeſſe, ac ſi vivis eſſent conceſſæ, & ab ipſis viventibus applicarentur defunctis, ſed Indulgentias vivis proſunt ex certà Chriſti promiſſione: ergò etiam prodeſſe debent defunctis: quià S. Pontifex ex eadem poteſtate, quà illas concedit vivis, illas defunctis concedit.

SECTIO III.

De conditionibus requiſitis ex parte offerentis, ut ſuffragia proſint defunctis.

425 NOtatio Unica. Quæ cōditiones requirantur ex parte offerentis, ut ſuffragia proſint defunctis? ℞. tres conditiones requiri. Prima eſt: ut offerens ſuffragia ſit in ſtatu gratiæ. Ita communiter Theologi, quos citat, & ſequitur *Nogueir. in Bul. Cruc. diſp.*

 26.

26. *Sect.* 12. *n.* 104. Probari ſolet ex illo *D. Paul* 1. *ad Corinth.* 13. ubi inquit: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem* (id eſt gratiam) *non habuero, nihil mihi prodeſt*: ergò neque aliis proderit, juxtà ſolemne Theologorũ proloquium: Quód plus requiratur ad ſatisfaciendum pro aliis, quam pro ſe ipſo. Unde ſi exiſtens in peccato mortali non poteſt pro ſe ipſo ſatisfacere, multò minùs poterit pro exiſtentibus in Purgatorio.

426 Limitatur tamen hæc conditio ad ſuffragia, quæ offeruntur á privatis perſonis, ut jejunia, eleemoſynæ, orationes &c. non autem ad ſuffragia, quæ fiunt nomine Eccleſiæ, ſicut nec ad ea, quæ habent valorem ex opere operato, ut Sacrificium Miſſæ: ea enim, quæ fiunt nomine Eccleſiæ aut habent valorem ex opere operato, proſunt defunctis, quamvis ea offerens exiſtat in peccato mortali. *Nogueir. cit. n.* 107.

427 Secunda conditio eſt, quòd opus, quod pro defunctis offertur, ſit bonum, & honeſtum, ſi enim Deo diſplicet, nec ſatisfactorium, nec impetratorium eſſe poteſt. Sic DD. quos citat, & ſequitur *Nogueir. cit. n.* 117.

428 Tertia conditio, quæ requiritur ex parte offerentis ſuffragia pro defunctis, eſt illorum applicatio, antequam fiant. *Navar. Suar. Henriq. Card. De lug. Moya*, & alii apud *Nogueir. cit. n.* 118. Ratio eſt: quià applicatio ſuffragii tandiù fieri poteſt, quandiù eſt in dominio applicantis: at verò ſuffragium, poſtquam eſt factum, jam non eſt in dominio applicantis: aliter enim poterit operans ſuſpendere applicationem ſuæ ſatisfactionis à tempore, quo illà non indiget, ad tempus, quo illà indigebit.

429 Advertit tamen *Nogueir.* ibidem non eſſe neceſſarium, quod applicatio immediatè præcedat ſuffragium, ſed ſufficere, ſi aliquibus diebus præceſſiſſet: tunc enim moraliter perſeverat eadem applicatio, dum non retractatur.

SECTIO IV.

De conditionibus requiſitis ex parte animarum Purgatorii, pro quibus ſuffragia offeruntur.

430 Notatio Prima. Requiritur, quòd anima defuncti, pro quo ſuffragium offertur, verè ſit in Purgatorio: nam in Inferno nulla eſt redemptio, ut canit Eccleſia. Et Beati, cum jam ſint in Patrià, ſuffragiis noſtris non egent; ſolùm igitur exiſtentibus in Purgatorio proſunt noſtra ſuffragia: 1. quià ſunt in ſtatu gratiæ: 2. quià adhuc non ſunt in Patria: 3. quià pro pœnà debità adhuc plenè non ſatisfecerunt.

431 Notatio Secunda. Non requiritur tamen ſpecialis acceptatio defuncti, pro quo ſuffragium offertur. Ratio eſt: quià ſufficit generalis, & interpretativa voluntas, quam unuſquiſque Juſtus habet obtinendi remiſſionem pœnæ, & ſolvendi Deo, quacumque ratione poſſit: ergò adhuc ignorante defuncto, poteſt illi applicari ſuffragium. *Nogueir. in Bull. Cruc. diſp.* 26. *Sect.* 13. *n.* 123.

432 Notatio Tertia. Non requiritur etiam, quòd animæ in Purgatorio exiſtentes in hac vitá habuiſſent ſpecialem devotionem circà eaſdem animas: quià decedendo ab hac

hac vitâ in gratiâ, ſuffragia, quæ pro illis offerimus, meruerunt, ut cum *Valentiâ* tenet *Nogueir. cit. n.* 124.

SECTIO V.

Qualiter Miſſa proſit animabus Purgatorii?

433 SUffragia vel ſunt ex opere operato, vel ex opere operâtis: ſuffragia ex opere operato dicuntur ea, quorum præcipuus, & intrinſecus valor eſt independens à dignitate ſubjecti, quod illa offert.

434 At verò ſuffragia ex opere operanti dicuntur, quæ totum ſuum valorem deſumunt à dignitate operantis: & ideò valor hic dicitur *Minus præcipuus, & extrinſecus,* quià ſcilicet conſideratur per ordinem ad operantem, nam qui ſatisfacit, & offert ſuffragium, ſi ſit Deo gratior, ejus ſuffragium præter illum valorem præcipuum, & intrinſecum, quem habet ex opere operato, alium veluti extrinſecum, & accidentalem per ordinem ad ipſum operantem acquirit: his notatis.

435 Notatio Prima. Miſſa eſt ſatisfactoria pro animabus Purgatorii. Conſtat *ex Trid. Seſſ.* 22. *cap.* 2. his verbis. *Quare non ſolùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus; ſed pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis, ritè juxtà Apoſtolorum traditionem offertur.* Idem etiam habetur in *Can.* 3. *ejuſdem Seſſionis, & Seſſ.* 25. *in Decret. de Purgatorio* in principio Seſſ. traduntque omnes DD. *in* 3. *diſt.* 54. *apud Suar. tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 28. *Sect.* 3. in fine, & tenet communis uſus, & conſtans univerſalis Eccleſiæ ſenſus.

436 Notatio Secunda. Miſſa eſt impetratoria pro animabus Purgatorii. Itá plurimi DD. quos allegat *Nogueir. in Bull. Cruc. diſp.* 26. *Sect.* 9. *n.* 65. & ſequitur expreſſe quo ad Sacrificium Miſſæ, *Sect.* 14. *n.* 131. Probatur 1. quià B. Virgo, & alii Sancti orant pro defunctis, ut conſtat ex Eccleſiâ, quæ petit in illâ oratione: *Omnipotens Sempiterne Deus, qui Juſtorum &c. ut intercedente B. V. Mariâ, ac omnibus Sanctis, defuncti delictorum ſuorum veniam conſequantur*: atqui B. Virgo, & alii Sancti per ſuas interceſſiones non poſſunt ſatisfacere pro animabus Purgatorii, cum ſint extrá ſtatum merendi, & ſatisfaciendi: ergo dicendum eſt Sanctorum interceſſiones prodeſſe animabus Purgatorii per modum impetrationis.

437 Probatur 2. quiá Eccleſia in officio defunctorum orat Deum, ut animabus in Purgatorio exiſtentibus remittat pœnas pro peccatis debitas: ergò dum Eccleſia pro illis orat, per modum impetrationis illas adjuvat.

438 Probatur 3. quià confeſſarius poteſt injungere pœnitenti, ut pro animabus Purgatorii oret, ut dicitur in Catechiſmo Romano, in Sacramento Pœnit. n. 80. ſed pænitens in eo caſu á ſe non abdicat ſatisfactionem, quia à confeſſario jubetur, ut pro ſe ſatisfaciat: ergo ſolùm jubetur, ut impetrationem pro defunctis offerat.

439 Notatio Tertia. Valor Miſſæ prodeſt defunctis ex opere operato. Ità *D. Thomas, Suar.* & Theologi communiter apud *Nogueir cit. n.* 127. Probatur: quià Sacrificium cruentum Crucis, quo Chriſtus Dominus

minus in illa pro nobis ſe ipſum obtulit, nobis profuit ex opere operato, nil aliud in nobis requirens, ut in nobis habeat effectum, niſi ut nobis applicetur, & obicem non inveniat: ergò etiam Sacrificium incruentum, per quod idem Chriſtus in Miſſa offertur, ex opere operato prodeſt immediatè defunctis, nil aliud requirens præter applicationem, & negationem obicis.

440 Quare valor Miſſæ ſatisfactorius, & impetratorius ut proſit defunctis ex opere operato, non dependet à ſanctitate Sacerdotis offerentis; & ideò quamvis Sacerdos, qui Miſſam applicat pro defunctis, ſit in peccato mortali, effectus iſte non fruſtratur in eo, pro quo applicatur. *Trid. Seſſ.* 22. *Cap.* 1. ibi: *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt.* Secùs evenit in ſuffragio, cujus fructus eſt ex opere operantis: nam ſi ab homine in peccato mortali exiſtente fiat, effectum non ſortitur.

441 Notatio Quarta. Valor Miſſæ prodeſt defunctis etiam ex opere operantis. Probatur: quià Miſſa eſt impetratoria pro animabus Purgatorii, ut proximè diximus: ergò quò dignior fuerit perſona, quæ Deum oret pro defunctis, eò maior erit pœnæ remiſſio, quam à Deo impetrabit, præſertim ſi Miſſam celebrans fructum ex opere operantis applicet pro defunctis. Confirmatur ab humanis: quià perſona gravior, ſi pro reo intercedat apud Principem, faciliùs veniam impetrabit, quàm perſona minùs gravis: ergò etiam Juſtus, qui pro defunctis oret, faciliùs remiſſionẽ pœnæ obtinebit, ſi ſanctior ſit, quàm ſi minùs ſanctus.

442 Dixi: *præſertim ſi Miſſam celebrans fructum ex opere operantis applicet pro defunctis*: quia fructus iſte acquiritur operanti, & eſt illius proprius. Unde niſi ſpecialiter de illo diſponat in favorem animarum in Purgatorio exiſtentium, illis non proderit: cũ fundetur in propria actione celebrantis, nec tranſeat ex ipſo in aliũ, niſi ipſe velit. *Paſq. quæſt.* 287. *n.* 2.

443 Neque dicas, quòd ſi Miſſa prodeſt defunctis etiam ex opere operantis, ſequitur quòd totũ ſtatim Purgatorium evacuabitur: hoc non eſt dicendum: ergò neque illud. Oſtẽditur ſequella: quià ſunt homines juſtiſſimi, & Deo gratiſſimi, qui ſœpè Miſſam celebrant pro animabus Purgatorii: ergò illorum dignitas, & conjunctiſſima cum Deo amicitia efficiet, ut Deus totam animarum pœnam remittat, & ſic ſtatim evacuabitur Purgatorium.

444 Non, inquam, hoc dicas: negatur enim maior: ad illius probationem ℞. quòd ſicut merita Chriſti, & fructus ex opere operato non applicantur animabus ſecundùm totum ſuum valorem, ſed ſecundùm moderationem divinæ Miſericordiæ ſimul, & Juſtitiæ; ità ſimiliter Juſtorum preces, ſecundùm modum divinæ Providentiæ, & non ſecundùm totam dignitatem precantium exaudiuntur: ità quidem, ut maior pœnarum remiſſio impetretur, quando orat homo juſtior, quàm minùs juſtus: at ità etiam, ut locùs divinæ Juſtitiæ relinquatur. Ità plures apud *Nogueir. citat. num.* 78.

SEC-

SECTIO VI.

An Miſſa de Requiem magis proſit Defunctis, quam Miſſa de die? Et an magis Miſſa, cui annexa eſt Indulgentia plenaria, quàm ſine illa?

445 CErtum in primis eſt, ſacrificium Miſſæ magis prodeſſe defunctis, quàm omnia alia ſuffragia, ut conſtat ex *Trid. Seſſ.* 25. in principio *de Decret. Purgat*; eſt enim Sacrificium Miſſæ omnium præſtantiſſimum, cũ principalis offerens ſit ipſe Chriſtus, modo quodam ſpirituali, ut declarat. *Suar. tom.* 3. *in* 3. *part diſp.* 77. *Seſſ.* 1. Verſ. *Dico ſecundũ.*

446 Notatio Prima. Dubitatur tamen primò: an Miſſa de Requiem magis proſit defunctis, quàm Miſſa de die? Dico 1. quo ad valorem ex opere operato, tàm prodeſt defunctis Miſſa de Requiem, quàm Miſſa de Die. *Paſq. quæſt.* 287. *n.* 1. Ratio eſt: quià eſſentiatalis fructus Sacrificii pendet ſolùm ab ipſa ſubſtantia ſacrificii, non autem ab orationibus, & ritibus ab Eccleſia inſtitutis: ſed in qualibet Miſſa Sacrificium ſecundùm ſubſtantiam eſt idem: ergò idem etiam erit fructus ſubſtantialis ipſius, adeòque tàm proderit defunctis Miſſa de Requiem, quàm Miſſa de Die.

447 Dico 2: quo verò ad valorem ex opere operantis, magis prodeſt defunctis Miſſa de Requiem, quam Miſſa de Die. *Paſq. cit.* Ratio eſt: quià orationes, & preces, quæ in Miſſa de Requiem dicuntur, inſtitutæ ſunt ab Eccleſia ad liberandas animas à Purgatorii pœnis, & nomine ejuſdem Eccleſiæ in prædictum finem dicuntur; atqui in Miſſis de Die non militat hæc ratio: ergò.

448 Notatio Secunda. Dubitatur 2: an magis proſit defunctis Miſſa de Requiem, cui annexa eſt Indulgentia plenaria, quàm Miſſa de Requiem ſine Indulgentia. ℞. magis prodeſſe defunctis Miſſam de Requiem, cui annexa eſt Indulgentia Plenaria. Fundamentum eſt: quià præter fructum ex opere operato, quẽ Miſſa ex ſe habet, & fructum ex opere operantis, qui ex maiori gratia, ac devotione celebrantis acquiri poteſt; accedit Miſſæ Indulgentia, ſeu poteſtas liberandi animas à Purgatorii pœnis ſecũdùm celebrantis intentionem: ergò magis prodeſt defunctis Miſſa de Requiem cum Indulgentia plenaria, quàm ſine illa.

450 Confirmatur: quià ſatisfactio Miſſæ pro defuncto applicata, non eſt infinita, ſed limitata, & per divinam providentiam moderata; atqui ſatisfactio per Indulgentiam plenariam applicata, non eſt limitata; ergò. Maior eſt ſententia communis. Minor oſtenditur: quià per Indulgentiam plenariam ſatisfit plenè pro quibuſcumque debitis abſque limitatione, ut ſuo loco diximus: ergò.

351 Ubi notandum, quòd in diebus, quibus celebrari poteſt Miſſa de Requiem, non magis conformatur cum præſcripto Miſſalis, qui celebrat Miſſam currentem, quàm qui celebrat Miſſam defunctorum. *Paſq. quæſt.* 288. *n.* 6. Ratio eſt: quià Rubrica in his diebus non exigit Miſſam de Die, ſed relinquit in poteſtate celebrantis dicere Miſſam pro defunctis, ita enim habetur in *Rubr. General. tit.* 5. *n.* 3. qui autem facit, quòd Rubrica concedit, ſe illi conformat.

SEC

SECTIO VII.

Quid ſit Altare portatile; & qualiter eo uti poſſint Epiſcopi?

452 SUppono 1. dupliciter ſumi Altare portatile: 1. pro lapide ſacrato, ſuper quo ponitur hoſtia, & calix in Sacrificio Miſſæ. 2. pro altari, quod de facili erigitur, & de facili deſtruitur in quocumque loco, decenti tamen, & honeſto, extrà Eccleſiam, aut Capellam.

453 Suppono 2. in hac ſecundà acceptione nos agere hîc de Altari portatili, quod aliás dicitur Altare Viaticum, quatenus ille, cui conceditur ejus uſus, illud aliquando facit erigere in vià, ſeu dùm iter facit, & inde dicitur Altare Viaticum. His ſuppòſitis

454 Notatio Prima. Altari portatili uti poteſt Epiſcopus, etiam extrà propriam Diœceſim. Deſumitur ex cap. final. de Privileg. in 6. ubi clarè conceditur privilegium etiam extrà proprias Diœceſes, ut conſtat ex illis verbis: *Se habent diverſis ex cauſis à ſuis Eccleſiis, & Diœceſibus abſentare frequenter, nec ſemper poſſunt ad Eccleſiam accedere.* Si ergò cauſa privilegii eſt, quià ſe abſentant à propriis Diœceſibus, neceſſe eſt, quòd privilegium ſit conceſſum etiam extrà proprias Diœceſes; quiá ut ait *Paſq. quæſtion.* 1220. *n.* 3. debuit privilegium concedi juxtá menſuram cauſæ, aut moventis, aut impellentis.

455 Notatio Secunda. Poteſt Epiſcopus, dùm iter facit, in quocumque decenti loco celebrare in Altari portatili, ſeu facere coram ſe celebrare. *Paſq. q.* 1222. *n.* 1. & 2. Fundatur in eod. cap. *final.* De Privileg. in 6. ubi Pontifex conſiderans, quòd non ſit decens, quòd Epiſcopi prætèrire ſinant diem aliquem, in quo aut non celebrent, aut non audiant Miſſam, ut hoc commodè præſtare poſſint, ipſis concedit uſum Altaris viatici; in quo aut celebrent, aut coram ſe faciant celebrare.

456 Hinc, dum nocte, apud aliquem hoſpitantur Epiſcopi, poſſunt primo manè, antequam diſcedant, in aliquo cubiculo honeſtis uſibus deſtinato erigere Altare pro celebratione, congruenti apparatu inſtructum, præſertim quando exiſtimant, ſe non perventuros ad meliorem locum, durante horà celebrãdi. *Paſq. cit. n.* 3.

457 Notatio Tertia. Ex ſolà commoditate poteſt Epiſcopus uti privilegio Altaris portatilis in propria domo, vel in quocumque alio loco decenti. *Paſq. quæſt.* 1223. *n.* 3. Ratio eſt: quià cauſa finalis hujus conceſſionis eſt inducere Epiſcopos ad celebrandum, vel ad audiendam Miſſam, exhibendo modum facilem, & commodum: quæ cauſa finalis habenda eſt pro expreſſà, cùm ex expreſſis conſequatur. L. *Id, quod ff.* Si cert. pet.

458 Undè deducitur 1. quod intentio Pontificis fuit non ſolùm extendere privilegium iſtud ad neceſſitatem, ſed etiam ad commoditatem Epiſcoporum.

459 Deducitur 2. non debere Epiſcopos ſcrupuloſè procedere in uſu Altaris viatici, non ſolùm intrá aliquod Oratorium celebrationi Miſſæ tantùm deputatum, ſed etiam in quocumque alio decenti loco. Ratio eſt: quiá cùm uſus Altaris viatici Epiſcopis ſit conceſſus ob facilitatem, & commoditatem

tem celebrandi, vel audiendi Miſſam, ad hanc ſolam eſt reſpiciendum, tanquám ad cauſam finalem, ac proinde ſtatim, ac intervenit aliqua commoditas, cenſenda eſt adeſſe cauſa finalis, & privilegium habere locum. Itá in terminis *Paſq. cit. n.* 4.

460 Deducitur 3. quòd audiens Miſſam Epiſcopi, aut quam Epiſcopus celebrare facit corám ſe in aliquo loco, ubi tranſeunter erigit Altare, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. *Paſq. quæſt.* 1226. *num.* 4. Ratio eſt: quiá ad præceptum implendũ ſufficit quòd Deo exhibeatur publicus cultus ſacrificii publico modo: publico autem modo exhibetur ex eo, quòd exhibeatur in facie Eccleſiæ. At verò tunc exhibetur in facie Eccleſiæ, quando exhibetur corám capite illius Eccleſiæ, nempé Epiſcopo: ſicut Matrimonium dicitur publico modo contractum ex eo, quòd contrahatur corám Parocho.

461 Deducitur 4. quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur in præſenti Indulto circá Altare portatile? Conceditur enim, quòd celebrando Miſſam de Requiem diebus in Indulto aſſignatis poſſint liberare animas á Purgatorii pœnis ſecundum eorum intentionem in quocumque Altari, tám intrá Eccleſiam, aut Capellam publicam, quám in quocumque alio Altari, etiam portatili, ſive Epiſcopus ſit in viá, ſive in aliquo loco diù moretur. Liquet ex Indulto Apoſtolico, junctis his, quæ hactenùs diximus.

SECTIO VIII.

Quot animæ liberentur á Purgatorii pœnis per unam Miſſam de Requiem, cui annexa eſt, Indulgentia plenaria?

462 Quæſtio oritur ex eo, quod in noſtro Indulto dicatur: *Liberandi animas ſecundùm eorum intententionem á Purgatorii pœnis*; particula enim *animas*, poſita in plurali, & inſuper clauſula, *ſecundùm eorum* intentionem, innuere videntur, quòd per unam Miſſam de Requiem, diebus in Indulto aſſignatis celebratam, plures ſimul animæ á Purgatorii pœnis liberari poſſint. His non obſtantibus.

463 Notatio Unica. ℞. unam tantùm liberari poſſe. Ratio eſt: quiá quando Pontifex concedit Indulgentiam pro liberandis animabus Purgatorii, ſub uno tantùm opere injuncto, unam tantùm animam liberari intendit; atqui in noſtro Indulto unum tantùm opus injungitur: ergó. Maior probatur: quiá in talibus conceſſionibus Indulgentiarum intervenit quodam veluti pactum inter Pontificem, & illum, qui lucraturus eſt Indulgentias, quandò exequetur opus injunctum: *Paſq. quæſt.* 755. *n.* 4. in fin. ergò quando unum tantúm opus injungitur exequendum, una tantúm anima liberari intenditur. Minor conſtat ex noſtro Indulto, in quo una tantúm Miſſa de Requiem celebrãda injungitur: ergò unum tantúm opus.

464 Confirmatur ab abſurdo: nam ſi ex vi Indulti noſtri poſſet celebrans plures ſimul animas libera-

re á Purgatorii pœnis, non eſt maior ratio, cur poſſet duas, aut tres, & non poſſet quatuor, aut quinque, & ſic deinceps: hoc eſt manifeſtum abſurdùm: ergò ex vi Indulti noſtri, & per unam tantùm Miſſam de Requiem, quamvis ei annexa ſit Indulgentia plenaria, una tantùm anima Purgatorii liberari poterit.

456 Nequet obſtat, quòd in Indulto apponatur particula *animas* in plurali, & ſimul clauſula, *ſecundùm eorum intentionem*, quæ ſignificare videntur, quòd celebrans poſſit liberare à Purgatorii pœnis, quot maluerit animas in plurali, & non unam tantùm in ſingulari.

466 Non, inquam, obſtat: quià verba Indulti debent intelligi in ſenſu congruo, ità ut poſſit celebrans liberare animam, quam maluerit, à Purgatorii pœnis, hanc, vel illam indeterminatè ſecundùm ſuam intentionem, non autem plures ſimul animas per unum tantùm opus injunctum, nempè unam Miſſam de Requiem, cum hoc ſit cōtrà praxim, & communem uſum Eccleſiæ.

SECTIO IX.

Quibus diebus poſſint Braſiliæ Epiſcopi, celebrando Miſſam de Requiem, liberare animas à Purgatorii pœnis?

467 Suppono 1. S. Sylveſtrum Papam, Sabbati, & Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies Feriarum nomine diſtinctos, ut jam anteà in Eccleſià vocari cæperant, appellari decreviſſe.

468 Suppono 2. cum praxi Eccleſiæ ſingulas ſecundas Ferias animabus Purgatorii eſſe dies fauſtos ob antiquam conſuetudinem, & permiſſionem celebrandi Miſſam de Requiem, dummodò non occurrat feſtum duplex de præcepto, aut aliud impediens.

469 Suppono 3. officium de Ferià conſtare tribus tantùm lectionibus, excepta Ferià Quintà in Cœnà Domini, aut hujuſmodi; & officium de Sancto ſimplici conſtare ſimiliter unà tantùm lectione, aut duabus ad plurimum. Undè ſolùm officium de S. duplici, aut feſto ſemiduplici conſtat 9. lectionibus. His ſuppoſitis.

470 Notatio Prima. An Feria ſecunda, in qua ſit de ſemiduplici, judicanda ſit impedita ad legendam Miſſam de Requiem quoad effectum liberandi animas á Purgatorii pænis ex Indulto Apoſtolico, Braſiliæ Epiſcopis conceſſo? Ratio dubitandi eſt: quiá ea dies, quamvis non ſit impedita ad legendam Miſſam de Requiem, eſt tamen impedita officio 9. lectionum: unde videtur etiam eſſe impedita quoad effectum liberandi animas á Purgatorii pœnis, quantum ex tali Indulto. Non obſtante hac ratione dubitandi.

471 ℟. Negativè. Fundamentum eſt: quià talis dies non eſt impedita ad legendam Miſſam de Requiem, ut conſtat ex *Rubr. Miſſal.* ergò neque quoad effectum liberandi animas á Purgatorii pœnis, quantùm ex Indulto noſtro: nam beneficium Principis eſt amplè interpretandum, ut tenent omnes: ſi autem Indultum Apoſtolicum non intelligatur de Feria 2. aut 3. in quà etiam ſit de ſemiduplici, tunc non amplè, ſed ſtrictè interpretatur Indultum; cum interpretetur cum negatione celebrandi Miſſam de Requiem quoad effectum liberandi ani-

ani-

animas à Purgatorii pœnis, eo quidem die, quo aliundè celebrari poteſt.

472 Dices tamen: Indultum Apoſtolicum non prohibet, quominùs feria 2. aut 3. qua fit de ſemiduplici, celebretur Miſſa de Requiem, ſed ſolùm prohibet, ſeu potiùs non concedit, quòd talibus diebus acquiratur Indulgentia plenaria pro animabus Purgatorii: ergò. ℞. negando antecedens: hoc enim ipſum eſſet ſtrictè interpretari Indultum Apoſtolicum, quod tamen debet amplè interpretari, cùm ſit favor Principis, & in nullius præjudicium cedat.

473 Undè quando Pontifex cōcedit, quòd ſingulis Secundis Feriis, aut Tertiis, non impeditis officio 9. Lectionum, liberari poſſint animæ à Purgatorii pœnis, intelligēda eſt conceſſio de hujuſmodi feriis impeditis officio 9. Lectionum, quòd juxtà Rubricas impediat celebrare Miſſam de Requiem, ut impedit feſtum duplex de præcepto; non autem de officio 9. Lectionum, quod non impedit celebrare Miſſam de Requiem, ut non impedit feſtum ſemiduplex, atque adeò in hoc ſenſu præſumi debet de benignitate Pontificis hanc fuiſſe ejus mentem, & intentionem in conceſſione nobis facta.

474 Notatio Secunda. An feria Secunda, aut Tertia, in quibus fit officium duplex ad libitum, dici poſſit Miſſa de Requiem quo ad effectum liberandi animas à Purgatorii pœnis, quantùm ex noſtro Indulto? Ante reſolutionem notandum 1. Illud dici officium duplex ad libitum, quod recitatur ex privilegio, & non ex præcepto, ut cúm quis recitat de aliquo S. Martyre ob ejus reliquiam inſignem, ut in hoc Fluminenſi Collegio aliquoties recitamus.

475 Notandum 2: quòd in Eccleſiis Cathedralibus, ſi recitentur in choro ejuſmodi officia, debet etiam celebrari Miſſa Conventualis conformis officio; nam in Cap. *Cum creatura.* De celebrat. Miſſar. injungitur, quòd Miſſa conventualis ſit conformis Officio ſecundùm congruitatem temporis.

476 Notandum 3: dari ſententiam probabilem in feſto duplici ad libitum dici poſſe Miſſam de Requiē 1. quià in feſto duplici ad Libitum dici poteſt Miſſa votiva: ergó etiam Miſſa de Requiem. Antecedens eſt ſententia *Paſqualig. quæſt* 240. *n.* 2. Conſequentia oſtenditur: quià de Miſſis defunctorum quo ad diem ſuæ celebrationis eadem eſt ratio, ac de Miſſis votivis, *Paſqualig. ſub Titul. de Miſſis defunctorum ad quæſtion.* 281. ergó ſi in feſto duplici ad libitum dici poteſt Miſſa votiva; dici etiam poteſt Miſſa de Requiem.

477 2: quià quód in tali die recitari poſſit Officium duplex ad libitum de S. Martyre, v. g. ob ejus reliquiam inſignem, atque etiam dici Miſſa de eodem, eſt privilegium; privilegium autem acceptari poteſt ſecundúm partem, & non obligat ad ſui acceptationem ſecundúm ſe totum, cum totum ſit liberum, & facultativum: poteſt igitur quis acceptare, & uti; privilegio quo ad officium, & nolle acceptare, nec uti quo ad Miſſam, aut viceverſá.

478 Duobus autem modis poteſt quis ſe gerere feriâ 2; vel 3. in quibus occurrit Officium duplex ad libitum: primo modo, non acceptando privilegium quo ad Officium, adeóque illud non recitando, ſed

potiùs de Feria, quæ tunc occurrit: Secundo modo, acceptando privilegium quo ad Officium, illudque recitando. De primo non eſt dubiùm poſſe celebrare Miſſam de Requiem, cùm reſpectu iſtius ea dies non ſit impedita officio 9. Lectionum, ut requirit Indultum.

479 Totum dubium eſt de ſecundo, qui acceptavit privilegium quo ad Officium, illudque recitat: non vult tamen acceptare quo ad Miſſam, ſed vult dicere Miſſam de Requiem. De hoc, inquam, dubium eſt: an feria 2; aut 3. qua recitat tale Officium duplex ad libitum, poſſit dicere Miſſam de Requiem quo ad effectum liberandi animas à Purgatorii pœnis, quantùm ex noſtro Indulto? Et ratio dubitandi eſt: quià ea dies non ſolúm eſt impedita officio 9. Lectionum, ſed etiam officio duplici, quamvis cum addito *ad libitum*. His notatis, ad quæſtionem

480 ℞. affirmativè. Probatur 1: quia talis feria 2. non eſt impedita ad legendam Miſſam de Requiem: ergó neque ad Indulgentiam Lucrãdam pro defunctis. Antecedens Conſtat ex proximè dictis. Conſequentia oſtenditur: quià impedimentum, quod ex officio 9. Lectionum conſurgit, nè feria ſecunda, vel tertia acquiratur Indulgentia pro defunctis, eodem modo attendendum eſt in ordine ad Indulgentiam lucrandam ex noſtro Indulto, ac attenditur in ordine ad facultatem celebrandi Miſſam de Requiẽ, cum aliud non debet præſumi de intentione Pontificis, nec de ejus ſumma benignitate ergà animas defunctorum; atqui talis feria 2; vel 3, quamvis ſit impedita officio 9. Lectionum, attamen non eſt impedita ad celebrandam Miſſam defunctorum: ergò nec ad Indulgentiam lucrandam pro defunctis.

481 Probatur 2: quià impedimentum 9. Lectionum, cujus ſit mentio in Indulto, tale eſſe debet, ut in feria 2. vel 3. impediat legere Miſſam defunctorum, non autem tale, ut id non impediat, prout de intentione Pontificis præſumendum eſt: atqui ſolùm duplex de præcepto id impedit, non autem duplex ad libitum: ergò in feria 2; vel 3. quà occurrit duplex ad libitum, ſicut dici poteſt Miſſa defunctorum, ità pro illis acquiri poteſt Indulgentia.

482 Neque dicas 1. Privilegium eſſe quidem facultativum quo ad uſum, non verò quo ad ſeparationem Miſſæ ab officio: quatenùs privilegium debet accipi ſecundúm Rubricas, quæ volunt, quod quando officium eſt duplex, etiam Miſſa Sit conformis officio. Undè in duplici ad libitum dici nequit Miſſa de Requiem, nequidem ſub prætextu lucrandi Indulgentiam pro defunctis.

483 Non, inquam, hoc dicas. ℞. enim; quòd Rubrica quando id tale præſcribit, loquitur de officio, quod cadit ſub præcepto: non autem de officio, quod eſt ad libitum, ut expreſſe ait *Paſqual quæſt.* 240. *n.* 3. Diſparitas eſt: quià in officio de præcepto, Rubricæ pro illo die non admittũt, niſi unicum ritum circà celebrationem officii, & Miſſæ; & ideò debet idem ritus manuteneri in utroque: at verò quando officium eſt ad libitum, tunc Rubricæ pro illo die admittunt duplicem ritum, nempe officii, & Miſſæ ad libitum, & inſuper officii, & Miſſæ currentis, ità ut utrumque relinquatur arbitrio, & voluntati recitantis: & ideò poteſt privilegiatus recitare officium juxtà unum ritum, & Miſſam

ſam juxtà alterum: nam ſemper recitat juxtà ritum admiſſum pro illo die.

484 Neque dicas 2. quod factâ electione officii duplicis, ſervandus ſit ritus præſcriptus pro eodem officio, ità ut nequeat mutari ad libitum, & difformari Miſſa ab officio: ergò por tali die non eſt libera celebratio Miſſæ de Requiem. Non, inquam, hoc dicas. ℞. enim cum *Paſq. quæſt.* 240. *n.* 4. ſervandum eſſe ritum, ad quem ſe extendit electio, & ideò factâ electione officii, ſervandus eſt ritus in officio, cùm autem electio non ſe extendat ad Miſſam, ut nuper diximus, ideò non adeſt neceſſitas ſervandi eumdem ritum in Miſſá.

485 Deinde celebrare Miſſam diverſam ab officio non eſt mutare ritum, ſed eſt uti ritu, qui ab Eccleſiâ admittitur pro eodem die, & ſe conformare partim in uno, & partim in alio ex ritibus admiſſis ab Eccleſiá: ſola autem illa mutatio, & variatio ritùs non admittitur, quæ non admittitur ab Eccleſiâ: ſic qui recitaret officium duplex ob inſignem reliquiam propriæ Eccleſiæ, ſi in alia Eccleſiâ Miſſam diceret, poſſet Miſſam dicere ibi currentem, quià celebraret juxtà ritum admiſſum ab Eccleſiá pro illo die ſecũdùm declarationes Sacræ Congregationis.

486 Notatio Tertia. An in feriis privilegiatis, in quibus non fit de feſtis duplicibus, ut ſunt feria 2. & 3. maioris Hebdomadæ, aut hujuſmodi, dici poſſit Miſſa de Requiem quo ad uſum noſtri Indulti? Miſſas votivas in his diebus dici poſſe affirmat *Quintanaduen. tom.* 1. *ſingul. tract.* 7. *de celebrat. Miſſar. ſingulari* 40. *n.* 2. ſubdit tamen ſe cõſulere Sacerdotem, ut ſi in his diebus velit celebrare Miſſam votivam, non publicè, ſed in privato Oratorio celebret. Undè à fortiori affirmandum de Miſſis defunctorum ob rationem infrà dandam.

487 Et deinde oſtenditur: quiá in talibus feriis non recitatur officium 9. lectionum: in noſtro autem Indulto Solùm excipitur Feria 2. vel 3. in quá recitetur officium 9. lectionum, atque adeò ſola hæc feria 2. aut 3. & non alia debet cenſeri impedita quo ad noſtri Indulti uſum.

488 Confirmatur 1. quià exceptio firmat regulam in contrarium L. *Quæſitum* §. *Denique* ff. De Inſtruct. & Inſtrum. ut nota *Gloſſ. in Rubr. de Reg. Jur. in* 6. cùm igitur Pontifex ſolùm excipiat Secundam feriam, aut tertiam, impeditam officio 9. lectionum, rectè ſequitur, quod reliquæ feriæ 2. aut 3. veniant in conceſſione.

489 Confirmatur 2. quià ex *Reg. Jur. in* 6. contrà eum, qui mentem ſuam non expreſſit, cùm poſſet, facienda eſt interpretatio: ergò cùm Pontifex potuiſſet exprimere ferias ſecundas, & tertias privilegiatas, eas excepiendo, eo ipſo, quòd eas non exceperit, contrà eum facienda eſt interpretatio, ac proinde exceptæ non ſunt prædictæ feriæ 2. aut 3. quo ad noſtrum privilegium, ſed dicendum, quòd in illis etiam dici poſſit Miſſa defunctorum in ordine ad Indulgentiam lucrandam pro defunctis.

490 Idem videtur dicendum de feria 2. & 3. intrà Octavas Epiphaniæ, & SS. Corporis Chriſti, non obſtante, quòd prædictæ feriæ ſint privilegiatæ ex declaratione Sacræ Congregationis, juxtà quam in talibus diebus dici nequit Miſſa defunctorum. Nam ſtando Rubricis gene-

generalibus, cúm talis feria 2. aut 3. non ſint dies dominici, nec feſtum duplex, in quibus ſolúm prohibetur Miſſa defunctorum; reſolvendum videtur in favorem noſtri Indulti, dicendumque ei non præjudicare declarationem Sacræ Congregationis ob infrà dicenda.

491 Neque obſtat 1. quòd in feriis privilegiatis dici nequeat Miſſa de Requiem, ut ait *Gavant. in Rubric. Miſſal. part.* 1. *tit.* 5. *n.* 2. litera A. quatenùs ejuſmodi feriæ excludunt feſta duplicia, & à fortiori Miſſas de Requiem. Quod probatur regulá illà, quód *vincens unum, vincat etiam omnia, quæ ab ipſo vincuntur.* L. *De acceſſionibus* §. *Et ſi mihi pignori* ff. De Diver. Temp. præſcript. Unde ſi feriæ privilegiatæ vincunt duplicia, cùm duplicia vincant Miſſas defunctorum, ſequitur, quód etiam hujuſmodi feriæ vincant Miſſas defunctorum, tanquàm victas à duplicibus.

492 Non, inquam, obſtat: quià licèt verum ſit, quód in feriis privilegiatis dici nequeat Miſſa de Requiem, attentis declarationibus Sacræ Congregationis: nihilominús dici poteſt Miſſa de Requiem, primó, ſtando ſolúm Rubricis generalibus, quæ dicunt: *Miſſæ autem privatæ pro defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & dominicis diebus.* Secundó, ſi attendatur ſpeciale, & extraordinarium Indultum noſtrum, cui præjudicare non debent declarationes ſacræ Congregationis, celebrandi Miſſam de Requiem ſingulis ſecundis feriis, aut tertiis non impeditis officio 9. Lectionum, ut quidē non impediuntur feriæ etiam privilegiatæ.

493 Ad regulam, quod *vincens unum, vincat etiam omnia, quæ ab ipſo vincuntur.* ℞. quòd regula hæc ut locum habeat, debet comparatio inter vincentem, & victum fieri quo ad ea, quæ ſunt ejuſdem ordinis, & rationis, ut cum aliis obſervat *Paſq. cit.* quod tamen non cōtingit in noſtro caſu: quià quando feriæ privigiliatæ comparantur ad duplicia, quæ vincuntur ſecundùm celebritatem officii, & per conſequentiam ſecundùm Miſſam, quæ trahitur ab officio, comparantur, & ideo celebritas talium feriarum manutenetur contrà celebritatem duplicium: quatenús ſi celebritas duplicium prævaleret, cederet omninò celebritas feriarum, nec amplius locum haberet, cúm non poſſit transferri, ſicut transferuntur duplicia. At verò quando celebritas feriarum comparatur ad Miſſas defunctorum, non comparatur ut ad aliam feſtivitatem diei, & officii, ſed ut ad quid, quòd non perturbat celebritatem diei, ſed illam relinquit in ſua poſſeſſione.

494 Non obſtat 2: quod in feriis privilegiatis dici nequeant Miſſæ votivæ quāvis non exclutdant celebritatem talium dierum: Undè neque dici poterunt Miſſæ defunctorum, quamvis non excludant celebritatem talium feriarum. Non, inquam, obſtat: quià in Miſſis votivis non urget ea ratio, quæ urget in Miſſis defunctorum: defuncti enim ſuſtinent graviſſimas pœnas, quas levare intendit S. Pontifex, quando Indulgentiam concedit per Miſſam de Requiem: undè eſt opus maximæ pietatis defunctis ſubvenire juxtà illud 2. Machab. Cap. 12. *Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio pro defùnctis exorare, ut à peccatis ſolvatur.* Quod cúm per Miſſas defunctorum modo præcipuo

può obtineatur , ideó debent admitti ab Eccleſià , quò frequentius fieri poteſt , maximè ſtante ſpeciali , & extraordinario Indulto Apoſtollico celebrandi quoties non occurrit officium 9. lection.

Video reſolutionem appoſitam ſupra num. 471. doctioribus non placituram , ideo contrariam cum iiſdem ego libenter amplector, quia hoc indultum , quamvis ſit favorabile , ſemper interpretari debet juxta proprietatem verborum , & cõmunem uſum , ſtylumque receptum. Unde non valet indulgentia in fer. 2. vel 3. in quibus recitatur de feſto ſemidup. de præcepto , vel duplici , aut ſemidup. ad libitum ; nec feſta ad libitum dicenda ſunt , quando fit de Sancto ob inſignem ejus Reliquiam, nec quando ex ſpeciali indulto fit de Sanctis particularibus alicujus Ordinis , vel Diœceſis , ut bene notat *Marati tom.* 2. *Sect.* 3. *cap.* 10. *in Annot. num.* 11. quod etiam patet ex decreto Sacr. Congr. apud eumdem *Marati in Indice decretor. num.* 278. & quia hujuſmodi feſta non ſequuntur decreta appoſita in Breviario pro Sanctis ad libitum, (nec infra Octavam Epiphaniæ , vel Corporis Chriſti ; quia his diebus fit officium novem lect. Valet tamen Indulgentia in fer. 2. majoris hebdomadæ , Paſchatis , & Pentecoſtes cum Miſſa tamen Officio correſpondenti. Ratio eſt ; quia in his diebus non fit officium novem lect., & cum Miſſa propria diei eadem Indulgentia prodeſt animabus, quæ prodeſt cum Miſſa de Requiem aliis diebus , ut patet ex decreto Sacr. Congr. 6. Apr. an. 1688. confirmato ab Innoc. XI. per Breve *Alias poſtquam* 4. *Maii* 1688. *apud Marati tom.* 1. *in Indice decretor. num.* 625. Quod quidem decretum loquitur de indulto Altaris privilegiati requirente Miſſam de Requiem; hoc autem quod hic cõceditur Epiſcopis Braſiliæ , nihil aliud eſt , niſi indultum Altaris privilegiati , vel omnino ei ſimile, de quo idem debet eſſe judicium.

SECTIO X.

Reſolvuntur obiter nonnulla dubia de aliis Miſſis celebrãdis.

495 NOtatio Prima. An Nocte Nativitatis Domini dici poſſint ſimul tres Miſſæ? Non eſt dubium de Miſſis cantatis: de his enim extant decreta Sacræ Congregationis, quæ citra dubium prohibent poſt primam Miſſam cantatam in nocte Nativitatis Domini, alias duas Miſſas celebrare. Decreta Sacræ Cõgregationis , ut clarior fiat reſolutio noſtra , juvat verbo ad verbum tranſcribere , prout ea affert *Pignatel. tom.* 7. *Conſultat.* 25. *n.* 9. *ſub titulo ſequenti.*

An nocte Sacratà Nativitatis Salvatoris poſt primam Miſſam cantatam , aliæ duæ Miſſæ immediatè celebrari , & Chriſti Fidelibus Sacra Euchariſtia miniſtrari liceat ?

496 Reſpondit Sacra Congregatio : *In nocte Nativitatis Domini poſt primam Miſſam cantatam , aliæ duæ Miſſæ non celebrentur , nec Chriſti Fidelibus Sacra Euchariſtia miniſtretur in Piſaurenſi.*

497 Item per hæc alia. *Patres S. Caroli Congregationis Clericorum Regularium petierunt reſponderi : an liceat in nocte Nativitatis Domini poſt cantatam primam Miſ-*

Miſſam alias duas immediatè celebrare, & communicare Fideles? Et Sacra Congregatio reſpondit nullo modo licere, ſed omninò prohiberi. Die 20. Aprilis 1641.

498 Et cùm quidam Regulares id nihilominús licere prætenderint, & præterea rurſus in eadem S. Congregatione audiri ſupplicaverint, ejus Eminentiſſimi Patres, ipſis auditis, protulerunt decretum.

499 *Cum ſuperioribus dictis conſultà hac S. Rituum Congregatione, an eſſet permittendum celebrari in medià nocte Natalis Domini poſt Miſſam cantatam ſucceſſivè alias duas Miſſas, & in eis S. Communionem exhibere Fidelibus illam depoſcentibus; Et reſpondiſſet: non eſſe permittendum, ſed omninò utrumque prohiberi. Nihilominùs nonnulli Regulares aſſerentes hoc licere, ſupplicarunt audiri. Et S. Congregatio. ipſis auditis, cum Procuratoribus, & Advocatis, ad relationem Eminentiſ. Palloti ſtetit in decretis, & reſpondit, iterùm prohibendum tàm Sacerdotibus celebrare volentibus, quàm confluentibus in medià nocte ad Eccleſias, & Communionem depoſcentibus, die 7. Decembris 1641. Quorum decretorũ duplicata expedita fuerunt die 9. Auguſti 1653. Carolo Epiſcopo Oſtienſi Cardinali Medicis Præfecto, & Bernardino Roccio S. Rituum Congregationis Secretario.*

500 En decreta Sacræ Congregationis, ex quibus apertè conſtat in nocte Natalis Domini poſt primam Miſſam cantatam, nec alias duas Miſſas immediatè celebrari, nec Sacram Euchariſtiam Fidelibus miniſtrari licére. Quarè de tribus Miſſis cantatis, vel ſaltem de primà Miſſa cantata, & aliis duabus privatis immediatè celebrandis, non eſt dubium, cùm ſaltem de his palàm loquantur decreta.

501 Totum dubium eſt de Miſſis privatis: an ſcilicet in nocte Nativitatis Domini dici poſſint ſucceſſivè tres Miſſæ privatæ? Dubium oritur ex nimio eorum ſcrupulo, ad quorum manus non perveniunt decreta, prout à S. Congregatione emanant, ſed ſolùm mutilata, ut apud aliquos AA. inveniuntur. Undè fit, ut ſingulis annis renovetur hic ſcrupulus, ipſique ſcrupuloſi, minùs prudentes, nos etiam ſuis ſcrupulis afficere prætendant. Ad dubium itaque ſub his terminis propoſitum.

502 ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià decreta S. Congregationis ſolùm verſantur circà tres Miſſas cantatas, vel ſaltem circà primam Miſſam cantatam, & alias duas Miſſas privatas poſt primam Miſſam cantatam in nocte Natalis Domini: ergò in talibus decretis nihil deciditur contrà tres Miſſas privatas ſimul celebrandas in ea Sanctiſſimà nocte. Antecedens conſtat ex adductis decretis. Conſequentia probatur: quià decreta S. Congregationis fuerunt expedita in eo ſenſu, in quo erat quæſtio de tribus Miſſis ſimul celebrandis in nocte Natalis Domini: quæſtio autem erat de tribus Miſſis cantatis, vel ſaltem de primà Miſſa cantatà, & aliis duabus Miſſis privatis immediatè celebrandis poſt cantatam, & non de tribus Miſſis privatis.

503 Confirmatur: quià prædicta deciſio S. Congregationis, cùm ſit prohibitiva, verſatur circà materiam odioſam: non debet igitur extendi ejus prohibitio ad Miſſas privatas, juxtà Regul. *Odia* de Reg. jur.

jur. in 6 *Odia reſtringi*, *favores convenit ampliari.*

504 Neque obſtat decretum S. Congregationis, quod affert *Lacroix lib. 6. p. 2. n. 2055. Decret. 221.* videlicet: *Non licet media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare ſucceſſivè alias duas Miſſas, & in eis Sacram Communionem exhibere Fidelibus illam depoſcentibus, & utrumque omninò prohibitum 7. Decemb. 1641.*

505 Non, inquam, obſtat hoc decretum, in quo unicè fundantur ſcrupuloſi, qui ſententiam affirmativam impugnant: ſiquidem hoc tale decretũ mutilatũ affertur à Lacroix, vel à quibus ille accepit; cùm hoc ſit idem omninò decretum, quod ex *Pignatel.* tranſcripſimus, ut conſtat ex die, & anno, quibus fuit expeditum: decretum autem, quod affert *Pignatel.* verſatur circà Miſſas cantatas, vel ſaltem circà primam Miſſam cantatam, & alias duas privatas, non verò de tribus Miſſis privatis, & decretum, quod affert Lacroix, loquitur de Miſſis in confuſo, & promiſcuè, non diſtinguendo inter Miſſas cantatas, & privatas, unde patet decretum circumferri mutilatum.

506 Tandem *Andreas Piſcàra Caſtaldus*, in ſuà praxi Cœrimoniarum, ſeu Sacrorum Romanæ Eccleſiæ Rituum accuratà tractatione, quæ Neapoli in lucem prodiit an. 1645. quatuor poſt annis à decreto Sacræ Congregationis, ità habet *lib. 3. Sect. 2. cap. 4. n. 2.* ibi: *Circà horam, quà hac nocte celebrari poſſint Miſſæ privatæ, licet ab aliquibus vertatur in dubium; an ſcilicet præter primam Miſſam poſſint aliæ duæ Miſſæ noctis tempore celebrari: communi tamen ferè omnium ſententià, Sacratæ hujus noctis privilegio, qualibet horà poſt mediam noctem ſimpliciter, & abſolutè celebrari poſſe uſu factum eſt: hoc enim ſingulariter hac Sacta nocte Chriſti Nativitate illuminatà, fidelibus fuit conceſſum, quo fideles piè, ac devotè ad tantum myſterium celebrandum detinerentur; & ideò cum indefinité fuerit à Teleſphoro Papà conceſſum, ut Miſſæ hac nocte celebrari poſſint, nullum in hoc erit Miſſarum diſcrimen, niſi in Miſſis ſolemnibus, quæ præfinità horà, ac tempore, ratione myſterii, quod continent, dici debent: in reliquis privatis Miſſis nihil eſt, cùr talis ordo ſervetur: imò plura incommoda ſecum afferrent, eſſetque inordinatiſſimus ordo, ſi talis obſervantia eſſet diſtinctio temporis.* Hæc Caſtaldus. Idem tenet *tom. 1. Venetiis impreſſo anno 1707. Paſqualig. quæſt. 404. ubi n. 4.* cit. pro hac parte *Vaſq. Suar. Rodrig. Reginald. Coninch. Cardin. de Lug. diſp. 20. de Euchar. Sect. 2. n. 25. Bonac. de Sacrific. Miſſ. lib. 1. cap. 21. n. 8. Sà* verb. *Miſſa n. 27. Caſtr. Pal. part. 4. n. 13. Tambur. Opuſc. de Sacrif. Miſſ. lib. 1. cap. 6. §. 4. n. 13.* & alios quamplures. *Et quæſt. 406.* extendit *Paſq.* ad loca, ubi in nocte Nativitatis D. tres Miſſæ non fuiſſent ſolitæ celebrari.

507 Notatio Secunda. Quando duo, vel plures Sancti eodem die concurrunt in Kalendario ſub ritu ſimplici, unus autem eorum ad ritum duplicem elevatur ex privilegio, v. g. ob Reliquiam inſignem, an ſint ſeparandi, vel potius conjungendi in officio, & Miſſa? Exemplum ſit. De S. Mario unà cum SS. Martha, Audiface, & Abacum celebratur in Kalendario 19. Januarii,

rii, & de omnibus cõjunctim fit officium, & dicitur Miſſa ſub ritu ſimplici: in hoc autem Fluminenſi Collegio fit officium, & dicitur Miſſa de S. Mario ſub ritu duplici ex privilegio, nempe ob ejus Reliquiam inſignem. Quæſtio modo eſt: an in hoc Fluminenſi Collegio de S. Mario ſeparatim dicẽdum ſit officium, & Miſſa unius tantùm Martyris ſub ritu duplici cum commemoratione SS. Marthæ, Audifacis, & Abacum ſub ritu ſimplici: an potiùs de omnibus conjunctim dicendum ſit officium, & Miſſa plurimorum Martyrum ſub ritu duplici, ità ut, ſicut S. Marius ob Reliquiam inſignem elevatur ad ritum duplicem, ſic etiam SS. Martha, Audifax, & Abacum ob conjunctionem cum S. Mario ad ritum duplicem elevandi ſint?

508 Ante reſolutionem notandum 1. cum *P. Guyeto lib.* 1. *Cap.* 5. *quæſt.* 14. *& P. Avendan. tom.* 2. *Theſaur. Indic. part.* 9. *ſeſſ.* 10. *num.* 113. duplicem eſſe rationem conjunctionis in Sanctis, alteram per ſe, & quaſi ex natura rei, quando videlicet eodem die, & loco paſſi ſunt, ut SS. Gervaſius, & Protaſius, Mauritius cum Sociis, &c. alteram veró per accidens, & ex occaſione dumtaxat, quandó nimirùm nulla alia inter eos neceſſitudo, aut affinitas intervenit, quàm quód eorum natalis in eundem diem incidit, ut SS. Fabiani, & Sebaſtiani.

509 Notandum 2. Cognationẽ carnalem in Sanctis eſſe commendatione dignam. Sic Eccleſia cùm Sanctos Fratres celebrat, verbis utitur, quibus fraternitatem exponit, in officio, & Miſſa, uti rem commendatione digniſſimam, ut advertit *Avendan. citat. num.* 115. Adeó, ut ex cognatione carnali metaphoram deſumat Eccleſia ad cognationem ſpiritualem laudandam, ut in feſto SS. Martyrum Joannis, & Pauli, ubi eorum ſimultaneam pro Chriſto paſſionem laudat à fraternitate in Sanctis commendabili: ſic: *Quos eadem fides, & paſſio verè fecit eſſe germanos.* Id etiam indicat communis illa pro SS. Martyribus decantata laudatio in officiis Sacris: *Hæc eſt vera fraternitas, quæ vincit mundi crimina.* Et in feſto S. Cæciliæ commendatur illud ejus dictum ad Tiburtium Valeriani Sponſi fratrem, hoc modo: *Hodie te fateor meum cognatum, quià amor Dei te fecit eſſe contemptorem idolorum.* His notatis

510 Reſolutio ſit. In hoc Fluminenſi Collegio, ubi de S. Mario fit officium, & dicitur Miſſa ſub ritu duplici ob ejus Reliquiam inſignem, dividendi non ſunt SS. Martha, Audifax, & Abacum modo propoſito; ſed fieri debet officium, & dici Miſſa plurimorum Martyrum ſub ritu duplici, ità ut, ſicut S. Marius ob Reliquiam inſignem elevatur ad ritum duplicem, ſic & SS. Martha, Audifax, & Abacum ob conjunctionem cum S. Mario ad ritum duplicem eleventur. Probatur reſolutio: quià interveniente ſola cognatione carnali, aut ſola cognatione ſpirituali, ut rebus ab Eccleſia commendatiſſimis, jam Sancti non ſeparantur ex conſuetudine Eccleſiæ ejuſque ritu ergà Sãctos quovis modo cõjunctos, ut nuper vidimus in SS. Gervaſio, & Protaſio, Mauricio, & Sociis, &c. ſed SS. Marius, Martha, Audifax, & Abacum non ſolum in cognatione carnali fuerunt conjuncti, quatenus SS. Marius, & Martha fuerunt ſpõſi, & SS. Audifax, & Abacum Sãctorum Marii, & Marthæ fuerunt

filii,

filii; ſed etiam in cognatione ſpirituali fuerunt conjuncti, quatenus eodem die, & loco & idem genus Martyrii paſſi ſunt: ergo à S. Mario non ſunt ſeparandi SS. Martha, Audifax, & Abacum. Subſumo: ſed ſi à S. Mario non ſunt ſeparandi SS. Martha, Audifax, & Abacum, evidenter ſequitur, quod ſub eodem ritu celebrari debeant: ergo ſicut S. Marius ad ritum duplicem elevatur ob Reliquiam inſignem, ſic etiam SS. Martha, Audifax, & Abacum ob conjunctionem cum S. Mario ad ritum duplicem elevari debent.

511 Confirmatur 1. quia S. Fabianus Papa, & Martyr ritu duplici gaudet ob conjunctionem cum S. Sebaſtiano: ergo etiam SS. Martha, Audifax, & Abacum ritu duplici gaudere debent ob conjunctionem cum S. Mario, quando iſte ad ritum duplicem elevatur. Oſtenditur antecedens: quia S. Fabianus, ſi ſeorſim celebraretur, ritu duplici non gauderet, ſicut nulli alii Summi Pontifices, & Martyres ritu duplici gaudent, & de facto, ubi S. Sebaſtianus eſt Patronus, ut in hac Fluminenſi Civitate, transfertur S. Fabianus, poſtea verò die non impedita fit de eo ſub ritu ſemiduplici: ergo S. Fabianus Papa, & Martyr ritu duplici gaudet ob conjunctionem cum S. Sebaſtiano, qui celeberrimus Martyr cum ſit, quamvis celebraretur ſeorſim à S. Fabiano, eundem ritum duplicem retineret.

512 Oſtenditur conſequentia: quia inter SS. Marium, Martham, Audifacem, & Abacum longe maior fuit conjunctio, quam inter SS. Fabianum, & Sebaſtianum, ut nuper diximus; ſed ob minorem conjunctionem cum S. Sebaſtiano elevatur S. Fabianus ad ritum duplicem S. Sebaſtiani: ergo ob maiorem conjunctionem cum S. Mario elevari debent SS. Martha, Audifax & Abacum ad ritum duplicem S. Marii.

513 Confirmatur 2. quia Sancti in cognatione carnali, & ſpirituali conjuncti, magis amant ſimul ita venerari, ut talis cognatio in eorum celebratione appareat, quam in illa eſſe ſingulares; ſicut enim in vita dilexerunt ſe, & in morte non ſunt ſeparati, ita neque in feſtiva memoria amant ſeparari: ergo quia SS. Marius, Martha, Audifax, & Abacum ita fuerunt conjuncti, & in vita dilexerunt ſe, ut in martyrio non fuerint ſeparati; hinc rectè infertur, quod neque in feſtiva memoria amabunt ſeparari, ſed potius amabunt conjunctim celebrari, adeòq; in Fluminenſi Collegio de talibus Sanctis fieri debet officium, dici Miſſa plurimorum Martyrum ſub ritu duplici cum unica oratione illis aſſignata. Id, quod habet *Avendañ. cit. num.* 119. ubi reſolutionem extendit ad Sanctos, qui ea ſolum fuerint ratione conjuncti, quod eodem die paſſi, aut mortui, quod ratione Reliquiæ unius eorum non debent ſocii ab ejus cultu ſeparari.

Tandem cum quæſitum fuiſſet; an in Eccleſia S. Mariæ in Porticu, ubi aſſervatur brachium S. Marcelliani tantum (occurrentis die 18. Junii) faciendum ſit officium de S. Marco ſub ritu duplicis minoris de communi plurimorum Martyrum, vel potius de S. Marcelliano tantum de communi unius Martyris? S. R. C. die 7. Auguſti 1717. reſpondit: *Officium eſſe recitandum de utroque Sancto de communi plurimorum Martyrum.* Ex hoc infertur non eſſe dividendos eos Sanctos,

ctos, qui juncti ſunt per ſe, & quaſi ex natura rei, cum videlicet aliqua inter eos conſanguinitas Marcus, & Marcellianus, qui erant fratres, ideò non ſunt dividendi, licet in prædicta Eccleſia reperiatur Reliquia inſignis tantum de S. Marcelliano. Ita in terminis *Merati in ſuo Theſaur. Sacror. Rit. tom. 2. ſect. 3. cap. 10. §. E' contra* pag. mihi 56. Idem ergo, quod de S. Marcelliano in Eccleſia S. Mariæ in Porticu, etiam obſervandum in Collegio Fluminenſi de S. Mario cum SS. Martha, Audiface, & Abacum.

514 Notatio Tertia An de Sanctis, de quibus in hoc Fluminenſi Collegio recitamus ex privilegio Pontificio, nempè ob eorum Reliquias inſignes, recitare poſſint Religioſi, qui ſunt extra Collegium, ad illud tamen pertinent? Frequens eſt hoc dubium, pro cujus reſolutione affirmativa proponam, quæ apud probatos AA. invenio.

515 Et in primis *Gobat tom. 1. tract. 5. num. 635. pag. mihi* 516. citans pro hac parte *Suar. & Quintanad.* habet ſequentia: *Quicumque Clericus Regularis, aut Sæcularis, exiſtens etiam pluribus annis extra ſuam Diœceſim, aut Monaſterium, ſed ſolum tanquam peregrinus, aut advena, poteſt recitare Officium de Sanctis, de quibus recitaret, ſi re ipſa exiſteret in Diœceſi, aut Monaſterio, ad quod pertinet ipſe: adeoque de Reliquiis, aut Dedicatione ſuæ Eccleſiæ privatim.* Hæc *Gobat.*

516 Deinde *Paſqualig. quæſt. 272. num.* 3. ſic habet in terminis. *Dicendum eſt poſſe quemcumque abſentem celebrare de Sanctis, de quibus celebratur in ſua Diœceſi.* Ita *Suar. tom. 1. de Relig. lib. 4. de Horis Canonic. cap. 23. num. 6. Leſſius lib. 2. de Juſt. & Jur. cap. 37. dub. 12. num. 75. Reginald. lib. 18. praxis fori Pœnit. num. 169. Molfeſ. part. 1. ſum. tract. 5. cap. 2. num. 16. Vaſques de Benefic. cap. 4. dub. 2. art. 1. num. 57.* & in his præciſis terminis. *Quintanad. tom. 1. ſingul. tract. 7. ſingul. 24. à num. 1. Et hoc intelligendum, ſive celebretur de Titularibus, ſive intoitu Reliquiarum, ſive ex ſpeciali conceſſione Pontificis, ſive ex quocumque alio titulo.* Hactenus *Paſqualig.*

517 Oſtenditur à ratione: quia talis Religioſus, v. g. quamvis ſit abſens, remanet tamen membrum illius Eccleſiæ, & cenſetur adhuc ipſi incorporatus; quatenus abſentia non tollit incorporationem, quæ non tollitur, niſi per incorporationem reſpectu alterius Eccleſiæ: ergo poteſt tanquam membrum ſuæ Eccleſiæ ſe illi conformare in celebrando Officio, & Miſſa.

518 Confirmatur 1. Nam, quæ ſunt membra coporis, communicant in omnibus, quæ ſunt communia toti corpori: ergo cum abſentes remaneant membra ſuæ Eccleſiæ, quatenus non fiunt pars communitatis, in qua tanquam advenæ reperiuntur, idcircó communicabunt in facultate recitandi de iis Sanctis, de quibus recitatur apud ſuam Eccleſiam.

519 Confirmatur 2. Siquidem qui eſt abſens à propria Eccleſia, poteſt retinere ritum illius circa recitationem Horarum Canonicarum, & celebrationem Miſſæ, quamvis ſit diverſus à ritu Eccleſiæ, apud quam reperitur. Unde Ambroſianus poteſt recitare Ambroſiano modo, & ſecundum aliquos etiam tenetur Græcus apud Latinos ſervare proprium ritum Græcum: ergo á fortiori

tiori poterit celebrare de Sanctis, de quibus celebratur in propria Eccleſia, quia valet argumentum à maiori ad minus, quando minus continetur in maiori, ita ut ſi licet maius, liceat etiam, quod minus eſt. L. *In ſuis*, in fine ff. de Liber. & Poſth. & Authent. *Multò magis* C. De Sacroſanct. Eccleſ.

520 Neque dicas, quod celebratio de his Sanctis eſt privilegium locale, ac proinde non ſequitur perſonam extra locum. Quod præſertim quoad Reliquias patet ex Decreto Sacr. Rituum Congregationis ſub die 8. Aprilis 1628. quod Decretum approbavit Urban. VIII. & repoſitum eſt inter Decreta, quæ Breviario præfiguntur, & eſt tenoris ſequentis: *Item vetuit, & prohibuit celebrari per totam Civitatem, vel Diœceſim, etiam de cujuſque Ordinarii authoritate feſtum cum Officio, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, & Abbatialis, aut aliqua Reliquia; ſed tantum in ipſius Sancti Eccleſia Titulari, ſeu ubi aſſervatur corpus, aut inſignis Reliquia, & non alibi.*

521 Non, inquam, hoc dicas. ℞. enim privilegium noſtrum nequaquam eſſe locale, ſed perſonale, licet cum relatione ad locum, quatenus non conceditur omnibus, ſed tantum perſonis de tali loco. Quod ſatis ex eo conſtat 1. quia materia privilegii eſt perſonalis, cum ſit actio perſonalis, nempè recitatio. 2. quia conceſſio dirigitur ad perſonas, & non ad locum; neque enim conceditur loco, ſed perſonis de tali loco, quod utique facit, ut privilegium ſit perſonale juxta ea, quæ tradunt Gloſſ. in cap. *Tua*, De his, quæ fiunt à Prælat. *Barth. in L.* 1. *num.* 2. ff. De Conſtituit. Princip. Barboſ. in L. *Quia tale num.* 5. ff. Soluto Matrimonio. *Suares lib.* 8. *de Legibus cap.* 3. *num.* 10. eo enim ipſo, quod intentio concedentis contemplatur perſonam, & ad ipſam dirigit ſuam conceſſionem, ſatis declarat, ſe intendere privilegiare perſonam.

522 Quod autem dicitur de privilegio, valet proportionaliter de conſuetudine, conceſſione Rubricarum, & de omni alio titulo, ratione cujus licet celebrare de Sanctis; quia cùm habeat pro materia aliquid perſonale, afficit immediate perſonas, & ideò quod per ipſum licet, ipſimet perſonæ licet, quandiu remanet de tali loco, licet aliàs abſens ſit. Ita in terminis *Paſqual. quæſt.* 272. *num.* 6.

523 Unde reſponſum habes ad præallegatum Sac. Congregationis Decretum, licet in illo appoſita ſit particula excluſiva *tantum*: talis enim particula eos ſolum excludit, qui Monaſterio, aut Eccleſiæ, ubi aſſervatur Reliquia, non ſunt incorporati: non autem excludit, qui ad idem Monaſteriū, aut Eccleſiam, ubi aſſervatur Reliquia, ſpectant, quamvis abſentes ſint, ut habet expreſſè *Paſqualig.* ſupra citaus *num.* 516. Quemadmodum per particulam *tantum* in eodem Decreto non excluduntur ab Officio recitando, & Miſſa dicenda de Reliquia, qui Eccleſiæ Cathedrali, aut Matrici, ubi aſſervatur Reliquia, ſunt addicti, quamquam non aliter ſint addicti, niſi tanquam Capellani quoad Miſſam celebrandam, ut tenet idem *Paſqual. quæſt.* 261. *num.* 8.

524 Ex dictis infertur 1. quod abſens celebrare poterit Feſtum Titularis, & Dedicationis propriæ Eccleſiæ cum ſuis octavis, non ſecus ac ſi eſſet præſens. *Paſq. quæſt.* 272. *num.* 7.

num. 7. Ratio eſt: quia licet ſolemnitas peragatur intra Eccleſiam, poteſt tamen quoad Officium, & celebrationem Miſſæ peragi ubicumque ab iis, qui ſunt addicti eidem Eccleſiæ, quamvis propter abſentiam actu non inſerviant.

525 Infertur 2. quod Religioſi, quamvis reperiantur in Monaſteriis ſuæ Religionis aliarum Provinciarum, aut ejuſdem, poſſint recitare Officium, & Miſſam, prout recitatur in Eccleſia ſui Monaſterii, cui tanquam de ipſius familia incorporati ſunt. *Quintanad. tom.* 1. *ſingul. tract.* 7. *ſingul.* 24. *num.* 6. quandiu incorporati manent eidem Monaſterio.

526 Neque obſtat, quod tales Religioſi fiant ſubditi illius ſuperioris, ubi degunt, & pro tempore habitant: quia ſicut hæc ſubjectio non tollit incorporationem ſui Monaſterii, ita nec etiam facultatem celebrandi, ſicut in ipſo celebratur. *Paſqualig. cit. num.* 8.

527 Infertur 3. eos, qui diu morantur extra propriam Diœceſim, etiam per maiorem anni partem, ut ſunt Scholares, qui ſtudiorum cauſa degunt apud Univerſitates, poſſe celebrare juxta ritum ſuæ Eccleſiæ de omnibus Sanctis, de quibus in ipſa celebratur. Ratio eſt: quia ibi ſunt tanquam advenæ, & alibi retinent proprium domicilium juxta ea, quæ trahunt Gloſſ. *Bartol. Bald.* & alii apud *Paſqualig. cit. num.* 9.

528 Et hujus adhuc ratio eſt: quia Scholares neque per diurnam moram in Univerſitatibus acquirunt ibi domicilium, cum hoc ſolum acquiratur ex animo figendi i bi ſedem in perpetuum, quod non ſtat cum animo diſcedendi. Unde cum retineant præcedens domicilium, adhuc remanet de tali Eccleſia, & ideò in celebratione ipſam ſequi poſſunt.

529 Notatio Quarta. An de S. Ignatio P. N. & S. Franciſco Xaverio, de quibus ex Indulto Apoſtolico infra annum ſingulis hebdomadis recitamus, poſſimus etiam recitare, & Miſſam dicere de eiſdem in Vigiliis, Feriis quatuor Temporum, & Rogationum? Manifeſta eſt reſolutio affirmativa ex literis Roma miſſis ad RR. PP. Indiæ Orientalis, quæ ſic habent.

530 *Non obſtante S. Congregationis Decreto edito* 20. *Martii* 1706. *poteſt à noſtris in Vigiliis, Feriis quatuor Temporum, & Rogationum recitari Officium de S. P. Ignatio, vel de S. Franciſco Xaverio: quia Summus Pontifex Clemens XI. nec vidit, nec annuit ſimili Decreto immò vivæ vocis oraculo declaravit R. P. N. Michaeli Angelo Tamburino* (*ut ipſe teſtatur*) *ſe nihil reſcire de Decreto illo, nec velle Religionum privilegia imminuere, aut coarctare. ideòque poſſe noſtros prædicta Officia recitare eodem modo, & cum eâdemmet amplitudine, qua antea ſolebant.*

531 *Ob eandem rationem omnes noſtri Sacerdotes, quibus R. P. N. Generalis communicaverit* (*in quantum poteſt*) *privilegium recitandi ſemel in hebdomada de SS. Sacramento, & Conceptione B. V. Mariæ, poſſunt de ipſis recitare intra Adventum, ac Quadrageſimam ſicut RR. PP. Auguſtiniani, & Carmelitani recitant: conſtatque ex ipſorum Directoriis, ſive Ordinariis hic Romæ impreſsis: cum enim per aliquot annos in Decreti prædicti obſervantiam à recitatione dictorū Officiorum intra Advētum, & Quadrageſimam abſtinuiſſent; per*

per ſuum P. Generalem R. P. Fr. Joſephum à S. Thereſiá conſuluerunt S. P. Clementem XI; qui reſpondit ſe nec Decretum vidiſſe, nec approbaſſe, & poſſe proindè Fratres recitare dicta officia eo modo, quo priùs faciebant.

532 Notatio Quinta. Maius dubium eſt: an de S. Ignatio P. N. & S. Franciſco Xaverio poſſimus Braſiliæ Patres recitare ſemel in hebdomadá, & celebrare etiam intrá Adventum, & Quadrageſimam? Certa eſt reſolutio affirmativa: cùm enim Indiæ Patribus ea gratia priùs fuiſſet conceſſa; pro ejuſdem gratiæ extenſione ad Braſiliæ Patres poſtea ſupplicatum fuit, & à Summo Pontifice benignè obtentum, ut conſtat ex teſtimonio authentico ad nos tranſmiſſo, quod eſt, ut ſequitur.

PP. Societatis JESU Provinciæ Goanæ in Indiis Orientalibus.

„ HUmillime SãctiſſimoDomino „ Noſtro Clementi Pap. XII. „ ſupplicantibus Patribus Miſſionariis Societatis JESU Provinciarum Goanæ, Japponiæ, Sinenſis, „ & Marannenſis in Indiis Orientalibus, quatenùs ipſis facultatem „ in poſterum recitandi ſemel in hebdomadà etiam intrà Adventum, „ & Quadrageſimam diebus non „ impeditis, Ritu dup. aut ſemidup. „ officium Sanctorum Ignatii, & „ Franciſci Xaverii, prout vigore „ aſſerti Indulti Sanct. mem. Innocentii Papæ XII. à Patribus Miſſionariis dictæ Societatis Provinciæ Malabaricæ peragitur, nec- „ non etiam ſemel in menſe, die non „ impeditá, alterum Officium BB. „ MM. Japponenſium, nempè Joannis, Didaci, & Pauli ſub ritu ſemid. benignè concedere dignaretur: Sanctitas Sua extenſionẽ Officii Sanctorum Ignatii, & Franciſci Xaverii tantùm Patribus prædictis juxtá petita benignè indulſit, atque conceſſit. Die 21. Novembris 1731.

A. F. Cardinalis Zondadàri P. Præfect.

Die 15. Julii 1735.

SUpplicatum fuit pro extenſione iſtius gratiæ ad Provinciam Braſiliæ. Obtenta vivæ vocis oraculo ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro. Die 28. Julii 1735.

Franciſcus Retz.

[L. S.] N. M. Tedeſchi Archiep. Apamenus Sacr. Rit. Congr. Secret.

Novum Memoriale.

„ HUmiliter ſupplicat P. Fonſecá, ut Sanctitas Sua cõmunicare dignetur PP. Procuratoribus Indiæ Socit. JESU, in Europa exiſtentibus eandem facultatem recitandi Officium Sanctorũ Ignatii, & Xaverii, ut in Brev.

RISPOSTA.

„ DEll Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signore D. Malachia „ d' Inguimbert. Arciveſcovo di „ Teodoſia, e Prelato Domeſtico „ della Santitá di Noſtro Signore „ Clemente Papa XII.

La Notte del di 3. Decembre 1731.

Al

„ AL Rmo. P. FONSECA.

„ P Ñe Stimatiſſ.raſſegnala ſua piu
„ oſſequioſa ſervitu Fr. Malachia,
„ che nel ritornare da Palazzo, li
„ fa ſapere, che la Santità di noſtro
„ Signore ſi é degnata concedere la
„ grazia richi eſta nelle trerighe
„ qui acluſe,ed unite col Breve,che
„ ſi fá licito di rimandarlè, &c.

533 Ex præcedentibus deducitur, quòd licet de BB. MM. Japponenſibus, nempè, Joanne, Didaco, & Paulo recitemus, & Miſſam dicamus die 5. Februarii ſub ritu duplici maiori: tamen de illis recitare non poſſumus ſemel in menſe, ſicut recitamus de Patrocinio S. Joſeph ſub ritu ſemiduplici, ex nova conceſſione facta Patribus Societatis JESU Aſſiſtentiæ Luſitanæ die 11. Decembris 1737. Ratio eſt: quià pro recitatione BB. MM. Japponenſium ſemel in menſe impetrāda, unà cum Officio SS. Ignatii, & Xaverii intra Adventum, & Quadrageſimam recitando promiſcué ſupplicatum fuit, ut ſuprà dicitur: at verò Summus Pontifex ad ſupplicationem pro SS. PP. Ignatio, & Xaverio factam benignè annuit: ad ſupplicationem verò pro BB. MM. Japponenſibus omninò tacuit. Imò potius de SS. Ignatio, & Xaverio conceſſit cum inſinuata excluſione BB. MM. Japponenſium, cùm adjecit particulam *tantùm*, ibi: *Sanctitas Sua extenſionem Officii Sanctorum Ignatii: & Franciſci Xaverii tantùm Patribus prædictis juxtà petita benignè indulſit, atque conceſſit.*

544 Notatio Sexta. In Luſitania, ejuſque Dominiis, ab omnibus fit Officium, & dicitur Miſſa de S. Aloyſio Gonzaga Societatis JESU in ejus die 21. Junii ſub ritu duplici ex Indulto ſpeciali: per Orbem verò Chriſtianum ab illis, qui ſcholas Societatis frequentant, & ad Horas Canonicas tenentur, officium recitari poteſt, & Miſſa dici de eodem ſub ritu duplici primæ Claſſis cum Octava. Imò non ſolùm in omnibus, & ſingulis Univerſitatibus, Gymnaſiis, vel Collegiis Generalium, vel non Generalium Studiorũ Societatis JESU; verùm etiam in aliis, ſi quibus alicubi placuerit, ubicumque exiſtentibus, vel extituris, eundem S. Aloyſium Studiorũ eligere Patronum, idem Officium cum Octava, & Miſſa dici poteſt de eodem, vel in Eccleſiis dictæ Societatis, vel in aliis quibuſcumque. Benedictus XIII. in Decreto, quod incipit: *Cùm Sanctiſſimus*, die 22. Novembris 1729. Clemens XII. in Decreto, edito ſub die 21. Novembris 1737. & Benedictus XIV. in Decreto: *Cum ex Decretis*, die 12. Aprilis 1742.

FINIS LIBRI TERTII.

BRA-

BRASILIÆ PONTIFICIÆ

LIBER QUARTUS,

NOTATIONES

Ad poſteriores novem facultates Pontificias,

QUÆ

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDUNTUR,

COMPREHENDENS.

Dividitur in diſputationes octo. Prima agit de Facultate tenendi, & legendi libros prohibitos. Secunda de Facultate præficiendi Parochiis Regulares. Tertia de Facultate celebrandi Miſſam bis in die. Quarta de Facultate deferendi Sanctiſſimum Sacramentum occulte ad infirmos. Quinta de Facultate induendi veſtibus ſæcularibus, ſi neceſſitas urgeat, atque etiam de Facultate recitandi Roſarium, vel alias preces, ſi Breviarium ſecum deferre non poterunt. Sexta diſputatio tractat de Facultate diſpenſandi ſuper uſu carnium, & lacticiniorum tempore jejuniorum, & Quadrageſimæ. Septima de Facultate communicandi prædictas facultates, excepti illis, quæ ordinem Epiſcopalem requirunt. Octava de omnibus Facultatibus gratis, & ad annos decem tantum exercendis.

DISPUTATIO PRIMA.

De vigeſima prima facultate Pontificia,

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCESSA.

SECTIO I.

De pœnis ſtatutis contra libros prohibitos.

1 VIGESIMA Prima facultas Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur, ſic habet: *Tenendi, & legendi, non tamen aliis concedendi libros hæreticorum, vel infidelium de eorum Religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinei, Nicolai Macchiavelli, & libros de Aſtrologia judiciaria principaliter, vel incidenter, vel aliàs quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur.*

2 Notatio Prima. Quæ pœnæ ſint ſtatutæ contra libros hæreticos?

℞. Libri hæreticorum, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes ſub excommunicatione Papæ reſervata prohibentur in 1. can. Bullæ Cœnæ.

3 Hæc etiam prohibitio extenſa eſt in aliquibus Decretis Pontificiis; nam Sixtus V. in quadam Bulla, quæ eſt vigeſima prima in ejus ordine, ſub excommunicatione ſibi reſervata prohibuit libros Aſtrologiæ Judiciariæ, ſeu de Divinatione tractantes, quibus futura contingentia intenduntur cognoſci.

4 Et Pius IV. in Conſtitutione, quæ incipit *Dominici gregis*, die 26. Martii anno 1564. edita, & librorum prohibitorum Indici præfixa, ſic ait: *Is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujuſvis authoris ſcripta propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipſo jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob cauſam in eum, tanquam de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas ſuper hoc ab Apoſtolica Sede, ſacriſque Canonibus conſtitutas.*

5 Præterea Clemens VIII. in Indice librorum prohibitorum ſub excommunicatione, non tamen ſibi reſervata, prohibuit Hæreſiarcharum libros, etiamſi de Religione non tractent, niſi prius expurgentur. Item libros Authorum, qui ſunt de hæreſi ſuſpecti, immò & Catholicorum, quibus aliquæ ſunt hæreſes admiſtæ: quæque expurgatione indigent juxta regulas, de quibus *Azor tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 14.

6 Tandem pro Hiſpaniæ Regnis extat Conſtitutio Pauli V. quæ incipit: *Cùm ſicut accepimus*, in qua prohibentur omnes libri, qui indigent expurgatione, ſub cenſura Pontifici, vel Inquiſitori Generali reſervata. Qui autem ſint iſti libri, explicatur per tredecim regulas, quæ appoſitæ ſunt in principio Expurgatorii.

7 Notatio Secunda. An libri hæreticorum, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, & alii quomodolibet prohibiti juſte ab Eccleſia damnentur? ℞. affirmative, & quidem ita habet praxis Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum: dicitur enim in Act. Apoſt. cap. 19. *Multi ex eis, qui fuerunt curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt eos coram omnibus.* Et ratio ex *Lug. diſp.* 21. *de fide n.* 25. eſt; quia ſi neceſſe eſt vitare ſermones, & colloquia hæreticorum, ut ait Apoſt. ad Titum 3. *Hæreticum hominem poſt unam, aut alteram correctionem devita*, à fortiori eorum ſcripta fugienda ſunt, quæ ad Lectores pervertendos efficaciora ſunt, ſiquidem *ſegnius irritant animos demiſſa per aures, quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus*, eademque eſt ratio de aliis libris alia lue infectis.

8 Unde etiam gentiles libros ſuis ſectis contrarios prohibebant, & comburebant, ut conſtat ex *Valerio Maximo lib.* 1. *cap.* 1. *& ex M. Tullio lib.* 1. *de Natura Deorum.* Itaque duplici ex capite libri aliqua lue infecti ab Eccleſia damnantur: primo, ut conſulatur bono fidelium, avertendo ab eis venenum, quo infici poſſint: ſecundo, ut Author, qui in doctrinæ abuſu peccavit, hoc modo plectatur. *Azor cit. quæſt.* 9.

SEC-

SECTIO II.

Qui, & ſub quibus pœnis prohibeantur hæreticorum libri?

9 NOtatio Prima. Liber ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ prohibitus debet eſſet liber hominis hæretici proprie talis, qualis eſt, qui à fide per Baptiſmum ſuſcepta defecit. Ita *Fagund. in* 1. *Præcept. Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 5. *Caſtro Pal. de Fide tract.* 4. *diſp.* 2. *punct.* 10. §. 1. *n.* 1. & alii communiter. Ratio eſt: quia excommunicatio in Bulla Cœnæ lata contra libros hæreticorum eſt pœna gravis; hæc autem in ſenſu ſtricto, & rigoroſo accipi debet: ergo ſolum contra hæreticos, qui fuerint proprie, & ſtricte tales, quales ſunt ſolum, qui à fide per Baptiſmum ſuſcepta defecerunt.

10 Unde colligendum primò, ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ non prohiberi libros Infidelium, Gentilium, aut Maurorum, etiamſi hæreſim, aut errorem contra fidem contineant. *Suar. diſp.* 20. *de Fide, ſect.* 2. *num.* 11. in fine. *Sanch. tom.* 1. *Decalog. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 22. *Fagund. & Caſtro Pal. citat.* Ratio eſt: quia hi nunquam à fide per Baptiſmum ſuſcepta defecerunt: ergo non ſunt proprie, & ſtricte hæretici.

11 Colligendum ſecundò, non prohiberi ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ librum hominis Catholici, quamvis in eo ſint inſerti errores hæretici. *Navar. in Summa cap.* 27. *n.* 56. *Sanch. cit. num.* 23. *Azor tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 2. *Suar. tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 10. & alii, quos citat, & ſequitur *Fagund. citat. n.* 6. Ratio eſt: quia talis liber non eſt hominis hæretici.

12 Colligendum tertiò, ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ non prohiberi libros hominis Catholici, in quibus ſunt multæ hæreſes, quas author Catholicus ob inſcitiam, vel ignorantiam dixit. *Sanch. cit. n.* 24. *Fag. cit. n.* 7. Ratio eſt: quia adhuc talis liber non eſt hominis hæretici.

13 Colligendum quartò, non prohiberi ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ libros hominis Catholici, qui annotationes, & ſcholia hæreticorum contineant, quamvis ea quoque ſcholia, & annotationes ibi legantur. *Navarr. Sanch. &* alii cum *Fagund. num.* 8. Ratio eſt: quia is liber vere non eſt hæretici, ſed Catholici.

14 Notatio Secunda. Ut liber hæretici ſit prohibitus ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ non requiritur, quòd ejus author ſit ab Eccleſia damnatus, ſed ſufficit, ſi conſtet authorem libri eſſe hæreticum, quamvis adhuc de hæreſi damnatus non ſit, nec denuntiatus, aut declaratus. *Sanch. n.* 22. *Fagund. n.* 7. *Caſtro Pal. num.* 1. Ratio eſt: quia adhuc talis vere eſt hæreticus, & ut talis cognoſcitur.

15 Notatio Tertia. Ut liber hæretici prohibeatur ſub cenſura Bullæ Cœnæ, ſufficit etiam, quòd unam tantum hæreſim contineat, licet ex profeſſo de alia re tractet. *Sanch. num.* 34. *Fagund. num.* 15. *Caſtro Pal. num.* 7. Ratio eſt: quia in Bulla Cœnæ ſic dicitur: *Libros hæreticorum hæreſim continentes, aut de religione tractantes*; atqui hoc verificatur de eo libro, qui unam tantum hæreſim continet, eſto de alia re tractet: ergo.

16 Notatio Quarta. Non requiritur etiam, quòd liber ſit impreſſus,

ſeu typis mandatus, ſed ſufficit, quod ſit manu ſcriptus. *Sanch. n.* 28 *Fagund. n.* 11. *Suar. diſp.* 2. *ſect.* 2. *n.* 10. *Caſtr. Pal. n.* 3. Ratio eſt: quia liber manu ſcriptus eſt vere liber; & periculum infectionis, ob quod hæc prohibitio emanavit, etiam locum habet, tametſi ſola manu liber ſcriptus ſit. Accedit, quòd aliàs facillimo negotio poſſet eludi prohibitio Pontificia, manu ſcilicet ſcribendo libros hæreticorum, eoſque legendo, retinendo &c.

17 Notatio Quinta. An autem brevis ſcriptura, ut oratio, concio, quæſtio, aut epiſtola hominis hæretici comprehendatur ſub prohibitione Bullæ Cœnæ? Maius eſt litigium. Affirmant aliqui, & rem fuſe probant apud *Caſtro Pal. num.* 4. qui licet n. 5. fateatur hanc ſententiam in praxi tenendam eſſe.

18 Nihilominus eodem n. 5. non ſolum ſatisfacit argumentis contrariis, ſed inſuper credit probabile eſſe, breves ſcripturas, annotationes, lectiones, diſputationes, conciones, & epiſtolas hæreticorum non comprehendi ſub prohibitione Bullæ Cœnæ. *Caſtro Pal. cit. Sanch. n.* 29. *Bonac. diſp.* 2. *de Cenſur. quæſt.* 5. *punct.* 4. *num.* 18. Et hanc ſententiam abſolute tenet *Fagund. n.* 11. Ratio eſt: quia pœnæ non ſunt ampliandæ, & in communi hominum uſu, & loquendi modo breves ſcripturæ, ut concio, epiſtola &c. non dicuntur libri. Nec militat eadem ratio in his, quæ in libris, ut bene ait *Fagundes*: quia libri diutius permanent, & latius extenduntur: in pœnalibus autem ita intelligenda res eſt, ut ſalventur verba pœnæ, & non extendantur.

19 Hactenus de prohibitione librorum ſub cenſuris, & pœnis ſolummodo in Bulla Cœnæ ſtatutis, attenta vero prohibitione Clement. VIII. & Pauli V. quilibet liber Infidelis, aut etiam Catholici, cui aliquis error inſertus ſit, nec legi, nec retineri poteſt, quin primum expurgatus ſit, & emendatus ab his, quibus in Expurgatorio cura expurgandi commiſſa eſt. Unde ſi liber, cujuſcumque ſit authoris, aliàs ſit ſub excommunicatione prohibitus, quamvis non ſit prohibitus ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ, adhuc manet prohibitus ſub excommunicatione contenta in catalogo librorum prohibitorum, quæ tamen nulli eſt reſervata. *Sanch. cit. num.* 26. *Sayr. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 15. *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 5. quos ſequitur *Fagund. num.* 7. §. *Hinc ſi liber.*

SECTIO III.

Qui, & ſub quibus pœnis prohibeantur libri de Religione tractantes?

20 NOtatio Prima. Ii libri cenſendi ſunt de Religione tractare, ac proinde prohiberi ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ, qui divinam Scripturam, vel partem ejus exponunt, & qui totam Theologiam, vel partem ejus explanant. *Suar. tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 10. *Sanch. tom.* 1. *Decalog. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 2. *Fagund. in* 1. *Præcept. Decalog. lib* 1. *cap.* 14. *num.* 14. Ratio eſt: quia tales libri ad materiam fidei ſpectant, & in eis materia Religionis in communi tractatur.

21 Notatio Secunda. Ii etiam libri, qui de virtute Religionis ſpeciatim tractant, hoc eſt, de cultu Deo,

Deo, ac Sanctis exhibendo, de Clericis, de Monachis, de Prælatis, de Viſibili, & Inviſibili Eccleſia, libri ſunt, qui de Religione tractant. Ita *Sanch. citat. Ugolinus de Caſibus Papæ reſervatis* 2. *part. cap.* 1. verbo: *Vel de Religione*, initio, *&* *Fagund. cit.* §. *Dico ſecundò.* Ratio eſt: quia omnes hi tituli ad Religionem Chriſtianam, & Catholicam ſpectant, & Bulla Cœnæ generatim loquitur, intenditque, ne hæreticorum errores in his libris ſparſi addiſcantur.

22 Notatio Tertia. De Religione dicendum etiam eſt tractare illos libros, qui de moribus Chriſtianis, non politicis tantum, tractant: unde ſi de conſcientiæ quæſtionibus agerent, de Religione tractare dicentur. Ita docet expreſſe *Sanch. cit. num.* 21. quem ſequitur *Fagund.* cit. §. *Dico tertiò.* Ratio eſt: quia hoc etiam maxime ad Religionem ſpectat, nec exiguum inferendi erroris periculum in prædictis libris eſt.

23 Notatio Quarta. Ille etiam liber dicitur de Religione tractare, qui licet ex profeſſo de Religione non tractet, ſed de aliis rebus, ita tamen notabiliter de Religione tractat, ut arbitrio prudentis cenſeatur ex profeſſo, & non obiter de Religione tractare, idque ſatis eſſe ad incurſionem cenſuræ latæ in Bulla Cœnæ contra libros hæreticorum de Religione tractantes. Ita expreſſe *Sanches* ubi ſupra, & videtur ſentire *Suares* citatus, *Azor tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 6. *quæſt.* 5. *Rodrig. in Additam. ad Bullam* §. 9. *n.* 68. quos citat, & ſequitur *Fagund. cit.* § *Dico quartò.* Ratio eſt: quia omnes hi Authores aſſerunt, quòd legentes, retinentes, aut imprimentes hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de Fide, aut Religione tractantes, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrant; & nihil interim diſtinguunt, an ex profeſſo, & ex inſtituto de hac re tractent, necne: ergo.

SECTIO IV.

Qui, & ſub quibus pœnis prohibeantur libri de Aſtrologia tractantes?

24 NOtatio Prima. An, & ſub quibus pœnis prohibeatur Aſtrologia judiciaria? ℞. Aſtrologia judiciaria prohibetur à Sixto V. in Motu proprio, qui incipit: *Moderator Cœli, & terræ*, ibi: *Statuimus, ut contra facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid eventurum affirmare audent, etiamſi id ſe non certo affirmare aſſerant, aut proteſtentur &c. inquirant, & procedant, & in eos ſeverius canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.*

25 Fundatur hæc prohibitio primò in illo Iſaiæ 47. *Stent, & ſalutent te augures Cœli, qui contemplantur ſydera, ut ex eis annuntient ventura tibi.* Eſt enim ibi quædam imprecatio, ubi loco Augurum vertunt Septuaginta: *Aſtrologi Cœli*, & D. Hieronymus ibi: *Qui vocantur Mathematici, & aſtrorum curſu, lapſuque res humanas regi arbitrantur.* Ex quo loco, inquit *Suares* ſtatim citandus, intelligimus, quoties Scriptura augures deteſtatur, deteſtari etiam judiciarios Mathematicos.

26 Fundatur ſecundò in illo Je-

Jeremiæ 10. *Juxta vias gentium nolite diſcere , & à ſignis cœli nolite metuere , quæ timent gentes : quia leges populorum vanæ ſunt.* Fundatur tertiò in Concil. Toletano 1. in aſſertione fidei : *Siquis Aſtrologiæ exiſtimat eſſe credendum , anathema ſit.* Fundatur quartò , in cap. *Non liceat* 26. quæſt. 5. ubi prohibentur Chriſtiani *obſervare Lunæ , & Stellarum curſus : aut inanem ſignorum fallaciam pro domo facienda* , id eſt regenda. Vide plura apud *Suar. tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de Superſtit. cap.* 11. *à n.* 5. uſque *ad n.* 8. His poſitis,

27 Notatio Secunda. Illi libri de Aſtrologia judiciaria prohibentur , qui ex aſpectibus , ſitu , & motibus aſtrorum eventus à libero arbitrio pendentes prædicere , vel effectus occultos præſentes , & præteritos revelare intendunt , v. g. quod Comes , aut nobilis , qui ad Regem accedit , ab illo honorifice excipietur : quòd uxor fidelitatem marito præſtabit in abſentia , & ſimiles effectus , quos tamen Deus ſolum ſibi reſervavit juxta illud Pſalm. 7. v. 10. *Scrutans corda , & renes Deus.* Et Eccleſiaſtes 8. *Multa hominis afflictio : quia ignorat præterita , & futura nullo ſcire poteſt nuntio.*

28 Ratio à priori eſt : quia libri de Aſtrologia judiciaria tractantes ad liberum arbitrium tollendum cōducunt , quatenus effectus liberos ad cauſas phyſicas , & mere naturales reducere conantur , quòd de ſe malum eſt , immò & plurium malorum origo eſſe poteſt : nam ſi hoc verum eſſet , peccata hominum , furta , adulteria , & homicidia , & reliqua omnia flagitia cauſis naturalibus , & cœleſtibus ſignis tribuerentur , non hominum libertati , ac proinde peccata non eſſent , ſed phyſice , & naturaliter fierent.

29 Confirmatur : quia corpora cœleſtia non poſſunt influere in actus liberi arbitrii , & in intellectum , & rationem hominis ; corpus enim non poteſt influere niſi in res corporeas ; intellectus autem neque eſt corpus , nec actus organi corporei , & conſequenter nec voluntas , in qua formaliter conſiſtit libertas. Unde cum nullum corpus poſſit aliquid imprimere , niſi in rem corpoream , impoſſibile eſt , quòd corpora cœleſtia directe imprimant in intellectum , aut voluntatem ; hoc enim perinde eſſet , ac dicere intellectum non differre à ſenſu.

30 Unde fit , quòd Sol , Cœlum , Aſtra , Planetæ , & corpora cœleſtia non poſſint eſſe cauſa operationum liberi arbitrii , licet illud diſpoſitive inclinare poſſint , quatenus in corpus humanum imprimunt vires ſenſitivas ad operandum : quia tamen omnes vires ſenſitivæ obedire poſſunt rationi , ut docet *Philoſophus lib.* 3. *de Anim. text.* 42. & 47. ideo nulla neceſſitas libero arbitrio imponitur. Ex quo ſequitur , quòd contra inclinationem , & impreſſionem corporum cœleſtium adhuc homo poſſit operari , ut docet *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 95. *in O. Caietanus* ibi , & communiter Doctores. Hoc ſapientiſſimus *Fagund. in* 1. *Præcept. Decalog. lib.* 1. *cap.* 38. *n.* 7.

31 Notatio Tertia. Illi etiam libri de Aſtrologia judiciaria prohibentur , in quibus tractatur de effectibus naturalibus , qui caſus fortuiti appellantur , quia ſæpè hominibus nil tale opinantibus contingunt , v. g. quod homini eunti in forum tegula è tecto cadens obtundet ; quòd naviganti in Braſiliam

liam hoſtiles naves occurrent, & hujuſmodi. Ita *D. Thom.* 22. *quæſt.* 95. *art.* 1. *Suar. tom* 1. *de Religion. lib.* 2. *de ſuperſt. cap.* 11. *n.* 28. *Sanch. l.* 2. *Decalog. cap.* 38. *n.* 30. *Fag. in* 1. *præcept. Decalog. lib.* 1. *cap.* 38. *n.* 3. Ratio eſt: quia prædicti caſus, & ſimiles licet naturales ſint, cùm tamen non habeant cauſas naturales fixas, & permanentes, ſed ex accidentario rerum concurſu eveniant, cauſam certam in aſtris habere non poſſunt, ideoque ex aſtris tales effectus conjectare, & prædicere vana ſuperſtitio, & execranda divinatio eſt.

32 Notatio Quarta. Illi quoque libri prohibentur, qui de Aſtrologia Judiciaria agunt, quamvis eorum Authores poſt latum judicium affirment, & proteſtentur, ſe id non dicere tanquam certum, ſed tanquam improbabile, aut tanquam opinione dignum. *Suar. cit. n.* 3. *Fag. cit. n.* 7. *in fine.* Ratio eſt: quia ſi iſta evaſio concederetur, nullus Aſtrologus judiciarius poſſet convinci: nunquam enim illi dicunt hoc infallibiliter eſſe eventurum, immò fatentur in generali interdum ſua principia deficere, & ideò licet in his prædictionibus expreſſe dicant, ſe non affirmare id tanquam certum; nihilominus coram Eccleſia puniendi ſunt. Ita *Suar. & Fag. cit.* Ratio eſt: quia ille modus prænuntiandi futura ſub illa proteſtatione adhuc inclinat homines ad vanas ſuperſtitiones; & ſemper præſumitur ea verba proferri ad occultandam malitiam, & divinationem, adeoque illa eſt vera ſuperſtitio.

33 Notatio Quinta. Illi ſimiliter libri de Aſtrologia judiciaria prohibentur, quorum Authores futura libera prænuntiant, & declarant, eſtò apud ſe ſtatuant, & interius credant ſuum judicium non eſſe certum, ſed probabile. Ita *Suar. n.* 31. *Sanch. n.* 33. *Leſſius lib.* 2. *de Juſt. cap.* 43. *dub.* 6. *n.* 42. *Fag. cit. n.* 8. Ratio eſt: quia ex ſolis aſtris comparari non poteſt notitia talium futurorum, ita probabilis, ut dici poſſit id eſſe probabile, ac proinde qui ex ſolis aſtris ſcientiam prædictam inquirit ſaltem ut probabilem, tacite vult ex ſcientia, & pacto dæmonis talem cognitionem comparare.

34 Confirmatur: quia illa divinatio etiam ſub ſpecie probabilitatis ſolum habet fundamentum in regulis artis judiciariæ: illæ autem regulæ non poſſunt habere probabilitatem ex ſolis aſtris, & ideo damnantur, ut induſtria dæmonum introductæ: id quod bene confirmant verba illa Jeremiæ cap. 10. *Juxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum vanæ ſunt.*

35 Notatio Sexta. Nihilominus non prohibentur libri, qui res, & effectus naturales ex cauſis naturalibus prænuntiant, v. g. ex motu, & aſpectu ſtellarum futuras eclipſes, pluviam, ſiccitatem, ventos, morbos, & ſanitatem. Ita DD. cit. Ratio eſt: quia hæc Aſtrologia eſt ars, & ſcientia effectuum naturalium, & conſiderat cauſas naturales talium effectuum; conſiderat enim ex effectibus ſyderum, & planetarum vim naturalem: ex ſitu autem, oppoſitione, ſplendore, aſpectuque illorum contemplatur effectus naturales, quos phyſice producunt: ergo non eſt prohibita talis ſcientia, nec libri de ea tractantes.

36 Accedit, quòd nullibi in jure prohibetur talis ſcientia, quia in Bulla Siſti V. quæ incipit: *Cœli, & terræ moderator*, in qua Aſtrologia

logia judicialis damnatur, quæ de futuris eventibus prænuntiat, ſtatim hæc naturalis excipitur: *Exceptis dumtaxat futuris eventibus, ex naturalibus cauſis neceſſario, vel frequenter provenientibus, quæ ad divinitatem non pertinent.* Et infra ferendo legem contra judiciarios, addit: *Præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam.*

37 Et hujus adhuc ratio eſt: quia hæ artes utuntur obſervationibus effectuum naturalium ſyderum, & planetarum, & pendent ex conſtellatione illorum, ex ventis, & pluviis, & ſerenitatibus, ſiccitate, aut humiditate, quæ omnia poſſunt cauſari ab ſtellis. Unde prænuntiare poterunt Aſtronomi naturales bonam, vel malam navigationem in genere, fertilem, aut ſterilem fructuum novitatem, & futuros morbos, vel ſanitates. An autem poſſint etiam ex aſpectu corporum cœleſtium, obſervata pueri nativitate, conjectare temperamentum, & complexionem illius, & ex illo aliqualiter probabiliter ſuſpicari naturalem inclinationem, & futuram propenſionem, v. g. ad iram, ad manſuetudinem, ad libidinem, ad amicitiam, ad hæc, vel illa exercitia naturalia? Vide *Fag. cit. n.* 10.

SECTIO V.

Quæ, & ſub quibus pœnis prohibeatur librorum damnatorum lectio?

38 NOtatio Prima. Sub excōmunicatione Bullæ Cœnæ prohibetur lectio librorum hæreticorum hæreſim continentium, aut de Religione tractantium, ſcienter facta. Prima pars conſtat ex ſection. præcedentibus: ſecunda verò pars, quam tenent *Fag. in* 1. *præcept. Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 19. *Caſtr. Pal. de Fide tract.* 4. *diſp.* 2. *punct.* 10. §. 2. *n.* 1. & alii communiter, conſtat ex eo, quod in 1. canone Bullæ Cœnæ, quo cavetur lectio talium librorum, apponitur particula *ſcienter.*

39 Unde deducitur ſub cenſura Bullæ Cœnæ prohibitam non eſſe lectionem talium librorum factam cum ignorantia etiam craſſa, & affectata, niſi adeò eſſet craſſa, & affectata, ut ingens temeritas judicaretur. Ita *Sanches tom* 1. *Decalog. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 38. *Fagund. cit. n.* 19. *&* 20.

40 Idem docet cum *Ugolino, & Sanches Fag. cit. n.* 21. ſi legens librum ignoret hæreſim continere, aut de Religione tractare; aut ſi ignoret eſſe hominis hæretici, quamvis ſciat hæreſim continere, aut de Religione tractare. Ratio eſt: quia Bulla utrumque ſimul petit, & quod liber ſit hominis hæretici, & quod hæreſim contineat, aut de Religione tractet.

41 Notatio Secunda. Sub cenſura Bullæ Cœnæ prohibetur lectio libri hæretici; tametſi à libro hæreſim expungas. Ita *Suar. Ugolin. & Sanch.* quos citat, & ſequitur *Fag. n.* 15. *Caſtr. Pal.* citatus §. 1. *n.* 7. Ratio eſt: quia particularis expunctio non tollit communem libri prohibitionem. Secus, ſi expunctio facta eſſet authoritate publica, tunc enim legi poteſt talis liber, quin incurratur talis cenſura. *Fagund. n.* 15. in fine.

42 Notatio Tertia. Ut lectio libri hæretici prohibeatur ſub cenſura Bullæ Cœnæ, non requiritur, quod verbis proferas rem lectam, ſed ſufficit, ſi viſu, & mente ſcripta

ptà percurras. *Fagund. n.* 23. *Caſtr. Pal.* §. 2. *n.* 2. cum multis ibi relatis. Ratio eſt: quia vera lectio verborum pronuntiationem non requirit, argumento ex l. 2. §. *Inſpectio* ff. Quemadmodum teſtamentum aperiatur.

43 Requiritur tamen, ut intelligas, quod legis. Unde ſi librum legas in lingua, quam ignoras, compoſitum, non incurris excommunicationem Bullæ Cœnæ. *Suar. & Sanch.* quos refert, & ſequitur *Fagund. n.* 30. *& Caſtr. Pal.* proxime allegatus. Ratio eſt: quia attento fine, ob quem prohibetur lectio libri hæretici, nullo modo comprehenditur, immò ſemper fuit exceptus prædictus caſus.

44 Notatio Quarta. Legere librum hæreticum, qui aut hæreſim contineat, aut de Religione tractet, etiam ipſius libri authori prohibetur ſub cenſura Bullæ Cœnæ. *Sanch. tom.* 1. *Decal. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 37. *& Ugolinus*, quem citat, & ſequitur *Fagund. n.* 18. Immò ſi author adhuc hæreticus ſit, & ab excommunicatione ipſius hæreſis non ſit abſolutus, dupliciter excommunicatus erit; ſemel ratione hæreſis, & ſemel ratione lectionis ipſius libri. Si autem jam abſolutus ſit, erit tantum poſteriori excommunicatione ligatus. *Fag.* citatus.

45 Notatio Quinta. Ut lectio libri hæretici prohibeatur ſub cenſura Bullæ Cœnæ, non requiritur, quòd hæreſim contineat, & ſimul de Religione tractet: ſed ſufficit, quòd alterum horum contineat, vel hæreſim, vel de Religione tractet. Ita *Sanch. & Ugolin.* quos citat, & ſequitur *Fagund. n.* 13. Ratio eſt: quia Bulla Cœnæ aperte loquitur disjunctive, & alterutrum tantum petit.

46 Colliges primò, quòd licet liber ſit hominis hæretici, ſi tamen nec hæreſim contineat, nec de Religione tractet, non prohibetur ejus lectio ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ. Ita AA. citati. Ratio eſt: quia ut incurratur excommunicatio Bullæ Cœnæ, requiritur, quòd liber & ſit hominis hæretici, & quod aut hæreſim contineat, aut de Religione tractet. Dixi: *Ut incurratur excommunicatio Bullæ Cœnæ*: quia ut incurratur excommunicatio lata contra legentes libros prohibitos in Indice, ſufficit prædicta lectio.

47 Colliges ſecundò, non prohiberi ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ lectionem libri, cujus author ſit Catholicus, quamvis in eo ſint inſerti errores alicujus hæretici, idque etiamſi in tali libro ſolum ſententiæ, & errores hæreticorum legantur, præcipua legentis intentio fuerit errores Hæreticorum ſcire, & cognoſcere Ita *Navarr. Sanch.* & alii, quos refert, & ſequitur *Fagund. n.* 6 Ratio eſt: quia talis liber non eſt hominis hæretici, & in Bulla Cœnæ non punitur intentio, & affectus ſciendi, ſed factum ipſum legendi libros hæreticorum.

48 Notatio Sexta. An ſub cenſura Bullæ Cœnæ prohibeatur lectio facta per alium, ita ut, quamvis non legas librum hæreticum, audias tamen legentem? Affirmat abſolute *Suar. de Fide diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 9. ideoque etiamſi legentem ad lectionem non induxeris. Videantur fundamenta Suares apud ipſum, & AA. ſtatim allegandos.

49 Alii diſtinctione utuntur, & dicunt lectionem factam per alium, ſeu lectionis auditionem non eſſe prohibitam ſub cenſura Bullæ Cœnæ, ſi alium ad legendum nullo

modo induxiſti: ſecus, ſi aliquo modo ad legendum induxiſti. Fundamenta hujus ſententiæ lege apud AA. infra allegandos pro ſententia contraria.

50 Probabilius tamen eſt in neutro caſu incurri cenſuram Bullæ Cœnæ. Sic relato *Ugolino Sanch. lib.* 2. *Decalog. cap.* 10. *num.* 48. *Coninch diſp.* 18. *dub.* 11. *num.* 178. *Caſtr. Pal. cit.* §. 2. *n.* 4. *Fagund. cit. n.* 27. & his omnibus fuſius *Delbene part.* 1. *de Officio S. Inquiſition. dubitat.* 39. *à n.* 3. Fundamentum eſt: quia leges pœnales extendendæ non ſunt ultra propriam ſignificationem: at ſub verbo *legentis* non comprehenditur audiens legere, eſto ad legendum induxerit: tum quia neque inductio ad legendum, neque auditio, eſt lectio proprie; tum quia legere proprie, eſt viſu, & mente ſcripta percurrere.

51 Ubi nota, quòd ob hanc etiam rationem non incurrit pœnam Bullæ Cœnæ, qui memoriter recitat librum hominis hæretici hæreſim continentem, aut de Religione tractantem: quia ſcilicet memoriter recitare non eſt legere proprie. *Ita Suar. Ugolin. Sanch. Azor*, & alii, quos citat, & ſequitur *Fag. n.* 25.

52 Jam vero famuli, qui juſſu domini legunt librum hominis hæretici, hæreſim continentem, aut de Religione tractantem, incurrunt cenſuram Bullæ Cœnæ. *Sanch. n.* 49. *Azor tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 4. *&* *Santarellus*, quem citat, & ſequitur *Fag. n.* 28. Ratio eſt: quia tales famuli ſcienter legunt, & juſſio dominorum non eos excuſat, niſi aliunde excuſentur, ut notat *Fag. n.* 28. afferens ibi aliqua exempla, & rationes excuſandi.

53 Notatio Septima. An prohibitio ſub cenſura Bullæ Cœnæ admittat parvitatem materiæ in legendis libris hæreticorum? Negant *Ugolinus de cenſuris Papæ reſervatis* 2. *part.* verb. *Ac eorumdem libros* §. 1. *verſ.* 8. *&* *Toletus in Summa in Bull. Cœnæ excomm.* 1. *num.* 24. Fundantur in verbo illo *quomodolibet*, ita ut ſenſus ſit, *quomodolibet* legentes, hoc eſt, etiam *parum.* Unde etiam parum legentes libri hæretici incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ juxta hos AA.

54 At conſtans opinio DD. affirmat dari in hac etiam re parvitatem materiæ, eamque excuſare ab incurrenda cenſura Bullæ Cœnæ: *Sanch. cit. n.* 31. *Sayr. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 12 §. *Alii tamen. Azor tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 3. & alii, quos citat, & ſequitur *Fagund. n.* 4. Fundamentum eſt: quia in aliis rebus parvitas materiæ à peccato mortali, & ab excommunicatione incurrenda excuſat: ergo in hac quoque excuſabit; neque enim aſſignabitur diſpar ratio.

55 Tota difficultas eſt in aſſignanda parvitate materiæ. Nihilominus ſapientiſſimo *Fagundes* placet ſententia *Sanches*, *Emmanuelis Rodrigues*, *Vivaldi*, *&* *Sà*, qui aſſerunt integram paginam libri in folio impreſſi, tametſi liber ſit ex voluminibus magnis, quæ vulgò dicuntur de *marca mayor*, adhuc eſſe materiam parvam. Ratio eſt: quia minor quantitas videtur inſufficiens (quidquid dicat *Suar. de Fide diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 20.) ad peccatum mortale, & tam gravem cenſuram incurrendam; & qui minus legit, non videtur legere librum hæretici, ut loquitur Bulla Cœnæ.

56 Ne-

56 Neque hoc regulandum eſt ex periculo, ut vult *Becanus in 2. part. Summ. cap. 15. quæſt. 8. n.8.* Fundamentum eſt: quià excommunicatio non fertur ratione periculi uniuſcujuſquè particularis, ſed cõmunis. Unde nimis rigoroſè loquuntur *Azor*, & *Sayrus* citati: ille dùm ait ſufficere pauca verba; hic dùm ſolùm requirit decem lineas. Ità *Fagund. cit. n.* 4. ſic quin excedas pravitatem materiæ, poteris legere citrà incurſionem cenſuræ latæ in Bullà Cœnæ, Procemium, Præfationem, Epiſtolam ad Lectorem, aut etiam Indicem libri Hæretici. *Fagund. cit. n.* 12.

SECTIO VI.

Quæ, & ſub quibus pœnis prohibeatur librorum damnatorum retentio?

57 Notatio Prima. Sub excõmunicatione Bullæ Cœnæ prohibetur retentio librorum hæreticorum hæreſim cõtinentium, aut de Religione tractantium, ſcienter facta. Totum conſtat ex ſect. præcedentibus, ubi egimus de lectione eorumdem librorum.

58 Dicitur *ſcienter facta*, quià ſi detur ignorantia vel prohibitionis, vel excommunicationis, tunc non excommunicatur retinens. *Sanch. lib.2. Decalog. cap. 10. n.38.&39. Suar. de fide diſp.20. Sect. 2. n.17.* & alii ab eiſdem relati. Ubi nota, quòd non ſolùm ignorantia utcumque excuſat, ſed etiam ignorantia craſſa, & affectata, modò non ſit ingens temeritas: nam ſi adſit ingens temeritas, tunc incurritur excommunicatio. *Sanch. n. 32. Bonacin. diſp. 2. de Cenſuris, quæſt. 5. punct. 4. n. 8. Caſtr. Pal. de fide, tract. 4. diſp. 2. punct. 10. §. 2. n. 1.*

59 Notatio Secunda. Sub eadem cenſurà prohibetur retentio prædictorum librorum, ſive libri ſint tui, ſive alieni, ſive apud te, ſive apud alium retineas. *Suar. de fide, diſp. 20. Sect. 2. n. 21. Sãch. lib. 2. Decalog. cap. 10. n. 52. Sayrus tom. 1. lib. 3. cap. 5. num. 16. Fagund. in 1. Præcept. Decalog. lib. 1. cap. 14. n. 31. Caſtr. Pal. cit. n. 7.*

60 Unde hac cenſurà ligantur Bibliopolæ, ſi prædictos libros retineant; & ſi nomine alieno retineant, quià verè retinent. Nec etiam refert quàvis linguà liber ſcriptus ſit, ut retentor excuſetur, eò quòd illam non intelligat: quià retentio hæc non requirit libri intelligẽtiam. Idem dicitur de aromatariis, qui hos libros, ut aromata obvolvant, habent; quià hi quoque veré retinent. Ità AA. allegati.

61 Notatio Tertia. Ipſemet Hæreticus ſi librum ſuum retineat, aut hæreſim continentem, aut de Religione tractantem, incurrit cenſuram Bullæ Cænœ. *Sanch. Ugolin*; & *Fagund. cit. n.* 18. Imò ſi adhuc hæreticus ſit, & ab excõmunicatione ipſius hæreſis non ſit abſolutus, dupliciter excommunicatus erit: ſemel ratione hæreſis, & ſemel ratione retentionis ipſius libri. Ità prædicti AA. Si autem jam abſolutus ſit, erit tantùm poſteriori excommunicatione ligatus. *Fag. cit.*

62 Notatio Quarta. Ad incurrendam cenſuram Bullæ Cœnæ ſufficit, quòd pars alicujus libri ex prædictis retineatur: quià etiam is, qui partem habet, verè dicitur retinere librum. Quod verum habet, ſive ea pars, quam quis habet, hæreſim contineat, ſive non: quià eo

ipſo, quòd liber hæreſim contineat, totus eſt prohibitus; adeòque retinens partem, licet in eà non ſit hæreſis, excommunicationem incurrit. Ità docet expreſſè *Sanch. cit.n.* 54. *& Fagund. cit. n.* 32.

63 Notatio Quinta. Ab excõmunicatione Bullæ Cœnæ incurrenda non excuſaris, quamvis prædictos libros retineas ſub prætextu eos impugnandi, & ſine periculo perverſionis. *Suar de fide diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 21. *Sanch. cit. num.* 53. quos citat, & ſequitur *Caſtro Pal. citat. num.* 9. Ratio eſt: quià lex prohibet retentionem abſolute, & non curat, quà intentione libri retineantur. Deindé in retentione, & refutatione ex propria voluntate accepta, eſſe poteſt periculum perverſionis; qui enim firmus eſſe præſumitur, ſæpè cadit, & laqueis, quos exiſtimabat facilè diſſolvere, irretitur.

64 Notatio Sexta. Quemadmodùm reſpectu legentis excuſat parvitas materiæ, ut ſuprà diximus n. 54. ità reſpectu retinentis excuſat parvitas temporis, non ſolùm quandiu expectatur tempus tradendi tales libros DD. Inquiſitoribus, ut tenent *Sayrus*, *Graphis*, *& Ugolinus*, quos citat, & ſequitur *Fag. num.* 33. Sed etiam poſt datam cõmoditatem eos præſentandi, excuſabit parvitas temporis, ut v. g. unus, vel alter dies.

65 Ratio primi eſt: quià non dicitur veré retinere contrà Eccleſiæ præceptum, qui opportunum reddendi tempus expectat; ſicut non dicitur rem alienam invito domino retinere ille qui commodum reddendi tempus expectat. Secundi verò ratio eſt: quià retentio unius, aut alterius diei ad tantam pœnam incurrendam videtur modica retentio, ſicut & in reſtitutione rei alienæ, quæ ſtrictiori jure naturæ obligat, id contingit; qui enim rem retineret, invito domino, per unũ, aut alterum tantum diem, non proptereà graviter delinqueret, ſi haberet animum reſtituendi ſtatim poſt illum terminum. Ità in terminis *Fagund. citatus*, *Sayrus*, *Bonac*; *Sanch. &* alii, quos citat, & ſequitur *Caſtro Pal. citat. num.* 11.

66 Notatio Septima. Imò ſi tẽpus, quo de facto retines librum, breve ſit, quamvis voluntatem haberes longo tempore retinendi, adhuc retentio illa exterior levis cenſeri debet ad effectum incurrendi cenſuram Bullæ Cœnæ *Caſtro Pal. citat.* Ratio eſt: quià non incurritur cenſura ex voluntate retinendi, ſed ex voluntate executioni mandata, quæ cùm non ſit integra, & in materia gravi exercita, ſed in materia levi, ideò non ſufficit ad incurrendam cenſuram, ſicut dicitur de legente.

67 Ubi cum *Sanches* notat *Caſtro Pal. citat. n.* 11. quòd retinens unum tantùm folium, excuſatur ab incurrenda cenſura: quià non videtur tàm gravis materia in retentione, quàm in lectione: non enim ità graviter lædit retentio, quàm lectio.

68 Notatio Octava. An ille, qui prædictos libros haberet, ſi illos propria manu combureret, & DD. Inquiſitoribus non traderet, incurreret excõmunicationem Bullæ Cœnæ? ℞. non incurrere excõmunicationem Bullæ Cœnæ, qui librum ex prædictis combureret, licét DD. Injuiſitioribus non traderet. Ità *Suar. de fide diſp.* 20. *ſection.* 2. *num.* 23. *Sanch. lib.* 2. *Decalog. Cap.* 10 *num.* 56. *Fag. cit. num.* 33. *Caſtro Pal. num.* 12.

Ra-

Ratio eſt: quià qui librum comburit, non eſt retinens librum, qui Solus excōmunicatur in Bulla Cœnæ.

69 Nihilominus qui prædictos libros combureret, & non traderet DD. Inquiſitoribus, contraheret excommunicationem latam in Bulla Julii III. quæ incipit: *Cum meditatio*, quam adducit *Pegna*, ut teſtatur *Caſtr. Pal.* proximè citatus, ubi poſt alia habet ſic: Omnes, & ſingulos libros, Lutheranos, aut alios hæreticos, ſeu Lutheranam, aut falſam ſectam in ſe continentes, vel à nobis, & dicta Sede quomodolibet reprobatos, penes ſe eos ex quavis cauſa etiam mercaturæ, & ex noſtra, ac ejuſdem Sedis permiſſione, ac licentià etiam ſpeciali, ut præfertur, penes eos exiſtentes, Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, in civitatibus, in quibus libri hujuſmodi exiſtunt, conſignare debeant realiter, & cum effectu, & contrà inobedientes apponit excōmunicationem, & alias pœnas adverſùs hæreticos latas: & nè aliquis intelligeret ſupradictam Bullam loqui tantùm de perſonis illo tempore retinentibus libros prohibitos, Pius IV. in alia Bulla, edita anno 1564. quæ incipit: *Locum pro munere*: ſupradictam prohibitionem, & cenſuram extendit ad eos, qui poſteà habuerint. Idemque cavetur in regulis Indicis librorum prohibitorum authoritate *Trident.* editi, & à Pio IV. confirmati, & juſſu Clement. VIII. renovati, & in Bullá Pauli V. pro Hiſpaniæ Regnis, quæ habetur in principio expurgatorii. Hæc *Caſtr. Pal. cit.*

70 Acceſſit propoſitio ab Alexandro VII. damnata, die 18. Martii anno 1666. quæ eſt in ejus ordine 45. & habet ſic. *Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dùm adhibità diligentià corrigantur.* Cujus propoſitionis expoſitionem vide apud *P. Viva tom.* 1. *Theſium damnatarum.* Adverte tandē, omnes alios libros quomodolibet damnatos, præter hæreticorum hæreſim continentium, aut de Religione tractantium, quamvis non ſint prohibiti ſub cenſurà Bullæ Cœnæ; eſſe tamen prohibitos, eorumque retentionem ſub illis pœnis, & cenſuris, de quibus ſuprà *à n.* 4.

SECTIO VII.

Quibus perſonis prohibeatur librorum damnatorum lectio, & retentio?

71 NOtatio Prima. Prohibitio legendi, & retinendi hæreticorum libros, hæreſim cōtinentes, vel de Religione tractantes, comprehendit quaſcumque perſonas quacumque dignitate, ſive Eccleſiaſtica, ſive ſæculari fulgentes. Undè comprehendit Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, Patriarchas, Cardinales; & ex Sæcularibus etiam Reges, & Imperatores; cùm & hi etiam, tanquàm oves, & membra Eccleſiæ, in iis, quæ ad Religionem, & bonum fidei ſpectant, directioni Eccleſiæ ſubdantur. *Suar. de fide diſp.* 20. *Sect.* 2. *n.* 26. *Azor. p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 13. *Fagund. in* 1. *Præcept. Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 22. *Sāch. lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *n.* 45. *Barboſ. de Poteſt. Epiſcop. allegat.* 90. *n.* 8. & alii, quos adducit, & ſequitur *Delbene de Offic. S. Inquiſit. part.* 1. *Dubitat.* 45. *n.* 1. & 2.

72 Neque obſtat, quòd Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Cardinales, & alii Prælati habeant licen-

licentias, & privilegia legendi libros hæreticorum, &c. Non, inquam, obſtat: quia hujuſmodi licentiæ, & privilegia revocata ſunt per Julium III. in Conſtitutione, quæ incipit: *Cum meditatio*: per Paulum IV. in Conſtitutione, quæ incipit: *Cum in futurum*: & per Pium IV. in Conſtitutione, quæ incipit: *Cùm pro munere*: apud *Pegnam* inter literas Apoſtolicas, in quibus Conſtitutionibus expreſſè dicitur; quòd nemini licitum eſt legere libros hæreticorum, quacumque præfulgeat dignitate, & expreſſè revocantur facultates conceſſæ quibuſcumque perſonis cujuſcumque ſtatùs, & conditionis, etiamſi Epiſcopali, vel Archiepiſcopali, vel alia maiori dignitate Eccleſiaſticà ſeu Sæculari præeminentià fulgeant, Inquiſitoribus, & Commiſſariis exceptis. *Sanch. Azor. Barboſ. Fagund.* & alii proximè citati.

73 Hinc certum eſt primò, quòd nec licentiam legendi, nec retinendi libros hæreticorum dare poſſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, aut alii præter Pontificem; quià ſcilicet Pontifex id ſibi reſervavit in Bullà Cœnæ per clauſulam illam, *ſine authoritate noſtrà, & Sedis Apoſtolicæ &c. Navarrus lib.* 1. *conſiliorum conſil.* 1. *quæſt.* 36. *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 7. *Emmanuel Rodrig. in addit. ad Bullam Cruciatæ.* §. 9. *n.* 68. *& Sanch. tom.* 1. *Decalog. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 43. *& Fagund. in* 1. *Præcept. Decalog. cap.* 14. *n.* 44.

74 Certum eſt ſecundò, quòd nec Inquiſitores poſſunt prædictam licentiam concedere ob eamdem rationem, niſi ad id expreſſam habeant facultatem. Ità *Azor* citatus *quæſt.* 12. *Sanch.* proximè citatus, *n.* 43. *Graphis part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 46. *Fag. cit. n.* 45.

75 Notatio Secunda. An ſaltem Capitulum Cardinalium, Sede Vacante, poſſit licentiam concedere legendi, & retinendi libros Hæreticorum? Affirmat *Ugolinus de caſibus Papæ reſervatis* 2. *part.* verbo. *Ac eorumdem libros.* §. 1. *n.* 1. verſic. 2. *Ratio illi eſt*: quià Capitulum Cardinalium, Sede Vacante, in omnem Pontificis juriſdictionem ſuccedit, (quà ſuccedit Capitulum Epiſcopi, Sede Vacante.

76 Dicendum tamen non poſſe Capitulum Cardinalium, Sede Vacante, eam facultatem alicui concedere, niſi ſervatis omnibus circumſtantiis, in quibus ei conceditur, ut aliquid poſſit in caſibus Papæ reſervatis juxtà Cap. *Ubi periculum*, De electione in 6. videlicet, niſi tàm grave, & tam evidens periculum immineat, ut omnibus, & ſingulis Cardinalibus videatur ei celeriter occurrendum. Ratio eſt: quià in his, quæ ad poteſtatem, & juriſdictionem Pontificis pertinent, non poſſunt ſe alià vià intromittere Cardinales, etiam Sede Vacante, ut conſtat ex Clementinà, *Ne Romani* De Electione, & tradit *Sãch. tom.* 1. *Decalog lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 44. *Suar. de fide diſp.* 20. *Sect.* 2. *n.* 28. & alii, quos refert, & ſequitur *Fagund. cit. n.* 47.

77 Dictum eſt ſuprà: *Quòd neque Epiſcopi, neque Inquiſitores concedere poſſunt facultatem legendi, aut retinendi libros hæreticorum, hæreſim continentes, vel de religione tractantes*: (quamvis eos legere poſſint Inquiſitores, & illorum Commiſſarii, ut vult *Graphis, Pegna, Farinacius, apud Caſtr. Pal. tract.* 4. *de fide diſp.* 2. *punct.* 10. §.

10. §. 3.*n.*3) quia ſi libri de religione non tractent, nec hæreſim contineant, aut ab hæreticis compoſiti fuiſſent, dum erant Catholici, aut poſtquam Eccleſiæ fuerunt reconciliati, tunc optime poſſunt Inquiſitores concedere, cui viſum fuerit, facultatem legendi. *Azor, Pegna, & Farinacius*, quos citat, & ſequitur *Caſtr. Pal. citatus*, *n.* 5. verſic. *Dixi non poſſe*, & habetur regula 2. Expurgatorii Romani.

78 Idem videtur Epiſcopis concedere *Delbene de Offic. S. Inquiſition. part.* 1. *dubitat.* 56. *petitione* 23. *à n.* 12. non quoad libros hæreticos hæreſim continentes, aut de religione tractantes; ſed quoad alios quoſcumque libros quomodolibet prohibitos, ſub hac tamen limitatione, quòd ſcilicet poſſint concedere facultatem non legendi libros prohibitos abſolute, ſed ſolum ſuſpenſos, aut ſolum prohibitos ſecundum quid, donec ſcilicet corrigantur, & in hoc ſenſu intelligendam eſſe dicit ſecundam regulam Indicis; in qua Epiſcopis datur facultas, & jus examinandi, & approbandi libros prohibitos, inquit, ſecundum quid, & ſolum ſuſpenſos uſque ad ſui correctionem, & non prohibitos abſolute. Videatur *Delbene* citatus.

SECTIO VIII.

Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur circa librorum damnatorum lectionem, ac retentionem?

TErminis præſentis Indulti explicatis per antecedentes ſectiones, ſupereſt, ut ad ſpeciales gratias, quæ in illo continentur, deveniamus. Hactenus enim nil, niſi ejus clauſulas, & verba explanavimus, & quaſi viam ſternimus ad ea percipienda, quæ Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter conceduntur. In quo namque pretio erunt, quæ alicui ſpecialiter conceduntur, niſi prius proponantur, & declarentur generaliter prohibita, ſupra quæ cadit, & in quibus diſpenſat ipſa ſpecialis conceſſio? His poſitis, ſit

79 Notatio Prima. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi retinere, ac legere libros hæreticorum, vel infidelium, de eorum religione tractantes, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, quibuſdam exceptis, de quibus infra. Conſtat expreſſe ex Indulto Apoſtolico ſupra *n.* 1.

80 Notatio Secunda. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi retinere, aut legere prædictos libros ſolius curioſitatis gratia, aut alio fine, qui non ſit ad effectum eos impugnandi? ℟. negative. Ratio eſt: quia Braſiliæ Epiſcopis ſolùm conceditur facultas tenendi, & legendi prædictos libros ad effectum eos impugnandi, & non ob alium finem, ut expreſſe loquitur Indultum: retinere autem, aut legere ſolius curioſitatis gratia, etiam Epiſcopis interdictum eſt, ut cum *Toleto in Summa ad Bullam Cœnæ excommunic.* 1. *n.* 24. *Sanch. tom* 1. *Decalog.* 12. *cap.* 10. *num.* 40. *Et Ugolino de caſibus Papæ reſervatis* 2. *part.* verb. *Ac eorumdem libros*, in fine tenet expreſſe *Fagund. in* 1. *Præcept. Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 22.

81 Notatio Tertia. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi legere per alium, v. g. jubendo famulum legere, ut ipſi audiant ad effectum impugnandi, quin famulus incurrat excommunicationem? ℟. cum diſtinctione, & dico primo. Si famulus non intel-

intelligat linguam, in qua ſcriptus ſit liber, poterit legere, & Epiſcopus audire, quin famulus incurrat excommunicationem. Ratio eſt: quia legere, & non intelligere, perinde eſt, ac non legere; & ideo qui legit, & non intelligit, non incurrit cenſuram in Bulla Cœnæ latam contra legentes, ut cum *Suar. Sanch. Fagund. Caſtr. Pal.* dicimus ſupra *num.* 43.

82 Dico ſecundò: ſi vero famulus intelligat linguam, in qua ſcriptus eſt liber, tunc non poſſet legere, quin incurreret excommunicationem in Bulla Cœnæ latam contra legentes. Ratio eſt: quia licentiam dare non poſſunt Epiſcopi, ut alii legant, ut conſtat ex Indulto: deinde talis famulus vere legeret: ergo incurreret excōmunicationem in Bulla Cœnæ latam contra legentes.

83 Notatio Quarta. An autem Braſiliæ Epiſcopus incurreret excōmunicationem, ſicut famulus, qui ejus juſſu legeret, caſu, quo famulus intelligeret? ℞. negative. Ratio eſt: quia præterquam quod legentes per alium, ſeu audientes, non ligentur cenſura Bullæ, ut cum *Ugolino Sanch. Coninch. Fagund. Caſtr. Pal. & Delben.* diximus ſupra *n.* 50. Braſiliæ Epiſcopus habet facultatem legendi: ergo & audiendi. Neque obſtat ejus inductio, ut famulus legat: nam inductio ad legendum non eſt lectio propria, cùm lectio propria ſit viſu, & mente ſcripta percurrere.

84 Notatio Quinta. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi præcipere famulis, ut apud ſe teneant, & ſervent libros quomodolibet prohibitos, quin famuli incurrant excōmunicationē? ℞. negative. Ratio eſt: quia imprimis Epiſcopi nemini dare poſſunt licentiam tenendi prædictos libros, ut conſtat ex Indulto Apoſtolico: deinde ſi libri ſint prohibiti in Bulla Cœnæ, eos retinens ligatur cenſura Bullæ, ſive libri ſint proprii, ſive alieni, ſive linguam, in qua ſcriptus eſt liber, calleat, ſeu non calleat, ut cum *Suar. Sanch. Sayr. Fagund. & Caſtr. Pal.* diximus ſupra *n.* 59. & *n.* 60. ſi vero libri ſint aliunde prohibiti extra Bullam Cœnæ, tenetur quis tradere Inquiſitoribus, eoſque tenere non poteſt apud ſe ſub excommunicatione per Julium III. lata in Bulla, quæ incipit: *Cum meditatio*: ut vidimus ſupra *n.* 69. ergo Braſiliæ Epiſcopi præcipere non poſſunt famulis, ut apud ſe teneant, ac ſervent libros quomodolibet prohibitos.

85 Notatio Sexta. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi concedere, ut alter teneat, aut legat libros prohibitos, etiam ad effectum eos impugnandi, quos ipſi Epiſcopi tenere, & legere poſſunt ex Indulto Apoſtolico ſibi conceſſo. Reſolutio negativa conſtat ex reſtrictione in Indulto facta ibi: *Non tamen aliis concedendi.*

86 Neque obſtat, quòd in facultatum Cathologo *n.* 28. detur Epiſcopis facultas communicandi facultates ſibi conceſſas: hoc enim intelligitur, ſervatis ſervandis; ſicut igitur dicto num. 28. datur Epiſcopis facultas communicandi facultates ſibi conceſſas, non tamen quæ requirunt Ordinem Epiſcopalem, vel non ſine ſacrorum Oleorum uſu exercentur; quia hæc communicatio excipitur ibidem dicto *n.* 28. ita ſimiliter non poſſunt Epiſcopi concedere, ut alter teneat, aut legat libros prohibitos, quos ipſi tenere, & legere poſſunt ex ſpeciali Indulto Apoſtolico; facultas enim aliis concedendi

cedendi excipitur in eodem Indulto.

87 Notatio Septima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi tenere, & legere, etiam ad effectum impugnandi, opera *Caroli Molinei*, *Nicolai Macchiavellii*, & libros de Aſtrologia judiciaria principaliter, vel incidenter, vel aliàs quovis modo de ea tractantes? Reſolutio negativa conſtat expreſſe ex Indulto Apoſtolico.

88 Notatio Octava. An ſaltem poſſint Braſiliæ Epiſcopi tenere, & legere libros de Aſtrologia tractantes, in quibus res, & effectus naturales ex cauſis naturalibus prænuntiantur, ut cum ex motu, ſitu, & aſpectu ſtellarum prædicuntur futuræ ecclipſes, pluviæ, ſiccitates, venti, morbi, & hujuſmodi? Reſolutio affirmativa liquet ex dictis ſupra *à n.* 35.

89 Notatio Nona. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi in alias Provincias mittere libros prohibitos, quos ipſi ad effectum impugnandi tenere, & legere poſſunt ex Indulto Apoſtolico? ℞. negativè: quia facultas ipſis conceſſa ſub limitatione, & reſtrictione data eſt, videlicet, dummodo tales libri, quos ipſi impugnabunt, ex ipſorum Provinciis in alias non mittantur, ibi: *Ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur*: in qua ultima clauſula cavet Pontifex, ne tales libri ſpargantur, illos extrahendo ab unis Provinciis in alias, niſi remittantur ad Inquiſitores.

90 Notatio Decima. An ſpirante facultate, quam ad decennium habent Braſiliæ Epiſcopi, tenendi, & legendi libros quomodolibet prohibitos, quibuſdam exceptis, ad effectum eos impugnandi; poſſint iidem Epiſcopi donec renovationem facultatis de novo habuerint, adhuc tenere, & legere tales libros abſque incurſione cenſurarum? Affirmamus, ſi nihil novi ſuperveniat, ratione cujus probabiliter putent Epiſcopi non eſſe ſibi de novo concedendam eam licentiam. Ratio eſt: quia cum Epiſcopi ſemel jam illam licentiam obtinuerint, & nunc de præſenti inſtent pro ejus innovatione, habent Romanæ Sedis voluntatem præſumptam, & interpretativam, quòd interim poſſint retinere prædictos libros, ſiquidem ex priori conceſſione habent virtualiter declaratum, quòd abſit periculum infectionis, & conceſſio ſolita innovari, durat virtualiter.

91 Neque obſtat, quòd res conceſſa ad tempus, elapſo eo tempore, cenſetur denegata: quia id verum eſt, quando non ſolet conceſſio innovari: at ſecus, quando ſolet innovari, quia tunc antecedenter conceſſum ex voluntate concedentis interpretativa durat virtualiter, etiam illo tempore intermedio. Ita *Delbene de Offic. S. Inquiſition. part.* 1. *dubitat.* 40. *petitione* 7.

92 Notatio Undecima. De Patribus Societatis JESU circa præſens inſtitutum ſic habetur in novo Compendio Indico Romæ impreſſo anno 1730. verbo *libri* ibi: *Poſſunt Indici Miſſionarii (ubi non eſt Inquiſitio) concedere perſonis dignis facultatem legendi libros infidelium, ac hæreticorum, & quoſcumque alios prohibitos, & damnatos, ad effectum dumtaxat hujuſmodi libros, vel hæreſes, & errores in eis contentos confutandi ad breve tempus, & quouſque ejuſdem librorum confutandorum lectio neceſſaria fuerit.*

Yy *Con-*

Conceſſit ad vicennium Clemens XI. 22. Septembris 1708. *Conceſſit, & extendit Benedictus XIII. per citatam Bullam: Animarum ſaluti: uſque ad annum* 1750. Qui autem Patres dicta facultate uti debeant? Advertitur ibidem dicto Compend. loco citato.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE VIGESIMA SECUNDA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid ſit Parochus, & Parochia?

93 Vigeſima Secunda Facultas Pontificia. *Præficiendi Parochiis Regulares, eiſque ſuos deputandi Vicarios in defectu Sæcularium, de conſenſu tamen ſuorum Superiorum.*

94 Notatio Prima. Quid ſit Parochus? ℞. Parochi nomen, cujus varium eſt etymon apud *Barboſ. de Offic. & poteſt. Parochi cap.* 1. ſignificat Sacerdotes illos, qui authoritate Epiſcoporum Eccleſiis præficiuntur, ut populo Sacramenta miniſtrent.

95 Notatio Secunda. Quid ſit Parochia? ℞. Parochia, ſeu Eccleſia Parochialis eſt locus, in quo degit populus, alicui Eccleſiæ deputatus intra certos fines, non minus, quam decem domibus, ſeu familiis diſtinctis conſtans, ut habetur in cap. *Unio.* 10. *q.* 3.

96 Notatio Tertia. Quid ſit Vicarius? ℞. Vicarius, & Parochus ſunt ſynonyma, & unum pro alio uſurpatur: dicitur enim Vicarius non ille, qui pro alio curam animarum exercet, (is enim Parochus non eſt, ſed Coadjutor) ſed ille, qui vicem gerit Epiſcopi, qui Diœceſis ſuæ Parochus eſt univerſalis. *Barboſ. cit. n.* 17. Unde qui ſic dicitur Vicarius, vere Parochus eſt, quia Parochianos ſuos proprio nomine curat.

97 Rurſus Vicarii aut ſunt perpetui, aut temporarii. Hi gubernant ad tempus, & ſunt amovibiles ad nutum Epiſcoporum, & in Braſilia plerumque inſtituuntur abſque ullo oppoſitorum concurſu (non tamen ſine examine) quia Eccleſiæ, quibus præficiuntur, ſunt adeo tenuis, & exigui redditus, ut vix ſit, qui eis præfici velit, etiam prætermiſſo concurſu, & examine Synodali. Vicarii vero perpetui, & inamovibiles, ſeu collati, ut aiunt, habito oppoſitorum concurſu, & prævio examine Synodali inſtituuntur eo plane modo, quo dicitur in *Conſtit Bahienſib. lib.* 3. *tit.* 22. *n.* 518.

98 Quia vero de concurſu, examine, & idoneitate perſonarum ad Parochias ſermo eſt; ne aliunde emendicentur, quæ aliquando conſulere opus eſt, & nonniſi multis tra-

traduntur apud Authores : hic ſũmatim reddam, & praxi proponam ſufficientia.

SECTIO II.

Qualiter Examinatores debeant digniores Epiſcopo renũtiare?

99 NOtatio Unica. An Examinatores Synodales ex officio debeant Epiſcopo proponere, quis ex examinatis dignior ſit? Sententiam affirmativam tenent *Ledeſma in Sum. 2. parte tract. 7. cap. 2. concluſ. 7. difficult.* 13. *Azor 2 part. lib.* 6. *cap.* 15 *quæſt.* 11. *Villalob. in ſum. tom. 2. tract.* 8. *difficult.* 5. *num.* 7. *Zerola in praxi Epiſcop. part.* 1. *verſ. Parochia* §. 2. *Navarr. lib.* 2. *de Reſtitut. cap.* 2. *n.* 187. & alii, quos citant, & ſequuntur *Salmanticenſ. tract.* 18. *cap. unic. punct.* 8. §. 7. *num.* 339. & 340. Primum fundamentum deſumitur ex *Trid. ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 18. *ubi* poſtquam decernit, qui debeant eſſe Examinatores Synodales, ait: *Peracto deinde examine, renuntientur, quotcumque ab his idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad Vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis, ex hisque Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit*: in quibus Concilii verbis præcipitur, quòd Examinatores renuntient Epiſcopo idoneitatem in ſcientia, moribus, prudentia, & aliis ad munus Parochi neceſſariis, ut poſteà Epiſcopus digniores eligat: ergò debent renuntiare Epiſcopo, nè in electione erret, quanta ſit examinatorum idoneitas, & quis inter examinatos dignior ſit, aliàs male poſſet Epiſcopus digniorem eligere.

100 Secundum fundamentum deducitur ex Bulla Pii V. quæ incipit: *In conferendis*: data 1566. quæ eſt in Bullario inter Conſtitutiones hujus Pontificis ordine 32. & ad verbum affert *Barboſ.* 3. *part. de poteſt. Epiſcop. allegat.* 60. *n.* 12. ubi dicitur: *Ut autem non ſolùm dignis, ſed magis idoneis repertis juxta ejuſdem Concilii Decretum, Parochiales Eccleſiæ conferantur; volumus, & eâdem authoritate decernimus, quod ſi Epiſcopus minùs habilem poſthabitis magis idoneis poſt examen per concurſum habitum elegerit; poſſunt hi, qui fuerunt rejecti à mala electione hujuſmodi ad Metropolitanum, vel ſi ipſe eligens ſit Metropolitanus aut exemptus, ad viciniorem Ordinarium, uti Sedis Apoſtolicæ delegatum, aut aliàs ad dictam Sedẽ Apoſtolicam appellare, & præelectum ad novum examen coràm ipſo appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare.* Sed hoc Decretum inutile eſſet, ſi Examinatores non deberent Epiſcopo renuntiare, quis ex examinatis ſit dignior. Nam ex quo principio juridicè conſtare poterit, elegiſſe Epiſcopum minùs dignum, ſi Examinatores juridicè id illi declarare non teneantur; cùm nullus alius teſtificari poſſet, quis ex examinatis dignior fuit inventus: ergò ut poſſit fieri juridica appellatio à mala electione minus digni, neceſſe eſt dicere, Examinatores ex officio debere digniores Epicopo renuntiare.

101 Tertium fundamentum eſt: quià Examinatores deſignantur à Concilio, ut ſint tanquàm inſtrumenta rationalia, & Advocati, quibus maiorem examinatorum idoneitatẽ agnoſcat Epiſcopus, licet ulti-

 mum

nium judicium de hac maiori idoneitate à Concilio concedatur Epiſcopo: ſed Advocati tenentur Judici renuntiare, quis ex litigantibus maiorem juſtitiam habeat: ergò ſimiliter Examinatores debent Epiſcopo declarare, quis ex Oppoſitoribus ſit dignior.

102 Quartum fundamentũ:quia Epiſcopus ſub mortali tenetur inveſtigare, quis ſit dignior ad beneficia, ut præceptum Concilii eligendi digniores adimpleat: ſed idem Concilium aſſignat, ut media ad id cognoſcendum Examinatores: ergò iſti tenentur ei de maiori idoneitate oppoſitorum renuntiare.

103 Neque dicas primò, ex *Trid. Seſſ.* 24. *de Reformat. cap.* 18. colligi, ad Examinatores ſolum pertinere Epiſcopo renunitare, qui idonei reperti ſint; non verò qui digniores inveniantur: hoc enim ſolùm Epiſcopi eſt; qui ex idoneis approbatis, quem ipſe digniorem judicaverit, eligere debet. Non, inquam, hoc dicas: quià huic objectioni ſatisfecimus in pr,mo fundamento noſtræ ſententiæ, ubi declaravimus, qualis ſit Concilii mens.

104 Non dicas Secundó, contrarium noſtræ ſententiæ declaraſſe Sacram Concilii Congregationem, ut referunt *Lug. Cardin. de Juſtit. diſp.* 35. *Sect.* 5.*n.* 64. *Garcia de Benefic. part.* 9. *cap.* 2. *n.* 109. *& alii.* Non, inquam, hoc dices: ℞. enim Sacram Rituum Congregationem ſolúm decidiſſe Epiſcopum, poſtquàm ex Examinatorum renuntiatione cognoverit, quis ſit dignior ex oppoſitoribus, poſſe, quin attendat ad maiorem votorum calculum, ex his, qui inventi fuerint digni, eligere, quem maluerit; fortaſſè enim ſcit aliundè Epiſcopus illum, qui ratione ſcientiæ aliis dignior fuit inventus, eſſe minùs dignum defectu prudentiæ, morum, & aliarum qualitatum, quæ ad Parochiæ regimen neceſſariæ ſunt: Hoc tamen non tollit obligationem Examinatorum dandi ſua vota ſuper oppoſitorum maiori, aut minori dignitate. Et ut ait *Ledeſma. Los Obiſpos, que quieren deſcargar ſu conſciencia, lo deben ſeguir, y con eſto cumplen cou Dios, y con los hombres.* Et fere eadem verba profert Villalob.

105 Non dicas tertiò; Epiſcopum, ſecluſo Concilii præcepto, poſſe per ſe ipſum oppoſitores Examinare, & quem digniorem judicarit, eligere: ſed Concilii Decretum ſolùm jubet, ut adhibeat Examinatores, qui judicent de idoneitate Examinati, non verò de qualitate exceſſùs: ergò hoc ultimum ad Epiſcopum tantùm pertinet. Non, inquam, hoc dicas: ℞. enim, quòd licet Epiſcopus poſſet anteá Beneficia conferre independenter ab Examinatoribus; tamen hoc ipſo, quòd Tridentinũ ad id Examinatores deſignaverit, & præceperit, ut Beneficia dignioribus conferantur, tenentur Examinatores de maiori Oppoſitorum dignitate Epiſcopum certiorem facere, né in hoc Epiſcopus errorem committat.

106 Non dicas quartò; Examinatores ſolùm eſſe conſultores, & Judices de idoneitateOppoſitorum, non verò Electores. Undè licet, ſi interrogentur ab Epiſcopo de maiori idoneitate, illam renuntiare debeant: attamen, ſi non interrogẽtur, ad id ex vi muneris non tenentur. Non, inquam, hoc dicas: ℞. enim Examinatores non eſſe conſultores liberos, ſed neceſſarios, & ex

& ex vi proprii muneris. Quare licet Epiſcopi ab eis maiorem Oppoſitorum idoneitatem non requirant, ipſi ex officio eam declarare tenentur, ut ſic electio dignioris intenta à Concilio non prætermittatur.

SECTIO III.

Quis nomine dignioris intelligatur.

107 NOtatio Unica. An nomine *dignioris* intelligatur, qui ad Parochiam gubernandam utilior eſt? ℞. affirmative cum *Azor 2. part. lib. 6. cap. 15. quæſt. 1. Tapia tom. 1. Caten. moral. lib. 5. quæſt. 5. art. 4. num. 1. Barboſ. in Concil. ſeſſ. 24. cap. 18. à num. 129. & alii*, qui ſequuntur *D. Thom. 2. 2. quæſt. 63. art. 2.* Probatur reſolutio 1. quia poteſt contingere, quòd quis ſit doctior, & ſanctior, & tamen non ſit utilior ad officium, ad quod eligitur, ſi nimirum careat prudentia, aut aliis rebus ad officium recte obeundum neceſſariis. Unde *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformat.* poſtquam dixit peccare mortaliter, qui non eligunt digniores, addidit, magis ſe explicans, & quos *Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint*: ergo ſub nomine *dignioris* intelligit Concilium utiliores reſpectu Eccleſiæ, quòd pluries conſiſtit, non præciſe in virtute, aut ſcientia, ſed etiam in prudentia, & aptitudine ad munera Parochialia obeunda.

108 Probatur reſolutio 2. quia Beneficia Eccleſiaſtica primo, & principaliter inſtituta ſunt ad utilitatem Eccleſiæ, ut habeat dignos miniſtros: quamvis etiam ſecundario, & minus principaliter inſtituta ſint in præmium eorum, qui ob virtutem, & ſtudia de Eccleſia benemeriti ſunt. Primum conſtat; quia primitiæ, & decimæ, quas Fideles ex Dei præcepto Eccleſiis offerunt, & ex quibus Beneficia fundantur, non alia intentione conferuntur, quam ut Eccleſia dignos miniſtros habeat, & prædictis ſtipendiis alantur, ne ad alia exercitia ſæcularia ſe divertant. Unde dicitur lib. Num. c. 18. *Filiis Levi dedi decimas pro miniſterio, quo ſerviunt mihi in tabernaculo.* Et in Concil. Lateran. ſub Leon. X. habetur: *Beneficium dari propter officium.* Et refertur cap. final. de Reſcript in 6. Ergo Beneficia Eccleſiaſtica primo, & principaliter inſtituta ſunt ad Eccleſiæ utilitatem, & ad alendos miniſtros, qui digne ei inſerviant, fideleſque verbo, & exemplo inſtruant.

109 Secundum etiam conſtat ex *Trid ſeſſ. 24. cap. 1.* ubi ait: *Digniores eſſe eligendos, non precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis.* Ergo merita habent exigentiam ad Beneficia, & conſequenter Beneficia non ſolum inſtituta ſunt in Eccleſiæ bonum, ſed etiam in eorum, qui merentur præmia. Confirmatur: quia ceſſaret ſtudium, & honeſta æmulatio in ſtudio proficiendi, niſi quis intelligeret, ſuis laboribus, & meritis præmia reſponſura eſſe. Immò è contrario ſequeretur, quòd ſi eſſent duæ Eccleſiæ, quæ æqualiter miniſtro indigerent, & illarum Beneficia non eſſent æque pinguia, poſſet Beneficium pingius dari minus digno, quod tamen falſum eſt: ergo quia Beneficia inſtituta ſunt non ſolum in Eccleſiæ utilitatem, ſed

ſed etiam in miniſtrorum præmia.

110 Probatur reſolutio tertio ex doctrina *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. ibi : *Conſiderare oportet , quod dignitas alicujus perſonæ poteſt attendi dupliciter : uno modo ſimpliciter , & ſecundum ſe , & ſic maioris dignitatis eſt ille , qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune : contingit enim quandoque , quòd ille , qui eſt minus ſanctus , & minus ſciens , poteſt magis conferre ad bonum commune propter potentiam , vel induſtriam ſæcularem , vel propter aliquid hujuſmodi , & quia diſpenſationes ſpiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem ſecundum illud* 1. *ad Corinth.*12. *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem : ideò quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium illi , qui ſunt ſimpliciter minus boni , melioribus præferuntur. Sicut etiam & Deus gratias gratis quandoque concedit minus bonis.* Hucuſque Angelicus Doctor.

111 Ex quibus *D. Thomæ* verbis rectè inferunt *Thomas Hurtad. Reſolut. Moral. part.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *à n.* 1330. & *Barboſ.* 3. *part. de Poteſtat. & Offic. Epiſcop. allegat.* 60. *à n* 101. quòd ille judicandus eſt dignior , ſi cætera ſint paria , primo , qui altero , cum quo concurrit , ſit ſenior. Secundo , ille , de cujus bonis fundata eſt Eccleſia. Tertio , Sacerdos in concurſu non Sacerdotis. Quarto , originarius de gremio Eccleſiæ reſpectu extranei. Quinto , graduatus in aliqua ſcientia. Sexto , qui præditus eſt maiori prudentia , integritate , & moribus, ut dignior eſt præferendus ad Beneficium ei , qui ſola ſcientia præeminet. Et ideo minus doctus , cujus mores ſunt noti , & approbati , præferendus eſt magis docto , cujus vita ignoratur. Septimo , qui nullum Beneficium habet , præfertur habenti. Octavo , potens , & nobilis , quia hæc aliquando ſolent non parum conducere ad maius Eccleſiæ bonum , adverſarioſque comprimendos. Nono , pauper præferendus etiam eſt diviti ; quia Eccleſia *Mater pauperum* dicitur , eoſque *bonorum ſuorum dominos* appellat. Ultimo , dignior eſt judicandus , qui aptior eſt ad Beneficium , ejuſque munera exercenda , & onera obeunda. Unde has omnes qualitates penſare debent Electores , & Examinatores Synodales , ut ſine paſſione rectè judicent , quis dignior habendus ſit ad Beneficia obtinenda. Ita ferme *Salmanticenſes tom.* 6. *Theolog. Moral. tract.* 28. *cap. unic. punct.* 8. §. 5. *n.* 307. & 308.

SECTIO IV.

De electione digni , omiſſo digniori , ad Parochias.

112 NOtatio unica. An electio digni ad Eccleſias Parochiales, omiſſo digniori , ſit valida ? Sententiam negativam tenent *Gonzales gloſſa* 4. *ſuper regul.* 8. *Cancellar. à num.* 136. *Sanches in Conſil. lib.* 2. *cap.* 1. *dubitat.* 6. *n.* 6 *Caſtro Palao tract.* 13. *diſp.* 2. *punct.* 11. §. 2. *num.* 2. *Hurtad. Reſolut. Moral.* 2. *part. tract.* 12. *cap.* 1. *reſol.* 23. *num.* 1180. & alii, quos citant , & ſequuntur *Salmanticenſ. tom.* 6. *Theolog. Moral. tract.* 28. *cap. unic. punct.* 8. §. 7. *n.* 345. Præcipuum fundamentum eſt

eſt Decretum *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 18. ubi loquendo de electionibus Parochorum ait ibi: *Quod proviſiones, ſeu inſtitutiones, præter ſupradictas formas factæ, ſubreptitiæ eſſe cenſeantur*: & Pii V. Conſtitutio in Bulla, quæ incipit: *In conferendis*, data 15. Kalend. April. anno 1566. & eſt in Bullar. *Cherub.* ordine 32. ibi enim annullantur proviſiones factæ contra formam à Concilio præſcriptam: ſed præcipuum, quod pro forma electionis ibi intenditur, eſt, quòd proviſio Parochialium fiat in his, qui digniores poſt examen peractum inventi fuerint: ergo annullatio Concilii ſpecialiter ſuper electione digni, omiſſo digniori, cadit.

113 Confirmatur primò; quia quando aliquid aſſignatur pro forma alicujus actus, ſi hæc ad unguem non obſervetur, totus actus corruit, eſt ipſo jure nullus, ut conſtat ex cap. *Cum dilecta* de Reſcript. ubi *Felin. à num.* 6. id late comprobat, & cap. *Sicut* de Præbend. in 6. ſed *Tridentinum* pro forma electionis deſignat, quod eligatur dignior: ergo ſi hic non eligitur, tota electio nulla, & irrita ipſo jure eſt.

114 Confirmatur ſecundo; quia ſic tenuit Rota 18. Decemb. 1581. & 4. Maii 1582. in una Deturſen. Parochialis de Villa-Franca coram Domino Gipſio, ut refert *Garcia part.* 9. *cap.* 2. *n.* 232. *&* 233. *&* *Farinac. in noviſſ. deciſ.* 672. *&* 674. affirmando ibi non ſolum eſſe nullam prædictam electionem, verum etiam electum non facere fructus ſuos: ergo vera eſt noſtra ſententia.

115 Dices primò. Ideo electio digni, omiſſo digniori, eſſet nulla, & irrita, quia ex *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 18. ita infertur; ſed ex Concilii verbis loco citato nil tale infertur. Oſtenditur hoc; quia verba Tridentini referenda ſunt ad proviſiones factas de minus dignis, non ſervata forma ibi præſcripta, quoad oppoſitorum examen, non veo quoad proviſionis validitatem: ergo electio digni, omiſſo digniori non eſt nulla, & irrita, ſed valida.

116 ℞. negando minorem: ad ejus probationem ℞. negando antecedens: quia ſi irritatio illa cadit ſupra modum, quo examinari debent oppoſitores ad Parochias, potiori jure debet cadere ſupra modum proviſionis de digniori; tum quia examen ita rigidum ſolum ordinatur, ut dignior eligatur; tum etiam quia verba Concilii poſt præceptum de digniori eligendo apponuntur ibi: ergo potius debent cadere ſupra modum proviſionis, quæ immediatior eſt, quam ſupra modum examinis, quod ab ipſis verbis remotius eſt.

117 Dices Secundò. In tantum electio digni, omiſſo digniori, eſſet nulla, & irrita, in quantum talis eſſe colligitur ex Bulla Pii V. quæ incipit *In conferendis*, data 15. Kalend. April. anno 1566. & eſt 32. in *Bullar. Cherub.* ubi ait Pontifex hujuſmodi electiones, contra *Tridentini* formam factas, *nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti fore, & eſſe, nullumque proviſis jus, aut titulum, etiam coloratum, poſſidendi præbere*; ſed Pius V. in tali Bulla ſolum dicit primò, quòd dignior rejectus poſſit appellare ad Metropolitanum, qui poteſt, rei veritate comprobata, digniori Beneficium conferre: ſolum dicit ſecundò, quòd dignus proviſus non amoveatur à Beneficio,

neficio, quouſque electio revocetur: ergo non dicit, quòd electio digni, omiſſo digniori, ſit nulla, & irrita.

118 ℞. concedendo maiorem. Ad minorem ℞. quòd Sum. Pontifex non ideo permittit appellationem, quia credat electionem minus digni eſſe validam, ſed, ut conſtet nullitas dictæ electionis, & appareat, quòd minus dignus electus fuit; & ita appellationis Judex poſſit caſſare electionem factam, & Beneficium digniori conferre; ſi enim hæc non præcedant, & probentur, dignus à poſſeſſione Beneficii repelli non poteſt, cum non juridice, & certo conſtet, digniorem eſſe rejectum. Et ideò optime ait Pontifex, quòd pendente appellatione, proviſus ab Ordinario non removeatur: ne interim Eccleſia abſque certo Paſtore exiſtat, & paſſim Paſtores mutentur. Unde quouſque appellans per tres ſententias conformes, aut duas, quæ in rem judicatam tranſeant, poſſeſſorem Beneficii vicerit, à Beneficio amovendus non eſt poſſeſſor, ut late probant Gonzalez ſuper *regul.* 8. *Cancellar. de Menſib. & alternat. Gloſſ.* 6. *à n.* 189. *& Garcia de Benefic. part.* 9. *cap.* 2. §. 1. *n.* 147.

119 Dices tertiò. Quando providetur dignus, omiſſo digniori, fructus ſuos facit; donec electio per Judicem appellationis revocetur: ergo quia electio fuit valida, & dignus manet vere Parochus, etiam omiſſo digniori.

120 ℞. negand. antecedens; quia talis dignus tenetur fructus Beneficii digniori reſtituere, deductis expenſis obſequio Beneficii dignis, quando juridice conſtet electionem fuiſſe nullam: (quia ſolum quaſi conditionate ejus fructus interim percepit:) hoc eſt, quouſque proferatur ſententia in dignioris favorem. Si tamen dignior fructus perceptos non vendicet, tunc dignus eos reſtituere non tenetur, ut probat *Hurtad. cit. num.* 1821. aliis citatis, exemplo hæreticorum, quorum bona applicantur fiſco, & omnes contractus, horumque alienationes ipſo jure annullantur; & tamen ante judicis ſententiam reſtituere non tenentur.

121 Dices quartò. Ex noſtro dicendi modo ſequeretur, quòd nulla electio, & proviſio eſſet certa, & ſecura, & daretur locus mille ſcrupulis: nam ſi in dicto caſu electio eſſet nulla, teneretur proviſus Beneficium dimittere, etiam digniori rejecto non appellante: quare ad hæc vitanda dicendum eſt dictam electionem eſſe validam.

122 ℞. negand. antecedens; ejuſque inſinuatam probationem; quia appellans raro probare poterit; minus dignum fuiſſe electum; cum maior dignitas à pluribus requiſitis dependeat, ut ſupra diximus n. 111. & licet maior ſcientia probari fortaſſe poſſet, non tamen maior prudentia, diligentia, & aptitudo ad ovium regimen, quæ non minus neceſſaria ſunt, quam ſcientia, ut quis dignior vere ſit. Et adeo vehemens eſt præſumptio pro electione ab Ordinario facta ſecundum Rotam in una *Barcin. Par.* 29. *Novemb.* 1613. apud *Farinac. deciſ.* 537. ut debeat evidenter ab appellante de mala electione dolus probari: unde præcluditur locus ſcrupulis circa obligationem Beneficium dimittendi.

SE-

SECTIO V.

An Regularis poſſit Parochus inſtitui?

123 Regularis hic dicitur, qui emiſit vota ſubſtantialia Religionis, & Prælato obedientiam præſtat intra clauſtra, vel etiam extra clauſtra; ſub ſubjectione tamen ſui ſuperioris, ratione cujus ſubjectionis, & obedientiæ ab Ordinario, ejuſque juriſdictione eſt exemptus. Unde ſit

124 Notatio Prima. An de jure communi poſſit Regularis inſtitui Vicarius Parochiæ ſæcularis? Duplex eſt ſententia de hac re; altera negat, ut videre eſt apud *Sanch. tom. 2. Decalog. lib. 7. cap. 27. n.* 34. altera vero affirmat, data neceſſitate, aut utilitate Eccleſiæ, prout affert *Themud. tom. 4. deciſ. 69. à n.* 44.

125 Notatio Secunda. An ex diſpenſatione Pontificia poſſit Regularis inſtitui Vicarius Parochiæ ſæcularis? Certa eſt reſolutio affirmativa. Ratio eſt: quia ex diſpenſatione Pontificia poteſt Regularis inſtitui Epiſcopus, ut conſtat ex uſu, & quotidiana praxi Eccleſiæ: ergo à fortiori inſtitui poteſt Vicarius Parochiæ ſæcularis, cùm hoc ſit minus, & ſub illo maiori contineatur, juxta *Regul.* 80. *Jur. in* 6.

SECTIO VI.

An poſſint Braſiliæ Epiſcopi ſuis Parochiis præficere Regulares?

126 Notatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi Regulares aſſumere in Vicarios? Ante reſponſionem nota, Parochias Braſiliæ eſſe in duplici differentia: aliæ enim ſunt, quibus non eſt aſſignata portio congrua ex patrimonio Regio, ſed inſerviunt Parochi ducti ſtipendio, quod populus ſponte offert, & ſingulis annis contribuit, præter fructus ordinarios, qui ex officio Parochi proveniunt. Aliæ vero Parochiæ congruam portionem recipiunt ex patrimonio Regio, quæ annuatim ſolvitur in Eccleſiaſticarum vicem decimarum, quas ex conventione facta cum Sede Apoſtolica percipit Potentiſſimus Portugalliæ, & Braſiliæ Rex, tamquam Ordinum Militarium Magnus Magiſter, & Adminiſtrator ſupremus.

127 Rurſus Parochiæ, quibus ſolvitur annua portio ex patrimonio Regio, & communiter dicuntur Eccleſiæ collatæ, adhuc dividuntur in eas, quæ ſunt tenuis, & exigui redditus, præter portionem regiam, & in eas, quarum redditus ſunt pingues, etiam non attenta portione regia. Hæ quoties Parocho viduantur, concurſu, & die examinis indicto, non deſunt Sacerdotes ſæculares, qui oppoſitores eſſe curent, & ad examen turmatim confluant: illarum vero vix reperiri poteſt, qui Parochus eſſe velit, adeo, ut non ſemel Epiſcopis neceſſe ſit compellere, qui futuri ſint Parochi. His notatis ad quæſtionem

128 Reſponſio ſit. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi ſuis Parochiis quibuſcumque præficere Regulares, eiſque ſuos deputare Vicarios. Conſtat ex Indulto Apoſtolico, ubi Braſiliæ Epiſcopis concedit Summus Pontifex, quòd Parochiis poſſint præficere Regulares, eiſque ſuos

deputare Vicarios abſque ulla limitatione, aut reſtrictione ad has, vel illas Parochias: ergo nec nos reſtringere debemus, juxta Gloſſ. *Differentiam*, in L. fin. C. de hæredit. vel action. maxime, quia Indultum Apoſtolicum nemini præjudicat, & eſt favor Principis, qui eſt ample interpretandus, juxta Bart. & Jaſon. in L. *Beneficium* ff. de Conſtit. Princip.

129 Notatio Secunda. Quæ ſit praxis præſentis Indulti? Duplici reſolutione exponitur. Reſolutio prima. Braſiliæ Epiſcopi de facto Parochiis non collatis præficiunt Regulares, eiſque ſuos deputant Vicarios. Sic ego Parochiæ, vulgò de *Inhaùma*, ab hac Fluminenſi Civitate duas circiter leucas ſitæ præfectum vidi, & Vicarium ab Excellentiſſimo D. D. Franciſco à S. Hieronymo felic. record. Epiſcopo Fluminenſi deputatum cognovi R. P. Fr. Benedictum à Conceptione ex familia Carmelitana. Huic vero præceſſerat in eodem officio, & loco R. P. Fr. Antonius ab Aſſumptione, Franciſcanus de Obſervantia, ut vocant, ex Provincia S. Thomæ in India Orientali. Sic etiam aliis Eccleſiis Fluminenſibus ſæpè deſtinati ſunt Parochi Religioſi Paduani.

130 Reſolutio ſecunda. Braſiliæ Epiſcopi de facto Parochiis etiam collatis, quarum tenues ſunt redditus, præficiunt Regulares, eiſque ſuos deputant Vicarios. Hinc Parochiam à Conceptione B. V. vulgò *Itanhabè*, ab oppido Sanctorum decem leucas, & amplius diſtantem; non minori prudentia, quam zelo adminiſtrabat, qui me perhumaniter excepit, cum illac Miſſionarius diſcurrerem anno 1717. R. P. Fr. Bernardus ab Incarnatione ex gremio Benedictino, poſtea digniſſimus D. Abbas Monaſterii Olindenſis. Fundatur utraque hæc praxis in eo, quòd raro appareat Sacerdos ſæcularis idoneus, qui talibus Parochiis ob tenues earum redditus præeſſe ambiat.

131 Notatio Tertia. Dubium tamen eſt; an dum vacant Parochiæ collatæ, quarum redditus ſunt pingues, poſſint Braſiliæ Epiſcopi præficere Regulares, eiſque ſuos deputare Vicarios? Pars affirmativa primo aſpectu apparet probabilis: quia Indultum Apoſtolicum eſt ampliſſimum, & non diſtinguit inter has, & illas Parochias, ibi: *Præficiendi Parochiis Regulares.*

132 Nihilominus in partem negativam inclino. Ratio mihi eſt: quia in Indulto Apoſtolico apponitur hæc conditio: *In defectu ſæcularium*: in illis vero Parochiis, quarum redditus ſunt pingues, non deſunt Sacerdotes ſæculares, qui provideri curent, ut ſupra diximus n. 127. cum igitur reſpectu talium Parochiarum non purificetur conditio à Pontifice requiſita, ut Parochiis præficiantur Regulares; inde puto, talibus Eccleſiis præfici non poſſe.

133 Exciperem tamen Canonicos S. Joannis Euangeliſtæ, vulgò *Loyos*, quorum unus, vel alter in Braſiliam quandoque veniunt: hi enim, licet vivant congregati adinſtar Regularium; tamen non ſunt ex genere eorum, quos ſupra deſcripſimus n. 123. immò, & quoad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda Clericis ſæcularibus æquiparantur. Sic unum ex his Vicarium inſtituit noviſſime diebus noſtris, primum S. Antonii ad Carmelum in Civitate Bahienſi, deinde B. Mariæ Virginis à Purificatione extrà

extra civitatem, Excellentiſſimus, & Reverendiſſimus D. D. Ludovicus Alvares de Figueiredo, felic. record. Archiepiſcopus Bahienſis.

134 Notatio Quarta. Quæ conditiones requirantur, ut Braſiliæ Epiſcopi Regulares aſſumant in Vicarios? ℞. requiritur primò defectus Sacerdotum ſæcularium, qui Parochiis præficiantur. Conſtat ex Indulto Apoſtolico, ibi: *In defectu ſæcularium*, intellige *Sacerdotum.*

135 Requiritur ſecundò, ut in hujuſmodi Regularium Vicariatum conveniant cum Epiſcopis ſuperiores Regularium, qui inſtituendi ſunt Vicarii. Conſtat etiam ex Indulto Apoſtolico, ibi: *De conſenſu tamen ſuorum ſuperiorum.*

136 Unde deducitur primò, non poſſe Regulares aſſumi in hujuſmodi Vicariatus, recuſantibus eorum ſuperioribus.

137 Deducitur ſecundò, non aſſumi Regulares in Vicarios perpetuos, & inamovibiles, ſed ſolum amovibiles, & ad tempus, donec appareant Sacerdotes ſæculares idonei, qui talibus Eccleſiis præficiantur.

138 Deducitur tertiò, Regulares non aſſumi in hujuſmodi Vicariatus, prævio concurſu, aut examine Synodali; ſed tantum ex eorum idoneitate aliunde nota, vel etiam præcedente examine, non tamen Synodali. An vero hujuſmodi Regulares, dum munere Parochiali funguntur, ſi in officio delinquant, punire poſſint Epiſcopi? Tractat *Montenegro lib.* 1. *tract.* 13. *ſect.* 2. *& lib.* 5. *tract.* 2. *ſect.* 9.

SECTIO VII.

An poſſit Epiſcopus Parochos examinare?

139 IN primis quæſtio non eſt inſtituti noſtri: eam tamen excito, tum quia praxi utilis eſt, tum maxime, quia cum Parochum quemdam ex perpetuis, at de ſcientia male ſuſpectum, ad examen revocaſſet Excellentiſſimus, & Reverendiſſimus D. D. Fr. Antonius de Guadalupe felic. recordat. Epiſcopus Fluminenſis, de jure dubitavit non nemo, per Univerſitatem Conimbricenſem in ſacris Canonibus formatus, quem ego ad publicam hujus Fluminenſis Collegii Bibliothecam duxi, eique non aliter reſpondi, quam Authores infra citandos pro parte affirmativa edocendo.

140 Deinde non eſt quæſtio de Parochis temporariis, ſeu qui ad tempus inſtituuntur; hi enim, cùm ſint amovibiles ad placitum Epiſcoporum, citra dubium poſſunt in novum examen revocari, quoties id congruum videbitur, ut ſtatim patefiet ex iis, quæ de Parochis generaliter dicentur. Solum igitur eſt quæſtio de Parochis perpetuis, & inamovibilibus, ſeu collatis, ut aiunt, reſpectu quorum per ſequentes Notationes reſolvitur quæſtio.

141 Notatio Prima. Omnes omnino Parochos collatos ſuæ Diœceſis non poteſt Epiſcopus ad novum examen revocare. Ita nominatim *Henriq. in Sum. lib. cap. & num.* 6. *Vaſques* 3. *part. quæſt.* 93. *art.* 3. *dub.* 5. *num.* 1. *Ocagav. de Sacram. tract.* 2. *de Confeſſ. quæſt.* 40. *num.* 7. *Suar. de Pœnit. diſp.* 18. *ſect.* 2. *&* 8. *Zerol. in prax. de Sacram. Pœnit. quæſt.* 2.

Reginald. l. 1. prax. for. Pœnit. n. 201. *Barboſ. de Poteſt. Epiſcop. allegat.* 25. *num.* 23. *Pignat. tom.* 1. *conſultat.* 133. *num.* 5. Probatur 1. reſolutio : quia Parochus examine, & approbatione Synodali acquiſivit jus, quo effectus eſt idoneus ad munus Parochiale abſolute, & non limitate : ergo jus habet juſtitiæ, ut ſemper reputetur habilis, donec contrarium ex ſufficientibus indiciis non conſtiterit : eſt enim regula vulgaris : *Nemo præſumitur malus, niſi probetur.* Cap. *Dudum* de Præſump. Cap. unic. de Scrutin. & Cap. *Inter dilectos* De Fid. Inſtr.

142 Probatur 2. reſolutio: quia eſſet judicium valde temerarium ſuſpicari de aliquo abſque indiciis, eum eſſe deperditis moribus; maxime ſi aliquando opera virtutis fuiſſet operatus, ut recte *Leſſius lib.* 2. *de Juſtit. cap.* 29. *dub.* 4. *num.* 34. ergo etiam temerarium eſſet ſuſpicari de Parocho, qui jam ſemel eſt approbatus abſolute, & idoneus ſynodaliter judicatus, eum incidiſſe in imperitiam, ita ut fas ſit illum de novo examinare; cùm ex illa ſuſpicione, quòd ſcilicet ſuum munus indebite exerceat, injuria Parocho irrogaretur.

143 Probatur 3. reſolutio: quia Judex lethaliter peccaret, ſi aliquem condemnaret ob ſolam ſuſpicionem ex levibus ortam indiciis, ut ait *Leſſius citat. dub.* 2. *num.* 8. & alii communiter : ergo etiam peccaret Epiſcopus, ſi ob ſolam ſuſpicionem ex levibus ortam indiciis, & multo gravius, ſi abſque ulla ſuſpicione ad examen condemnaret Parochum ſemel approbatum abſolute, & ſynodaliter judicatum idoneum ad munus Parochiale exercendum. Parochi enim ſunt in poſſeſſione ſuæ idoneitatis, & pro ſe habent præſumptionem, ne abſque rationabili cauſa reputentur illiterati, ſed potius habiles, atque idonei, ut tradiderunt *Oldrad conſ.* 18. ſic princip. & Innoc. in cap. *Accepimus num.* 1. de Ætat. & Qualitat. *Filin. in* cap. *Ex literis num.* 6. de Conſtit. & in cap. *cum Venerabilis* num. 49. de Except.

144 Neque obſtat primum fundamentum ſententiæ contrariæ, quam tenent *Dian. coordinat. tom.* 1. *tract.* 3. *reſol.* 15. *&* alii, quos ibi citat. Necnon alii, quos citat, non tamen ſequitur *Torrecill. in exam. Epiſcop. tract.* 2. *quæſt.* 3. *ſect.* 2. *difficultat.* 13. *n.* 52. Fundamentum eſt. Epiſcopus poteſt ad examen revocare omnes omnino Confeſſarios, tam Sæculares, quam Regulares etiam ſemel approbatos abſolute, & non limitate : ergo etiam omnes Parochos; cùm Parochi nullo modo juventur à jure, aut eximantur magis, quam cæteri Confeſſarii. Et hujus ratio eſt : quia fundamentum talis approbationis (nempe ſcientia) eſt mutabile, & deperdi poteſt vel per habitum contrarium, vel per infirmitatem, vel per negligentiam, vel per oblivionem, vel per hujuſmodi : ergo.

145 Non, inquam, obſtat : nam quoad Confeſſarios Regulares, ſaltem de revocatione facta ab eodem Epiſcopo, negat *Leand. de Pœnit. diſp.* 11. *quæſt.* 91. & conſtat ex quadam declaratione Cardinal. quam allegat *Barboſ. de Poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 25. *num.* 8. Quoad Confeſſarios vero Sæculares, qui ſynodaliter examinati, & approbati fuere abſolute, etiam negatur ex cap. *Accepimus*, de Ætat. & Qualit. niſi tales Confeſſarii poſt per-

peractum examen, & approbationem obtentam abſolute, aliunde redderentur inhabiles, ut conſtat ex eodem cap. *Accepimus*, ibi: *Niſi fortè poſtquam promoti fuerint, reddiderint ſe indignos.* Unde ſi abſque cauſa revocaret novus Epiſcopus approbationem Confeſſariis Sæcularibus ab anteceſſore datam abſolute, revocationem hujuſmodi fore nullam tradit *Fagundes*, quem citat, & ſequitur *Caſtro Palao part.* 4. *tract.* 13. *diſp. unic. punct.* 17. §. 4. *num.* 6.

146 Dato tamen antecedente, negatur conſequentia. Diverſa ratio eſt: quia non omnes Confeſſarii unius integræ Diœceſis tam Sæculares, quam Regulares approbantur prævio examine Synodali; & ideo poteſt Epiſcopus omnes eorum approbationes revocare, donec legitime informetur, qui prævio examine approbati ſunt, & qui non. At vero Parochi, de quibus eſt quæſtio, fuerunt approbati abſolutè; prævio examine Synodali, & habito concurſu, & ideo jus acquiſiverunt, nè amplius revocentur eorum approbationes abſque cauſa.

147 Ad rationem, qua ſtabilitur fundamentum ℞. Fundamentum approbationis, qualis eſt ſcientia, eſſe quidem mutabile, & multipliciter variabile, ut bene argumentum: at hoc non obſtante, nullum jus habet Epiſcopus, ut ſine ulla rationabili cauſa exploret, an tale hoc fundamentum approbationis mutatum fuerit, aut variatum; immò è contra pro Parochis eſt poſſeſſio, & præſumptio idoneitatis ſuæ, ut dicimus in noſtris fundamentis.

148 Non obſtat ſecundum fundamentum, quod ſcilicet non minoris eſt momenti viſitare Parochos in externis, quam in internis; ſed Epiſcopus ex *Trid. ſeſſ.* 7. *cap.* 8. *ſeſſ.* 21. *cap.* 8. *& ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de Reform.* habet jus viſitandi ſingulis annis, vel ſaltem biennio, Parochorum vitam, & mores: ergo etiam illorum ſcientiam, ſine qua animarum cura, & Sacramenta non recte adminiſtrantur.

149 Non, inquam, obſtat: quia aliud eſt viſitare Parochos quoad vitam, & mores, & ſi mavis, etiam quoad ſcientiam, ſine qua nec animarum cura, nec Sacramenta recte adminiſtrantur: aliud verò omnes omnino Parochos ad examen revocare ſine cauſa. Hoc ſecundum negamus poſſe Epiſcopos: illud vero primum non ſolum poſſe, ſed etiam ad id teneri concedimus, tum ut Tridentino ſatisfaciant, tum etiam Domino dicenti Ezechiel. 3. 17. *Speculatorem dedi te domui Iſrael.* & Prov. 27. 23. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui.*

150 Non obſtat tertium fundamentum, quod de jure divino naturali incumbit Epiſcopo pabulum ſpirituale ſuis ovibus miniſtrare: ergo etiam jure divino incumbit Epiſcopo proſpicere, an Parochi ſcientiam ſemel acquiſitam amiſerint, atque novo examine eos probare, ut inſufficientes repellat, nè oves fame pereant. Antecedens conſtat ex Oſea propheticè locuto capit. 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, nè Sacerdotio fungaris mihi*: & ex aliis locis Scripturæ paſſim.

151 Urgetur: nam licet Parochi ſemel approbati fuerint non ideo jus habent juſtitiæ, ut iterum non examinentur: ergo poſſunt iterum examinari. Antecedens conſtat: quia examen à Parochis ſubeundum cedit in favorem boni communis; atqui bonum particulare cedit bono communi; ergo Parochi etiam cum in-

incommodo boni proprii, utpote particularis, debent cooperari bono communi, ſubeundo examen.

152 Non, inquam, obſtat: nam licèt Epiſcopi teneantur proſpicere, an Parochi idonei ſint, & munus ſuum rectè obeant, ut juri divino, & humano Tridentini ſatisfaciant: utrique tamen juri ſatisfacere poſſunt, & abunde ſatisfacient, ſi obſervent formam à Tridentino præſcriptam, in qua non continetur, quòd omnes omnino Parochos unius integræ Diœceſis ad novum examen revocent abſque rationabili cauſa.

153 Ad id, quo urgetur ℞. negando antecedens: quia approbatio eſt judicium adinſtar cujuſdam ſententiæ latæ, vigore cujus approbatus habet jus juſtitiæ ad ſuæ idoneitatis poſſeſſionem manu tenendam, ne abſque nova cauſa ab illa deturbetur. Ad antecedentis probationem ℞. quòd licet bonum commune prævaleat particulari, in noſtro tamen caſu nullum eſt bonum commune, quod prævalere debeat: nam bonum commune non ſtat in eo, quòd Parochi denuo examinentur ad libitum Epiſcoporum, ſed in eo, quòd ſint idonei; quando autem Parochi ſemel ut idonei approbati ſunt, & non eſt ſuſpicio de oppoſito, nullo modo cedit in bonum commune, ſed potius in Reip. ſcandalum, quòd Parochi in examen revocentur.

154 Notatio ſecunda. Quando in aliquibus Parochis etiam collatis notus eſt defectus ſcientiæ, aut præcedit rumor de eorum imperitia, vel errore in adminiſtrandis Sacramentis, tunc poteſt Epiſcopus eos examinare. Quod in hac re tenendum tamquam certum affirmat *Pignat. tom.* 1. *conſult.* 133. *n.* 7. & in hoc etiam ſenſu intelligendi ſunt Patroni ſententiæ contrariæ, quorum unus *Dian. Coordinat. tom.* 1. *tract.* 3. *reſol.* 15. habet ſequentia: *Cum errores, vel fama publica ſe gerant tamquam accuſatores in Parochum, jus habet Epiſcopus vocandi illum ad ſuum tribunal, & confeſſionem juridicam ab eo excipiendo (hoc eſt per examinationem) ſcientiæ quantitatem menſurandi, quam ſiminus ſufficientem, quam opportet, habere Parochum invenerit, poterit abſque dubio, vel ab officio ſuſpendere, aut illi Coadjutorem deſignare*, ut conſtat ex *Trident. Seſſ.* 21. *cap.* 6.

155 Notatio Tertia. Certum eſt etiam, quòd poſſit Epiſcopus aliquos Parochos etiam collatos examinare, quando probabiliter judicat inſufficientes eſſe, vel quia ſtudio non vacarunt, vel quia ſcientiam, quam prius habebant, perdiderunt. *Pignat. loco citat.* & alii communiter. Ratio eſt: quia *Tridentinum Seſſ.* 21. *cap.* 6. declarat, quòd poſſit Epiſcopus Rectoribus Parochialium illiteratis dare Coadjutorem; ſed non aliter commodius, quam per viam examinis poteſt Epiſcopus proſpicere, an Parochi ſint illiterati, ut illis det Coadjutores: ergo ut verba Concilii ſerventur, poteſt Epiſcopus aliquos Parochos etiam collatos examinare, quando probabiliter judicat non eſſe ſufficientes.

156 Notatio Quarta. Prædictos Parochos illiteratos, vel alios quoſcumque etiam collatos de ſcientia male ſuſpectos poteſt Epiſcopus examinare tam in actu viſitationis, quam extra, tam ipſe, quam ejus ſucceſſor. Ita *Pignat. loc. cit.* & *Barboſ. de Offic. & poteſt. Parochi.*

rochi cap. 2. *n.* 10. ait per formalia verba : *Poſt electionem factam, & collatam ſibi Parochialem non exiſtimet Parochus ſe non amplius de doctrina, & literatura rationem redditurum; quia ſacra Congregatio in una Placentina ſub die* 6. *Auguſti* 1628. *cenſuit liberum eſſe Epiſcopis, tam in viſitatione, quam extra, iterum examinare ſuper doctrina, & literatura Parochos approbatos ab anteceſſore, tempore proviſionis Parochialium; necnon ſuperveniente rationabili cauſa, & ſuſpicione ignorantiæ poſſe examinare ad effectum cap.* 6. *ſeſſ.* 21. *de Reformat.*

157 Tandem, ut omnia comprehendamus, idem etiam cenſuit ſacra Concilii Congregatio in una Conſentina die 3. Januarii 1594. ac præcipue in una Pampilonenſi, in qua cum quærebatur

158 Primò, utrum poſſit Epiſcopus examinare Parochos, & Rectores ſemel approbatos ad curam animarum exercendam, quando ex rationabili, & legitima cauſa habetur vehemens ſuſpicio de illorum imperitia ad Sacramenta miniſtranda, & munus ſuum adimplendum, ut clarius cognita illorum illiteratura, detur illis Coadjutor benemeritus cum aſſignatione alicujus portionis fructuum pro ejus congrua ſuſtentatione?

159 Secundò, ſi poteſt hoc examen facere non ſolum in actu viſitationis, ſed etiam extra illam reſpectu alicujus Parochi, de cujus imperitia habetur certa notitia?

160 Tertiò, ſi ad hujuſmodi examen faciendum requiritur, quòd imperitia talis Parochi examinandi probetur juridice per teſtes deponentes, an vero ſufficiat talem imperitiam conſtare Epiſcopo extrajudicialiter, vel quia expoſitum fuit illi per perſonas fidedignas, quæ nolunt juridice deponere propter metum, reſpectum, vel aliam rationem, vel quia ipſemet Epiſcopus ex rumore, & ex aliquibus actionibus, quas videt, & notat in ipſo Parocho, & ex verbis, quæ ex illo audit, & ex aliis accidentibus, quæ occurrunt, facit conjecturam fere evidentem de imperitia illius. His igitur ſcrupulis anxiatus ſupplicat pro declaratione, ut ſalutare pabulum ſuis ovibus præbere, ſuoque muneri ſatisfacere poſſit.

161 Sacra &c. die 15. Januarii 1667. cenſuit ad omnia reſpondendum affirmative. Quodque poſſit eos ad examen iterum vocare ſub pœna privationis, reſolvit eadem S. Congreg. in una Lucerina die 13. Jan. 1594. & in una Interamnen. die 1. Octobris 1602.

162 Extra vero hos caſus non poteſt Epiſcopus vocare ad examen Parochos. Habent enim intentionem fundatam, ut ad exercitium curæ animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem admittantur; cum hoc veniat in conſequentiam approbationis ab Examinatoribus de eorum perſona factæ, ut S. Congregat. reſolvit in una Nucerina die 6. Octobris, & 10. Nov. 1617. Quia cum eorum approbatio ſe habeat per modum ſententiæ decernentis de idoneitate, dat jus approbato ad manutenendam ſuam idoneitatem, quam de jure poſſidet, & ideo non poteſt ſine cauſa revocari in dubium ipſa poſſeſſio, ſicut revocaretur, ſi jam approbatus iterum ad examen vocaretur.

DIS-

DISPUTATIO TERTIA.

DE VIGESIMA TERTIA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

An, & quando teneatur Sacerdos celebrare?

163 VIgeſima tertia facultas Pontificia, Braſiliæ Epiſcopis conceſſa. *Celebrandi bis in die, ſi neceſſitas urgeat, ita tamen, ut in prima Miſſa non ſumpſerit ablutionem, per unam horam ante auroram, & aliam poſt meridiem, ſine Miniſtro, & ſub dio, & ſub terra, in loco tamen decenti, etiamſi Altare ſit fractum, vel ſine reliquiis Sanctorum, & præſentibus hæreticis, ſchiſmaticis, infidelibus, & excommunicatis, & aliter celebrari non poſſit. Caveat vero, ne prædicta facultate, ſeu diſpenſatione celebrandi bis in die aliter, quam ex graviſſimis cauſis, & rariſſime utatur, in quo graviter ipſius conſcientia oneratur. Quod ſi hanc eamdem facultatem alteri Sacerdoti juxta poteſtatem inferius apponendam communicare, aut cauſas ea utendi alicui, qui à S. Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare viſum fuerit, ſerio ipſius conſcientiæ injungitur, ut paucis dumtaxat, iiſque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui abſolutè neceſſarii ſunt, nec pro quolibet loco; ſed ubi gravis neceſſitas tulerit, & ad breve tempus eamdem communicet, aut reſpective cauſas approbet.*

164 Notatio Prima. An aliquoties in anno teneatur ſimplex Sacerdos Miſſam dicere? Prima ſententia docet ſimplices Sacerdotes, & quibus nulla eſt animarum cura commiſſa, ex ſolo, & præciſo Sacerdotali munere non teneri aliquando Miſſam dicere. Ita *Alenſ. p.* 4. *q.* 51. *membr.* 2. *art.* 4. §. 1. *D. Bonav. in* 4. *diſtinction.* 2. *part.* 2. *art. q.* 2. *Rodrig. in Summ. tract. de Miſſ. cap.* 249. *concl.* 4. *Joan. Sanch. in Select. de Sacram. diſp.* 7. *num.* 16. *Cardin. de Lug. diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 1. *Dicaſtill. de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 1. *num.* 10. *Caſtr. Pal. part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 12. *n.* 2. & alii, quos citant, non tamen ſequuntur *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 1. & *Paſqualig. quæſt.* 840. *n.* 4. Fundamentum eſt, quia nullum apparet præceptum, quod afficiat ſingulos Sacerdotes ratione officii. Non divinum, quia dum Chriſtus Luc. 22. dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, imponendo præceptum; ut habet *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *de Sacrific.* ſolum impoſuit præceptum toti communitati Eccleſiæ, non autem ſingulis Sacerdotibus. Non naturale, quia ex poteſtate offerendi non oritur obli-

obligatio offerendi, ſicut ex poteſtate abſolvendi, non oritur obligatio abſolvendi. Tandem non humanũ, quià ex cap. *Dolentes* De celebr. Miſſ. ubi reprehenduntur celebrantes vix quater in anno, non conſtat, quód reprehendantur ſimplices Sacerdotes, ſed fortaſſè reprehenduntur Sacerdotes Curati, aut Prælati Eccleſiarum, de quibus infrà.

165 Secunda ſententia communior affirmat adeſſe obligationem ex vi Sacerdotii præciſè, & peccare lethaliter, ſi aliquando non celebrent ſimplices Sacerdotes. Ità *D.Thom.* 3. *part. quæſt.* 82. *art.* 10. ubi contrariam ſententiam vocat irrationabilem. *Navarr. in Manual. cap.* 25. *n.* 88. *Azor part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæſt.* 1. *Suar. de Sacram. diſp.* 80. *ſect.* 3. *Vaſq.* 3. *part. diſp.* 232. *cap.* 1. *Coninch. quæſt.* 83. *art.* 2. *dub.* 1. *Bonac. quæſt. ult. de Euchar. punct.* 7. *propoſ.* 1. *Reginaldus lib.* 29. *Praxis fori pœnit. n.* 166. *Villalob. part.* 1. *ſummæ tract.* 7. *difficult.* 49. *Layman. lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 3. *n.* 1. *Amicus tom.* 7. *Curſ. Theol. diſp.* 33. *Sect.* 9. *n.* 293. *Filliuc. tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 96. *Tamb. de jur. Abbatiſ. tom.* 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 5. *& alii* plurimi, quos citant, & ſequuntur *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 3. *& Paſq. quæſt.* 840. *n.* 5. Fundamentum eſt: quià præceptum offerendi Sacrificium habetur de jure divino ex illis verbis Chriſti, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* In quibus præceptum agnoſcit *Trid. Seſſ.* 22. *cap.* 1. De Sacrific. dum ait: *Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus Panis, & Vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerũ ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem; uti ſemper Eccleſia Catholica intellexit, ac docuit*: ergò jam apparet præceptum divinum à Chriſto impoſitum Sacerdotibus de offerendo Miſſæ Sacrificio.

166 Ratio autem; eſt quiá de jure naturali tenetur quiſque Deum colere per Sacrificium, cùm ſolùm per Sacrificium Deo exhibeatur ſupremus cultus debitus; atqui non convenit, quòd quiſque per ſe ipſum offerat Sacrificium, cùm ad id ſpecialiter inſtituti ſint Sacerdotes, qui offerant nomine aliorum, unde ad Hebr. 5. dicitur: *Omnis Põtifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut dona offerat, & Sacrificia pro peccatis*: ergó quando quis aſſumit dignitatem Sacerdotalem, aſſumit quoque obligationem offerendi Sacrificium, & colendi Deum pro populo, quatenùs ſe conſtituit miniſtrum pro hominibus in ordine ad Deum: ſicut eò ipſo, quòd quis aſſumit in ſe debitum alicujus, conſentiente creditore, tenetur ſolvere debitum, quod jam ſuum fecit, & ſibi proprium.

167 Ad fundamentum ſententiæ oppoſitæ ℟. jam apparere præceptum divinum ex verbis Chriſti, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba continent præceptum reſpectu ſingulorum Sacerdotum, qui ſinguli ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, & non ſolùm omnes collectivè. Apparet deindé præceptum naturale, vi cujus tenetur

netur unuſquiſque Deum colere per Sacrificium, quam obligationem in ſe aſſumũt Sacerdotes etiam ſimplices, juxtà illud D. Pauli: *Pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat Sacrificia.*

168 Nec urget poteſtas abſolvendi in Ordine ad obligationem abſolvendi; cùm in his, & ſimilibus nulla appareat obligatio naturalis, ſed ſolùm exercitium liberum talis poteſtatis. Quoad cap. *Dolentes* De celebr. Miſſ. ubi inter alia peccata aliquorum Sacerdotum, quæ ibi recenſentur, unum eſt, quód vix quater in anno celebrabant; & quãvis pœna ſuſpenſionis ipſis imponatur non propter hoc delictum tantùm, ſed etiam propter alia, quæ ibi numerantur; nihilominùs etiam propter negligentiam celebrandi damnantur, ſicut Chriſtus *Math.* 25. *&* *Luc.* 19. eum, qui otioſè talentum abſcondit, ad gehennam damnavit, & 2. *Corinth. cap.* 6 hortatur D. Paulus Sacerdotes, *nè in vacuum gratiam Dei accipiant*: & 2.Timoth. cap. 3. ait Apoſtolus: *Noli negligere gratiam tuam*; ille enim Sacerdos, qui creatur, conſecraturque ad rem divinam faciendam, gratiam Dei negligere videtur, ſi nunquám Sacrificium faciat, aut offerat.

169 Dices. Si adeſſet talis obligatio de jure divino naturali, etiam eſſet ab Eccleſia determinatum tẽpus, quo eſſet implenda; ſicut eſt determinatum tempus confitendi peccata, & ſumendi Euchariſtiam: cùm ergò non ſit determinatum tale tempus, dicendum eſt, non adeſſe talem obligationem. ℟. negand. ſequelam antecedentis: quià non debuit aſſignari certum tempus, quatenùs Sacrificium eſt offerendum Deo juxtà occaſiones, & neceſſitates occurrentes, quæ ut plurimùm incertæ ſunt. Deinde poteſt eſſe maior obligatio extenſivé in uno tempore, quàm in alio, & maior in uno loco, quàm in alio.

170 Ad probationem ℟. pro adimplendà obligatione confitendi peccata determinari ab Eccleſià certum tempus; quià cùm talis obligatio comprehendat univerſim omnes cujuſque ſtatùs fideles, in tantà hominum multitudine eſſent propè infiniti, qui talem obligationem nunquam adimplerent, quod cederet in maximum animarũ damnum.

171 At non apparuit gravis adeò ratio pro determinando tempore offerendi Sacrificium; quià nimirum obligatio Sacrificandi tantùm cadit ſuprà Sacerdotes, qui cùm perfectam, ac exemplarem vitam profiteantur; non potuit Eccleſia timere plures fore Sacerdotes, qui feré nunquam celebrarent. Undè meritò abſtinuit ab imponendà temporis determinatione pro adimplendà obligatione celebrandi; prudentiſſimè verò tempus determinavit pro obligatione confitendi ſemel in anno.

172 Notatio Secunda. Quoties in anno teneatur ſimplex Sacerdos celebrare? ℟. Communior ſententia tenet ſimplicem Sacerdotem celebraturum fore ad minimum in quatuor anni præcipuis ſolemnitatibus, nempè in die Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & in Aſſumptione B. Mariæ Virginis. Ità *D. Thom.* 3. *part. quæſt.* 82. *art.* 10. *Sylveſter* verbo *Miſſa quæſt.* 7. *D. Antonin.* 3. *part. tit.* 13. *cap.* 16. §. 12. *Navar. in manual. cap.* 25. *n.* 88. *Thom. Hurtad.*

tad. tom. 1. *moral. reſol. tract.* 2. *cap* 7. *reſol.* 29. §. 6. *num.* 379. & alii, quos citant, & ſequuntur *Fag. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 6. in fine, & *Paſqual. quæſt.* 841. *n.* 3. Fundamentum eſt: quià ut ſimplex Sacerdos cenſeatur obligatus ad celebrandum, debet attendi ſcandalum alienum, & proprium ipſius detrimentum ſpirituale, niſi celebret: ſi autem in prædictis ad minimũ feſtivitatibus non celebraret ſimplex Sacerdos, adeſſet utique ſcandalum alienum, & proprium ipſius detrimentum ſpirituale.

173 Præter hos dies tenetur etiam ſimplex Sacerdos celebrare in die feſto, ſi non adſit alius, qui celebret. *Ita Rodrig. tom.* 1. *ſumm. capit.* 247. *n.* 6. *Fernandes part.* 3. *exam. Theol. moral. cap.* 5. §. 8. *num.* 1. *Franc. Lug. lib.* 5. *de Sacram. cap.* 5. *quæſt.* 1. *num.* 15. *&* *Paſqual. quæſt.* 842. *num.* 1. Ratio eſt: quià ratione ordinis Sacerdotalis fuit Sacerdos ſimplex conſtitutus publicus miniſter populi in ordine ad offerendum Sacrificium ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut dona offerat, & Sacrificia*: ergò ratione muneris ſuſcepti tenetur ſimplex Sacerdos offerre ſacrificium, quoties tenetur populus, ità ut deficientibus deputatis Sacerdotibus, ad ipſum devolvatur obligatio.

174 Quod *Paſqualig. cit. n.* 5. extendit etiam ad Sacerdotem, qui non eſſet de loco, in quo deficiunt deputati ad celebrandum, ſed tantùm ibi contingenter reperiretur. Imò ſi contingeret adeſſe in eodem loco plures Sacerdotes ſimplices, reſolvit idem *Paſqualig. cit. n.* 6. quòd tunc obligatio celebrandi priùs erit penes eum, qui magis pertinet ad communitatem, aut quià ſit de loco, aut quia jam habeat ſuam operam in aliquo alio munere addictam communitati, ut ſi exerceret munus docendi, concionandi, &c. nam cùm iſte aliquo modo pertineat ad communitatem ratione hujus nexùs, obligatio priùs conſurgit in ipſo, quàm in cæteris. Si tamen omnes ſint æquales, & eodem modo ſe habeant, obligatio erit æqualiter apud omnes, quià non erit major ratio de uno, quàm de alio, & ſic ſe habebunt, ac quandò plures in ſolidùm ſunt obligati. Ità tamen, ut celebrante uno, extingueretur in cæteris obligatio, ſicut ſolvente uno debitum, liberantur cæteri, qui ſunt debitores in ſolidum. Ità fermè *Paſqual. cit.*

175 Tenetur 2. Simplex Sacerdos celebrare, ut impleat præceptũ audiendi Miſſam. Caſus contingere poteſt, ſi non adſit, à quo audiat Miſſã, vel quià jam ſint celebratæ, quæ erãt celebrandæ, vel ex quocumque alio capite, & ideo dubitatur, an tunc ex vi præcepti audiendi Miſſam teneatur ſimplex Sacerdos celebrare? Affirmant *Rodrig. tom.* 1. *ſumm. cap.* 247. *num.* 6. *Franc. Lug. lib.* 5. *de Sacram. cap.* 5. *quæſt.* 1. *n.* 16. *& Paſqual. quæſt.* 843. per totam. Ratio eſt 1: quià Sacerdos ratione muneris non ſolùm tenetur offerre Sacrificium pro populo, ſed etiam pro ſe ipſo, ut habetur ad Hebr. 5. *Proptereà debet quemadmodùm pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo Hoſtias offerre pro peccatis*: ergò cum ſimplex Sacerdos teneatur offerre Sacrificium, ut populus ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam, tenebitur etiam offerre, ut ipſe ſatisfaciat.

176 Ratio eſt 2: quià audire Miſ-

Miſſam eſt correlativum ad celebrare, & quià correlativa ità ſe habent, ut unum non poſſit eſſe ſine alio ; leg. *Filio*, §. *Matri* ff. De admin. leg. inde fit, quòd ſi unum eſt de neceſſitate, ſit etiam alterum de neceſſitate. Unde eò ipſò, quòd Eccleſia in diebus feſtis præcipit audire Miſſam, præcipit etiam Miſſam celebrari, quia diſpoſitum de uno correlativo eſt etiam diſpoſitum de altero, leg. *fin.* ff. De acceptilat. & L. *Siquis ſervo* C. De furtis & L. 1. C. De tranſact.; ergò Sacerdos ex vi præcepti audiendi Miſſam tenetur celebrare, ſi alio modo non poſſit audire, cùm præceptum obliget etiam ad celebrationem, ut ad connexum, & correlativum cum auditione.

177 Hactenùs de Sacerdote ſimplici non impedito, cui tamen liberum eſt celebrare, aut non celebrare quotidiè; cùm nulli Sacerdoti ſtando in ſolo jure divino, aut humano, & ſecluſa quacumque alia obligatione extrinſecà, officiovè paſtorali, præceptum ſit, aut prohibitum quotidie celebrare.

178 Notatio Tertia. Aliter tamen reſolvendum de Parochis; hi enim tenentur vel per ſe, vel per alios celebrare ſingulis diebus dominicis, & feſtis, quibus ſui Parochiani Miſſam tenentur audire, ut docet *Azor tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæſt.* 2. *Sylveſt.* verbo *Miſſa.* 1. *quæſt.* 7. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 8. *& alii* communiter.

179 Notatio Quarta. An verò ratione officii, & muneris paſtoralis teneantur Parochi aliis diebus præter dies Dominicos, & feſtivos celebrare? Eſt dubium. Reſolvunt nonnulli non teneri illos quotidiè celebrare ratione officii Parochialis. Ratio eſt: quià nullibi hoc in jure expreſſum eſt, & quià multi Parochi ſatis pii, & timoratæ conſcientiæ aliquibus diebus Sacrificium intermittunt. Vide plura apud *Fag. cit.* qui non audet appellare reum peccati lethalis eum Parochum, qui diebus tantùm Dominicis, & feſtivis, quibus populus Miſſam audire tenetur, celebrat, niſi fortè in aliquo Oppido, ubi eſſet ſcandalum, ſi non ità frequenter celebraret, plebe piè, & religioſè id deſiderante, & poſtulante.

180 Notatio Quinta. Placet etiam hic reſolvere, quòd etiam Sacerdos, qui ratione Capellaniæ, aut Beneficii tenetur quotidie celebrare, mortaliter non peccat abſtinendo aliquando ab eo munere ex cauſa, ut docent communiter DD; nec tenetur per alium eidem obligationi ſatisfacere. Ita *Abbas in* Cap. *ſignificatum* De præbendis, *Angelus*, verbo *Miſſa quæſt.* 15. *Sylveſtr.* verbo *Miſſa* 1. *quæſt.* 9. *verſic.* 5. *Imola in eod.* Cap. *Significatum* De præbendis *Azor tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæſt.* 7. *Fag. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 11. & patet expreſſè ex eod. Cap. *ſignificatum.* Ratio eſt: quam ibi aſſignat Summus Pontifex, quià inſtitutio hujuſmodi Capellæ, & Beneficii intelligenda eſt ſervatis ſervandis; ità ut ſi Sacerdos fuerit aliquàdò legitimè impeditus, aut piè, & religioſé celebrare non poſſit, non tenetur celebrare per ſe, nec per alium: Secùs tamen, ſi commodé celebrare poſſit, & abſque juſta, & legitima cauſa abſtineat; tunc enim mortaliter peccat, & pacta, & conventa non ſervat.

SE-

SECTIO II.

An poſſit Sacerdos celebrare bis in eadem die, ſi neceſſitas urgeat?

181 NUllum extat præceptũ divinum, aut naturale, quo prohibeatur iteratio Miſſæ in eadem die; nam textus Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; ſicut non determinat tempus, ità iterationem Miſſæ indeterminatam relinquit. Sic de D. Leone Papa ſcribitur ſepties, aut novies in die aliquando celebraſſe. *Fagund. in* 3. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 12. & in die Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ ſolebant olim tres Miſſæ celebrari, ut teſtatur *Alcuinus de divin. Offic. cap.* 30. & alii apud *Paſqualig. quæſt.* 293. *n.* 1. hodieque ſervatur idem mos celebrandi ter in Nativitate Domini. Imò pro Regno Valentiæ in Hiſpanià extat privilegium, ſeu potius conſuetudo, quòd Clerici Sæculares poſſint bis celebrare in die Commemorationis defunctorum, ſemel pro Defunctis, & ſemel juxtà officium diei; *Paſqualig. cit. n.* 2. Quæ quidem non fierent, ſi extaret præceptum divinum, aut naturale talia prohibens.

182 At verò, quòd ſecluſo die Nativitatis Domini non liceat ex jure Eccleſiaſtico, niſi ſemel in die celebrare: conſtat 1. ex Cap. *Sufficit*, De conſecrat. diſt. 1. ibi: *Sufficit uni Sacerdoti unam Miſſam in die unà celebrare.* Conſtat 2. ex Cap. *Conſuluiſti*, De celebr. Miſſ. ibi: *Reſpondemus, quòd excepto die Nativitatis Domini, niſi aliter cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolũmodò celebrare.* Conſtat 3 ex Cap. *Te referente* eod. tit. De celebr. Miſſ ibi *Cuilibet Sacerdoti quacumque dignitate fulgeat, unam in die celebrare Miſſam ſufficiat.*

183 An autem verbum *ſufficit*, ſignificet hic, *Non licet*, *aut nolumus*, non examinamus; certum enim eſt, quòd verbum *ſufficit* ſit hìc poſitivè taxativum, ita ut ex ejus ſignificatione non poſſint celebrari duæ Miſſæ in eadem die, ordinariè, & regulariter loquendo, ſeu verbum *ſufficit* importet præceptum, ſeu prohibitionem, ſeu hujuſmodi. *Paſqualig. quæſt.* 368. *n.* 10.

184 Notatio Prima. Quæſtio modò eſt: an poſſit Sacerdos celebrare bis in eadem die, ſi neceſſitas ſuadeat? Reſolutionem affirmativam ſupponunt omnes DD. qui varios caſus aſſignant, in quibus poteſt Sacerdos bis celebrare in eadem die, ſi neceſſitas urgeat. Probatur reſolutio: quiá Pontifex in Cap. *Conſuluſti* De celebr. Miſſ. cum dicit ſufficere uni Sacerdoti ſemel in die unam tantùm Miſſam celebrare, ponit hanc exceptionem; *Niſi aliter cauſa neceſſitatis ſuadeat*: ergò cùm exceptio firmet regulam in contrarium, ſequitur, quòd ſi neceſſitas urgeat, poſſit idem Sacerdos bis celebrare eadem die.

185 Notatio Secunda. Imò cum *Suar. diſp.* 8. *de Euchariſt. Sect.* 3. *except.* 3. *in fine Laym. lib.* 5. *Theolog. Moral. tract.* 5. *dub.* 3. *n.* 213. *Caſtr. Pal. part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 7. *n.* 10. *Cardin. de Lug. diſp.* 20. *de Euchariſt. Sect.* 1. *n.* 47. *Filliuc. tract.* 5. *n.* 109. *Bonac. diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. ultim. punct.* 7. *n.* 10.

16. *Leand. de Sacram. tract.* 8. *diſp.*5.*q.* 41. *Dicaſtill. de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 40. *dub.* 2. *num.* 51. *Trullench. lib.* 3. *de Sacram. cap.* 8. *dub.* 10. *num.* 4. *&* cum aliis plurimis, quos citat, & ſequitur *Paſq. quæſt.* 389. *num.* 3. reſolvit ipſe, toties celebrare poſſe Sacerdotem eadem die, quoties neceſſitas exigat, ac proinde ter, quater, & pluries, ſi ità neceſſitas exigat. Probat ex cap. *Conſuluiſti*. De celebr. Miſſ. ubi cùm Pontifex ſtatuiſſet, quòd quiſque Sacerdos debet per ſingulos dies unam tantùm Miſſam celebrare, poſuit exceptionem: *Niſi alitèr cauſa neceſſitatis ſuadeat.* Ex qua exceptione ſequitur, quòd liceat pluſquàm bis celebrare, ſi neceſſitas exigat. Et hujus ratio eſt: quià tantùm licet, quantùm excipitur: dùm autem excipitur cauſa neceſſitatis, excipiuntur omnes caſus, in quibus militet cauſa neceſſitatis; ac proinde ex vi exceptionis cenſetur cōceſſus numerus ille Miſſarum, qui requiritur pro caſibus neceſſitatis.

186 Confirmatur: Siquis haberet tres Parochias ſibi cōmmiſſas, & à ſe regendas, & poſſet tantùm bis celebrare ſingulis diebus feſtis de præcepto, una Parochia remaneret ſine Miſſa, ſi non poſſet habere Sacerdotem, qui ſuppleret; & non eſſet maior ratio pro una, quàm pro alia; quià omnibus æquè eſt obligatus ratione muneris, & officii ſui, nec maior neceſſitas eſt in una Parochia, quàm in alia: ergò cùm eadem cauſa militet in omnibus tribus Parochiis, dicendum eſt, quòd talis Parochus poſſet in omnibus celebrare eadem die, alioquin reſtrictio ad duas tantùm eſſet contraria cauſæ finali exceptionis, atque adeò ipſi exceptioni.

187 Notatio Tertia. Nec requiritur maior neceſſitas ad celebrādum ter, aut pluries, quàm ad celebrandum bis. Et contrà *Caſtro Pal.* qui *part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 7. *n.* 11. vult requiri cauſam maioris neceſſitatis ad celebrandum ter, quàm ad celebrandum bis, & adhuc maiorem ad celebrandum quater, quàm ad celebrandum ter, & ſic deinceps. Tenet tamen *Paſqual. quæſt.* 390. *num.* 2. ubi probat ad hominem contrà *Palaum* in caſu de Parocho habente tres Parochias; is enim juxtà ipſum *Palaum* poterit in ſingulis celebrare in eadem die, & tamen militat eadem cauſa quoad omnes, nec eſt gravior quo ad unam, quàm quo ad aliam. Quod etiam ſignificat Leo Papa Ep. 81. Cap. 1. ad Dioſcorum in alio caſu, quando ſcilicet in aliqua feſtivitate adeſt magnus concurſus populi, & unicus tantùm Sacerdos; nam vult poſſe celebrare Miſſam toties, quoties Eccleſia populo impleta fuerit. Undé eadem cauſa, quæ ſufficit pro ſecunda celebratione, ſufficiet etiam pro tertia.

188 Conſtat etiam: quià in Anglia Capellanus Oratoris Veneti, ante ultimam revolutionem illius Regni, pluries in die celebrare ſolebat in Oratoris Capella, ut teſtatur Venirellus ſe audiviſſe ab Oratore Veneto, Aloyſio Contarèno ad Regem Angliæ *de Miſſ, Apoſt. tract.* 4. *q.* 98. *dub.* 19. *num.* 205. verſ. *Reſp.* Porrò Capellanus dicti Oratoris ſex Miſſas celebrabat ſingulis diebus, & ex eà tantùm cauſa, ut ſatisfaceret Catholicis confluentibus, quod etiam privilegio Pontificio ſtabilitum fuerat. Undé conſtat cauſam, quæ ſufficit pro ſecunda celebratione, ſufficere etiam pro tertia, & quarta; ſiquidem omnes

iſtæ

iſtæ ſex Miſſæ celebrabantur ab eodem Capellano eà ſolá de cauſa, ut ſatisfaceret catholicis confluentibus. Ità fermé *Paſqualig. quæſt.* 390. *n.* 4.

189 Notatio Quarta. An verò Parochus, v. g. qui pluries celebrat diebus feſtis in diverſis Parochiis, quas habet, poſſit permitti in illis bis etiam celebrare diebus ferialibus? ℟. affirmativé; neque ad hoc requiritur maior neceſſitas, quàm quòd in iiſdem Parochiis ad Miſſam audiendam populus conveniat. Secùs dicendum, ſi populus non cōveniat. Ità expreſſé *Cardin. de Lug. in Reſponſ. Moral. dub.* 12. *à num.* 1.

Hoc unum ſupereſt diligenter advertere, quòd ſi cui Sacerdoti aliquando contingat duas, vel plures Miſſas celebrare eádem die, ſemper celebrare debet jejunus, ità ut ſi duas Miſſas celebret, in primà purificatorium non ſumat. Si verò tres, nec in primà, nec in ſecundà, ſed in tertià; adeòque ſemper in ultimá ablutionem ſumat, ut fit in die Natalis Domini: nam ſi in primá Miſſa purificatorium ſumpſiſſet, jam non eſſet jejunus, & prout ſic ſecundam Miſſam licité non diceret, nec deinceps, ut conſtat ex cap. *Ex parte* De celebr. Miſſar. & docent *Azor*, *Henriq. Navarr.* & alii, quos citat, & ſequitur *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 6. *&* 12.

SECTIO III.

Qualis debeat eſſe neceſſitas, ob quam Sacerdos celebrare poſſit bis in die?

190 NOtatio Prima. Cùm neceſſitas, ratione cujus conceditur iteratio Miſſæ in eàdem die, non ſit determinata à Pontifice; locutus eſt enim Pontifex abſolutè abſque ullà determinatione, dicendo: *Niſi aliter cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel unam Miſſam ſolummodò celebrare*; nec certum ſit, quanta debeat eſſe hæc neceſſitas, cùm tamen certum ſit, quòd debeat eſſe urgens, non quidem phyſicè, ſed moraliter, *Paſq. quæſt.* 371 *n.* 6. & adeò gravis, ut prudentis judicio ſufficiat pro relaxandà lege obligante ad unam tantum Miſſam in die celebrandam: hinc pro iſtiuſmodi determinatione, & cauſa neceſſitatis aſſignandà diſputant Authores, & varios caſus ponunt.

191 Primus caſus eſt: Cùm ſupervenit Epiſcopus, aut Princeps, & non eſt alius Sacerdos, qui cebret, dummodò celebranti nuntietur adventus Epiſcopi, aut Principis, antequàm purificationem ſumat celebrans ipſe, ut jejunus ſit pro ſecundá Miſſa. Ità Gloſſ. in Cap. *Conſultis*, verb. *neceſſitatis*, De celebr. *Miſſar. Sà*, verb. *Miſſ. n.* 24. *Navarr. in manual. cap.* 25. *n.* 87. *Caſu* 2. *&* *Conſil.* 2. *n.* 21. *de celebr. Miſſar. lib.* 3. *Henriq. lib.* 9. *ſumm. cap.* 30. *n.* 7. *caſu* 1. & in comm. littera Q. *Toletus lib.* 2. *cap.* 3. *Caſu* 3. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 6. & alii, quos citat, non tamen ſequitur *Paſqualig. quæſt.* 374. *n.* 2.

192 Secundus caſus eſt: Quandò Sacerdos tenetur celebrare, & pro populo, & pro Epiſcopo, aut Principe, & non eſt alius in loco Sacerdos, qui celebret; cùm tamen ſit feſtum de præcepro, & urgeat cauſa gravis, ob quam Epiſcopus, aut Princeps nequeat ſpectare

ctare horam conſuetam, ſed debeat audire Miſſam ſummò mané. Ità *Thom. Hurtad. part.* 1. *reſolut. moral. tract.* 2. *cap.* 3. *reſolut. ult. n.* 427. *Fag. in* 1. *Eccleſ. præcept lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 6. *Paſq. quæſt.* 375. *n.* 2.

193 Tertius caſus eſt: Cùm quis duas habet Parochias, & in his tenetur celebrare die feſto de præcepto, nec eſt alius Sacerdos, quem ipſe pro ſe ſubſtituat ad celebrandum in unà, dum ipſe in alià celebrat. Ità *Suar. de Euchar. diſp.* 80. *ſect.* 3. verſ. *Ut autem*, *Vaſq.* 3. *part. diſp.* 232. *cap.* 5. *n.* 51. *Fag. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 5. *Bonac. diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. ult. punct.* 7. §. 5. *n.* 10. verſ. ſecundo. *Laym. lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 6. verſ. Circà hos. *Amicus tom.* 7. *Curſ. Theol. diſp.* 33. *ſect.* 11. *n.* 316. *Cardin. de Lug. diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 4. & alii plurimi, quos citat, & ſequitur *Paſq. quæſt.* 381. *n.* 3. ubi pro hac parte adducit reſponſionem Sacræ *Concil. Trid.* Congregationis ſub die 17. Auguſti 1621.

194 Quartus caſus eſt: Cùm aliquis eſt communicaturus per modum Viatici, & non adeſt hoſtia conſecrata; quià Sacerdos eam ſumpſit, dummodò de neceſſitate infirmi ante ablutionem ſumptam admoneatur celebrans. Hic caſus frequentiús contingere poteſt, & ab omnibus admittitur, ait *Laym. lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 6. verſ. *Circà hos verò.* Imó hic eſt caſus, in quo neceſſitas poteſt habere cauſam pluſquàm in aliquo alio, addit *Paſq. quæſt.* 380. *n.* 5. in fine. Illum admittunt *Sá*, verb. *Miſſa*, *n.* 24. *Fag. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 8. *Amicus tom.* 3. *Curſ. Theolog. diſp.* 33. *ſect.* 11. *n.* 320. *Bonac. diſp.* 4. *de Euchar. quæſt. ult. punct.* 7. *n.* 10. *Caſtr. Pal. part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 7. *n.* 9. *caſu* 2. *Cardin. de Lug. diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 1. *n.* 44. *Dicaſtill. de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 3. *n.* 43. *Tambur. Opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 6. §. 3. *n.* 2. & 3. verſ. *Dico tamen.*

195 Si tamen Sacerdos nondúm hoſtiam conſumpſiſſet, & admoneretur de neceſſitate infirmi; tunc particulam ſuæ hoſtiæ ſervare deberet pro hujuſmodi infirmo cõmunicando per modum Viatici, caſu, quo Sacrarium ibi non eſſet, nec aliæ hoſtiæ conſecratæ in Sacrario aſſervatæ. Itá, *D. Thom. in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 3. *art.* 2. *Sylveſtr.* verb. *Euchar. n.* 25. *Henriq. lib.* 9. *ſumm. cap.* 30. *n.* 7. *caſu* 3. *Suar. diſp.* 80. *de Euchar. ſect.* 3. verſ. *Ut autem. Fag. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 8. Quod non ſolùm in caſu extremæ neceſſitatis, ſed etiam in caſu devotionis fieri poteſt, ut docet *Suar.* 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 85. *ſect.* 2. §. *ſecundo in ſumptione*, & latè probat *Fag. cit. cap.* 20. *n.* 8.

196 Aliter etiam, & frequentiùs, ni fallor, contingere poteſt caſus pro miniſtrando Viatico: poteſt enim contingere, ut Parochus veſperè, aut jam noctu moneatur de Viatico miniſtrando ſummò manè, aut etiam ſtatim poſt mediam noctem, ob periculum ſcilicet, & neceſſitatem infirmi, qui diutiùs expectare non poteſt horam conſuetam celebrandi pro populo, nec etiam populus confluere ad Miſſam audiendam ſummò manè, aut ſtatim poſt mediam noctem; cùm tamen ſit dies feſtus, & Parochus teneatur celebrare, & populus audire Miſſam. In hoc caſu;

ſu, quem non aſſignant Doctores, non video, cur Parochus non poſſit celebrare bis in die, primò pro miniſtrando Viatico, modò ablutionem non ſumat; ſecundò, pro populo ad horam conſuetam.

197 Unde quoad hunc etiam caſum intelligo Doctores ſupra citatos pro ſecundo caſu: nam ſi Sacerdos poteſt celebrare ſummo mane, ut Miſſam audiat Epiſcopus, aut Princeps, & poſtea celebrare pro populo ad horam conſuetam; cur id non poterit primò, ut miniſtret Viaticum ſummo mane, immò & ſtatim poſt mediam noctem; ſecundò, ut populus ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam; cùm tamen neceſſitas miniſtrandi Viaticum ſit omnium graviſſima inter eas, quæ à Doctoribus allegari ſolent.

198 Hoc etiam tenentur approbare Doctores ſupra citati pro tertio caſu; nam ſi Sacerdos habens duas Parochias, poteſt bis celebrare, non alia de cauſa, niſi ut Parochiani ſatisfaciant præcepto audiendi Miſſam; cur etiam non poterit bis celebrare in caſu propoſito, ut miniſtret Viaticum infirmo parochiano? Cùm plus ſit neceſſarium Viaticum moribundo, quam Miſſa Parochianis? Et præterea, quia plus obligatur Paſtor ad miniſtrandum Viaticum, quam ad celebrandum die feſto pro Parochianis, ob maiorem neceſſitatem, in qua conſtitutus eſt moribundus, indigens Viatico.

199 Confirmatur: quia fieri poteſt, ut moribundus non ſit in gratia, quamvis exiſtimet ſe eſſe in gratia, & deinde, ut Viaticum per accidens conferat primam gratiam, ut aliqui putant: ergo cum agatur de ſalute infirmi, adeſt maxima neceſſitas ad bis celebrandum. Urgetur: quia præceptum ſumendi Euchariſtiam, ſervato jejunio naturali, ſtrictius obligat, quam præceptum de non iteranda Miſſa: plures enim, qui concedunt poſſe iterari Miſſam pro conficiendo Viatico, nullo modo concedunt poſſe iterari à non jejunis; & tamen hoc præceptum relaxatur pro infirmo, ut nimirum infirmus non jejunus poſſit ſumere Viaticum: ergo etiam relaxabitur præceptum de non iteranda Miſſa, illam iterando, ſi detur tanta neceſſitas, quanta urget in caſu moribundi.

200 Quintus caſus eſt: Quando in terris hæreticorum, aut infidelium eſt penuria Sacerdotum, ita ut qui adſunt, non poſſint ſatisfacere populo fideli, niſi celebrando bis, aut pluries eadem die. Qui caſus non ſolum habet locum, ubi non eſt liberum exercitium Religionis Catholicæ, ſed etiam ubi liberum eſt, quando Fideles, quamvis non ſint in magno numero, non poſſunt ſimul convenire vel ob diſtantiam habitationum, vel ob alia incommoda gravia. Ita *Laym lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 6. verſ. *Circa hos. Azor part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæſt.* 6. in fine. *Suar. diſp.* 80. *de Euchariſt. ſect.* 3. verſ. *Ut autem. Dicaſtill. de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 3. *n.* 51. *Cardin. de Lug. diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 1. *n.* 46. *Tambur. opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 6. §. 3. *n.* 2. & alii, quos refert, & ſequitur *Paſqualig. quæſt.* 386. *n.* 1.

201 Notatio Secunda. An vero in aliquibus aliis caſibus præter aſſignatos poſſit pluries celebrari eadem die, ſi occurrat neceſſitas moraliter requiſita? Affirmant *Navarr. in Manual. cap.* 25. *n.* 87. *Henriq. lib.* 9. *Summ. cap.* 30. *n.* 7. *Azor.*

part. 2. *lib.* 10. *cap.* 24. verſ. *Excipiant. Silveſtr.* verb. *Miſſa quæſt.* 7. *caſu* 11. *Rodrig. part.* 1. *Summ. cap.* 149. *concluſ.* 5. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 11. *Paſqualig. quæſt.* 388. *n.* 1.

202 Fundamentum eſt: quia Pontifex in cap. *Conſuluiſti* de celebr. Miſſar. ponit exceptionem generalem, ibi: *Niſi aliter cauſa neceſſitatis ſuadeat.* Exceptio autem generalis locum habet in omnibus, in quibus ratio exceptionis reperitur. Unde cum cauſa neceſſitatis veniat ſub exceptione, ubicumque adſit cauſa neceſſitatis, habebit locum exceptio per legem facta.

203 Advertit autem *Abbas* ad cap. *Conſuluiſti*, hanc neceſſitatis cauſam arbitrio viri prudentis eſſe relinquendam, quod etiam admittit *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 11. Ratio eſt: quia quando jus aliquid abſolute, & non certo, nec definito modo ſtatuit, tunc judicio prudentis viri committitur definitio. Leg. 1. ff. de jure deliber. & cap. *De cauſis* de officio Judic. delegat.

204 Notatio Tertia. Quid tamẽ agendum de calice, qui prima Miſſa non fuit purificatus, quando Sacerdos in diverſis locis celebrat eadem die? ℞. Sacerdotem in ea hypotheſi debere ſemper uti eodem calice, quem propterea, quo decentius poſſit, ferre ſecum debet à loco primæ celebrationis, ad locum, quo vadit iterum celebraturus, ut nimirum, peracto ibi ultimo ſacrificio, calicem purificet, & purificatorium jejunus ſumat, vel aſſervetur calix in ſacrario (ſi ibi ſit) uſque ad novam celebrationem; uti ſit de lunula poſt proceſſiones, & Sacramentum veſpere expoſitum: vel tandem abluatur calix, ablutio vero in piſcinam projiciatur. Colligitur hoc ultimum ex his, quæ docet *Cardin. de Lug. in Reſponſ. Moral. dub.* 10. *n.* 7.

SECTIO IV.

Qua hora, & loco celebrandum ſit?

205 CUm in rubricis Miſſalis generalibus *part.* 1. *tit.* 15. habeatur: *Miſſa privata ſaltem poſt Matutinum, & Laudes quacumque hora ab aurora uſque ad meridiem dici poteſt*: inquirendum, hic eſt 1. quid veniat nomine auroræ; & quandiu ante illam celebrari liceat? 2. quid ſit meridies, & quandiu poſt illum celebrari poſſit? 3. quo loco celebrandum ſit?

206 Notatio Prima. Quid veniat nomine auroræ? ℞. nomine auroræ venire tempus illud, quo incipit clareſcere, ſeu quo incipiunt remitti noctis tenebræ ante ortum Solis, qui pro varietate regionum, & diverſa ſituatione locorum tardius, aut velocius horizontem aſcendit. Unde fit, ut aurora non ſit computanda mathematice, ſed moraliter, prout eſt in vulgari æſtimatione, & ſecundum judicium prudens. *Paſqualig. quæſt.* 399. *num.* 3.

207 Notatio Secunda. Ut Miſſa inchoari poſſit, non eſt expectandum initium auroræ, ſed ſufficit, quod in ipſo auroræ initio adhuc duret ſacrificium, modo non ſit conſumptum. *Azor part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæſt.* 6. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 6. *Bonac. diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. ultim. punct.* 3. *num.* 2. *Cardin. de Lug. diſp.* 2. *de Euchar. ſect.* 1. *n.* 33. *Layman lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 2. & alii, quos citat, & ſequitur

Paſ-

Paſqualig. quæſt. 400. *n.* 2. Ratio eſt: quia eo ipſo, quòd Miſſa ſecundùm ſubſtantiam Sacrificii attingat initium Auroræ, dicitur celebrari in termino aſſignato, cùm non ſit extrà terminum. Sicut igitur, qui attingit aliquem annum, dicitur ad ipſum perveniſſe, quamvis nondum pervenerit ad totũ annũ, cùm nondũ ſit completus, leg. *Qui filium.* §. *Sabinis* ff. Ad Senatus Conſ. Trebel. ità etiam dùm Miſſa pervenit ad Auroram, dicitur eſſe in Aurora, tanquam in termino ſibi aſſignato.

208 Et ratio eſt: quia in hoc puncto communiter admittitur parvitas materiæ. Sic *Azor part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæſt.* 6; *& Reginald. lib.* 29. *cap.* 9. *n.* 1073. dicunt licitè celebrari poſſe per quadrantem, quod alii extendunt ad dimidiam horam, ante Auroram, ut *Suar. diſp.* 80. *de Euchar. ſect.* 2. verſ. *Secundò inquiri poteſt, Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcep. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 6. *Bonac. diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. ultim. punct.* 9. *n.* 2.

209 Aliter aſſignant Doctores tempus, in quo Miſſa inchoari poſſit, dùm aſſerunt licitè celebrari poſſe per horam, & dimidiam ante ortum ſolis, eamque exiſtimant eſſe regulam, quæ univerſaliter ſervari poſſit; quia locum habet, etiam quando creſpuſcula ſunt breviora. Ità *Suar. diſp.* 80. *de Euchar. ſect.* 4. verſ. *Secundo inquiri poteſt. Bonac. diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. unic. punct.* 9. *n.* 5. *Caſtr. Pal. part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 7. *n.* 12. & alii, quos citat, & ſequitur *Paſqualig. quæſt.* 401. *n.* 3. *&* 5.

210 Hoc tamen intellige, niſi prævaleat cõſuetudo in contrarium; tunc enim poterit celebrari Miſſa per tempus notabile ante Auroram. *Navarr. in manual. cap.* 25. *n.* 85. *Laym. lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 3. verſ. *Quinto conſuetudo. Coninch. de Sacram. q.* 83. *art.* 3. *dub.* 4. *n.* 217. verſ. *Navarr. autem Dicaſtill. de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 4. *n.* 56. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 17. *Tãb. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *n.* 4; & alii, quos citat, & ſequitur *Paſq. quæſt.* 402. *n.* 1. Ratio eſt: quia agitur tantùm de jure poſitivo, vel de conſuetudine, quæ de novo taliter induci poteſt, ut prævaleat juri poſitivo, aut veteri conſuetudini juxtà Cap. fin. De conſuet. Sic ubi artifices conſueverunt ante Auroram notabiliter incipere ſua exercitia, & priùs audire Miſſam, poterit tunc Miſſa celebrari notabiliter ante Auroram: nam melius eſt artifices audire Miſſam, cùm in hoc non ſolùm interveniat profectus ſpiritualis ipſorum, ſed etiam cultus Dei, quam ſervari conſuetudinem non celebrandi ante Auroram. Vide plura apud *Paſqualig. citat.*

211 Notatio Tertia. Quid ſit meridies? ℞. meridiem, ſeu medium diem eſſe punctum illud temporis, in quo ſol altiùs elevatur reſpectu noſtri, & radiis ſuis perpendiculariter nos ferit: quamvis id accipiendum non ſit mathematicè, ſed moraliter, & cum aliqua latitudine. *Suar. diſp.* 80. *de Euchar. ſect.* 4. *Vaſq.* 3. *part. diſp.* 232. *cap.* 4. *n.* 76. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 8. *Bonac. diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. ult punct.* 9. *n.* 4. verſ. *verum hæc ſententia Lug. Cardin. de Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 1. *num.* 38. *Laym. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 4. *Caſtro Palao part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 7. *n.* 14. & alii plurimi, quos refert, & ſequitur *Paſqualig. quæſt.* 411. *n.* 5.

212 Sic poteſt inchoari Miſſa uſque ad quadrantem, ſeu tertiam partem horæ, parùm, minusvè, poſt meridiem, *Azor part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 25. *quæſt.* 6. *Caſpens. tom.* 2. *Curſ. Theolog. tract.* 23. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *num.* 63. licet aliqui dicant hanc opinionem eſſe nimis rigidam, & ideò extẽdant ad horæ dimidium poſt meridiem, ut *Laym. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 4. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 6. Nec deſunt, qui extendant ad tres quadrantes poſt meridiem, dũmodò non excedatur. Sic *Bonac. diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. ultim. punct.* 4. *n.* 6. *Tambur. opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *num.* 19. Fundantur hi Authores in eo, quòd etiam detur parvitas materiæ in poſtpoſitione Miſſæ poſt meridiem moraliter acceptum. Videantur Authores cit.

213 Notatio Quarta. Quandiù ex quacumque cauſa rationabili durat Miſſa ſolemnis, etiam ſi duret uſque ad horam tertiam poſt meridiem, poſſunt celebrari Miſſæ privatæ. *Suar. diſp.* 80. *de Euchar. ſect.* 4. *verſ.* Quo circa non exiſtimò. *Caſtro Pal. part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 7. *n.* 14. verſ. *Supradictam doctrinam. Tambur. Opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *n.* 20. & alii, quos citat, & ſequitur *Paſqualig. quæſt.* 418. *n.* 1. *&* 2. Ratio eſt: quià ſemel quòd celebretur Miſſa, poſſunt etiam plures celebrari; & quo ad hoc eſt eadem ratio de Miſſa ſolemni, ac de privatis, cùm terminus claudens celebrationem Miſſarum ſit idem reſpectu omnium. Confirmatur: quià Miſſæ privatæ ſe habent tamquam acceſſoriæ, undè Miſſa Solemnis non ſolùm vulgari locutione, ſed etiam in Rubricis, & Cæremonialibus dicitur Miſſa principalis, Miſſa de die: ergò Miſſæ privatæ tamquàm acceſſoriæ celebrari poterunt, quandiù celebratur ſolemnis, cum ſit regula, quòd acceſſorium ſequatur naturam principalis.

214 Notatio Quinta. Pro miniſtrando Viatico celebrari poteſt uſque ad horam nonam incluſivè, id eſt, tertiam poſt meridiem, ſuppoſita neceſſitate urgente Viatici, & quòd celebraturus ſit jejunus. Ità *Vaſq.* 3. *part. diſput.* 232. *cap.* 4. *n.* 14. *in fine Caſtro Pal. part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 7. *n.* 14. verſ. *Suprà dictam doctrinam. Tambur. Opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *n.* 41. in fine, & alii, quos citat, & ſequitur *Paſqualig. quæſt.* 415. *n.* 4. Quæ ſententia videtur omninò certa *Paſqualig. n.* 5. & ad praxim abſque ullo ſcrupulo reducibilis. Ratio illi eſt: quià adeſt probabilis ſententia, quòd etiam abſque cauſa uſque ad horam tertiam poſt meridiem celebrari poſſit regulariter: caſus verò miniſtrandi Viaticum moribundo eſt talis, ut faciat licitum ſequi quamcumque opinionem probabilem.

215 Imò *Averſa*, *Franc. Lug. & Quartus*, quos citat, & ſequitur idem *Paſqual. n.* 6. tenent, quòd pro conficiendo Viatico celebrari poſſit per totum diem abſque ulla limitatione à jejunis. Ratio eſt: quià caſus eſt magnæ neceſſitatis: Undè ex hoc capite obligantur ii, ad quos ſpectat cura animarum ratione officii, atque adeò juſtitiæ, & etiam ratione charitatis, ad miniſtrandum Viaticum: è contrà verò non prohibentur celebrare, niſi ratione conſuetudinis, aut alicujus legis merè poſitivæ, & humanæ; inter has verò obligationes potentior

tior eſt prima, utpotè ex duplici titulo, & altioris ordinis, atque adeó debet prævalere.

216 Ex cauſa itineris, quandò ſcilicet itinerantes in aliquo die feſto de præcepto veniunt ad locum poſt meridiem, tenent *Sà*, verbo *Miſſa n. 27. & Caſtro Palao part. 4. tract. 22. diſp. unic. punct. 1. n. 14.* verſ. *Suprà dictam*, quos ſequitur *Paſqualig. quæſt. 419. num. 4.* quòd in tali caſu poſſit Miſſa celebrari per duas, aut tres horas poſt meridiem. Ratio eſt: quià cauſa itineris videtur eſſe ſufficiens, & rationabilis, ut detur regreſſus ad conſuetudinem antiquam, quæ concedebat celebrationem uſque ad tertiam horam poſt meridiem, cùm per novam conſuetudinem non debeat cenſeri limitata, & reſtricta, niſi regulariter, non autem pro caſibus, qui ſecum afferunt aliquam neceſſitatem: Unde cúm hoc probabile ſit, túm propter authoritatem Doctorum, tum etiam propter rationem, poterit ad praxim reduci.

217 Notatio Sexta. Quo locò celebranda ſit Miſſa? ℞. Miſſa celebranda eſt non ſolum in Eccleſiis conſecratis, ſed etiam in Eccleſiis, aut Oratoriis tantúm benedictis, & cultui divino deputatis. Ità communiter Doctores, qui etiam advertunt, quód hujuſmodi Eccleſiæ, ſeu Oratoria debent eſſe approbata vel à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo. Gloſſ. in Cap. *Si Eccleſia* De conſecrat. Eccleſ; vel Altaris *Panormit. n. 3*; & cæteri Doctores ibidem. Conſtat etiam ex *Trid: Seſſ. 22. in decreto de ſervand; & vitand. in celebrat. Miſſar.* ubi inter alia diſponit: *Nevè patiantur* (Epiſcopi) *privatis in domibus, atque omninò extrà Eccleſias, & ad divinum tantũm cultum dedicata Oratoria, ab iiſdem Ordinariis, deſignanda, & viſitanda Sanctum hoc Sacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcũque peragi.* Vide *Paſqualig. quæſt.* 440. per totam.

218 Undè peccabit mortaliter, qui abſque neceſſitate celebret extrà loca deputata. Ità *D. Thomas 3. part. quæſt. 83. art. 3; & in 4. diſt. 13. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 5. Scotus quæſt. 2. art. 2. Suar. diſp. 81. de Euchar ſect. 3. init. Azor part. 1. lib. 10. cap. 26. quæſt. 8. Fagund. in 1. Eccleſ. præcept. lib. 3. cap. 13. n. 2. Laym. lib. 5. cap. 5. init*; & alii plurimi, quos citat, & ſequitur *Paſqualig. quæſtion. 442. n. 2. & 3.* Ratio eſt: quià gravitas prohibitionis, & gravitas materiæ ſatis indicant gravitatem culpæ: ſed adeſt prohibitio, quæ ex annexis colligitur eſſe graviſſima, ùt cõſtat ex Cap. 1. de Conſecrat. diſt. 1. & ex Cap. *Hic ergò*, ead. diſt. deinde materia de ſe eſt gravis: ergò cõmittitur culpa gravis, ſi abſque neceſſitate celebretur extrà loca deputata.

219 Nihilominus, ſtante neceſſitate, licebit celebrare extrà loca deputata, in loco tamen decenti. Ità *D. Thomas 3. part. quæſt. 83. art. 3. ad 1. & 2. Scotus quæſt. 2. art. 2. §. Item patet. Azor part. 1. lib. 10. cap. 26. quæſt. 6. Sà*, verbo *Miſſa n. 20. Suar. diſp. 8 de Euchar. ſect. 2.* verſ. *Tertia exceptio. Vaſq. part. 3. diſp. 233. cap. 1. n. 6. Bonac. diſp. 4. de Sacram. quæſt. ult. punct 9. n. 10. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 5. n. 3. Caſtro Palao part. 4. tract. 22. diſp. unic. puuct. 8. n. 4. Lugo Card. diſp. 20. de Euchar. ſect. 2. n. 48.* verſ. *Excipit. ſecundò*; & alii multi, quos citat, & ſequitur *Paſqualig. quæſt.*

461. *n.* 1. *&* 2. Ratio eſt: quià jura antiqua ità præcipiunt Miſſas celebrari in locis Deo conſecratis, ut tamen excipiant caſus neceſſitatis: ità in Cap. 1. De conſecrat. diſt. 1. ubi ità decernit Felix IV. & idem Felix in Cap. *Tabernaculum.* Idem etiam repetitur in Cap. *Sicut* ead. Diſt. & in Cap. *Concedimus*, Diſt. ead.

220 Neque hoc ſublatum fuit per *Trid. ſeſſ.* 22. *in decreto de ſervand. & vitand. in celebrat. Miſſar.* dum abſolutè, & ſine ullà exceptione injungit Epiſcopis, quòd non patiantur celebrari Miſſas extrá loca deputata. Nam cùm prohibitio Tridentini ſit generaliſſima, nunquam cenſetur comprehendere, quæ fiunt cauſa neceſſitatis, ut notat ex variis legibus á ſe allegatis *Paſqualig. citat. quæſt.* 461. *n.* 5. Imò ſi comprehenderet, neceſſitas faceret licitum, quod aliás non eſſet licitum, Cap. *Conſuluiſti* De celebrat. Miſſar. & Cap. *Licet* De pœnit.; & remiſſ.; & Cap. *Quanto*, De conſuetud; & Cap. *Licet* De feriis. Undè quamvis Trid. abſolutè, & generaliter loquatur, non comprehendit caſus neceſſitatis, ſicut non comprehendebant jura antiqua, á quibus quoad hoc debet Tridentinum accipere interpretationem, & cùm neceſſitas ſit de jure communi excluſa, debet etiam cenſeri excluſa á Trid.

SECTIO V.

De Miniſtro, Altari, & Reliquiis in Altari reponendis.

221 NOtatio Prima. An ut Miſſa celebretur, requiratur Acolythus, ſeu Miniſter? ℞. conſuetudo Eccleſiæ habet, quòd aliquis Miniſter inſerviat Sacerdoti, quando Offert Sacrificium. Et licet is Miniſter non ſit neceſſarius de jure divino, *Bellarm. lib.* 2. *de Miſſ. cap.* 9. verſ. *Et hinc naſcitur* Requiritur tamen ex jure Eccleſiaſtico, ut conſtat ex Cap. *Hoc quoque* De conſecrat diſt. 1.

222 De jure antiquo requirebantur plures Miniſtri, atque adeò ſaltem duo, ut ſtatuitur à Sotère Papa in Cap. *Hoc quoque*, De conſecrat. diſt. 1 At de jure novo ſufficit unicus tantum Miniſter. Ita communiter Doctores, cum Gloſſ. in dict. Cap. *Hoc quoque*, verbo *Ipſe tertius* De conſecrat. diſt. 1. & *Abbas* in Cap. *Ut quiſque n.* 1. *&* 2. De vità, & honeſt. Cleric.

223 Notatio Secunda. An peccet, qui ſine Miniſtro celebrat? ℞. communior ſententia tenet peccare mortaliter, qui ſecluſà neceſſitate celebrat ſine Miniſtro. *Suar. diſp.* 87. *de Euchar. ſect.* 1. *in fine Bonac. diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. ul. punct.* 9. *n.* 34. *Caſtr. Pal. part.* 4. *tract.* 22. *diſp unic. n.* 232 *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 4.

224 At verò in caſu neceſſitatis non eſt peccatum, & celebrari poteſt abſque Miniſtro. *Azor part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 29. *quæſt.* 3. *Card. de Lug. diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 4. *n.* 103. *Tambur. Opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 2. §. 5. *n.* 4.

225 Advertendum tamen, quòd hujuſmodi neceſſitas non eſt conſideranda ſolùm ex deficientià Miniſtri, ſed oportet etiam, quòd interveniat aliqua neceſſitas, quæ exigat celebrationem v. g. neceſſitas conficiendi Viaticum, *Leſſius de Sacram. quæſt.* 83. *art.* 3. *dub.* 10. *n.* 69. *Tambur. Opuſc. de Sacrific.*

criſic. Miſſ. lib. 1. *cap.* 2. §. 5. *n.* 4. *Dicaſtill. de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 12. *n.* 234. aut neceſſitas ſatisfaciendi præcepto audiendi Miſſam in die feſto. Ità Doctores cit. & alii.

226 Notatio Tertia. An liceat adhibere fœminas pro Miniſtro, ut inſerviant celebranti circá Altare? Reſolutio negativa conſtat ex Cap. *Sacratas*, Diſt. 23. &c. ubi omninò prohibetur acceſſus ad Altare mulieribus, ibi: *Prohibendum quoque eſt, ut nulla fœmina ad Altare præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare*. Hoc autem fundatur in eo, quòd mulier debet in Eccleſiis tacere juxtà illud Apoſt 1. ad Corinth. 14. *Mulieres in Eccleſiis taceant*; *non enim permittitur eis loqui*, *ſed ſubditas eſſe*, *ſicut & lex dicit*. Peccabit igitur mortaliter adhibens fœminam ad miniſtrandum. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 2. *Tambur. Opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 7. §. 5. *n.* 2. *& alii.*

227 Notatio Quarta. An ſaltem in caſu neceſſitatis poſſit fœmina miniſtrare celebranti? ℞. negativè, etiam ſuppoſitâ neceſſitate celebrâdi, & quòd non ſit alius, qui inſerviat, niſi fœmina. Quo caſu debet potiùs Sacerdos ſibi ipſi reſpondere, & miniſtrare. *Laym. lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 9. *n.* 13. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 2. *Azor part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 29. *quæſt.* 2. *in fine. Suar. diſp.* 87. *de Euchar. ſect.* 1. *in fine Bonac. diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. ult. punct.* 9. *n.* 33. verſ. *Addo.* Ratio eſt: quià concurrunt duo præcepta, alterum de adhibendo Miniſtro, & alterum, quòd fœmina nòn miniſtret Altari, ac proindè debet anteponi præceptum, quod ſtrictiùs obligat: ſtrictiùs autem obligat præceptum prohibens fœminam miniſtrare, quàm præceptum de adhibendo Miniſtro: nam hoc reſpicit tantùm quandam decentiam ab extrinſeco, illud verò prohibet indecentiam ex naturà rei.

228 Notatio Quinta. Quid ſit Altare? ℞. nomine Altaris intelligitur illa Ara, in quà Miſſa celebratur, & ſic dicitur, quaſi *alta Ara.* Duplex eſt Altare: alterum dicitur ſtabile, ſeu fixum, & alterum portatile. Fixum eſt tota illa menſa, in quá Miſſa dicitur, ſive tota ſit lapidea, ſive partim lapidea, & partim lignea. Altare Portatile, vulgò *Pedra d' Ara*, Sacratum eſſe debet, & peccatum mortale eſt in eo non ſacrato celebrare, ut docent *Suar. & Sylveſt. Angel. Sot. Navarr. Ledeſm. D. Thom. Palud. Henriq.* quos citat, & ſequitur *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 22. *n.* 1.

229 Ara, (vulgò *Pedra d' Ara*) ideò debet eſſe lapis, quià ſignificat Chriſtum Dominum, qui ad Corinth. 10. lapis dicitur angularis: Undè non eſt neceſſe, quód totum Altare ſit lapideum, ſed ſufficit, quòd illa pars, vulgó *Pedra d' Ara*, ſuprà quam reponitur calix, & hoſtia, ſit lapidea, cum tantà verò longitudine, & latitudine, ut calicem, & hoſtiam capere poſſit. *Navarr. in manual. cap.* 25. *n.* 83. *Suar. diſp.* 81. *de Euchar. ſect.* 5. *dicto n.* 2. & alii apud *Paſqualig. quæſt.* 668. *n.* 2.

230 Non licet in petrá Aræ, quæ enormiter, & notabiliter ſit fracta, celebrare; per notabilem enim fracturam perditur conſecratio, ut conſtat ex Cap. 1. & ex Capit. *Quod in dubiis*, De conſe-

crat.

crat. Eccleſ. ibi: *Altare*, *in quo tabula*, *cui conſecrationis benedictio Pontificali miniſterio adhibetur*, *ſi mota*, *vel enormiter fracta fuerit*, *debet non immeritò conſecrari*: nempè, ut in eo altari celebrari poſſit.

231 At veró ea Ara notabilitèr, & enormitèr fracta dicitur, quæ in reſiduo non poteſt calicem, & hoſtiam capere: ubi verò totum Altare lapideum conſecratum eſt, non eſt neceſſaria petra Aræ, ut habetur dict. Cap. *Quod in dubiis*, De conſecrat. Diſt. 1. & docent *Navarr. D. Thomas*, *Suar.* & alii, quos citat, & ſequitur *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 4.

232 Notatio Sexta. An in conſecratione *petræ Aræ* debeant reponi reliquiæ Sanctorum? ℞. affirmativè: atque ita indicant illa verbà Sacerdotis, cùm finità generali Confeſſione, Altare Sacrificaturus ingreditur: *Oramus te*, *Domine*, *per merita Sanctorum tuorum*, *quorum reliquiæ hìc ſunt*. Conſtat etiam ex Cap. *Placuit*, De conſecrat. Diſt. 1. ubi jubentur everti Altaria, in quibus non probatur eſſe reconditas Reliquias SS. Martyrum.

233 His non obſtantibus, non eſt de ſubſtantià conſecrationis petræ *Aræ*, quòd inibi Reliquiæ collocentur. *Suar. diſp.* 71. *de Euchar. ſect.* 5. verſ. *Tertio additur*, in fine. *Card. de Lug. diſp.* 24. *de Euchar. ſect.* 2. *n.* 75. *Caſtr. Pal. part.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 8. *Tambur. Opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *n.* 10. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 22. *n.* 8.

234 Neque obſtant verba illa: *Oramus te*, *Domine*, *per merita Sanctorum tuorum*, *quorum Reliquiæ hìc ſunt*: nam ea ideò dicuntur, quià ordinariè, & de more Reliquiæ ibi apponuntur, non tamen de obligatione, aut neceſſitate, & cùm ordinarie id fiat, ſufficit ad veritatem prædictæ orationis, quamvis in hoc, vel illo Altari deficiant.

235 Sic non peccat, qui conſecrat Altare, ſive fixum, ſive portatile ſine Reliquiis, modò abſit comtemptus; ità *Sotus in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2 *art.* 3. §. *Rurſùs etiam* verſ. *Sexto denique*. *Suar. diſp.* 91. *de Euchar. ſect.* 5. verſ. *Tertio additur*, circa fin. *Coninch. quæſtion.* 83. *de Sacram. art.* 3. *dub.* 2. *n.* 24. & alii jam citati.

236 Sicut etiam non peccat Sacerdos, qui celebrat, quin priùs exploret, an inibi ſint Reliquiæ, cùm ad id non teneatur, ſed ſufficit, ſi Altare ſit expoſitum celebrationi, & quòd ii, ad quos pertinet cura Eccleſiæ, faciant in ipſo celebrare. Ità *Sotus in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 3. *in fine*, *Victoria ſumm. tit. de Euchar. n.* 98. *Azor. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quæſt.* 11.

SECTIO VI.

Quibus perſonis prohibeatur Sacrificio Miſſæ aſſiſtere.

237 CU'm in præſenti Indulto fiat mentio eorum, qui cum fidelibus cōmunicare prohibentur, & Sacrificio Miſſæ aſſiſtere, exponendi ſūt termini in Indulto appoſiti, in quibus ſupponitur dicta prohibitio, ut inde faciliùs capiatur facultas conceſſa celebrandi coràm talibus perſonis. Hæ veniunt ſub terminis in Indulto poſitis; nempè

nempè *præſentibus Hæreticis*, *Schiſmaticis*, *Infidelibus*, *&* *Excommunicatis*. Incipiamus ab Infidelibus.

238 Notatio Prima. Sacrificio Miſſæ aſſiſtere non debet Infidelis, ſeu Paganus, aut non baptizatus. Conſtat ex Cap. *Clericos*, Diſt. 21. & Cap. *Perlectis* Diſt. 25. Ratio eſt: quià Infidelis, ſeu Paganus, & non baptizatus, non ſunt membra Eccleſiæ, cùm in eam nondum ingreſſi fuerint per baptiſmum: non debent ergò participare in divinis cum fidelibus, nec Miſſæ poſſunt aſſiſtere.

239 Notatio Secunda. Sacrificio Miſſæ intereſſe prohibentur Excommunicati, qui tamen ſunt in duplici differentia: alii enim ſunt Excommunicati excommunicatione minori, quæ eſt una tantùm, & ſolùm incurritur, cùm quis communicat cum excommunicato vitando, ut habetur in Capit. *Excommunicatos*, & in Cap. *Cum Excommunicato*: alii verò ſunt Excommunicati excommunicatione maiori, quæ multiplex eſt, & multipliciter fertur à jure, vel ab homine.

240 Excommunicatio minor privat tantùm uſu paſſivo, ſeu receptione Sacramentorum. Sic peccat mortaliter, qui hac excommunicatione irretitus aliquod ſuſcipit Sacramentum. *Caſtro Palao diſp.* 2. *punct.* 21. *num.* 5. *Suar. diſp.* 24. *ſect.* 3. *n.* 2. *Bonac. diſp.* 2. *quæſt.* 3. *n.* 3.

241 Excommunicatio verò maior privat uſu activo, & paſſivo Sacramentorum, communibus Eccleſiæ ſuffragiis, uſu Divinorum Officiorum, cōmunicatione forenſi, & civili fidelium, exceptis his quinque caſibus, 1. in caſu utilitatis, ſive ſpirilis ſive tēporalis; 2. in caſu legis Matrimonialis, 3. in caſu ſubjectionis; 4. in caſu ignorantiæ juris, vel facti; 5. in caſu neceſſitatis, ſive animæ, ſive corporis, ſive bonorum temporalium, qui caſus hoc verſu comprehenduntur.

Utile, lex, humilis, res ignorata neceſſe.

242 Ex quo deduces Excōmunicatos excommunicatione maiori dividi in toleratos, & non toleratos, ſeu vitandos. Tolerati ſive ſint excommunicati à jure, ſive ab homine, ſive publicum ſit eſſe excōmunicatos, ſive ſecretum, illos non tenemur vitare, ſed cum illis poſſumus communicare tàm in rebus Sacris, quàm in politicis. Sub his excommunicatis toleratis veniunt Hæretici, & Schiſmatici, (de quibus etiam Indultum loquitur,) licèt notorium ſit eos ob hæreſim, & Schiſma eſſe anathematizatos. *Suarius diſp.* 9. *ſect.* 2. *n.* 5. *Caſtro Palao diſp.* 2. *punct.* 4. *n.* 5. *Bonac. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 2. *Sayr. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 9.

243 Excommunicati non tolerati, quos tenemur vitare, unde dicuntur vitandi, ſunt duo tantùm ex *Concil. Conſtantien.* 1. Notorius Clerici percuſſor. 1. Quivis nominatim excommunicatus, & ſpecialiter, ac publicè denuntiatus, quorum cuilibet competunt effectus excommunicationis maioris, quos proximè receſuimus. His breviter prælibatis, ad Reſolutionem ſupra poſitam n. 239. redeamus.

244 Quamvis cum Excommunicatis toleratis non ſit prohibitum communicare, ipſis tamen toleratis non licet Miſſam audire, neque Divinis Officiis adeſſe, neque cum aliis communicare in divinis. Undè ſi aliis fidelibus ſe immiſceant, quandiù ſunt tolerati, quamvis ſecretò

ſint excommunicati, graviter peccabunt; quià illis tale hoc graviter prohibetur in Cap. *Cùm ab homine.* Cap. *Cum deſideres* De ſentent. excommunicat. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 23. *Filiiuc. tract.* 5. *cap.* 3. *quæſt.* 9. *n.* 53. *Paſqualig. quæſt.* 348. *n.* 1.

245 Quod autem excommunicatis toleratis non licet, multò minùs licet excommunicatis vitandis. Undè his non licet Miſſam audire, nec Divinis Officiis aſſiſtere, nec cũ aliis communicare in divinis; imò ſi excommunicatus vitandus Divinis Officiis ſe ingerat, debet ab Eccleſia repelli, & Miſſam relinqui, ſi exire recuſet.

246 Notatio Tertia. Quæres autem: quando relinquenda ſit Miſſa, ſi vitandus inſiſtat eam audire, & nolit ab Eccleſia egredi? ℟. Si vitandus Eccleſiam ingrediatur, antequam Miſſa inchoata ſit, inchoanda non eſt, quin priùs recedat: ſi verò ſuperveniat vitandus, poſtquàm Miſſa inchoata ſit, monendus eſt, ut diſcedat.

247 Quòd ſi vitandus recuſaverit exire ab Eccleſia, novam incurrit excõmunicationem Papæ reſervatam in Cap. *gravis*. Clement. II. De ſentent. excom. Et tunc operà Laicorum expellendus eſt ab Eccleſia, ſi commodè fieri poſſit, aut ſi laici deerint, etiam operà Clericorum, idque quamvis excommunicatus vi expellendus, ſit Clericus. Cap. *Veniens* De ſentent. excommunicat. Neque enim per hoc incurritur pœna Canonis: quià manus violentæ illi injiciuntur in defenſionem Eccleſiaſticæ poteſtatis. *Salmantic. tract.* 10. *de Cenſur. cap.* 3. *punct.* 6. *n.* 69. *ad med.*

248 Non ſolùm vitandus eſt expellendus ab Eccleſia, dùm Miſſa celebratur, ſed etiam omnes adſtantes, ſi ille nolit exire, debent ab Eccleſia recedere: alioquin peccabunt communicando in divinis cum vitando, & incurrent excommunicationem minorem. Quin & Sacerdos ipſe poſt conſumptionem, relictis aliis orationibus, & precibus debet ab altari recedere, & reliquum Miſſæ complere in Sachriſtia, vel alio loco opportuno, ut hoc pacto perficiatur Miſſa. Conſtat ex cit. Cap. *Veniens*.

249 Notatio Quarta. Dubium tamen eſt; quo puncto interrumpenda ſit Miſſa, ſi jam ſit inchoata, cùm ad audiendam concurrit excõmunicatus vitandus? Alii dicunt relinquendam eſſe Miſſam, etiam ſi inceptus jam ſit Canon, qui incipit à verbis: *Te igitur Clementiſſime*: modò non ſit cepta conſecratio. Ità *Sayr. lib.* 2. *de Cenſur. cap.* 3. *n.* 19. *Navarr.* & alii: alii verò dicunt non eſſe Miſſam relinquendam, ſi jam inceptus ſit Canon, *Te igitur Clementiſſime*: *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcpt. lib.* 3. *cap.* 18. *n.* 6. *Bonac. diſp.* 2 *de cenſur. quæſt.* 2. *punct.* 3. §. 1. *n.* 13.

250 Utcumque ſe res habeat; ſi vitandus accedat, poſtquam cepta ſit conſecratio, proſequetur Miſſa uſque ad conſumptionem, ita ut celebrans Miſſam non relinquat. nec interrumpat ante conſũptionem incluſivè, nec poſt conſecrationem incluſivè. Ità *Azor part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 32. *quæſt.* 1. *Suar. diſp.* 12. *de cenſur. ſect.* 1. *Laym. lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 6. *Tambur. opuſc. de Sacrif. Miſſ. lib.* 2. *cap.* 7. §. 4.

SEC-

SECTIO VII.

Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur quo ad Miſſæ iterationem?

251 HActenùs locuti ſumus ſecũdùm jus cõmune, ex quo diximus, quid poſſint circà Miſſam celebrandam ſimplex Sacerdos, Parochus, & à fortiori Epiſcopus. Nũc verò dicendum, quid amplius poſſint Braſiliæ Epiſcopi ex ſpeciali facultate, quam à Sede Apoſtolicà conceſſam habent. Sit igitur

252 Notatio Prima. Ex Indulto Apoſtolico poſſunt Braſiliæ Epiſcopi celebrare bis in die, ſi neceſſitas urgeat. Conſtat ex tenore Indulti. Quod tamen ità intelligendum, ut in primà Miſſà non ſumatur vinum purificatorium, ſeu ablutio, ut dicitur in ipſo Indulto, idque ſemper ſervandum, quoties celebratur bis in eadem die, ut nimirùm Sacerdos celebret ſemper jejunus.

253 Neque dicas, quòd in præſenti Indulto nihil ſpeciale concedatur, cum omne illud, quod in eo conceditur, competat Epiſcopis de jure communi, imò nec ſolum Epiſcopis, ſed etiam cuilibet Sacerdoti, quamvis ſit inferior Epiſcopo, ut in ſuperioribus probatum manet.

254 Non, inquam, hoc dicas: quià in his, & ſimilibus facultatibus ſemper aliquid de novo conceditur. *Anaclet. tom.* 1. *lib.* 1. *Decret. Tit.* 3. *de Reſcriptis*, §. 5. *n.* 137. quatenùs gratia ità accipienda eſt, ut ſemper aliquid operetur, ſeu conferat. *Card. Tuſcus lit. V. concluſ.* 85. *n.* 65. alioquin inutilis eſſet gratia conceſſa, ut habetur Cap. *In his* 30. De privileg. ibi: *Ità quòd dicti Fratres aliquam ex indulgentià noſtrà videamur in hoc gratiam conſecuti.* Ubi Gloſſ. inquit: *Indulgentia enim ſemper debet aliquid conferre: aliàs deluſoria eſſe indulgentia Principis.*

255 Undè minús ſcrupuloſi eſſe debent Braſiliæ Epiſcopi, & minùs ſoliciti, quàm ſolent, in ponderandis cauſis pro ſuarum facultatum praxi, & uſu licito, quoad ea ſcilicet, quæ ex jure poſſunt, & ſimul ex ſpeciali favore, & conceſſione Pontificum: Pontifices enim, quando facultates ſpeciales concedunt, ſemper aliquid de novo credendi ſunt concedere præter id, quod de jure poſſunt Epiſcopi: alioquin inutiles eſſent gratiæ Apoſtolicæ, & Pontifices in eis cõcedendis deluſorii, quod tamen neque de Pontificibus, neque de eorum indultis præſumi debet. Vide, quæ diximus *lib.* 1. *n.* 7. & 8.

256 Et quamvis hæc ſolutio primà facie videatur non ſubſiſtere in præſenti, cúm facultas celebrãdi bis in die concedatur ſub clauſulis, & verbis adeò gravibus, ut potius videatur reſtringere, quamampliare poteſtatem Ordinariam, quam habet Epiſcopus celebrandi bis in die, ſi neceſſitas urgeat, ibi: *Caveat verò, nè prædicta facultate, ſeu diſpenſatione celebrandi bis in die aliter, quam ex graviſſimis cauſis, & rariſſimè utatur, in quo graviter ipſius conſcientia oneratur.*

257 Solutioni tamen datæ inſiſtendum, dicendumque, præſentem facultatem à Pontifice conceſſam adhuc non eſſe otioſam, ſed ſuprà jus commune aliquid de novo concedere, & operari in gratiam Epiſcopi: neque enim contenti eſſe de-

debemus, ut nova gratia ſolùm confirmet, quod aliàs jam nobis licitum erat, ut benè *Caſtr. Pal. de privileg. tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 9. *n.* 4.

258 Operatur igitur præſens facultas 1. nè Epiſcopus ſit tàm anxius de neceſſitate requirendà ad celebrandum bis in die, quàm anxius eſſe debuerat, ſi celebraret ex facultate ſibi conceſſà ex ſolo jure communi. Sumus enim in caſu, quo Braſiliæ Epiſcopis conceditur, quod aliàs cuicumque Sacerdoti licitum eſt juxtà opinionem ſatis probabilem, de quà ſuprà n. 184. facultas igitur Pontificia, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceditur, admittere debet ampliſſimam interpretationem quo ad neceſſitatem celebrandi, quatenùs accipi debet ut poteſtas facultativa alicujus, non verò ut reſtrictiva. *Paſqualig. quæſt.* 429. *num.* 4.

259 Operatur præſens facultas 2. quòd tollantur omnes omninó ſcrupuli, qui ſuboriri poſſent ex ſententiá contrariá, quæ docet non poſſe celebrari bis in die de jure communi. Univerſaliter enim, quãdò facultas ſpecialis aliquid concedit, quod ſecũdum alienam opinionem non eſt licitum, quamvis ſecundùm meam opinionem licitum ſit, attamen ſequendo adhuc meam opinionem non eſt certum, quòd hoc ſit licitum, ſed ſolùm probabiliter; accedente autem facultate ſpeciali, jam ſit certum, quòd iſtud ſit licitum. Et ſic plura privilegia tàm in hac materià, quàm in cæteris impetrantur ad ſedandos ſcrupulos, qui oriri poſſunt ex opinionibus contrariis, ſive ex ſuppoſitione, quòd non eſſent licita, quæ poſtulantur. *Paſqualig. quæſt.* 426. *n.* 1.

260 Undè non obſtant verba adeò gravia, & ſeria in Indulto appoſita, quæ videntur facere in cõtrarium: *Caveat verò &c.* non enim præſumendum eſt de Pontifice, velle ſe adimere Epiſcopis, aut reſtringere eorum poteſtatem Ordinariam in ipſomet Indulto, quo eis concedit facultates ſpeciales, ut exprimitur in ipſarum Titulo, ibi: *Facultates ſpeciales &c.* alioquin tales facultates eſſent illuſoriæ, & Pontifex in eis concedendis minùs ſincèrus, quod non eſt dicendum.

261 Quamvis igitur reſpectu alterius cujuſcumque Sacerdotis neceſſitas celebrandi bis in die conſideranda ſit, & regulanda in caſibus præter aſſignatos à n. 192. per judicium prudens, & arbitrium boni viri, ut diximus ſuprà n. 203. tamen reſpectu Epiſcopi non requiritur tanta neceſſitas, nec tam urgens, ut ipſe celebret, aut celebrare faciat, quanta requiritur, ut alii celebrent bis in die: cùm Epiſcopus præter poteſtatem Ordinariam, quam cum aliis communem habet; etiam habeat facultatem ſpecialem à Pontifice conceſſam, quam alii non habent. Et hoc mihi certum eſt, tam in hac materià, quam in quavis alia, in qua Pontifex videatur concedere, quod alias Epiſcopus poteſt de jure communi.

262 Notatio Secunda. An autem præter Braſiliæ Epiſcopos ſint etiam alii, qui habeant ſpecialem facultatem celebrandi bis in die? ℟. De Patribus Societatis JESU ita haberi in compendio Indico verb. *Miſſ.* §. 2. ibi: *Presbyteri Societatis à Præpoſito Generali miſſi in Saracenorum, & Infidelium terras, & Provincias remotiſſimas*,

tiſſimas, à quibus non poteſt adiri S. Sedes Apoſtolica, poſſunt ibidem bis in die diverſis in locis Miſſas celebrare. Paulus III. Bulla : Licet debitum 26. *Octobris* 1549.

SECTIO VIII.

Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur quo ad tempus celebrandi.

263 NOtatio Prima. Ex Indulto Apoſtolico poſſunt Braſiliæ Epiſcopi celebrare per duas horas, & dimidiam, aut tres circiter horas ante ortum ſolis. Ratio eſt: quià de jure communi poteſt quilibet Sacerdos celebrare per horam, & dimidiam, aut duas circiter horas ante ortum ſolis, ut ſuprà diximus num. 209. Indultum verò Apoſtolicum ultra id, quod Epiſcopus poteſt de jure communi, concedit celebrare per unam horá ante, ibi: *Per unam horã ante Aurorani* : poteſt igitur Epiſcopus celebrare per duas horas, & dimidiam, aut tres circiter horas ante ſolis ortum: in hoc enim tempus convertitur, quod importatur per hanc clauſulam: *Per unam horam ante Auroram.*

264 Declaratur: quià Pontifex concedens celebrare, & taxans tempus celebrandi per unam horam ante Auroram, horam ipſam, quam concedit, intendit concedere, tamquàm aliàs non conceſſam, ſive ex Rubricis, ſive ex alio capite. *Suar. diſp.* 80. *de Euchar. ſect.* 4. verſ. *Tertia exceptio. Caſtr. Pal. part.* 4. *tract.* 2[illegible]. *diſp. unic. punct.* 7. *n.* 13. verſ. *Quinta ſumitur.* Tambur. Opuſc. *de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *n.* 22. alioquin nihil concederet Pontifex, quin & illuſoria eſſet ejus conceſſio, cùm concederet horam jam conceſſam: dum igitur Pontifex concedit celebrare per unam horam ante Auroram, ſumptà hac hora, ut ſumi debet, ut diſtincta ab Aurorà, à quà Miſſa incipere poteſt de jure communi, idem valet Pontificis conceſſio, ac ſi concedat celebrare per duas horas, & dimidiam, aut tres circitèr horas ante ſolis ortum.

265 Notatio Secunda. Ex Indulto Apoſtolico poſſunt Braſiliæ Epiſcopi celebrare per unam horam poſt meridiem. Conſtat ex ipſo Indulto, ibi: *aut aliam* (*horam*) *poſt meridiem.*

266 Si autem quæras: quomodò accipienda ſit hora hæc poſt meridiem? ℟. accipiendam eſſe mortaliter, & cum aliquà latitudine, non verò mathematicé, ut ſuprà diximus num. 211. Undé ſi de jure communi poteſt Miſſa inchoari uſque ad quadrantem primum, ſeu tertiam partem horæ poſt meridiem, ut ait *Azor*: vel uſque ad ſemihoram, ut tenet *Laym. & Fagund.* vel uſque ad tres quadrantes poſt meridiem, ut volunt *Bonac. & Tambur.* ſupra citati num. 212. rectè ſequitur, quòd ex ſpeciali facultate poſſunt Braſiliæ Epiſcopi Miſſam celebrare per unam horam poſt finitum tempus, quod omnibus conceditur de jure communi, juxtà ea, quæ proximè diximus de hora computanda ante Auroram, à n. 206.

267 Poſt lapſam igitur primam horam poſt meridiem poſſunt Braſiliæ Epiſcopi Miſſam inchoare uſque ad primum quadrantem, ſeu tertiam partem horæ, aut uſque ad ſemihoram, aut uſque ad tres quadrantes juxtà diverſas Authorum opinio-

opiniones, ut nimirùm à Miſſæ inchoatione computetur hora poſt meridiem, tamquàm de novo conceſſa ultrà id, quod Epiſcopus poteſt de jure communi ob eaſdem omninò rationes, quas proximè dedimus pro intelligentia temporis, ſeu horæ conceſſæ ante Auroram.

268 Ubi adverte diligenter ad celebrandum per unam horam ante Auroram, aut aliam poſt meridiem, non requiri eam neceſſitatem, quæ requiritur ad celebrandum bis in die, licèt utraque conceſſio in eodem Indulto contineatur. Ratio eſt: quià quando neceſſitas urget, quilibet Sacerdos poteſt, etiam ſecluſo privilegio, celebrare uſque ad horam tertiam poſt meridiem, ut ſuprà vidimus num. 214. in quo etiam poteſt Epiſcopus diſpenſare de jure communi, ut cũ 27. DD. tenet *Paſq. quæſt.* 420. *n.* 3. Cùm igitur Pontifex quando Epiſcopis concedit celebrare per unam horam poſt meridiem, multò minùs concedat, quàm de jure poteſt Sacerdos, ſi urgeat neceſſitas: evidenter deducitur ad hujus conceſſionis uſum non requiri eam neceſſitatem, quæ requiritur ad celebrandum bis in die.

269 Ad celebrandum igitur per unam horam ante Auroram, aut per unam horam poſt meridiem, non requiritur cauſa gravis, ſed ſufficit cauſa aliquo modo rationabilis. Ratio eſt: quià licèt materia, aliàs eſſet gravis, fit levis ratione ſpecialis conceſſionis in materia favorabili, & nulli præjudicante, atque adeò admittente amplam interpretationem. Accedit, quòd per ſpecialem facultatem Pontificiam concedatur, quod olim ſine privilegio licitum erat, ità ut per talem facultatem fiat regreſſus ad jus, ſeu cõſuetudinem antiquam; hoc autem ſufficit, ut interpretatio fiat latiſſima. *Paſqualig. quæſt* 429. *n.* 4. & ideò quo ad hoc non requiritur cauſa gravis.

270 An verò Patres Societatis poſſint etiam celebrare antte Auroram, & poſt meridiem? ℞. in Compendio Indico verb. *Miſſ.* §. 1. *ità haberi*: *Poſſunt noſtri Presbiteri in utraque India ex conceſſione Gregorii XIII. facta* 5. *Maii* 1578. *per Bullam* Quanta in Vineà Domine: *celebrare Miſſam per horam ante Auroram, & infra horam poſt meridiem. Et ex conceſſione Alexandri VI. in Bulla*: Sanè merita: *edita* 23. *Aprilis* 1599. *& Clementis VIII. in Bulla*: Romanus Pontifex: *data* 30. *Septembris* 1592. *celebrare à duabus horis poſt mediam noctem uſque ad nonam incluſivè*; id eſt, *uſque ad horam tertiam.*

SECTIO IX.

Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur quo ad Miniſtrum, & locum celebrandi?

271 Notatio Prima. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi celebrare ſine Miniſtro, ſeu Acolytho, qui Sacrificio Miſſæ inſerviat. Cõſtat ex Indulto Apoſtolico. Deficiente autem Miniſtro, ſeu Acolytho, debet Epiſcopus, ſi celebret, potius ſibi reſpondere, quàm fœminam adhibere pro Miniſtro, ut ſuprà diximus num. 226. & 227.

272 Ut Epiſcopus celebret ſine Miniſtro, ſeu Acolytho non requiritur cauſa gravis, ſed ſufficit cauſa cujuſcũque cõſiderationis. Ratio eſt: quia ſi cauſa ſit gravis, v. g. conficiendi Viaticum, aut ſatisfacien-

ciendi præcepto audiendi Miſſam in die feſto, tunc de jure poteſt Epiſcopus celebrare ſine Miniſtro, ſeu Acolytho, ut ſuprà diximus n. 224. ergó ut ſpecialis facultas Pontificia aliquid ampliùs operetur, quàm de jure poteſt Epiſcopus; neceſſariò fatendum eſt ſufficere cauſam cujuſcumque conſiderationis, ut Epiſcopus celebret ſine Miniſtro, ſeu Acolytho.

273 Notatio Secunda. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi celebrare ſub dio, id eſt, in loco publico, & campo aperto extrà Eccleſiam, Capellam, aut Oratorium, dummodó locus ſit honeſtus, & decenter ornatus. Conſtat ex Indulto Apoſtolico.

274 Notatio Tertia. Poſſunt Braſiliæ Epiſcopi celebrare ſub terra, id eſt, in cavernis montium, Catacumbis, cryptis, aut aliis quibuſcumque locis ſubterraneis, ità tamen, ut loca ſint honeſta, & decenter compoſita. Conſtat etiam ex Indulto.

275 Rurſùs, ut Epiſcopus celebret in prædictis locis, non requiritur gravis neceſſitas, ſuppoſita ſpeciali facultate Pontificia, ſed ſufficit quæcumque rationabilis cauſa. Ratio eſt: quià licet ordinariè, & regulariter loquendo *Cōcil. Trid. Seſſ.* 22. *de ſervand;* & *vitand. in celebrant.* celebrare prohibeat extrà Eccleſiam, aut loca ad divinum cultum deputata; tamen in caſu neceſſitatis quilibet Sacerdos poteſt celebrare extrá Eccleſiam, & loca ad celebrandum deputata in quocumque loco publico, & campo aperto, dummodò locus ſit honeſtus, & decenter ornatus, ut cum *Azor part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæſt.* 6. *Bonac. diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. ultim. punct.* 9. *n.* 10. *Laym. lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 3. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 14. *Caſtro Pal. part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 8. *n.* 4. & *aliis* 56. *Doctoribus tenet Paſqualig. quæſtion.* 461. *n.* 1.

276 Deindè in caſu neceſſitatis non ſolùm poteſt Epiſcopus celebrare, ſed etiam dare licentiam celebrandi extrà Eccleſiam, & locum ad Miſſam non deputatum, v.g. in domo privata, ut tenent *Navar; in manual. cap.* 25. *n.* 81. *Barboſ. de poteſt. Epiſc. allegat.* 23. *n.* 7. *Fag. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 8. & 10. *Caſtro Pal. part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 8. *n.* 6. *Tambur. Opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 4. §. 2. *n.* 6. & 7. & alii plurimi, quos refert, & ſequitur *Paſq. quæſt.* 445. *num.* 3. & 7.

277 Quod viget, ſive neceſſitas ſit conficiendi Viaticum pro communicando infirmo, qui alitèr communicare non poteſt, niſi in ejus domo privata celebretur. *Toletus lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. *Thom. Hurt. part.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *in digreſſ.* §. 1. *dub.* 1. *n.* 2197. & alii, quos citat, & ſequitur *Paſqualig. quæſt.* 453. *n.* 2. ſive neceſſitas ſit cōmunicandi infirmum, qui longa ægritudine detinetur, modò ægritudo non ſit habitualis; *Barboſ. de poteſt. Epiſc. part.* 2. *allegat.* 23. *n.* 9. *in fine, Navarr; Vaſq.* & alii quos citat, & ſequitur *Paſqualig. quæſt.* 454. *n.* 2. & 3. & *quæſt.* 459. per totam aſſerit idem *Paſq.* cum multis DD. hanc opinionem eſſe communiſſimam, & abſque ſcrupulo practicabilem.

278 His ſuppoſitis, jam patet non requiri gravē neceſſitatē ad celebrādum in prædictis locis, ſed ſufficere Epiſcopo, attenta ſpeciali facultate Pontificia ſibi conceſſa, quam-

quamcumque rationabilem cauſam. Fundamentum eſt, quiá ſpecialis facultas Pontificia debet aliquid ampliùs operari, quàm de jure poteſt Epiſcopus: ſolúm autem intelligitur aliquid ampliùs operari, cúm minuitur ſcrupulus celebrandi ſub dio, & ſub terrá, ità ut reſpectuEpiſcopi non requiratur tanta neceſſitas,quanta de jure requiritur, ſed ſufficiat minor,ac proinde quælibet rationabilis cauſa, prout in ſuperioribus dictum manet.

SECTIO X.

Quid Braſiliæ Epiſcopis ſpecialiter concedatur quo ad Altare, Sanctorum Reliquias, & perſonarū aſſiſtentiam ad Sacrificium Miſſæ?

279 NOtatio Prima. Ex Indulto Apoſtolico poſſunt Braſiliæ Epiſcopi celebrare in Altari, ſeu petrà Aræ, etiam in dubio, an ſit enormiter fracta. Ratio eſt: quià licèt ſit mortale celebrare ſine Altari, ſeu petrà Aræ conſecratà. *Fagund. in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 22. *n.* 4. *Caſtr. Pal. part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 4. *n.* 1. *Tambur. Opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *n.* 1. tamen quià Authores dubitant, quæ ſit enormis fractura, ac proinde quando amittatur conſecratio? Alii enim dicunt petram Aræ non amittere conſecrationē, quāvis frangatur in omnibus quatuor cornibus. *Laym. lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 6. *Caſtr. Pal. part.* 4. *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 9. *n.* 8. *in fine Lugo Cardin. diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 2. *n* 75. *Tambur. Opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 5. verſ. *Colligitur primò*: alii verò aliter diſcurrunt de amiſſione conſecrationis Petræ Aræ, inde fit, ut ſpecialis facultas Pontificia non dicatur aliquid operari ultra id, quod de jure poſſunt Epiſcopi; niſi dicatur poſſe Epiſcopos abſque ſcrupulo celebrare in Altari, ſeu petrà Aræ, etiam in dubio, an ſit enormiter fracta.

280 Notatio Secunda. Ex Indulto Apoſtolico poſſunt Braſiliæ Epiſcopi celebrare, licèt in petrà Aræ non ſint reconditæ SS. Martyrum Reliquiæ. Conſtat ex Indulto. Privilegium ſtat in eo, quòd licèt ad conſecrationē petræ Aræ non requiratur de ſubſtantià reponendas eſſe in illà Sanctorum Reliquias, ut docent *Suares*, *Lug. Cardin. Caſtr. Pal. Tambur. & Fagund.* ſuprà citati num. 233. tamen ex inſtitutione Eccleſiæ reponi debent juxta Cap. *Placuit* De conſecrat. diſt. 1. ubi jubetur everti Altaria, in quibus non probatur eſſe reconditas Sanctorum Reliquias: atque ità ſupponit Sacerdos, cùm Altare Sacrificaturus ingreditur, & ex praxi Eccleſiæ dicit: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic ſunt.* In hac igitur lege, ſeu inſtitutione Eccleſiæ diſpenſat Pontifex, quando concedit Epiſcopis celebrare poſſe ſine Sanctorum Reliquiis ibi collocatis.

281 Notatio Tertia. Ex Indulto Apoſtolico poſſunt Braſiliæ Epiſcopi celebrare, etiam præſentibus Hæreticis, Schiſmaticis, Infidelibus, & Excommunicatis, ſi aliter celebrare non poſſint. Supponit Indultum Hæreticos, Schimaſticos, Infideles, & Excommunicatos aſſiſtere non poſſe Sacrificio Miſſæ, ut ſupra vidimus à num. 238. cúm igitur talibus perſonis interdicta ſit aſſiſten-

aſſiſtentia ad Sacrificium Miſſæ, inde patet, quid Braſiliæ Epiſcopis concedatur, ſi aliter celebrare non poſſint.

282 Dubium tamen eſt: An Indultum loquatur de Hæreticis, Schiſmaticis, & Excommunicatis tantùm toleratis, an etiam de vitandis? ℞. Indultum loqui, & intelligi debere non ſolúm de Hæreticis, Schiſmaticis, & Excommunicatis toleratis, ſed etiam de vitandis, ità ut his etiam præſentibus, poſſint Epiſcopi celebrare, ſi aliter celebrare non poſſint.

283 Ratio eſt: quià licèt Excommunicati tolerati debeant abſtinere ab aſſiſtentià Miſſæ, ac proinde peccent mortaliter; ſi ejus celebrationi ſe ingerant, ut cum *Fagund. Filliuc. & Paſqualig.* diximus ſuprà num. 244. Tamen eos vitare non cogimur, ſed adhuc licitè cum eis communicamus etiam in divinis, ut cum *Caſtr. Pal. Bonac. & Sayr.* diximus ſuprà num. 242.ergò ut Indultum Apoſtolicum intelligatur aliquid ampliùs operari ìn gratiam Epiſcopi, quám de jure poteſt Epiſcopus, neceſſario interpretandũ eſt de Hæreticis,Schiſmaticis, & Excommunicatis vitandis, ità ut his etiam præſentibus, celebrare poſſit Epiſcopus, cùm alioquin, etiam ſecluſo privilegio, celebrare poſſit præſentibus toleratis, non autem præſentibus vitandis, ut ſuprà diximus numer. 243.

284 Quod intellige de celebratione ab introitu Miſſæ uſque ad ejus finem: nam ſi quilibet Sacerdos celebrare poteſt ab incepto Canone, vel à conſecratione uſque ad conſumptionem incluſivè, etiam præſentibus vitandis, quando vitandi monentur, ut exeant à loco celebrationis, ipſi tamen exire nolunt, ut ſuprà diximus num. 250. optimè infertur facultatem Pontificiam loqui, & intelligendam eſſe de vitandorum præſentià conceſſa, ſeu permiſſà ab introitu Miſſæ uſque ad ejus finem, ut nimirùm talis conceſſio aliquid amplius dicatur efficere, quàm de jure poſſunt Epiſcopi, aliàs dicta facultas concederet jam conceſſum, quod non eſt dicendum.

SECTIO XI.

Specialis cura Braſiliæ Epiſcopis commiſſa pro cognoſcendis, & approbandis cauſis reſpectu Sacerdotum, qui ab iiſdem Epiſcopis, vel à Sede Apoſtolica facultatem obtinuerint celebrandi bis in die

285 PRæter gratias ſpeciales, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, duo ipſis commendantur in præſenti Indulto. Primum: quòd ſi aliquando Epiſcopus alteri communicarit facultatem celebrandi bis in die, ut communicare poteſt juxtà facultat. Cathalog. n. 28. id minimé faciat, niſi cum magnà conſideratione, & ſub omnibus illis conditionibus, quæ ad finem præſentis Indulti apponuntur. Circa quod ſit

286 Notatio Unica. An, non obſtantibus omnibus illis clauſulis, quæ ad finem præſentis Indulti apponuntur, poſſit adhuc Epiſcopus alteri communicare facultatem celebrandi bis in die, concurrentibus illis ſolùm cauſis, quæ communiter approbantur á Doctoribus ad

ità celebrandum: an potius requirantur, & expectari debeant graviores cauſæ? ℟. non requiri, nec expectandas eſſe graviores cauſas, ſed ſufficere ſolùm eas, quæ communiter approbantur à Doctoribus. Ratio eſt: quià Pontifex, quando Braſiliæ Epiſcopis gratiam facit cõmunicandi alteri facultatem celebrãdi bis in die, non intendit reſtringere Epiſcoporum poteſtatem Ordinariam, imò potiùs aliquid de novo concedere præſumitur ultra id, quod de jure poſſunt Epiſcopi, ut latè diximus ſupra à num. 254. Quilibet verò Sacerdos etiam ſimplex poteſt de jure celebrare bis in die, ſi aliqua neceſſitas urgeat ex his, quas communiter approbant Doctores, ut ſuprà vidimus n. 184.

Idque aut cum approbatione Epiſcopi, ſi ad illum pateat recurſus, ut cum *Barboſa in collect. ad Decret. de Servand. & vitand. in celebrat. Miſſ. n. 27. Seſſ. 22. Concil. Trid.* & aliis tenet *Paſq. quæſt.* 392. *num.* 1. aut ſine approbatione Epiſcopi, quando ad illum non patet recurſus, ut probat *Paſqualig. cit. n.* 4. Attenta igitur ſpeciali facultate Pontificia, quam ulterius habent Epiſcopi dandi licentiam, ut Sacerdos celebret bis in die, ſi neceſſitas urgeat; rectè deducitur poſſe Epiſcopos dictam licentiam concedere etiam concurrentibus iis ſolùm cauſis, quæ à DD. cõmuniter approbantur, non obſtantibus omnibus illis clauſulis, & conditionibus, quæ ad finem Indulti apponuntur.

287 Neque obſtat, quòd neceſſitas celebrandi bis in die ſtrictiùs accipienda ſit his temporibus ob copiam Sacerdotum, quàm antiquitùs accipiebatur, ut notant *Suar. diſp.* 80. *de Euchar. ſect.* 3. *in fine*, *Vaſq.* 3. *part. diſp.* 231. *cap.* 5. *num.* 48. *Lugo Cardin. de Euchar. ſect.* 2. *n.* 45. *Dicaſtill. de Sacram. tract.* 9. *diſp.* 4. *dub.* 3. *n.* 42. non, inquam, obſtat: quia copia Sacerdotum ſolùm minuit caſus neceſſitatis, & facit non eſſe ità frequentes, & ordinarios, ac antiquitùs, ut benè *Paſqualig. quæſt.* 361. *n.* 3. Non tamen tollit, quòd ſi neceſſitas urgeat, liceat his etiam temporibus iterare Miſſam, non ſecùs, ac tempore antiquo, *Layman. lib.* 5. *tract.* 5. *cap. n.* 6. verſ. *circ. hos caſus. Suar diſp.* 80. *de Euchar. ſect.* 3. verſ. *Eſt autem. Rodrig. in ſum. par.* 1. *cap.* 249. *n.* 5. *Franciſc. Lug. lib.* 5. *de Sacram. cap.* 2. *quæſt.* 56. *n.* 38. verſ. *Notant. primò.*

288 Ratio eſt: quià multitudo Sacerdotum non tollit facultatem relictam à jure pro caſibus neceſſitatis, quatenùs talis facultas non fuit conceſſa intuitu exigui numeri Sacerdotum, ut proindè ceſſante cauſa finali, debeat & ipſa facultas ceſſare: imò potius eſt facultas, quæ convenit ex natura rei, ſeu ex facultate Sacerdotali, quæ eſt poteſtas offerendi Sacrificium univerſaliter, & abſque ulla reſtrictione. Undè cùm non fuerit reſtricta pro caſibus neceſſitatis, remanet cum tota ſua amplitudine. Multitudo igitur Sacerdotum ſolùm impedit, nè occurrant tot caſus neceſſitatis, quòt aliàs occurrerent; non autem tollit, nec reſtringit facultatem antiquam, ſi fortè occurrant caſus neceſſitatis, quos approbant DD: ergò ſi occurrant, remanet eadem facultas, quam anteà habebant Sacerdotes; & ideò poterunt eodem modo iterare celebrationem, ac antiquitùs, urgeat neceſſitas.

289 Hoc quidem eſt diſcrimen in-

inter tempus præſens, & antiquum: quód tempore præſenti, cum ſit multitudo Sacerdotum, raró detur neceſſitas iterandi Miſſam, adeóque cum maiori cõſideratione nunc procedi debeat, quàm antiquitùs: unde fiet, ut ætate noſtra non niſi ex vera, & graviſſima cauſa neceſſitatis permittenda ſit iteratio Miſſæ. Antiquitùs verò ex minori cauſa permittebatur iteratio Miſſæ, tamquàm quid conſuetum, quodque admirationem non pareret ob penuriam Sacerdotum. Hoc tamen diſcrimen non tollit poteſtatem à jure conceſſam celebrandi bis in die, ſi neceſſitas urgeat.

290 Jam verò ſecundum, quod Braſiliæ Epiſcopis commendatur in præſenti Indulto, eſt, quod ſiquis Sacerdos in eorum Diœceſi appareat, qui facultatem celebrandi bis in die, à Sede Apoſtolica obtentam habeat, tunc Epiſcopi cauſas tali facultate utendi examinent, & mature deliberent; an eas ſint approbaturi, ità ut ipſarum cauſarum approbatio graviter, & ſeriò conſcientiæ ipſorum Epiſcoporum injungatur. Circa quod etiam ſit

291 Notatio Unica. Cùr Pontifex tàm graviter cõmendet Epiſcopis, ut hi ſeriò conſiderent, qualiter approbent cauſas celebrandi bis in die, caſu, quo quis appareat facultatem celebrandi bis in die, à Sede Apoſtolica obtentam habẽs? ℞. rationem eſſe primò: quia licet multitudo Sacerdotum non tollat facultatem, quàm jus concedit iterandi Miſſam, quando urget neceſſitas; negari tamen non poteſt, quòd multitudo Sacerdotum impediat, nè jam hodie tot eveniant caſus neceſſitatis, quot antiquitùs contingebant: ut igitur Sacerdos, qui ſpecialem facultatem Pontificiam habeat iterandi Miſſam, tali facultate non abutatur, judicando per ſe gravem eſſe cauſam, quæ fortaſſè gravis non erit; idcircò Braſiliæ Epiſcopis committitur talium cauſarum examen, & approbatio.

292 Secundò: quià à *Concil. in Decret. de Servãd. & vitand. in celebrat. Miſſar. Seſſ.* 22. omnibus Epiſcopis injungitur, ut invigilent, nè in celebratione Miſſarum committatur aliquis abuſus: ſicut igitur juxtà tale Decretum Epiſcoporum eſt curare, nè illa, quæ ad celebrationem Miſſæ pertinent, indebito ordine fiant; ità etiam juxtà præſens Indultum Braſiliæ Epiſcopis committitur judicare de ſufficiẽtia cauſæ pro iteratione Miſſæ, quãvis facultas iterandi à Sede Apoſtolica aliás obtenta ſit, idque ex eo maximé, quià uſus hujuſmodi facultatis requirit maturam conſiderationem, quæ potiùs in Epiſcopo, quam in Sacerdote praticulari præſumi debet.

293 Hinc eos puniri, qui Miſſã interarent ſine legitima cauſa, ad Epiſcopos pertinet. *Paſq. quæſt.* 394. *n.* 3. Ratio eſt: quia iteratio Miſſæ eſt licita ex objecto, & ſolùm mala, quià prohibita, quod ex eo convincitur, quià olim plures Miſſæ in eadem die dicebantur, & nunc etiam in Natali Domini tres ab eodem Sacerdote celebrantur: ergò iteratio Miſſæ ſolùm eſt mala, quià prohibita ab Eccleſia, adeòque puniri poteſt ab Epiſcopo.

294 Quod intelligitur, niſi iteratio Miſſæ ſine legitimà cauſà, & ex aliis circumſtantiis ſaperet hæreſim: tunc enim non ad DD. Epiſcopos, ſed ad DD. Inquiſitores ſpectaret delicti punitio: & qui taliter celebraſſe comprehenderetur,

ad S. Tribunal eſſet remittendus.

295 Si autem quæras: quá pœnà poſſet Epiſcopus punire, qui Miſſam iteraret ſine legitimà cauſa? ℞. pœnam hujus delicti eſſe Epiſcopo arbitrariam. Ità *Bonac. diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. ult. punct.* 7. §. 5. *n.* 10. verſ. *Verum, ut dixi. Filliuc. tract.* 5. *cap.* 4. *quæſt.* 6. *n.* 109. & alii, *quos citat, & ſequitur Paſqualig. quæſt.* 394. *n.* 1. Ratio eſt: quià neque in Cap. *Conſuluiſti*, neque in Cap. *Te referente*, De celebrat. Miſſar. ubi habetur prohibitio pluriés celebrandi, neque etiam alibi in jure reperitur aliqua pœna taxata contrà hoc delictum: manet ergò Epiſcopis arbitraria, modò ſit commenſurata, & proportionata delicto graviori, vel minùs gravi ex circumſtantiis, ut notat *Menoch. de arbitrariis, caſu* 407. *n.* 51. *cenſur.* 5. *lib.* 2. Undè.

296 Sequitur primò celebrantem bis in die abſque legitimà cauſa puniri poſſe pœnà pecuniaria, ſi delinquens ſit perſona nobilis, aut literis inſignis. *Paſqualig. quæſt.* 395. *n.* 1. Ratio eſt: quià cùm in arbitrariis habenda ſit ratio perſonæ, quæ venit punienda, ut obſervat *Bart. in* leg. *Si Societatem*, §. *Arbitrorum*, *n.* 28. verſ. *Idem in quantum*, ff. Pro Socio, hinc poteſt Epiſcopus, ſi qualitas perſonæ ità exigat, imponere ſolam pœnam pecuniariam, quatenùs poteſt arbitrium ſuum moderari, prout patitur ſubjecta materia. Decius in leg, *Si fugitivi*, *n.* 93. C. De ſerv. fugit; & alii cum Gloſſ. in leg. *Has cauſas* ff. De condit: & demonſtrat.

297 Sequitur ſecundò prædictum delinquentem poſſe etiam puniri pœna pecuniaria, & ſimul corporali, aut ſpirituali, qualis eſſet v. g. ſuſpenſio á celebratione, itá ut ex utráque ſimul fiat pœna æquivalens. *Paſqualig. quæſt.* 395. *n.* 3. Cum hac tamen advertentiá, quòd quælibet pœna corporalis, licet levis, eſt maior quacumque pecuniariá, leg. *In ſervo* ff. De pœn. & notant *Bart. Decius*, & alii, quos ſequitur *Menoch. de Arbitrar: quæſt.* 30. *n.* 39. *lib.* 1. Quod cúm totum ſit arbitrarium Epiſcopo, & illius conſcientiæ relinquendum, ut habet *Menoch. de arbitrar. quæſt.* 14. *n.* 9. *lib.* 1. non eſt, cur in eo declarando diutiùs immoremur.

DIS-

DISPUTATIO QUARTA

DE VIGESIMA QUARTA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Præſentis Indulti Praxis.

298 Vigeſima quarta Facultas Pôtificia: *Deferendi Sanctiſſimũ Sacramentum occultè ad infirmos ſine lumine, illudque ſine eodem retinendi pro eiſdem infirmis, in loco tamen decenti, ſi ab Hæreticis, aut Infidelibus ſit periculum Sacrilegii.*

299 Notatio Unica. Quæ ſit praxis præſentis Indulti? ℞. Præſentis Indulti praxis eſt. Quando infirmus, cui miniſtrãdum eſt Viaticum, ab Eccleſiâ ità diſtat, ut per loca deſerta, & ſolitaria deferendum ſit Sacramentum extrà civitates, & oppida populoſa; nec in domo infirmi celebratur Miſſa, quod tamen ex licentiâ Epiſcopi fieri poſſe diximus ſuprà num. 276. tunc Parochus, vel de ejus licentiâ alius Sacerdos Euchariſtiam includit in thecá, vulgò *Relicario*, & illam ante pectus defert factus eques, vel pedes cum laternis accenſis, vel ſine illis, prout occaſio fert. Poſtquàm verò domum infirmi ingreditur, vel antequam ingrediatur, ſuperpelliceo, & ſtolâ induitur, & Viaticum miniſtrat, ut mos eſt, quo ad alia.

300 Dum tamen hæc fiunt, nullum eſt periculum Sacrilegii ab Hæreticis, vel Infidelibus committendi contrà Sanctiſſimum Sacramentum. 1. quiá in Braſiliâ non ſunt Hæretici. 2. quiá Infideles, quos inter vivimus, aut ſunt Indi, aut Æthiopes; ex humili autem conditione priorum, & poſteriorum miſerâ ſervitute, non eſt, cùr timeatur Sacrilegium contrà Sanctiſſimum perpetrandum, ut alibi diximus.

His pro præſenti Indulto notatis, ad quæſtiones, quæ vel hujus loci ſunt propriæ, vel ſaltem Viatico miniſtrando utiles, tranſeamus.

SECTIO II.

De ſumptione Viatici iteranda.

301 Notatio Unica. An infirmus non jejunus, qui jam ſumpſit Viaticum, poſſit illud ſumere, durante eàdem infirmitate, & mortis periculo? Dixi: *Non jejunus*: quià infirmus, qui ſit in jejunio naturali, toties poteſt communicare, quoties poteſt quicumquè ſanus, ac bene valens, in quacumque hora diei etiam poſt meridiem, ut cum *Sylveſt. Angel. Tabien, & Henriq. tenet Fagund. in 1. Eccleſ. præcept. lib. 3. cap. 7. n. 13.*

302 Deinde infirmus, qui cõmodè poteſt Viaticum ſumere jejunus,

jejunus, ad id tenetur, ut eſt communis DD. opinio, & quotidiana praxis; & præter *Granad. Suar. Coninch. Fag. & Bonac.* hanc ſententiam tenent *Leander*, *Cardin. de Lug. Amicus*, & alii, quos citat, & ſequitur *Dian. Coordinat. tom. 2. tract. 2. reſolut. 82. n. 2.* Quæſtio igitur procedit de infirmo non jejuno, quique jejunus commodè expectare non poteſt horam cõmunicandi. His poſitis, ad quæſtionem

303 ℟. affirmativè cum *Toleto in ſum. lib. 10. cap. 15. Sá* verbo *Euchar. n. 50. Coninh. de Sacram. quæſt. 80. art. 8. num. 53. Reginald. tom. 2. lib. 29. cap. 6. num. 120. Henriq. lib. 8. cap. 4. n. 1. & cap. 50. n. 1. Suar. in 3. part. tom. 3. diſp. 68. ſect. 1 & cum aliis, quos cit. & ſequitur Dian. Coordinat. tom. 2. tract 2. reſolut. 83.* His addi poſſunt Doctores infra citandi, qui litigant de intervallo temporis interponendo inter unam, & alteram Viatici ſumptionem, & conſequentèr ſupponunt pluriès ſumi poſſe.

304 Fundamentum hujus ſententiæ eſt: quià moriturus valdé indiget tanti Sacramenti præſidio, & ſic indigentem ope, & ſubſidio hujus Sacramenti ad vincendas occurrentes tentationes, & peccandi pericula ſuperanda, non videtur velle pia Mater Eccleſia præcepto jejunii adſtringere. Deindé in *Concil. Conſtantienſi Seſſ. 13.* dicitur poſſe Euchariſtiam dari non jejuno in caſu infirmitatis: ergò cùm Concilium non limitet ad unam tantùm vicem, nec nos limitare debemus. Præſertim cùm in ſecunda, & tertia vice adſit eadem neceſſitas, quæ in prima, videlicet, né infirmus auxilio tanti Sacramenti privetur.

SECTIO III.

De tempore inter unam, & aliam Viatici ſumptionem interponendo.

305 Notatio Prima. Quantum temporis intervallum ſufficiat, ut æger non jejunus, qui jam ſumpſit Viaticum, poſſit illud iterùm ſumere, durante eadem ægritudine, & mortis periculo? Referamus Doctorũ opiniones. *Laym. in Theolog. moral. lib. 5. tract. 4. cap. 6. n. 20.* ſic ait. Euchariſtia ob mortis periculum ſi ſumpta ſit à non jejuno, poſſe ità accipi ſaltem poſt ſex dierum intervallum, docent aliqui: quinimò exiſtimo ob juſtam cauſam, putà, ſi aliquis aſſuetus frequenter communicare, aut ſacrificare; propter devotionem, ac deſiderium dificile abſtineat, permitti ipſi poſſe, ut altero ſtatim die iterùm Sacram Euchariſtiam è manu Sacerdotis accipiat non jejunus, dummodò mortis periculum inſtare videatur. Ità *Layman.*

306 Magiſter *Serra Dominicanus in 3. part. D. Thom. quæſt. 80. art. 8.* hæc ſcripta reliquit. Si quæras (ait) an in eadem in firmitate poſſint infirmi non jejuni poſt ſumptum Viaticum communicare? Reſponderi ſolet communiter poſſe, dummodó inter unam, & alteram communionem mediet tempus ſex, vel octo dierum. Non deſunt tamen, qui dicant, ſi mortis periculum ſemper inſtet, poſſe etiam altero die poſt Viaticum ſumptum, & deinceps quotidie communicare non jejunum; quià in mortis periculo non ſolùm permittitur non jejuno communio, ut poſſit implere præceptum accipiendi Viaticum, ſed

ſed etiam, quia moriturus valdè indiget hujus Sacramenti præſidio. Ita *Serra*. Et hanc ſententiam probabilem eſſe putat *Tambur. in method. expeditæ Cõmunionis. cap.* 5. §. 11. *num.* 24.

307 *Caſtro Pal. tom.* 4. *tract.* 21. *diſp. unic. punct.* 13. *n.* 14. habet ſequentia. Ego verò dicendum exiſtimo, vel ſentiendum eſſe cum *Vaſq.* vel affirmandum non ſolùm poſt ſex, vel octo dies, te poſſe iterum Viaticum ſumere, ſed ſingulis diebus. Nam ſi conſtitutis in mortis periculo, ut præcitati Doctores affirmant, nulla eſt lex poſita de præmittendo jejunio communioni: cùm datum omnibus ſit ſingulis diebus Euchariſtiam accipere, poterunt illam accipere non jejuni, ſi jejunium ſervare non poſſunt. Neceſſitatem verò tanti Sacramenti ſingulis diebus habent morituri; ut quid ergo illo privandi ſunt? Poterunt ergò ſingulis diebus communicare, ſi alitér non poſſunt. Et ità ſubſtinent *Tabiena*, & *Armilla* caſu, quo moriturus poſt ſemel acceptum Viaticum peccaret mortaliter, quod tamen *Henriq. lib.* 8. *cap.* 50. ſolùm dicit non decere ob reverentiam Sacramenti, ſic ſæpiùs communicare, tacitè indicans ſolùm eſſe minùs conveniens, ſed non illicitum. *Emmanuel. Sà*, verb. *Euchar.* n. 5. & 34. *edit. Rom.* ſine ulla limitatione inquit poſſe ſæpiùs in eadem ægritudine infirmum etiam non jejunum communicare, quoties expetere videtur. *Laym.* exiſtimat, ſi aliquis aſſuetus eſt frequenter communicare, vel ſacrificare, & propter devotionem, ac deſiderium deficile abſtineat, permitti poſſe, ut altero ſtatim die iterum Sanctam Euchariſtiam è manu Sacerdotis accipiat non jejunus, dummodò mortis periculum inſtare videatur. Hæc omnia *Caſtro Palao*. Quam etiam ſententiam tenent *Hurtad. de Sacram. Euchar. diſp.* 9. *diffic.* 11. *Leand. de Sacram. tom.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 5. *quæſt.* 40. *Eſcobar. in Theolog. moral tract.* 7. *exem.* 6. *cap.* 5. *n.* 62. & alii, quos citat, non tamen ſequitur *Dian. Coordinat. tom.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 87. *n.* 1. *ad med.*

308 *Dian. Coordinat. tom.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 85. *n.* 2. *cum Filliuc. tom.* 4. *cap.* 8. *n.* 238. & aliis, quos ibi refert, tenet ſufficere ſpatium ſex dierum, ut infirmus iterùm communicet non jejunus. Idem tenuerat *Reſol.* 77. *n.* 2. *paulò poſt init*; & poteà idem repetiit, *Reſol.* 86. *n.* 1. *Idem verò Dian. Coordinat. tom.* 1. *tract.* 7. *Reſol.* 57. *n.* 2. *in fine* reſolverat hæc: ſed ego in caſibus contingentibus libentèr concederem infirmis poſſe recipere iterùm Sanctum Viaticum poſt intervallum trium, vel quatuor dierum.

309 Et rurſùs idem *Dian. dict. tom* 2. *tract.* 2. *Reſol.* 87. *num.* 3. hæc habet. Sed ſi aliquis curioſus inquirat, quot dies debeat ſupervivere infirmus, ut poſſit, jam ſumpto Viatico, iterùm communicare? Reſpondeo, præter diem ſumpti Viatici alteros duos dies. Undè juxtà *Dianam* ſupra citatum non ſolùm poſt ſex, ſed etiam poſt tres, vel duos dies adminiſtrari poteſt, & iterùm dari Viaticum infirmo non jejuno, durante mortis periculo. Ex relatis Doctorum opinionibus, in hanc ultimam inclino. Sit igitur

310 Notatio Secunda. Ut infirmus iterùm ſumat Viaticum non jejunus, ſufficit ſpatium duorum dierum. Probatur reſolutio: quia Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum,

tum, ità habet: *Quòd ſi æger, ſumpto Viatico, dies aliquot vixerit, & communicare voluerit, ejus pio deſiderio Parochus non deerit.* Ubi Pontifex loquitur de infirmo, qui iterùm communicare voluerit non jejunus, ut latè probat *Dian. Coordinat. tom. 2. tract. 2. Reſol. 77. n. 2. poſt medium*, & rurſùs dict. *tom. 2. tract. 2. Reſol. 87. n. 5.* Unde juxtà Rituale Romanum non ab uno tantùm Theologo compoſitum, ſed à Congregatione plurimorum Cardinalium ſpecialiter ad id deputatorum, & de conſilio eruditorum Virorum conſcriptum, & approbatum, ut teſtatur idem Pontifex in Brevi dato Romæ die 17. Junii 1614. ubi etiam addit Pontifex velle ſe, ut omnes Epiſcopi, Archiepiſcopi, &c. ab omnibus Parochis faciant dictum Rituale Romanum inviolabiliter obſervari.

311 Juxtà Rituale Romanum, inquam, poteſt infirmus, qui jam ſumpſit Viaticum iterùm communicare poſt aliquot dies: atqui pluralis locutio importata per ly *aliquot dies* duorum dierum numero eſt contenta, ut deducitur ex Regul. *Pluralis* 40. de Regul. jur in 6. ubi gloſſ. figurat caſus in Cap. *Is cui*, §. 1. De præbend. eod. lib; & figurari etiam poſſunt in Leg. *Libertas* §. *poſt annos*, ff. De manum. teſtam; qui caſus videri poſſunt apud *Dian. Coordinat. tom. 2. tract. 2. reſol. 87. n. 3.* ergò infirmus, qui jam ſumpſit Viaticum, poteſt illud iterùm ſumere poſt duos dies; cùm pluralis locutio Ritualis Romani numero duorum dierum verificetur.

312 Et hæc eſt ſententia *Dian. Coordinat. dict. tom. 2. tract. 2. reſol. 87. n. 3.* Ubi n. 4. habet ſequentia. Et hæc noſtra ſententia reſpicit reverentiam debitam Sacramento, quià non concedit Viaticum ſequenti die, ut docent *Palaus*, & alii ſuprà citati. Reſpicit etiam neceſſitatem, & utilitatem infirmorum, quià non differt ſecundum Viaticum uſque ad ſextum, vel octavũ diẽ, ut vult *Suar*; & alii: ergò cùm ſit ſatis fundata in jure, videtur amplectenda, ut illam amplexi ſunt viri doctiſſimi à me conſulti. Et hanc opinionem practicandam cenſeo non ſolùm cum aſſuetis cõmunicare, ſed etiam cum non aſſuetis: quià omnes illo tempore indigent auxilio tanti Sacramenti; unde teneo abſoluté pro omnibus: quòd ſi aliquis, v. g. ſumpſit Viaticum feria ſecunda, poſſit illud iterùm ſumere feria quinta: nam ſic dicitur illud ſumpſiſſe, ut vult Rituale Romanum poſt aliquot dies. Nota, quòd noſtra ſententia ità placuit cuidam viro docto, ut putaverit infirmum non jejunum poſſe ſumere ſecundum Viaticum poſt 48. horas; nam unus dies Conſtat ex 24. horis; & ſic ſumere Viaticũ poſt duos dies. Sed ego puto hos duos dies computandos eſſe à prima media nocte poſt diem ſumpti Viatici. Hæc laudatus *Dian*.

313 Ego verò, qui ſententiam *Dianæ* libenter amplector quoad alia, eam non approbo quo ad hanc ultimam ejus partem; quatenùs ego non ſolum inclino in judicium ejus viri docti, qui putavit infirmum poſſe iterùm ſumere Viaticum poſt 48. horas, verum etiam ſi infirmus eſſet aſſuetus frequentér communicare, vel ſacrificare, & propter devotionem, ac deſiderium difficile obſtineret á Communione, & tanti Sacramenti commercio; nullus mihi ſubeſſet ſcrupulus practicandi cum tali, ſaltem pro una, vel alterà vice, opi-

opinionem *Laym. Caſtro Palao*, & aliorum, qui cùm his ſentiunt poſſe infirmum non jejunum ſumere Viaticum ſingulis diebus. Ratio mihi eſt: quià *Laym. Caſtro Pal.* & hujuſmodi viros doctiſſimos non latuit Rituale Romanum, ejuſque Decretum: ſi igitur non obſtante Decreto Ritualis, ob rationes tamen, quibus moti ſunt tanti Doctores, judicarunt ipſi poſſe infirmum ſingulis diebus ſumere Viaticum; quonam ego ſcrupulo tangerer, aut quis dubitarem illorum ſententiam admittere, & ſaltem pro una, vel altera vice practicare cum Viro Religioſo, pio, ac devoto?

314 Ubi adverte cum *Granad*; *Suar*; *& Dian. Coordinat. tom.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 84. *n.* 2. quòd licèt infirmus expectare poſſet jejunus per unam, vel alteram horam poſt mediam noctẽ, adhuc non eſſe obligationem in ea intempeſtiva hora ſumendi Viaticum, ſed poſſe differri ad aliud tempus, in quo infirmus non ſit jejunus, quod etiam docet *Tannerus tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 8. *dub.* 4. *n.* 84.

SECTIO IV.

De nova ſumptione Viatici, ſi infirmus incidat in peccatum mortale.

315 Statuimus proximè poſſe infirmum non jejunum poſt primam ſumptionem Viatici, illud iterùm ſumere, lapſis diebus aliquot, durante eadem infirmitate, & mortis periculo: nunc veró inquirimus, an ad id teneatur, ſi poſt primam ſumptionem incidat in peccatum mortale?

316 Notatio Unica. ℟. infirmũ ad id non teneri. Ità *Hurtad. de Sacram. Euchar. diſp.* 10. *diffic.* 2. *Cardin de Lug. de Euchar. diſput.* 16. *ſect.* 3. *n.* 46. *Franciſc. Lug. de Sacram. lib.* 5. *cap.* 9. *quæſt.* 5. *n.* 36. & alii, quos citat, & ſequitur *Dian. Coordinat. tom.* 2. *tract.* 2. *Reſol.* 76. *n.* 1. Fundamentum eſt: quià infirmus, qui in mortis articulo ſemel communicavit, jam ſatisfecit præcepto divino de recipiendo Viatico pro illo articulo: ergò non tenetur illud iterùm recipere. Confirmatur: quià peccatum commiſſum poſt ſumptionem Viatici, poteſt aliter aboleri, quàm per novam ſumptionem Euchariſtiæ, videlicet, per Sacramentum pœnitentiæ, vel ſi non adſit copia Confeſſoris, per actum perfectæ contritionis, & amoris erga Deum ſuper omnia: ergò.

317 Et in hoc ſenſu exponerem *P. Vaſquium, qui in* 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 211. *cap.* 4 *n.* 38. docet infirmum non jejunum, qui in mortis articulo jam ſumpſit Viaticum, non poſſe illud iterùm ſumere, quaſi diceret, *non teneri.* Utque ità exponam *P. Vaſq.* ex eo moveor, quià *Dian. Coordinat. tom.* 2. *tract.* 2. *Reſol.* 86. *n.* 1. *ad finem hæc habet* ibi: Poſt hæc ſcripta inveni *Ludovicum de S. Juan. in ſumm. tom.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 10. *diffic.* 4. *de Sacram. Euchar. ſic aſſerere: Siendo yo Prelado, dava a los enfermos el Viatico, ſi lo pedian cada tercero dia, y en la Univerſidad de Alcalà ſe ſabia, y lo approbavan, ſino el Padre Vaſquez.* Ità ille, ubi etiam notat dictum Gabrielem Vaſquez tandem in hanc deſcendiſſe ſententiam, quod eſt valdè notandum contra illos, qui nixi authoritate Vaſques negant Viaticum ſæpiùs dandũ infirmis. *Hæc Dian. citat.*

318 Neque obſtat 1. quod ſiquis in mortis articulo conſtitutus abſolvatur, & poſtèa peccet mortaliter, iterum teneatur abſolutionem petere, ut ſatisfaciat præcepto confeſſionis pro illo articulo: ergò etiam ſiquis in mortis articulo conſtitutus recipiat Viaticum, & poſteà peccet mortaliter, iterúm tenebitur Viaticum recipere, ut ſatisfaciat præcepto communicandi pro illo articulo. Non, inquam, obſtat, quià eſt diverſa ratio: nam abſolutio à peccatis commiſſis eſt medium neceſſarium ad ſalutem pro omni tempore, quo quis lapſus ſit in peccatũ mortale. At verò Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutẽ, ſed ſolũ neceſſitate præcepti, quod præceptum imponitur in mortis articulo, ut Euchariſtia ſumatur tamquam Viaticum, & in memoriam Paſſionis Chriſti; cúm verò iſtiuſmodi præceptum jam impletum ſit, & ſatisfactũ, poſità prima ſũptione, idcircò deinceps non obligat pro illo articulo, quamvis obliget pro alio.

319 Non obſtat 2. quòd per peccatum mortale amittatur gratia, ſeu unio illa cum Deo, quæ Sacramenti Euchariſtici videtur eſſe proprius, & ſpecialis effectus: ergò hujuſmodi effectus, ſeu unionis animæ cum Deo amiſſio, per ſolam Euchariſtiam reparari poteſt. Undè ad ejus reparationem tenebitur infirmus, qui jam ſumpſit Viaticũ, illud iterúm ſumere caſu, quo incidat in mortale. Non, inquam, obſtat: quià hujuſmodi unionis animæ cum Deo, ſeu divinæ gratiæ amiſſio inſtaurari poteſt per Sacramentum pœnitentiæ, vel ſi non adſit copia Confeſſoris, per actum perfectæ contritionis, & amoris ergà Deum ſuper omnia, ut diximus.

SECTIO V.

De Viatico conferendo, quando aliquis manè communicavit, & poſt prandium incidit in articulo mortis.

320 Notatio Unica. An qui manè Miſſam dixit, vel Sacram Euchariſtiam ſumpſit, ſi poſt prandium incidat in mortis articulum, poſſit adhuc, vel teneatur eodem die communicare per modum Viatici? Talem non ſolúm poſſe, ſed etiam teneri eodem die communicare per modum Viatici, probat *Dian. Coordinat. tom. 2. tr. 2. reſol. 73. 74. 75. per totas, & reſol. 81. à n. 4. cum P. Hurtad. de Sacram. Euchar. diſp. 10. diffic. 2.* qui pro hac parte Vaſquium citat in manuſcriptis. *Turriano in ſum. part. 2. cap. 58. dub. 2. n. 3. Ochagavia de Sacram. tract. de Euchar quæſt. 14. n. 7. Kelliſonio in 3. part. tom. 2. quæſt. 80. art. 11. notab. 2. & aliis, quos citat dict. reſol. 75.*

321 Conſonat doctiſſimorum Virorum commune conſilium, & praxis: hanc enim opinionem practicarunt anno 1638. Patres Societatis JESU Domùs Profeſſæ Panormitanæ in Perſona Patris Gaſcone, ut teſtatur *Dian. Coordinat. tom. 2. tract. 2. reſol. 75. n. 2 in fine*, qui cúm mane Miſſam celebraſſet, & poſt prandium lethali morbo correptus fuiſſet, iterum in eodemmet die Sacram Communionem per modum Viatici ei præbuerunt. Idẽ fecerunt Madriti P. Vega Rector illius Collegii, & P. Avolos in eodẽ Collegio, ut teſtatur *P. Hurtad.* ubi ſuprà.

322 Placet igitur ſententia Dianæ,

næ & ex illo probatur 1. quià in mortis articulo omnes tenentur cõmunicare per modum Viatici, ut ex hac vita in aliam ſecuriùs tranſmigrent, ſed ille, qui modo ſupradicto, communicavit, non ſatisfecit huic præcepto: ergò ut illi ſatisfaciat debet iterùm ſumere Euchariſtiam, ut Viaticum. Maior conſtat ex Joan. 6. *Niſi manducaveritis &c.* & Luc. 22. *Hoc facite in meam cõmemorationem*; & ex 1. ad Corinth. 11. *Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur &c.* in quibus Scripturæ locis præceptum divinum agnoſcunt *D. Thom. 3. part. quæſt. 80. art. 11. & cum illo Tannerus, Valentia, Coninch, Suar*; & alii Expoſitores, quos citat, & ſequitur *Præpoſitus in 3. part. q. 80. art. 11. dub. 1. n. 51.*

323 Oſtenditur minor: quià ille, qui benè valet, & nihil cogitat de morte, non dicitur proficiſci ex hac vita, nec eſſe in mortis articulo: ergò neque dici poteſt, quòd ſatisfecit præcepto communicandi per modum Viatici in mortis articulo, eſto aliàs communicaſſet: ut igitur ſatisfaciat, debet iterùm ſumere Euchariſtiam, ut Viaticum. Adeò, ut ex allegatis DD. notet *Dian. citat. reſol. 74. n. 2. in fine*, præcepto ſumendi Viaticum non ſatisfeciſſe, qui proximè ante mortis articulum recepit communionem, ſive tunc valeret, ſive ægrotus eſſet, dummodò non eſſet conſtitutus in mortis articulo.

324 Probatur 2: quià obligatio ſumendi Viaticum eſt propria illius temporis, quo adeſt tale præceptum, nec ante fuerat, quandiù periculum non imminebat: ergò illi ſatisfacere non potuit per communionem priùs factam, qui modo ſupradicto communicavit; ſicut è contrà, ſi homo in periculo mortis exiſtens peccaret, cõmunionem omittendo, & poſteà periculum evadere, non teneretur priorem obligationem implere, quià jam ceſſavit: ergò etiam non ſatisfecit præcepto ſumendi Viaticum ille, qui anteà communicavit, cùm adhuc benè valeret, & obligatio ſumendi Viaticum nondùm exiſteret.

325 Neque dicas 1: quòd ex prohibitione Eccleſiæ non liceat bis in die communicare ex Cap. *Conſuluiſti* De celebrat. Miſſar. & ex Cap. *Sufficit.* De conſecrat diſt. 1. Non, inquam, hoc dicas: quià quando concurrunt duo præcepta, maius præponderat, & eſt anteponendum minori; atqui in noſtro caſu concurrunt præceptum Eccleſiaſticum de non ſumenda Euchariſtia bis in die, & præceptum divinum de cõmunicando in mortis articulo: ergò hoc poſterius prævalere debet, tãquàm maioris ponderis, ut rectè obſervat *Sanch. in Sum. tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 17.*

326 Non dicas 2: quòd talis homo ſatisfecit quoad ſubſtãtiam præcepto communicandi in mortis articulo per modũ Viatici; cùm ſenſus hujus præcepti ſit, quòd homo teneatur paulo ante mortem communicare, ut ſic ad tranſitum ex hac vita ſe præparet: ergò non tenetur ampliùs communicare. Confirmatur: quià ille, qui audiſſet Miſſam in die feſto, ignorans tunc eſſe feſtum, non tenetur eodem die iterum aliam Miſſam audire, poſtquàm cognoſcit eſſe diem feſtum: ergò ſimiliter ille, qui communicavit paulò ante mortem, ignorans mortem eſſe imminentem, & proximè futuram, non tenebitur eodem die iterùm cõmunicare, poſtquam ſe videt in mortis articulo.

327 Non, inquam, hoc dicas: ad eum enim modum, quo præceptum jejunii habet pro fine macerationem carnis, & tamen talis præcepti ſubſtantiam non impleret, qui non jejunaret die ſtatuto; ſic etiam in noſtro caſu licét finis hujus præcepti ſit, ut per ſumptionem Euchariſtiæ contrà Diaboli inſulta Chriſtianus roboretur, tamen huic præcepto non ſatisfacere, qui extrà periculum mortis cômunicaret; nam ut optimè notat *Vaſquez in* 3. *part. tom.* 3. *quæſt.* 80. *art.* 11. *diſp.* 214. *cap.* 2. *n.* 13. *&* 14. ille adimplet præceptum, qui non ſolùm efficit id, quod præcipitur, ſed etiam in tempore, quo præcipitur.

328 Ad confirmationem ℞. aſſignando diſparitatem: quià ille, qui modo ſupradicto Miſſam audit, ideò adimplet ſubſtantiam præcepti, & non tenetur eodem die aliam Miſſam audire, quià Miſſam audivit tempore habili, & ſtatuto ad audiendam Miſſam: at veró in noſtro caſu aliter contingit, quià ille, qui Communionem recepit, cum benè valeret, Euchariſtiam non ſumpſit per modum Viatici, tempore, quo præcipitur Euchariſtia ſumi per modum Viatici. Quod facere videtur illud, quod *Ledeſma in ſum. tract. de Euchar. cap.* 27. *poſt.* 10. *concl.* & alii aſſerunt, videlicet, quòd ille, qui ex ignorantia præcepti illud implevit, præcepto ipſi nihilominùs non ſatisfaciat, niſi anteà intentionem aliquam generalem habuiſſet volendi quocumque opere à ſe ignoranter facto ſatisfacere præceptis, quibus tenetur.

329 Non dicas 3: quòd quando ſumitur Euchariſtia manè, ſumitur in mortis periculo moraliter, quià ſumitur eo tempore, quod valdè proximum eſt articulo mortis; quandò hæc poſt prandium ſupervenit. Non, inquam, hoc dicas: quià præceptum ſumendi Euchariſtiam in articulo mortis, ſolùm obligat in periculo mortis phyſice conſiderato, & non moraliter: quemadmodùm præceptum recitandi Horas Canonicas, præciſè, & phyſice loquendo, ſolùm obligat à media nocte unius diei uſque ad aliam mediam noctem ejuſdem diei, ut docet *P. Vaſquez* ſupra citatus: parùm ergo refert, quòd Euchariſtia mané ſumpta dicatur ſumi in periculo mortis, ſeu articulo moraliter proximo, quià etiam prout ſic non fuit ſumpta in periculo, nec in articulo mortis phyſico, quandò ſcilicet præceptum obligat.

330 Non dicas 4: quod unuſquiſque in ſuis actibus cenſetur habere intentionem virtualem, vel implicitam implendi omnem obligationem, quam poteſt, & debet, licèt eam ignoret: ergo, qui manè ſumpſit Euchariſtiam, & poſt prandium incidit in articulum mortis, cenſerit debet, quòd adimplevit præceptnm communicandi pro eo articulo, licèt obligationem ſuam, & articulum eo tempore ignoraverit. Non, inquam, hoc dicas: quià ſicut nemo implet præceptum audiendi Miſſam in die feſto, ſi pridie illam audiret, & per eam præcepto ſatisfacere vellet, etiam cum expreſſa intentione, quià ſcilicet anticipavit tempus audiendi Miſſam, & obligationem à præcepto impoſitam; ità ſimiliter nemo anticipando tempus ſatisfacit præcepto ſumendi Viaticum, licèt ſub expreſſa intentione ſatisfacere vellet, quià ſcilicèt anticipat obligationem à præcepto impoſitam; multo igitur minùs ſatisfaciet cum ſola virtuali, aut implicita voluntate ſatisfaciendi.

331 Non dicas 5: quod hæc opinio imponat onus morientibus, & veluti novam obligationem inducat ſumendi Euchariſtiam, quando jam tempore proximo antecedenti ſumpta fuit. Non, inquam, hoc dicas quià de hoc onere intelligi debet dictum illud Chriſti Domini Math. 11.30. *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*: quatenus ſicut obligatio ſumendi Viaticum, quando ordinariè ſumitur, non affert onus, & moleſtiam infirmis, ſed potiùs maximam conſolationem, & levamē ſpirituale pro illis anguſtiis, & tempore afflictionis contrà inſulta, & ſuggeſtiones Diaboli, ità ſimiliter in noſtro caſu.

332 Conſtet igitur ex ſupradictis ſatis probabiliter poſſe, & teneri aliquem, ſecūdùm hanc opinionem, in eodem die ſumere iterum Euchariſtiam, ſi incidat in periculum mortis, ſive violentæ, ſive naturalis; dummodò tamen prudentèr timeatur eodem die moriturus, vel quòd alio die non ſit futurus potens cōmunicare. Vide plura apud *Dian. citat.*

SECTIO VI.

De Viatico ad mortem damnatis miniſtrando.

333 NOtatio Prima. An dānatis ad mortem miniſtranda ſit Euchariſtia per modum Viatici? ℞. affirmative. Ratio eſt: quià ex præcepto divino tenentur omnes ſumere Viaticum in periculo mortis, ut ſuprà oſtendimus n. 330. atqui damnati ad mortem verè ſunt in mortis periculo, imò & in articulo, ut tenet *Rodrig. tom. 1. quæſt. 62. art. 7.* ergò damnati ad mortem tenentur ſumere Euchariſtiam, ac proindè illis miniſtranda eſt per modum Viatici.

334 Notatio Secunda. An damnatis ad mortem miniſtranda ſit Euchariſtia per modum Viatici, etiam quādo ipſi, vel ex oblivione, vel ex inadvertētia, vel ex aliqua corporis infirmitate jam cibum ſumpſere, & ampliùs non ſunt jejuni? ℞. affirmativè. Ità *Quintanad. in Theolog. moral. tom. 1. tr. 4. ſingul. 14. n. 5. Villal. in ſum. tom. 1. tract. 7. diffic. 39. n. 11. Henriq. lib. 8. cap. 5. n. 1. Suar. in 3. part. quæſt. 80. diſp. 68. ſect. 7. Laym. lib. 6. tract. 4. cap. 6. n. 20. Reginald. in praxi tom 2. lib. 29. cap. 6. quæſt. ult. ſect. 2. n. 20. & Conich. de Sacram. quæſt. 80. art. 8. n. 50*; & alii, quos citat, & ſequitur *Dian. Coordinat. tom. 2. tract. 2. Reſol. 79. n. 1.* Fundamentum eſt: quià quādo, concurrunt duo præcepta, maius præponderat, & eſt anteponendum minori; ſed in caſu propoſito cōcurrit præceptum Eccleſiaſticum de ſumenda Euchariſtia in jejunio naturali, & præceptum divinum de cōmunicando in articulo mortis: ergò hoc poſterius præceptum, tanquàm maioris ponderis, prævalere debet priori præcepto, tanquàm minoris ponderis, ut rectè obſervat *Sanch. in ſum. tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 17.*

335 Confirmatur: quià Cōmunio eſt valdè utilis, & quodammodò neceſſaria damnatis ad mortem, ut in extrema illa lucta tanto præſidio confortentur, & roborentur: ergò illos noluit Eccleſia tanto bono privare, ſed potiùs cenſenda eſt velle ſe gerere tanquam piam Matrem, ut damnati ad mortem Viaticum ſumant, quamvis non jam ſint jejuni.

SEC-

SECTIO VII.

De tempore, quo damnatis ad mortem miniſtrandum ſit Viaticum.

336 NOtatio Prima. Quo die damnatis ad mortem miniſtranda ſit Euchariſtia per modum Viatici? ℞. Damnatis ad mortem miniſtrandam eſſe Euchariſtiam per modum Viatici uno ſaltèm die, antequam ſuſpendantur, aut aliter necem patiantur. Ità *Conſtitutiones Bahienſes lib.* 1. *Tit.* 25. *n*.90. quas libere acceptarunt omnes Braſiliæ Epiſcopi, & illis ſtare decreverunt, donec nova ſtatuta, & Conſtitutiones proprias unuſquiſque pro ſua Diœceſi condat. Loco igitur citato habent Conſtitutiones: *Mandamos, que aos condemnados à morte por juſtiça ſe adminiſtre o Santiſſimo Sacramento da Euchariſtia ao menos hum dia natural antes de padecerem.* Videntur fundari dictæ Conſtitutiones in eo, quòd non nihil irreverentiæ videatur irrogari Sacramento, ſiquis Euchariſtiam ſuſcipiat illo die, quo ad patibulum rapitur, ut tenet *Sot in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 12. non longé à fine: ergò nè hujuſmodi irreverentia irrogetur Sacramento, dãnatis ad mortem miniſtranda eſt Euchariſtia uno ſaltem die, antequàm ad patibulum rapiantur.

337 Notatio Secunda. An aliquando liceat diſpenſare in proximà Conſtitutione, ità ut damnatis ad mortem permittendum ſit ſumere Euchariſtiam eodem die, quo puniuntur? Caſus cõtingere poteſt 1. ſi ad mortem damnatus ex ſubita notitia ſententiæ finalis, vel ex aliquo alio principio, ſenſibus ità deſtituatur, ut ſolùm in ſe redeat die ipſo, quo ei infligendum eſt ſupplitium 2: ſi per mare Braſilicum capiatur aliquis pyrata hæreticus (ut aliquoties fit,) qui zelo PP. Miſſionariorum hæreſim abjuret, & fidẽ Catholicam profiteatur pridiè, quã patibulo affigatur, aut aliter necẽ ſubeat, die autem ipſo, quo patietur, ſerio appetat, & ex corde petat Euchariſtiam, ut in illa hora afflictionis conſoletur, & præſidio tanti Sacramenti roboretur. 3: accidere poteſt caſus multis aliis modis. Quo poſito, ad quæſtionem

338 ℞. cum DD. ſtatim citandis. In *Conſtitutione Bahienſi* diſpenſari licet cum damnatis ad mortem, & illis miniſtrari Euchariſtiam per modum Viatici eodem die, quo ad patibulum rapiuntur. Fundamẽtum eſt: quià ſumptio Euchariſtiæ in articulo mortis eſt de jure divino, ut diximus ſuprà num. 330. reliqua verò in contrarium ſunt de jure Eccleſiaſtico, quod in concurſu juris divini cedere debet; ſed damnatus ad mortem ipſo die, quo afficiendus eſt ſupplitio, eſt in articulo mortis, ſeu, quod idem valet, periculo proximo: ergò in Conſtitutione Bahienſi, utpoté de jure Eccleſiaſtico, diſpenſari debet, ut locum habeat ſumptio Euchariſtiæ de jure divino pro eo articulo, ſeu periculo proximò.

339 Id innuere videntur verba *Conſtitut. Bahienſ. loc. citat.* ibi: *E quando para aſſim ſe cumprir, occorrer alguma urgente advertencia, que neceſſite de recurſo nolo faraõ a ſaber com toda a brevidade, para com a meſma accudirmos á noſſa obrigaçaõ.* Quid enim ſignificant prædicta verba, niſi quod Prælatus, ut ſuo muneri Paſtorali ſatisfaçiat, ſi damnatus ad mortem non

non communicavit die antecedenti ad ſupplicium, cum illo diſpenſabit, ut cõmunicet in ipſomet ſupplicii die?

340 Ut autem maioris ſint ponderis, & authoritatis, quæ dicimus, nil poſthac ex noſtro, ſed ex Authorum ſenſu afferemus. In primis *Navarr. lib.* 5. *tit. de pœn. conſ.* 40. *Laym. lib.* 6. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 20. *Reginald. tom.* 2. *lib.* 29. *cap.* 6. *Coninch. quæſt.* 80. *art.* 8. *n.* 50. *Bonac. de Euchar. diſt.* 4. *p.* 2. *n.* 22. *Villalobos tom.* 1. *tract.* 7. *diffic.* 39. *tit.* 11. & alii, quos citat, & ſequitur *Dian. Coordinat. tom.* 2. *tract.* 2. *Reſol.* 78. *n.* 1. docent damnatum ad mortem, ſi judex nolit expectare, poſſe, imò debere Euchariſtiam non jejunum accipere eodem ſupplicii die, ſi jejunus non poſſit, & ſic feciſſe cum quodam reo plectendo D. Guerreiro, Archiepiſcopum Granatenſem teſtantur *Zambranus*, & *Henriq. lib.* 8. *cap.* 70. *n.* 1.

341 *Dian. citat. n.* 2. habet ſequentia. Si non jejunus propter aliquam cauſam accepit pro Viatico die ante mortem Euchariſtiam, & in ipſo ſupplicii die non ſolùm ex neceſſitate, ſed etiam ex ignorantia, vel inadvertentia cibum ſumpſit, ſi vellet iterum Euchariſtiam ſuſcipere poſt cibi ſumptionem, poſſet: imò etiam forſan poſſet, ſi advertens ſumpſiſſet, ſed poſtea facti pœnitens vellet communicare: quià utitur jure ſuo, & adhuc eſt in mortis periculo, & incapax recipiendi Euchariſtiam non jejunus. Ità in terminis citat. *Dian.*

342 Et rurſùs eod. *tom.* 2. & *tract.* 3. *ſed reſol.* 79. & *n.* 2. notandum eſſe dicit pro damnatis ad mortem non eſſe neceſſarium tempus viginti quatuor horarum inter ſumptionem Euchariſtiæ, & ſuſcipientis mortem intercurrere. Undè ego puto, (ait) cum *Sancio in ſelect. diſp.* 4. *n.* 4. quòd quamvis pridié ad mortem eſſet ſumpta Euchariſtia à damnato, ſi tamen devotionis cauſa ipſo die mortis vellet iterùm communicare, minùs pium eſſet communionem impedire, imò pii Judices ad ſuſcipiendam hortari debent, ut puniendi tolerabiliùs mortem patiantur, & dæmonii tentationes illa hora maximè turbantes faciliùs ſuperent. Hæc cum *Sancio cit. Dian.*

343 Accedit *Mayolus de irregul. lib.* 3. *cap* 24. *n.* 15. ubi ità ait: Egò nonnullis in locis, quibus pro Epiſcopis Magiſtratum geſſi, validiore authoritate, qua potui, induxi, ut damnatis ad mortem ea ipſa die cõmunio concederetur. Sic ille, & ita Romæ obſervari teſtatur *Sancius Corſettus ſingul.* 68. & *Antonius Scap. de jure non ſcrip. lib.* 5. *cap.* 210. *n.* 7.

344 Neque dicas cum *Julio Claro.* §. *final. quæſt.* 99. *n.* 3. & aliis, quos refert *Dian. Coordinat. tom.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 79. *num.* 3. indecenter recipi Euchariſtiam ipſo die mortis, & ob id à Judicibus non eſſe permittendum miniſtrari.

345 Non, inquam, hoc dicas: quià non cohærent hæc duo, nempè, indecentèr ſuſcipi, & ob noſtram utilitatem ſuſcipi, ſi aliàs cõmunicans debitam diſpoſitionem habeat; cùm autem Euchariſtia ad noſtram utilitatem inſtituta ſit, neceſſariò deducitur, quód quando ex ejus ſuſceptione reſultat noſtra utilitas, nulla interveniat indecentia.

346 Et ſic tollitur ſcrupulus, in quo fundari videntur *Conſtitutiones Bahienſes*; ſi enim Sacramento, quod ad noſtram utilitatem inſtitutum

tum fuit, nulla irrogatur irreverentia, quando, utilitati ad quam inſtituitur, actu inſervit; cur damnatis ad mortem denegabitur eo die, quo tantæ utilitatis indiget? Imó *Emmanuel Sá*, verbo *Euchariſtia n.* 2. quem ſequitur *Fagund. de præcept. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 3. tenet, damnatis ad mortem miniſtrari poſſe Euchariſtiam per unam horam ante mortem. Cohæret *Sancius apud Dian. Coordinat. tom.* 2. *tr.* 2. *reſol.* 79. *n.* 5. ergò ex dictis, & tot Doctorum authoritate licet diſpenſare in *Conſtitutione Bahienſi*, ſi occaſio exigat, & damnatis ad mortem miniſtrare Euchariſtiam per modum Viatici eodem die, quo ad necem rapiuntur.

DISPUTATIO QUINTA

DE VIGESIMA QUINTA, ET VIGESIMA SEXTA FACULtatibus Pontificiis.

QUÆ

BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDUNTUR.

SECTIO I.

Uſus Veſtium Sæcularium Braſiliæ Epiſcopis conceditur.

347 DUo Indulta Apoſtolica ſub una diſputatione comprehendimus; quià attento prioris Indulti uſu nullo, vel ferè nullo, poſterioris verò frequentia notiſſima, de primo nihil dicemus, & de ſecundo parùm. Primum igitur Indultum, quod eſt ordine Vigeſimum quintũ, ſic habet: *Induendi veſtibus Sæcularibus, ſi aliter vel tranſire ad loca eorum curæ commiſſa, vel in eis permanere non poterunt.*

348 Cùm autem Veſtes ſæculares, quibus Braſiliæ Epiſcopi uti poſſunt juxtà præſens Indultum, ſint ad libitum Variabiles, & quotidiè innoventur, ac fiant tàm diverſis modis, quàm varia ſunt tempora, mores, & ritus Gentium; nihil inde præſcribi poteſt, quod firmum, aut certum eſſe poſſit circà veſtium cõmutationes. Accedit, quòd Braſiliæ Epiſcopi habitu ordinario utantur, nec opus ſit proprias veſtes dimittere, & ſæculares induere. Non eſt igitur, cur in hujuſmodi immoremur.

349 Notatio Unica. Si tamen quæras: quid ſignificent Veſtes Epiſcopales? Adi *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. part.* 1. *Tit.* 1. *cap.* 5. *à num.* 8. & quà honeſtate, & colore conſtare debeant, *Tit.* 2. *cap.* 7. *à num.* 7. De quibus etiam, deque habitu ordinario Epiſcoporum in propriis Diœceſibus, & civitatibus, vide *Cæremoniale Epiſcoporum*, *lib.* 1. *cap.* 1. & 3.

SE-

SECTIO II.

Roſarium, & aliæ preces loco divini Officii recitandæ.

350 SEcundum Indultum, de quo hic agimus, & eſt ordine vigeſimum ſextum, ſic habet: *Recitandi Roſarium, vel alias preces, ſi Breviarium ſecum deferre non poterunt, vel divinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.*

351 Notatio Prima. Quid ſit Roſarium? ℞. Neminem Catholicorum latet Roſarium eſſe formulam quandam precandi Deum in honorem B. Mariæ Virginis, qua centies quinquageſies, recitata Angelica ſalutatione inſtar Davidici Pſalterii, & cuilibet Dècadi interjecta oratione Dominica, per quindecim Decades, quindecim præcipua humanæ inſtaurationis myſteria, piis meditationibus percenſentur.

352 Notatio Secunda. Quomodò accipienda ſit clauſula illa Indulti: *vel alias preces?* ℞. dictam clauſulam eſſe accipiendam de precibus vocalibus, ſive preces per librum, ſive memoriter recitentur. Ratio eſt: quià quælibet ex his recitationibus æquivalet recitationi Roſarii ſubrogati in locum Breviarii, ſeu Divini Officii recitandi. Cõfirmatur: quià verbum *recito*, & nomen *prececes*, quibus Indultum utitur, ex propria ethymologia appellant orationes vocales, non verò mentales.

353 Notatio Tertia. An prædictæ preces debeant eſſe breviores, an potiùs longiores Roſario? ℞. tales preces eſſe poſſe longiores, vel breviores Roſario ad arbitrium Epiſcopi. Ratio eſt: quià in Indulto non determinatur, an tales preces debeant eſſe longiores, an potius breviores Roſario; quando autem res non determinatur à ſuperiore, arbitrio ſubditi relinquitur ejus determinatio juxtà Cap. *De cauſis* De offic. delegat.

354 Quod tamen intellige de arbitrio regulando ſecundùm rectã rationem; quià quoties aliquid relinquitur alterius arbitrio, intelligitur de arbitrio regulato à jure, cùm debeat eſſe arbitrium rectum, ac prudens, ut tradunt *Bart. in* Extravag. Ad reprimen. verb. *Videbitur n.* 4. *Paris. Parienſis. Cõcil.* 8. *n.* 21. *lib.* 4. *Cezar de Graſſ. deciſ.* 8. *n.* 1. *de re jud. Duran. deciſ.* 5. *n.* 3.

355 Notatio Quarta. De quo impedimento loquatur Indultum, cùm dicit: *Ob aliquod legitimum impedimentum?* ℞. non loqui de impedimento, quo ſolo ſuperveniente, abſque ullo privilegio, aut diſpenſatione, excuſatur quis ab Officio Divino recitando; tunc enim nullius diſpenſationis, aut cõmutationis opus eſt.

356 Sic nullius diſpenſationis, aut commutationis opus eſt, 1. ſi Epiſcopus ſit moraliter impotens recitare; nam ubique jam uſu receptum eſt, ut Epiſcopus cum ſibi ſubditis diſpẽſet in recitatione Horarum, data cauſa, ſaltèm ad breve tempus. *Tambur. in Decalog. lib.* 2. *cap.* 5. §. 8. *n.* 24. Cauſa autem datur, ſi dubitetur de morali impotentia recitandi, *Lacroix lib.* 4. *n.* 1233. à fortiori ergò poterit Epiſcopus ſecum diſpenſare in recitatione Horarum, data cauſa, aut legitimo impedimento, nè dicatur eſſe deterioris conditionis, quàm ejus ſubditus.

357 2. Si Epiſcopus Breviarium

rium non habeat inculpabiliter, carentia enim Breviarii inculpata excuſat ab Officio Divino recitando; quamvis ſi totum Officium, aut magnam partem memoriter ſciat, in eo caſu ad recitandum, quod memoriter ſcit, obligari dicant *Navarr. Suar. Bonac. Valenc. Azor. Sãch. Leſſ. Caſtro Palao*, & *Carden. in 2. criſ. diſp.* 33. *num.* 36.

358 3. Si Epiſcopus ſit graviter infirmus, v. g. ex notabili dolore capitis, ità ut ſine incommodo, vel incremento morbi recitare non valeat. Dicitur: *graviter infirmus*: quià infirmitas levis, v. g. dolor ſtomachi, aut pectoris, vel etiam aliquandò febris tertiana, aut quartana non excuſat, cùm tota die non affligat ſecundùm *Navarr. Illiuc. Laym*; & *Bonac*; quos citat, & ſequitur *Lacroix lib.* 4. *n.* 1217.

359 Nihilominùs *Sanches in Conſ. lib.* 7. *cap.* 2. *diſp.* 45. *n.* 4. *Tambur. in Decalog. lib.* 2. *cap.* 5. §. 8. à *n.* 13. *Stoz. lib.* 1. *part.* 3. *n.* 402. *Gob. n.* 471. & alii docent, quod ſi æger ex recitatione Horarum veroſimiliter credat aliquam cruditatem ſtomachi, vel capitis gravationem, vel virium laſſitudinem, vel etiam febrim tradiùs remiſſuram, excuſari ab Horis; quià hujuſmodi damna, quæ in corpore ſano ſunt levia, in ægroto ſunt gravia: hinc Cap. *Clericus*, 2. Diſt. 91. pro legitima cauſa non orandi habetur inæqualitas corporis, quæ non ſonat morbum gravem.

360 Unde inquiunt iidem Authores cum *Pelliz tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 116. quòd licèt tales infirmi bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros recreationis cauſa legant, indé non ſequitur teneri ad Horas; quià ſermones, & lectiones illæ afferũt ægro recreationem, nec morbus indé ingraveſcit, ſed potiùs levatur: è contrà recitatio Horarum eſt res ſeria, & ex ſua natura gravat caput, ac moleſtiam affert. Quare etiam poſtquam febris infirmum deſeruit, dúm adhuc vires ſunt imbecilles, & homo convaleſcit, poteſt ad aliquot dies differre recitationem; quià illa imbecillitas adhuc cenſetur iufirmitas, nec veriſſimile eſt, quòd Eccleſia poſt tot labores neget eam requiem ægro: hinc etiam fieri poterit, ut quis priús celebret Miſſam, quam recitet Horas, ut cum *Sanch. Tambur. Stoz. Gob.* & aliis tenet *Lacroix l.* 4. *n.* 1224. *per totum.*

361 In prædictis igitur, & ſimilibus caſibus excuſatur quis ab Officio Divino recitando, etiam ſecluſo privilegio, & abſque ulla diſpenſatione, aut commutatione. Quarè de his, & hujuſmodi impedimentis legitimè excuſantibus non loquitur Indultum Apoſtolicum, nec de his intelligi debet; alioquin nihil conferret in gratiam Epiſcopi, & Pontifex rurſus concederet, quòd aliàs conceſſum eſt, quod tamen de Pontifice præſumendum non eſt, nec de ejus gratiis, & ſpecialibus facultatibus alicui conceſſis, ut jam ſæpè diximus. De quo igitur impedimento intelligendum ſit Indultum Apoſtolicũ? Dabit Sectio ſequens.

SECTIO III.

Quid Braſiliæ Epiſcopis concedatur circà Divinum Officium recitandum.

362 NOtatio Unica. Ex ſectione præcedenti deducitur de quo impedimento loquatur, & intelligi debeat præſens Indultum:

dultum: ℞. enim loqui, & intelligi debere de dubio, an impedimentum ſit legitimum, v. g. de dubio, an infirmitas ſit gravis, an levis? de dubio, an recitatio ſit allatura grave nocumentum, vel non? de dubio, an tenearis anticipare tempus recitandi, ſi à prandio labores tertiana? de dubio, an poſteà ſupplere tenearis Horas reſpondentes illi tempori, quo ægrotaſti? de dubio, an corporis laſſitudo ſit tanta, ut excuſeris, qualis eſt, v. g. laſſitudo per lõgum iter, faciens, ut ſit impotentia moralis recitandi, & veluti infirmitas æquiparanter? in his enim, & ſimilibus caſibus cùm alii affirment, & alii negent obligationem recitandi, inde oritur prudens dubium: an tenearis recitare? & in his, & ſimilibus dubiis viget, & locum habet Indultum noſtrum pro officii diſpenſatione, ſeu potiùs commutatione.

363 Quod dicimus reſpectu totiùs Officii Divini, intelligendum etiam eſt de qualibet ejus parte, ob propoſitionem 54. ab Innocentio XI. damnatam, videlicet: *Qui non poteſt recitare Matutinũ, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quià maior pars trahit ad ſe minorem*; ex hac enim damnatione conſtat, quòd ſi quis non valeat recitare totum officium, adhuc tenetur ad Horas, quas poteſt: quemadmodùm qui non poteſt ſolvere totum debitum, tenetur ad partem diviſibilem, quam poteſt. Hinc qui non poteſt recitare Matutinum, poteſt autem Laudes, tenetur ad has, etiam dato, quòd Matutinum, & Laudes conſtituant unam Horam; quià communiter cenſentur veluti duæ Horæ; Laudes enim liberè dividũtur à Matutino, & in ſe ſeorſim habent formam unius integræ Horæ. *Carden. in 2. Criſ. diſp.* 33. *n.* 37.

364 Undè qui Matutinum, Laudes, Primam, aut aliquas alias Horas, ob cauſam verè excuſantem, & impedimentum legitimum recitare non potuit, quo eventu juxtà DD. à recitatione deobligatur; cùm tamen adhuc ad ulteriores Horas teneatur ſecundùm præfatam propoſitionem ab Innocentio XI. damnatam, tunc in dubio, an ulteriores Horas valeat recitare, pro cõmutatione facienda in Roſarium, vel alias preces, & ad tollendos omnes omninò ſcrupulos viget præſens Indultum, eoque uti poſſunt Epiſcopi ſecum ipſis, vel cum aliis, commutando officium in Roſarium, vel alias preces, ut habet Indultum.

365 Totus hic diſcurſus fundatur in eo, quòd gratia ità accipienda ſit, ut ſemper aliquid operetur, ſeu conferat. *Cardin. Tuſcus lit. V. concluſ.* 85. *n.* 65. alioquin inutilis eſſet gratia conceſſa, ut habetur Cap. *In his* 30. De privileg: *Ità quòd dicti Fratres aliquam ex Indulgentia noſtra videantur in hoc gratiam conſecuti.* Ubi Gloſſa inquit: *Indulgentia enim ſemper debet aliquid conferre; aliàs deluſoria eſſet Indulgentia Principis.* Neque enim, ut ait *Caſtro Pal. de privileg. tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 9. *n.* 4. contenti eſſe debemus, ut nova gratia ſolùm confirmet, quod aliàs nobis jam licitum erat; atqui datà cauſa, aut legitimo impedimento interveniente, excuſatur quis à Divino Officio recitando, etiam ſecluſo privilegio, & abſque ulla diſpenſatione, aut commutatione: ergò ut præſens Indultum dicatur aliquid operari in gratiam Epiſcopi, & aliquid de novo concedere ultrà id, quòd de jure po-

teſt Epiſcopus; neceſſariò fatendũ eſt, ex vi talis Indulti diſpenſare poſſe Epiſcopos, ſeu potiùs commutare Officium Divinum, quoties occurret dubium prudens, an impedimentum recitandi ſit legitimũ.

DISPUTATIO SEXTA

DE VIGESIMA SEPTIMA FACULTATE PONTIFICIA; QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Jejunium?

366 VIgeſima Septima Facultas Põtificia: *Diſpenſandi, quando expedire videbitur, ſuper uſu Carnium, Ovorum, & lacticiniorum tempore jejuniorum, etiam Quadrageſimæ.*

367 Notatio Prima. Quid ſit jejunium? ℞. jejuninm juxtà Panorm. in Rubr. de obſervat. jejun. nomen habet à quodam inteſtino, quod plerumque inane eſt, & vacuum. Apud SS. PP. accipitur jejunium metaphoricè pro abſtinentia vitiorum: Sic *D. Auguſt. in tract. 17. in Joan. Jejunium* (inquit) *magnum, ac generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus.*

368 Apud Theologos autem ſtricte, & in ſenſu proprio accipitur jejunium, prout importat quandam victus abſtinentiam, quæ vel eſt omnimoda cibi, & potus carentia, vel parcimonia in capiendo cibo, & potu, atque adeò ſic acceptum jejunium comprehendit naturale, & Eccleſiaſticum. *Benedict. Pereyr. in ſum. Theol. Moral. p. 2. tract. 35. de jejun. ſect. 1. quæſt. 1. §. Accipitur 2.*

369 Notatio Secunda. Quotuplex ſit jejunium? ℞. jejunium dividi in naturale, & Eccleſiaſticum. Naturale definitur: *Perfectiſſima abſtinentia ab omni cibo, & potu, ità ut nihil illorum ſumatur, vel per modum cibi, vel per modum potus. Pereyr. citatus.* Quando autem frangatur jejunium naturale? Tradunt AA. in materia de jejunio.

370 Nihilominùs placet hic notare diſtinctionem, quam aliqui admittunt inter jejunium naturale, & juris naturalis. Jejunium naturale dicũt, quòd proximé definimus; jejunium verò juris naturalis, quod ratio naturalis præſcribit, quãdo ſubtrahimus corpori eſcam, ut animo imperanti promptiùs obediat. *Azor part. 1. lib. 7. de jejun. cap. 8. quæſt. 1. Pereyr. cit. n. 744. §. Sed ante illius definitionem.*

371 Ubi etiam diſtinguit P. Pereyr. inter jejunium Eccleſiaſticum, & juris Eccleſiaſtici. Juris Eccleſiaſtici affirmat eſſe jejunium, quod jure ſuo præcipit Eccleſia, ut v. g. quando præcipit etiam jejunium naturale ante Communionem, ſeu S. Euchariſtiæ receptionem, quatenùs jejunium naturale ante Cõmunionem

nionem non eſt de præcepto Divino, cum non fuerit impoſitum à Chriſto Domino, qui potiùs poſt eſum agni Paſchalis corpus ſuum Apoſtolis diſpenſavit, hodieque diſpenſatur, quoties datur Viaticũ infirmis non jejunis.

372 Jejunium verò Eccleſiaſticum definitur: *Voluntaria abſtinentia à cibo juxtà præſcriptum Eccleſiæ, vel receptam conſuetudinem.* Dicitur *Voluntaria*: quià qui invitus à cibo abſtinet, quià illo caret, non jejunat in ſenſu Eccleſiæ. Dicitur à *cibo*; quià jejunium Eccleſiaſticum non conſiſtit in abſtinentia à potu, ſed à ſolo cibo, ſivé hic ſit denſus, ut panis, ſive liquidus, ut lac. Ultima clauſula *juxtà præſcriptum Eccleſiæ, vel receptam conſuetudinem*, exponi ſolet per illam jejunii definitionem apud Authores receptiſſimam: *Unica comeſtio, & abſtinentia à carnibus.*

373 Undè conſtat ad jejunium Eccleſiaſticum tria requiri. Primum eſt abſtinentia à cibo certi generis, nempè à carnibus, Secundũ, & abſtinẽtia plurirũ refectionũ in eodẽ die, ità ut intrà ſpatium diei naturalis unica tantùm detur comeſtio, quæ in jure vocatur *cœna*, quãvis ex uſu jam liceat nocturna refectio, vulgò *Cõſoada.* Tertium eſt certa comeſtionis hora; quæ olim erat circà nonam diei, id eſt, tertiam poſt meridiem, Cap. *Solent* De conſecrat. Diſt. 1. hodie autem ex uſu recepto eſt circà meridiem.

SECTIO II.

Qui ſint dies jejunii?

374 NOtatio Prima. Dies jejunii ſunt. 1. Tempus Quadrageſimæ, quæ apud nos incipit à feria quarta Cinerum, & (exceptis Dominicis, in quibus non jejunamus, ſed à ſola carne abſtinemus) durat uſque ad Sabbatum proximum Paſchæ, ex Cap. *Quadrageſima* De conſecr. diſt. 3. An autem jejunium Quadrageſimale ſit de præcepto Divino? Affirmare videntur SS. PP. inter quos *D. Auguſt. in Ps.* 110. poſt initium, ait: *Præcipitur nobis jejunium quadrageſimum, & ex lege. & ex Prophetis, & ex Evangelio.*

375 Negandum tamen cum *Fagund. de jejun. cap.* 5. *n.* 4. *Bonac. de præcept. Eccleſ. diſp. ultima quæſt.* 1 *part.* 5. *n.* 1. & aliis, quos citat, & ſequitur *Pereyr. cit. num.* 768. §. *Dicendum tamen eſt.* Ratio eſt: quià non conſtat Chriſtum Dominũ præcepiſſe aliquod jejunium; ex eo autem, quòd ſuo exemplo nos docuerit jejunare, & incitaverit ad jejunium, non ſequitur illud præcepiſſe.

376 Ad D. Auguſt. ℞. S. Doctorem loqui, & eſſe intelligẽdum non de præcepto rigoroſo per Chriſtum impoſito; cùm de tali præcepto non conſtet, ſed de ſolo exemplo, quod Chriſtus dedit, ex quo Apoſtoli, & ex Apoſtolis Eccleſia, moti fuere ad præcipiendum jejunium ad imitationem jejunii Chriſti Domini. Idem dicendum ad ſimiles SS. Patrum locutiones.

377 Notatio Secunda. Dies jejunii ſunt 2: jejunium quatuor Tẽporum, Verni, Æſtivi, Autumnalis, & Hyberni, ut conſtat ex Cap. *ſtatuimus* diſt. 76. In his quatuor Tẽporibus jejunatur tribus tantùm diebus nempé feria 4, 6, & ſabbato. Sic enim juxtà C. *Jejunia.* De cõſecr. diſt. 3. aptiùs conformamur paſſioni Chriſti, qui feria 4. fuit venditus

tus, & traditus: feria 6. occiſus; Sabbato tandem ſepultus.

378 Notatio Tertia. Dies jejunii ſunt 3: in perviligio Natalis Domini, & Aſſumptionis Deiparæ, S. Mathiæ, & Sanctorum Apoſtolorum. Indicta ſunt hæc jejunia ab Innocent. III. in Cap. *Parte*, & in Cap. *Conſilium* De obſervat. jejun. Ab hac tamen indictione, ſeu præcepto excipitur Vigilia Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, & S. Joannis Evangeliſtæ; quià illorum feſta celebrantur infrà Solẽnitatem Paſchalem, iſtius infrà Natalem Domini. Excipitur etiam Vigilia S. Barnabæ. Ita *Sanch. in Cõſil. de jejun. dub.* 18.

379 Præter aſſignatos, in nullo die jejunium jure communi indictum eſt, quamvis ex conſuetudine ubique fere recepta extat jejunandi obligatio in perviligio Pentecoſtes. Ex eadem conſuetudine fuiſſe ſtatutum jejunium in perviligio S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & Omnium Sanctorum tradunt cõmunitèr Authores. Quòd ſi aliquod ex pervigiliis dictis inciderit in Dominica, jejunium in præcedens ſabbatum mutatur, ut monet Innocent. in Cap. *Conſilium* De obſervat. jejun.

380 Alia jejunia, quæ olim jure communi ſtatuta erant, ut in feria 4. 6. & Sabbato per annum ex Cap. *Jejunia* De conſecr. diſt. 3; & in triduo Litaniarum quas dicunt de *Mayo*; ex Cap. *Rogationes* De conſecr. diſt. 3; & in Adventu Domini, ex Innocent. Cap. *Conſilium* De obſervat. jejun. jam conſuetudo abrogavit, quamvis feria 6. & Sabbato à carnibus abſtinemus.

381 Excipe Caſtellam, ejuſque dominia, ubi viget conſuetudo edendi etiam in ſabbatis pecorum inteſtina, & extremitates, ſeu minuta, ut vocant. Hæc de jure cõmuni, vel recepta conſuetudine.

382 Quod attinet ad jus peculiare, nec otium, nec poſſibile eſt per omnes Diœceſes diſcurrere. Sufficiat pro omnibus Epiſcopatus Fluminenſis, ubi præter communia, ſpeciatim indicta ſunt jejunia in vigiliis Aſcenſionis Domini, Nativitatis B. Mariæ Virginis, ejuſque Purificationis, conformiter ad ea, quæ in *Conſtitutionibus Bahienſibus lib.* 2. *Tit.* 18. *num.* 406. ſtatuuntur.

SECTIO III.

Quid veniat nomine Carnis in jejunio prohibitæ?

383 CErtum imprimis eſt eſũ carnium in jejunio Eccleſiaſtico prohiberi; quoad jejunia quadrageſimalia habetur prohibitio in Cap. *Statuimus*, Diſt. 4. quoad alia verò jejunia ſumitur ex Cap. *De eſu Carnium* De conſecr. diſt. 3. ſumitur etiam ex intentione Eccleſiæ, quæ ſemper fuit per jejunium frænare libidinem, & cõcupiſcentiam carnis, debilitato corpore, quod proindè retraxit ab eſu carnium; cùm Carnes ſint magis nutritivæ, quàm piſces.

384 Incertum tamen eſt: quid veniat nomine carnis, ut indè cõſtet, quid in jejunio Eccleſiaſtico prohibeatur? Sunt enim quædam animalia, de quibus dubitatur, ſub piſciſné, an Carnis appellatione cõtineantùr? Pro quo tamen dubio reſolvendo tradunt Authores ſequẽtes regulas.

385 Regula 1. Indicium animalis carnei eſt, ſi poſſit diù vivere extrà aquas. *Lacroix lib.* 3. *part.* 2. *num.*

num. 1266. Excipiuntur tamen ab hac regula 1. teſtudines terræ, ranæ, & limaces, qui extrà aquas vivunt; & tamen non cenſentur caro prohibita, ut cum *Reginald. Tambur. & Gobat tenet citat. Lacroix.*

386 Excipiuntur 2. Viperæ, de quibus tenet expreſſe *Tambur. in Decalog. lib.* 4. *cap.* 5. §. 1. *n.* 12. non eſſe carnem in die jejunii prohibitam. Conſentire videtur *Lacroix citatus.* Ratio eſt: quià Vipera ſimilior eſt anguillis, quæ prohibitæ non ſunt, quàm cæteris animalibus prohibitis; deinde Vipera eſt exiguæ nutritionis, cùm ſit multúm terrea; non eſt igitur Vipera in die jejunii prohibita.

387 Regula 2. Si animal magis ſimile ſit animalibus carnem habentibus, quàm non habentibus. *Lacroix citat.* Ad hanc regulam reduci poſſunt omnes, & quicumque colubri, præſertim aquatici, tùm ob identitatem rationis cum viperis, de quibus proximè, tùm etiam, quià colubri, quantumvis terreſtres, ſunt ſimiles murænis, quæ ab omnibus reputantur piſces, & ut tales comeduntur in die jejunii: tandem quià colubri piſcibus per Braſiliam notiſſimis, vulgò *Moſſùms*, ſunt ſimiles.

388 Regula 3. In dubio, an hoc animal conſtet carne, nec nè? Cenſeri poteſt non conſtare carne. *Lacroix citatus.* Ratio eſt: quià in hoc caſu ſtat poſſeſſio pro libertate, quandiù non conſtet tale animal eſſe prohibitum in die jejunii.

389 Notatio Prima. Dubium hic ſe offert: an ſub hac regula cõprehendatur Lacertus ille grandis, figuram Crocodili referens, undè dicitur Crocodilus Braſilus, vulgò *Jacarè*, quem in ſuo Dictionario Luſitano ſub Litera J. deſcribit Sapientiſſimus *Bluteau*; fuſiùs tamen *Georgius Marcgravius de Liebſtad. in Hiſtor. Rer. Natural. Braſil. lib.* 6. *cap.* 15. *pag. mihi* 242. Generatur in lacubus hoc animal, & intrà aquas plerumque vivit; licet aliquoties ad Solem exeat, ſeque calefaciat, vel ſuprà truncum arboris deciſæ, vel ſuprà petram eminentem ſuper aquas; aliquoties verò, licet rariùs, per terram graditur. Quid igitur de hoc animali? Edi ne poteſt in die jejunii?

390 Theologos hac de re conſului; aliqui hæſitarunt, alii incunctantèr affirmarunt: nullus verò negavit. His poſitis Reſolutio ſit. Diebus jejunii edi poteſt Crocodilus Braſilus. Ratio eſt 1: quià de hoc animali ſaltem dubitatur, ſitnè piſcis, an potiùs caro prohibita? In dubio autem ſtandum pro poſſeſſione libertatis juxtà regulam tertiam proximè traditam. 2: quià Crocodilus Braſilus gignitur intrà aquas, & intrà illas vivit, exceptis caſibus, & modo dicto: debet igitur numerari inter aquatica: 3: quià in Hermaphrodito, ſi prævalet ſexus fœmineus, reputatur fœmina, ſi verò prævalet ſexus maſculinus, reputatur mas, ſeu vir: ergò in noſtro caſu prævelere debet, ac præferri vitalis illa, & frequẽtior Crocodili exiſtentia intrà aquas rariſſimis ejuſdẽ exiſtẽtiis extrà aquas. Abſtineo à proponendo Indorum uſu, & aliorum hominum de plebe, qui forſan ex alicujus Viri docti conſilio, & approbatione jam pridem conſuevere Crocodilum Braſilum comedere diebus vetitis, quanquam & hoc pro aliquali congruentia adduci poteſt.

391 Neque obſtat 1: figura Crocodili Braſili adinſtar magni lacerti, & non adinſtar piſcis: quià etiam teſtudines terræ, ranæ, & limaces figu-

figuram piſcis non habent: imò nec ipſa tot, & tàm varia maris conchilia figuram piſcis referunt; & tamẽ non prohibentur diebus jejunii.

392 Non obſtat 2: quòd Crocodilus Braſilus aliquando exiſtat extrà aquas, quià teſtudines maris aliquandò exiſtunt extrà aquas, ripas conſcendunt, foveam in arena faciunt, ova ponunt, & ſub arena tumulant, donec filii procreantur, quos cùm ætas exigit, matres ducunt in aquas, ut ibi creſcant, & in poſterum vivant; & tamen teſtudines maris comeduntur diebus jejunii.

393 Poſt hæc ſcripta legi apud *Montenegro lib*. 4. *tract*. 4. *Seſſ*. 10. *pag. mihi* 687. deſcriptionem cujuſdam animalis, quod ille vocat *Iguàna*; quod etiam diſcribit *Georgius Marcgravius de Liebeſtad*; *in Hiſtor. Rer. Natur. Braſil. lib*. 6. *cap*. 11. *pag. mihi* 236. ad dita animalis pictura, ex cujus deſcriptione, ac figura apertè colligitur eſſe quædam ſpecies Crocodili Braſili, & de tali animali, nempe *Iguana*, affirmat cum aliis, quos citat Montenegro, edi poſſe diebus jejunii.

394 Porrò *Iguanæ* deſcriptio apud citatum *Motenegro n*. 1. *ex Gũdiçalvo Fernandes in* 1. *Hiſtor. General. Indiar. lib*. 3. *cap*. 3. ità ſe habet *Son* (*las Iguanas*) *del tamaño de una vara, ó pouco menores, fieras, y pintadas à la viſta, que cauſan horror, porque ſon como ſerpientes. Duda-ſe, ſe en Quareſma ſe pueden comer? Y la difficultad eſtâ, en que unas vezes parecen aquatiles, porque andan en el agua, otras terreſtres, porque commumente ſe hallan en la tierra, y à vezes muy lexos de las aguas, en las eſpeſſuras mas remotas de los montes.*

395 Hæc quidem omnia Crocodilo Braſilo conveniunt, niſi quòd Crocodilus Braſilus diutiùs vivat intrà aquas, quàm *Iguana*, & corporis mole Iguanam excedat. Undè juxtà Iguanæ deſcriptionem, & ad illius exemplum de noſtro Crocodilo iterum dico, quòd de Iguànis affirmat *Montenegro cit. n*. 3. *cum P. Joſèpho de Acoſta lib*. 4. *de Hiſtor. Natural. de Indias, cap*. 38. ibi: *Digo, que ſe pueden comer en Quareſma, ſin quebrantar el ayuno.*

396 Deinde juvat hic addere, quod affert idem *Montenegro cit. n*. 4. §. *Y porque nò ſalgamos* ibi: *Y porque nò ſalgamos de coſas particulares de Indias, ſea exemplo otro animal, de quien el P. Acoſta dize en ſu Hiſtoria de Indias, lib*. 3. *cap*. 17. *eſtas palabras: En las Indias, que llaman de Barlovento, que ſon Cuba, Eſpañola, Puerto Rico, Jamayca, ſe halla el animal, que llamân Manati, eſtraño genero de peſcado*, (ſe peſcado ſe puede llamar) *animal, que pare vivos ſus hijos, y tiene tetas, y leche, com que los cria, y pace, yerba en el campo; pero en effetò habita de ordinario en el agua, y por eſſo le comen por peſcado; aunque yo quando en ſanto Domingo le comia un Viernes, caſi tenia eſcrupulo, nò tanto por lo dicho, como porque en olor, y ſabor, no parecian ſino tajadas de ternèra.*

397 Unde deduces Canes aquaticos, & àlia animalia partim aquatica, & partim terreſtria, non eſſe carnem in die jejunii prohibitam.

398 Idem dico de Lupis marinis, quorum multi ad Oſtia Fluminis Argentei apparent, præſertim propè Inſulam à Lupis dictam, ubi ipſi corporum agitationibus navigantium

gantium oculos recreant, & ad riſum movent, ac vociferationes.

399 Not. 2. Rogavit à me vir doctus, ut aliquid de Lacerto terreſtri, Braſilicè *Teyuguaçù*, reſolverem in ruſticorum gratiam, qui illum dicuntur edere diebus vetitis. Animalis figuram, ac deſcriptionē invenies apud *Georgium Marcgravium in Hiſtor. Natural. Rerum Braſil. lib.* 6. *cap.* 12. *pag. mihi.* 237. Reſolvo igitur dictum animal edi poſſe in die jejunii. Ratio eſt 1: quià talis Lacertus eſt quodam veluti excrementum, fæx, & immunditia naturæ viventis, ut ità dicam, & reptantis ſuper terram: non eſt igitur digna ejus caro, ut illam comprehendat prohibitio Eccleſiæ. 2. quià ob hanc omninò ratronem fæcis, & immunditiæ terreſtris tenent fortaſſe Doctores, quòd teſtudo terræ edi poſſit in die jejunii. 3. quià de Lacerto terreſtri dubitatur: an ad illum extendatur prohibitio Eccleſiæ: in dubio autem ſtat regula de libertatis poſſeſſione præferenda. 4: quià Lacertus terreſtris habet quandam analogiam cum piſcibus, quatenùs talis Lacertus dilaceratus, & occiſus ſanguinem non fundit, ſicut plurimi piſcium non effundunt. 5: quià ideò colubros dicimus non eſſe carnes, in die jejunii prohibitas, quià colubri anguillis, murænis, muſſùmis Braſilicis, & hujuſmodi piſcibus aſſimilantur, quod juxtà ſecundam regulam ſupra traditam ſufficit, ut animal non ſit caro prohibita in die jejunii; ſed Lacertus terreſtris aliquo modo aſſimilatur Crocodilo Braſilo: ergò ſicut Crocodilus Braſilus non cenſetur caro prohibita in die jejunii, ut ſuprà diximus; ità neque Lacertus terreſtris. Hoc fuit in ruſticorum gratiam judicium meum; tu tuum ſequere.

400 Notatio Tertia. Idem judico de Chamæleonte, licet P. *Benedict. Pereyr. in Sum. Theolog. Moral. part.* 2. *tract.* 35. *n.* 750. contrarium ſentiat. Ratio eſt 1: quià omnia rationum momenta, quibus oſtendimus Lacertum edi poſſe in die jejunii, pro Chamæleonte faciunt. 2: quià Chamæleon ſuprà Lacertum habet ſpecialitèr, quòd Chamæleon aliquoties in lacus, & fluvios deſcendat, & intra illos vivat; cùm ubi primùm ab Indis ſe appeti, & arcum curvari ſubodoratur in ſui necem, ſtatim ex arboribus in undas, quibus eminet, ſe præcipitet, & ſic venatorum inſidias prævertit. 3: quià in hoc puncto maximè attendendus eſt finis Eccleſiæ, quæ in jejunio carnes prohibet, ut alimenta multùm nutrientia à fidelibus excludat, ut cum *Bonac. & Trullench.* exiſtimat Tambur. *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 5. §. 1. *n.* 10. Chamæleontis verò caro parùm nutrire cenſetur.

401 Notatio Quarta. Nihilominùs aves aquaticæ, v. g. Corvi marini, & ſimiles, quæ in aquis cibum quærunt, quamvis habeant ſaporē piſcium, ſunt prohibitæ in die jejunii. *Fag. & Pereyr cit, ubi ſuprà.*

402 Nomine carnis in jejunio prohibitæ veniunt etiam cartilagines, nervi, & ſanguis animalium, quorum caro prohibetur. *Tambur. cit. n.* 13. Ratio eſt: quià dùm prohibitur animal, non poſſunt non prohiberi omnes ejus partes, quæ ipſum conſtituunt.

403 Inter carnes prohibitas numeratur etiam jus ex carnibus *Săch. Bonacin. apud Tambur. cit.* Ratio eſt: quià jus ex carnibus cōtinet partes ſubtiliores carnis per elixationem eliquatæ.

404 Numerantur etiam medulla, axungia, & pinguedo vi ignis nondùm liquefacta: nam de pinguedine vi ignis jam liquefacta, undè fit ſagimen, dicemus infrà. Ratio eſt: quià hujuſmodi ſunt partes animalis, quod prohibetur, & non mera, & propria excrementa. *Tamburin. num.* 14.

SECTIO IV.

Da Lacticiniis.

405 Lacticinia dicuntur Lac, caſeus, butyrum, & quicumque cibus ex lacte confectus, v. g. cibus ex lacte, & piſce, ſeu crancorum ungulis conflatus adinſtar cibi, vulgò, *manjar branco*: nam qui fit ex lacte, & gallina, & propriè dicitur *manjar branco*, eſt cibus aliundè vetitus, nempè ob Gallinam, & ideò non eſt Lacticinium. *Tambur. in Decalog. lib.* 4. *cap.* 5. §. 1. *n.* 19.

406 Item ova quæcumque, ſive gallinarum, ſive quarumque aliarum avium, etiam illa, quæ intrà ipſas aves reperiuntur adhuc hærentia in racemo; cùm hæc habeant eaſdem qualitates, & accidentia, ſcilicet, colorem, ſaporem, &c, quæ jam edita habent. *Tambur. cit.* Excipe tamen ova teſtudinum; cum teſtudines habeãtur pro piſcibus, & ova ſequuntur naturam animalium, quorum ſunt ova.

407 Notatio Prima. Dubium modo eſt: Qualiter Lacticinia in jejunio prohibeantur? Dico primò. In diebus jejunii extrà Quadrageſimam, & à fortiori illis diebus, quibus ſolùm præcipitur abſtinentia à carnibus, ut in Sextis feriis, & Sabbatis per annum, non prohibentur Lacticinia. Eſt ſententia communis cum *D. Thom.* 22. *quæſt.* 147. *art.* 4. *Sylveſtr.* verbo *Jejun. quæſt.* 5. *Azor tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *quæſt.* 2. *Valent. Reginald. Filliuc*; *Leſſ. Bonac.* quos citat, & ſequitur *Benidict. Pereyr. in ſum. Theolog. Moral. part.* 2. *tract.* 35. *num.* 753. *Et cum Vaſq. Villalob. Thom. Sanch*; *& Dian. Tambur. citatus n.* 20. Fundamentum eſt: quià de lacticiniis prohibitis, & non edendis infrá annum in jejuniis Vigilarum, quatuor Temporum, & hujuſmodi, nulla lex, nec præceptum apparet.

408 Dico ſecundò. In jejuniis Quadrageſimæ, quæ, ut notat *Tãbur. cit. n.* 23. ſolemniora ſunt, & ſtrictiora jejunia datur præceptum, ſeu potius conſuetudo non edendi Lacticinia. Eſt ſententia cõmunis, quam ſupponunt *Fagund, Caetan.*; *& alii, quos citat Benedict. Pereyr. cit.* §. *Siloquamur.* Conſtat ex Gloſſ. in *Gratian.* ad Cap. *Denique* De conſecrat. diſt. 4. & noviſſimè ex Decreto Alexandri VII. anno 1665. damnantis propoſitionem, quæ eſt ordine 32. Videlicet. *Non eſt. evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.*

409 Prædictũ verò præceptum, ſeu potiùs conſuetudo non edendi Lacticinia in jejuniis Quadrageſimæ obligat tantùm ſub veniali. Ità *Fagund. in* 4. *Eccleſ. præcept. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 11. *&* 12. præſertim *in apologia Lugdùni impreſſa* 1631. *cum Palao. Caetan*; & aliis, *præter DD. Conimbricenſes, Eborenſes, Salmanticenſes, & Complutenſes*, quos citat, & ſequitur *Tãburin. cit. n.* 23. Ratio eſt: quià in jure, ubi eſt de Quadrageſima locutio, ſolùm habetur ſic in Cap. *Denique*, Diſt. 4. *Par eſt, ut ab iis, quæ*

quæ ſementinam ex carnibus originem trahunt, (ſic vocantur in jure lacticinia) *abſtineamus*. Iſtud veró (*par eſt*) non ſignificat par præceptum de carnibus, & lacticiniis; ſed ſolùm ſignificat: *æquum eſt*; *conveniens eſt*. Undè infertur ob ligatio minor, & præceptum levius, quàm de abſtinentia à carnibus. Vide *Fagund. & Tambur. citatos*.

410 Id quod ulteriùs oſtenditur 1: quià in jure ſtat jejunium cum lacticiniis, ut practicatur in territoriis, quibus obſervatur jejunium, non autem lacticinia, ex conſuetudine legitimè præſcripta: ergò ex eo eſt, quià præceptum jejunii, quod ibi viget, gravius eſt, & longè diverſum à præcepto abſtinendi à lacticiniis, quod ibidem non viget. Oſtenditur 2: quià in Sextis feriis, & Sabbatis per annum tenemur abſtinere à carnibus, non autem à lacticiniis, ſicut neque tenemur jejunare: ergò minor eſt obligatio abſtinendi à lacticiniis, quàm obligatio jejunandi.

411 Notatio Secunda. An in Dominicis Quadrageſimæ ſint etiam prohibita lacticinia? ℞. negativè cum *Dian. & Sanch*; quos citat, & ſequitur *Tamburin. cit. num.* 26. Ratio eſt 1: quià Dominici infrà Quadrageſimam non ſunt dies jejunii: Lacticinia verò ſolùm in diebus jejunii prohibentur. 2: quià Dominici infrà Quadrageſimam ſũt ultrà dies quadraginta, qui propriè ſunt dies Qnadrageſimæ: ergò ultra hos dies extendi non debet obligatio abſtinendi á lacticiniis.

412 Adde, quòd in territoriis, ubi eſt conſuetudo non abſtinendi, etiam in jejuniis Quadrageſimæ, ab ovis, & lacticiniis, poſſunt illa comedi abſque ulla diſpenſatione, & privilegio, & conſequentèr abſque ulla culpa, etiam veniali. Ratio eſt: quià conſuetudo legitimè introducta, & ultrà quadraginta annos præſcripta, tantæ eſt efficatiæ, ut ſicut leges inducere, ità abrogare poteſt. Sic *Benedict. Pereyr. cit. n.* 751. §. *Cum ſuprà*, ait ibi: *Poſſum ego teſtari ex contraria conſuetudine non peccare in Tranſtagana Regione eos, qui in jejunio etiam Quadrageſimali veſcuntur ovis, & lacticiniis, ſi habitent in locis mediterraneis*. De Diœceſibus, autem Eborenſi, Viſeenſi, & Egitanenſi, vulgò *da Guarda*, idem teſtatur P. *Abreu de Parocho lib.* 10. *num.* 601.

413 Sic etiam in Braſilia ex conſuetudine legitimè præſcripta, nunquam fuiſſe obſervata lacticinia a Patribus gravibus, & doctis noſtræ Societatis accepimus. Hinc experimur in Communitatibus Religioſis, quibus non deſunt viri docti, & timorati, comedi etiam in jejuniis Quadrageſimæ ova, lac, caſeum, & hujuſmodi, non attentis aliis privilegiis, præter conſuetudinem à primà Braſiliæ inventione introductam.

414 Ubique verò terrarum; valdè pauperes, vel quià non ſunt eis piſces, vel quià ſtant magno pretio, & ſimiliter agricolæ, ſi non poſſint cõmode aliud habere, quod comedant præter ova, & lacticinia, illa edere poſſunt etiam in jejuniis Quadrageſimæ; & hoc ex pia voluntate Matris Eccleſiæ præcipientis abſtinentiam prædictorum. Ità cum multis *Thom. Sanch. tom.* 2. *de Conſiſ. lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 19. *num.* 4.

SECTIO V.

Quis poſſit diſpenſare in jejunio?

415 NOtatio Prima. In lege, ſeu præcepto jejunii poteſt diſpenſare Summus Pontifex. Ratio eſt: quià lex, ſeu præceptum jejunii eſt de jure Eccleſiaſtico, ut conſtat ex Cap. *Quadrageſim*. De cõſecr. diſt. 3. ex Cap. *Statuimus* diſt. 4. Summus verò Pontifex eſt juris Eccleſiaſtici legislator, qui proindè ſicut poteſt leges ferre, ità poteſt in illis diſpenſare, ut eſt tritum.

416 Notatio Secunda. In lege, ſeu præcepto jejunii poteſt Sũmus Pontifex diſpenſare cum cauſa, vel ſine illa, ſub hac tamen diſtinctione; quod ſi Pontifex cum cauſa diſpenſet, tùm validè, tùm licité diſpenſabit; ſi verò diſpenſet ſine cauſa, tunc validè, non tamen licité diſpenſabit: peccabit enim tunc, ſaltem venialiter. *Dian. Coordina. tom.* 4. *tract.* 6. *Reſol.* 70. *n.* 6.

417 Non peccabit autem, qui à Pontifice ſit diſpenſatus etiam ſine cauſa, utendo diſpenſatione ſibi cõceſſa. *Fagun d*; *& Caſtro Palao* quos citat, & ſequitur. *Benedict. Pereyr. in ſum. Theolog. Moral. part.* 2. *tract.* 35. *num.* 792.

418 Notatio Tertia. In jejuniis pecularibus ſuæ Diœceſis poteſt Epiſcopus diſpenſare, ſicut Pontifex in jejunio juris communis, at in jejunio juris communis nec validé, nec licité poteſt Epiſcopus diſpenſare ſine cauſa. *Dian. Coordinat. tom.* 4. *tract.* 6. *Reſol.* 69. *num.* 3. Ratio primi eſt: quià Epiſcopus, reſpectu ſuæ Diœceſis, eſt Legislator, qui univerſim poteſt in ſuis legibus diſpenſare. Ratio ſecũdi eſt: quià Epiſcopus eſt inferior Pontifice; inferior autem non diſpenſat, nec poteſt diſpenſare in lege Superioris.

419 Notatio Quarta. Nihilominùs data rationabili, & ſufficienti cauſa poteſt Epiſcopus diſpenſare in jejunio juris communis, tùm validé, tùm licitè. Conſtat ex approbato uſu Eccleſiæ, qui potuit annuente tacitè Summo Pontifice eam poteſtatem Prælatis inferioribus impendere. *Benedic. Pereyr. cit.* §. *Conveniunt.* 2.

SECTIO VI.

An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in eſu carnium?

420 SEctione proxima egimus de poteſtate relaxãdi jejunium præciſé, & abſque ullo reſpectu ad poteſtatem permittendi uſum carnium, quod amplius eſt, ut patet. Hic verò examinandum: an, & quis poſſit concedere uſum carnium in diebus jejunii. Et non eſt dubium 1: id poſſe Summum Pontificem ob rationes proximé datas ſect. præcedẽt. Non eſt dubium 2: id etiam poſſe omnes illos, quibus Summus Pontifex ſpecialem ad id facultatem concedat.

421 Notatio Prima. An Braſiliæ Epiſcopis conceſſa ſit facultas diſpenſandi ſuper uſu carnium in diebus jejunii? Reſolutio affirmativa conſtat ex Indulto Apoſtolico, ibi: *Diſpenſandi, quando expedire videbitur, ſuper uſu carnium tempore jejuniorum*.

422 Notatio Secunda. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſuper uſu carnium diebus jejunii infrà annum, v. g. Vigiliarum, Quatuor Temporum, &c. Affirmandum juxtà verba Indulti, nempé, *tempore*

pore jejuniorum, quæ aliter intelligi non poſſunt, niſi de jejuniis infrà annum; nam pro jejuniis Quadrageſimæ additur ibidem praticula: *& Quadrageſimæ.*

423 Notatio Tertia. An prædictam facultatem extendere poſſint Braſiliæ Epiſcopi ad Sextas ferias, & Sabbata per annum, qui non ſunt dies jejunii, ſed abſtinentiæ à carnibus? ℞. affirmativè cum *Lacroix lib.* 6. *part.* 3. *n.* 850. ubi circà facultatem noſtræ ſimilem, Germaniæ Epiſcopis conceſſam, ſic habet: *Indicavit quidam vir doctiſſimus poſſe Epiſcopum à potiori diſpenſare etiam pro eſu carnium diebus Veneris, & ſabbati per annum.* Ità ille. Tu extende ad dies Rogationum, in quibus licèt non jejunemus, à carnibus tamen abſtinemus.

424 Notatio Quarta. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ſuper uſu carnium in jejuniis Quadrageſimæ? ℞. affirmativè: neque enim in alium finem tàm principaliter ordinatur præſens Indultum, quàm ut dictam facultatem Braſiliæ Epiſcopis concedat, prout exprimitur in eod. Indulto, ibi: *Diſpenſandi ſuper uſu carnium tempore jejuniorum, & Quadrageſimæ.*

425 Notatio Quinta. An prædicta facultas etiam extendi poſſit ad Dominicas Quadrageſimæ? Affirmamus cum viro illo doctiſſimo, quem citat, & ſequitur *Lacroix*, ubi proximè, ex quorum reſolutione infertur noſtra à pari: nam ſi Braſiliæ Epiſcopis conceditur facultas diſpenſandi ſuper uſu carnium tempore jejuniorum, & Quadrageſimæ; quo tempore datur obligatio abſtinendi à carnibus ſimul cum obligatione jejunandi: à fortiori conſeri debet conceſſa facultas diſpenſandi ſuper uſu carnium in Dominicis Quadrageſimæ, quibus ſolum datur obligatio abſtinendi à carnibus, non tamen jejunandi.

426 Notatio Sexta. An diſpenſatus à Braſiliæ Epiſcopis ſuper uſu carnium diebus jejunii, teneatur jejunare? Aſſirmant *Cordub. Medin. Bonac. & alii apud Benedict. Pereyr. n.* 749. Ratio eſt: quià non potens in omnibus, tenetur in eo, quod poteſt: ergò diſpenſatus in carnibus tenetur ad jejunium quo ad reliqua, putà, quo ad unicam comeſtionem.

427 Alii diſtinguunt inter neceſſitatem præſentem, v. g. ratione virium, vel ſtomachi debilitati, & neceſſitatem futuram, v. g. ratione ſanitatis conſervandæ, qualiter ſolent principes diſpenſari. De diſpenſatis primo modo dicunt non teneri ad jejunium: ſecus, de diſpenſatis ſecundo modo, quos ad jejunium teneri docent *Reginal. Leſſ. Bonac.* & alii, quos citat *Dian. Coordinat. tom.* 4. *tract.* 6. *Reſol.* 75. *num.* 3.

428 Nihilominùs de omnibus abſolutè diſpenſatis ad edendas carnes, ulteriùs ad jejunium non teneri aſſerunt *Azor part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *quæſt.* 3. *Fagund. in* 4. *Eccleſ. præcept. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 3. *Dian. Coordinat. tom.* 4. *tract.* 6. *Reſol.* 75. *n.* 3. *Villalobos in ſum. tom.* 1. *tract.* 24. *dub.* 8. *n.* 9. *in fine*, & *cum multis Sanch. Conſil. lib.* 5. *dub.* 29. *Benedict. Pereyr. n.* 749. §. *Hæ opiniones*, *Tamburin. lib.* 4. *cap.* 5. §. 1. *n.* 2. Fundamentum eſt: quià abſtinentia à carnibus pertinet ad eſſentiam jejunii juxtà ipſius definitionem: ſublata igitur eſſentia jejunii per diſpenſationem ad edendas carnes, tollitur jejunium, ejuſque

que obligatio. Urgetur : quià non eſt magis de eſſentia jejunii unica comeſtio, quam abſtinentia à carnibus ; ſed diſpenſatus in unica comeſtione non amplius tenetur ad jejunium : ergo neque diſpenſatus in eſu carnium.

429 Quamvis hæc olim probabiliter dicta ſint è præfatis DD. nũc certum eſt diſpenſatum ad eſum carnium teneri ad jejunium, ſive ad unicam comeſtionem. Conſtat ex litteris Apoſt. Benedicti XIV. datis in forma Brevis ad omnes Epiſcopos an. 1741. die 30. Maii, quæ incipiunt *Non ambigimus* ; & ex aliis ejuſdem litteris in forma Brevis die 22. Auguſti eodem anno, quæ incipiunt *In ſuprema* ; & ex litteris enciclycis ejuſdem etiam in forma Brevis, quæ incipiunt *Libentiſſimè.* In quibus dicit Papa, quod diſpenſatus ad eſum carnium tenetur ſervare jejunium, ſive unicam comeſtionem ; & quod numquam diſpenſetur ad eſum carnium, niſi cum onere ſervandi jejunii, ſive unius comeſtionis, niſi certa, & periculoſa affectæ valetudinis ratio aliter fieri neceſſario exigat. Etiam declarat, non licere iiſdem ad eſum carnium diſpenſatis eamdem menſam carnibus, & piſcibus inſtruere.

430 Nec obſtat, quod abſtinentia à carnibus eſt de eſſentia jejunii: ergo qui edit carnes ex diſpenſatione, non poteſt obligari ad jejunium, nec jejunium ſervari poteſt ſine ſua eſſentia. ℞. enim de eſſentia jejunii integri, & perfecti eſſe abſtinentiam à carnibus, non vero de eſſentia jejunii non integri, & imperfecti : qui edit carnes ex diſpenſatione, & ſervat unicam comeſtionem, non jejunat integre, & perfecte, ſed non integre, & imperfecte ; tenetur tamen ad hoc jejunium non integrum, & imperfectum. Sic qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt tamen reliquas Horas, tenetur recitare Officium non integrum, & imperfectum, id eſt, reliquas Horas, quamvis non recitet Officium integrum, & perfectum, id eſt, ſeptem Horas.

431 Notatio Septima. An diſpenſatus ad edendas carnes in die jejunii poſſit illas ſæpius comedere eodem die ? Reſolutio negativa ſequitur ex dictis ſupra num. 437. Ratio eſt : quià diſpenſatus ad carnes in die jejunii tenetur ſervare unicam comeſtionem : ergò ſi non poteſt ſæpius comedere etiam cibos eſuriales, v. g. panem, poma, &c. à fortiori non poterit comedere carnes.

432 Aliqui cum *Tambur. lib.* 4. *cap.* 5. §. 1. *n.* 2. dicunt, quod diſpenſatus ad carnes in die jejunii poſſit eas pluries manducare in die, quià intelligitur abſolute diſpenſatus per totum diem, niſi expreſſe, vel tacite ex circunſtantiis ad unicam comeſtionem carnium ſit diſpenſatus. Sed jam audiendi non ſunt, quia Benedictus XIV. ſtatuit, quod numquam diſpenſetur ad eſum carnium, niſi cum onere unicæ comeſtionis, excepto caſu, in quo certa, & periculoſa affectæ valetudinis ratio aliter fieri neceſſario exigat, ut dictum eſt ſupra n. 437.

433 Notatio Octava. An diſpenſatus in carnibus, ſi illas non edat, teneatur jejunare ? Diſtingunt Authores, & dicunt : quod ſiquis habeat manifeſtas vires, & ſalutem ad jejunandum, ſed ad præſervandum ſe ab aliqua infirmitate diſpenſatur in carnibus, tunc ſi aliqua die jejunii carnes non comedat, tenetur illa die jejunare. Ità *Sanch. in*

opuſc.

opuſc. tom. 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 30. *n.* 2. *&* 3. & alii apud *Dian. Coordinat. tom.* 4. *tract.* 6. *Reſol.* 76. Ratio eſt : quià taliter diſpenſatus nulla ratione excuſatur à jejunio, niſi quia abſtinentia à carnibus eſt conditio eſſentialis jejunii, & illa non ſervata, non poteſt ſervari jejunium; ſed taliter diſpenſatus ſervat conditionem eſſentialem jejunii, quatenus carnes non comedit eo die: ergo tali die tenetur jejunare.

434 Siquis verò ſit diſpenſatus in uſu carnium propter debilitatem virium, & infirmitatem præſentem, tunc dicunt Authores citati, quòd licèt diſpenſatus aliqua die carnes non comedat, non tenetur jejunare, idque licèt ejus ſaluti conduceret carnes non comedere eo die. Ratio eſt: quià Eccleſia infirmos abſolute excuſat à jejunio, ut ipſis nocivo; quòd autem uni, vel alteri infirmo non noceat jejunium, eſt per accidens, & Eccleſia tantùm reſpicit, quod communiter ſolet evenire.

435 Notatio Nona. An diſpenſatus ad unum genus carnium, v. g. ad Gallinas, poſſit quaſcumque carnes, etiam nocivas, comedere? Communis eſt ſententia affirmativa. *Dian Coordinat. cit. Reſolut.* 71. *n.* 2. *Villalobos in ſum. tom.* 1. *tract.* 23. *dub.* 8. *n.* 11. *Tamburin. in decalog. lib.* 4. *cap.* 5. §. 1. *n.* 8. Ratio eſt: quià una eſt, & individua omnium carnium prohibitio: ergò è cõtrà diſpenſatio eſt omnium carnium abrogatio, ſeu relaxatio.

436 Notatio Decima. An diſpenſatus ad carnes poſſit ſimul edere piſces? ℞. negativè: Ratio eſt: quià id abſolute prohibitum eſt à Benedicto XIV. ut dixi ſupra num. 429. Unde jam audiendi non ſunt, qui contrarium docuerunt apud *Dian. Coordinat. tom.* 4. *tract.* 6. *Reſolut* 72.

437 Notàtio Undecima. An diſpenſatus ad carnes, etiam cenſeatur diſpenſatus ad ova, & lacticinia? Affirmamus cum *Thom. Sanch. & Joann. Sanch*; quos citat, & ſequitur *Tamburin. n.* 3. Ratio eſt: quià diſpenſatus ad maius, cenſetur diſpenſatus àd minus in eodem genere, ex Cap. *Cuilibet* De regul. jur.

SECTIO VII.

An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ad edenda lacticinia?

438 ADvertendum 1: quæſtionem inſtitui de jejuniis Quadrageſimæ, in quibus datur obligatio abſtinendi à lacticiniis, non autem de jejuniis infrà annum, in quibus ſimilis obligatio non datur, ſicut neque in Dominicis Quadrageſimæ, ut ſuprà diximus.

439 Advertendum 2: quæſtionem præſcindere à cõſuetudine non ſervandi lacticinia etiam in jejuniis Quadrageſimæ, quam conſuetudinem in Braſilia vigere diximus ſuprà. Procedit igitur quæſtio ſuppoſita obligatione (ſi in Braſilia daretur) ſervandi lacticinia. In hoc enim ſenſu quæritur.

440 Notatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ad edenda ova, & lacticinia diebus jejunii? Reſolutio affirmativa conſtat ex Indulto ibi: *Diſpenſandi ſuper eſu ovorum, & lacticiniorum tempore jejuniorum, & Quadrageſimæ.* Poſſunt itaque Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in eſu ovorum, & lacticiniorum tempore jejuniorum, & Quadrageſimæ: tali tamen diſ-

diſpenſatione non egent illorum ſubditi ex conſuetudine legitimè præſcripta contrà lacticinia, ut jam diximus.

441 Notatio Secunda. An diſpenſatus ad ova, & lacticinia, etiam cenſeatur diſpenſatus ad edendas carnes? Certa eſt reſolutio negativa: tùm quià diſpenſatus ad minus, non cenſetur diſpenſatus ad maius; tùm quià jejunium ſtat cum uſu ovorum, & lacticiniorum, minimè verò ſtat, aut ſtare poteſt cum eſu carnium.

442 Notatio Tertia. An diſpenſatus ad ova, & lacticinia, maneat eo ipſo diſpenſatus ad ſagimen, ſeu lardum porcinum, vulgò *manteiga*, *unto*, *ou banha de porco*? Aliis terminis: An diebus jejuniorum, quibus, vel communi lege, vel loci conſuetudine, aut ſpeciali privilegio licet comedere ova, lac, caſeum, & butyrum ex lacte; liceat quoque veſci ſagimine, ſeu lardo porcino? Negant *Villalobos in ſum. part.* 1. *tract.* 23. *diffic.* 8. *n.* 16. *Filliuc. tom.* 2. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 61. *Pallaus diſp.* 3. *punct.* 2. §. 1. *n.* 8. *Benedict. Pereyr. in ſum. Theolog. Moral. part.* 2. *tr.* 35. *quæſt.* 4. *n.* 753.

443 Advertit tamen *Filliuc.* cit. ſe loqui de jure communi, quià in aliquibus locis conſuetudine potuit induci, ut defectu olei, vel butyri uſurpetur ſagimen ad præparanda ova: quo caſu ſtandum erit conſuetudini loci, ex Gloſſ. in Cap. *Presbyter* diſt. 82. verb. *Sagimine. Hoſtienſ. in ſum. de obſervat. jejuniorum.*

444 Nihilominùs ſententiam affirmativam tenent Gloſſa in Cap. *Presbyter* diſt. 82. verb. *Sagim. Hoſtienſ in ſum. Rubrica de obſervat. jejunior. Abbas in Cap. Conſuluit.* De judiciis. *Sylveſt.* verb. *Jejunium*, *quæſt.* 5. *num.* 16. *Azor tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. §. *Octavo Quæritur. Fagund. in* 4. *Eccleſ. præcept. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 20. Quam ſententiam vocat probabilem *Benedict. Pereyr. cit.* §. *Hæc ſecunda ſententia*, & practicandam dicit, ubi fuerit uſu recepta; ſicut in Sicilia, ut teſtatur *Dian. p.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 21. Hanc etiam ſententiam ſequntur plures alii DD. infrà citandi.

445 Probatur: quià ſagimen, ſeu lardum procinum, vel anſerum pinguedo, licèt ex carne originem trahant, ut ova, lac, caſeus, & butyrum ex lacte, re tamen vera non ſunt caro, ut docet *Ariſtoteles.* 2. *de generat.* finito enim naturali augmento, tunc incipit eſſe, fieri, & augeri ſagimen, ſeu lardum porcinum, & anſerum pinguedo: ergò prædicta potius ad lacticinia, quàm ad carnes reduci debent.

446 His addit *Laym. in ſum. lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 5. ſententiam hanc affirmativam ad triplicem effectum prodeſſe. 1: ut Prælati facilè diſpenſent cum pauperibus in uſu ſagiminis, ſeu lardi porcini. 2: nè divites illo utentes ad mortalè damnentur. 3: ut excuſentur ſervi, qui ex dominorum imperio cibis condiendis ſagimen, ſeu lardum porcinum adhibent.

447 In cujus rei confirmationem tranſcribam in vulgari, prout circumfertur, diſcurſum luculenter compoſitum à ſapientiſſimo quodam Magiſtro Societatis Jeſu, ut declarat ejus ſubſcriptio ad finem diſcurſus poſita. Res ità ſe habuit. Ex noſtra hac Braſilia Ulyſſiponem navigaverat R. Joannes Leyte da Sylva, Sacerdos Sæcularis, Paulopolitanus, inter ſuos magnæ authoritatis

ritatis

ritatis vir, apud exteros venerandus, mihi verò gratiſſimus, quoties in Collegio Paulopolitano, cùm ibi Grammaticam docerem per annum 1706. de rebus Ulyſſipone viſis colloquia miſcebamus. Is ipſa præter alias Gratias temporales, quas Genti ſuæ à Sereniſſimo Luſitaniæ Rege Petro II. aſſecutus fuit, hoc etiam beneficium ſpirituale in totius Provinciæ Paulopolitanæ utilitatem à D. Nuntio impetrare curavit, nempè, ut per univerſam Regionem Paulopolitanam abſque ullo ſcrupulo, & in bona conſcientia edi poſſet diebus jejunii ſagimen, ſeu lardum porcinum.

448 Negotio igitur ad D. Nuntium delato, reſpondit; ſe, auditis priùs Theologis, ſi eorum judicia intento faverent, benignè indulturum. Tùm P. Leyte literis commendatiis, quas ſecum tulerat, fretus, ad Collegium D. Antonii Magni ſe contulit, ubi, re expoſita, judicium Theologicum poſtulavit, & obtinuit, ut ſequitur.

PROPOSTA.

NA Villa de S. Paulo (hoje Cidade) e outras, que diſtaõ muitas legoas de porto do mar, e ſaõ as ultimas terras do Brazil, ſe uſa comer manteyga de porco todo o anno, aſſim para frigir ovos, como tambem algum peixe de agoa doce, e adubar alguns legumes, que por falta deſte he o cõmum ſuſtento nos dias delle, tudo pela grãdiſſima falta de azeite, que ha naquellas partes; porque a terra o naõ dá, e algum pouco, que de Portugal lá pode chegar, o naõ alcançaõ todos, nem ainda para medicamentos, e geralmente as mulheres o naõ podem comer, nem no prato, nem por adubo, por particular antojo, que a falta do ſeu uſo lhes tem cauzado.

Ha alli tradiçaõ antiga, de que havia diſpenſaçaõ para eſta manteyga, ou pingo, pelas razoens referidas, deſde os principios daquellas povoaçoens, ſem haver cõtra iſſo prohibiçaõ alguma. E ſó agora de poucos tempos à eſta parte alguns Confeſſores fizeraõ niſto reparo por naõ conſtar da dita diſpenſaçaõ, mais que por aquella tradiçaõ, e uſo antigo de ſe comer a dita manteyga no modo referido.

Tem cauſado eſte rèparo de alguns Confeſſores grande perturbaçaõ nos moradores deſtes lugares; porque os mais timoratos padecem detrimento em procurar o azeite de Portugal, e ainda da ſaude as peſſoas, q̃ cõ elle ſe lhes antoja o goſto. E ha grande confuzaõ com eſta variedade de pareceres, pois a tradiçaõ, o uſo, e a neceſſidade facilita a huns o continuarem, como dantes, e o eſcrupulo maltrata a outros, por ſe verem obrigados a buſcar o azeite, de que naõ goſtaõ, e o q̃ naõ podem alcançar ſuas poſſes.

Pergunta-ſe agora, ſe pelas razoens apontadas, e da exemplo de algumas Provincias de Caſtella, e de diverſos lugares de Portugual, onde ſe uſa de ſemelhante pingo nos dias de peyxe, podem cõ ſegurança aquelles moradores continuar na ſua poſſe antiga, como ſe tem dito; ou ſe poderá o Senhor Nuncio conceder algum Indulto, ou diſpenſaçaõ, para que aſſim o façaõ os ditos moradores, e que fiquem livres de algum encargo de conſciencia, que neſte particular poſſa haver?

Já ſe propoz iſto ao Senhor

Nuncio : e reſpondeu , que, ouvidos os pareceres de Meſtres Theologos, deferiria na forma , que melhor ſe julgaſſe.

REPOSTA.

1 P*Ara reſponder a eſta propoſta haſe de ſuppor primeiro , que o coſtume racionavel legitimamente preſcripto pode moderar , e abrogar as leys humanas, ut cum D. Thom. p. 2. quæſt. 97. art. 3. docent cõmuniter Canoniſtæ in Cap. ult. De conſcient, & Legiſtæ ad l. Dequibus ff. De leg. Leſſ. l. 4. cap. 2. dub. 2. n. 8. Caſtro Pal. tom. 1. tract. 3. diſp. 3. §. 2. n. 1. Dian. part. 1. tract. 9. Reſol. 21. Didac. de Avend. in theſaur. Indico , tom. 1. tit. 5. cap. 28. n. 226. Reginald. in praxi tom. 1. l. 4. c. 13. ſect. 1. n. 147. qui tres authores loquuntur expreſſè de lege jejunii. Bonac. M. Suar; Sallas. Azor , & alii communiter apud citatos.*

2 *E entaõ ſe diz ſer o coſtume racionavel , quando , ſemota lege , quam evertit , turpitudinem , aut deformitatem non continet contrà legem divinam , aut naturalem, aut æquitatis rationem , ut cum P. Sãch de Matrim. l. 7. diſp. 4. n. 24. Granad. tract. 7. p. 2. d. 56. n. 2. explicat Dian. p. 6. tract. 5. Reſol. 1. Avend. proximè citatus.*

3 *E o tempo baſtante para o coſtume preſcrever contra a ley , diz Joan. Præpoſitus , Maſcardus , Bonac. Sâ, Caſtro Pal. tom. 1. tr. 3. diſp. 3. p. 2. §. 2. n. 5. que ſaõ dez annos. E o mais commum dos DD. diz , que contra a ley Canonica ſaõ 40. annos. Ità M. Suar; Laym. Reginald. Leſſ. & plures alii, quos citat , & ſequitur Dian. p. 6. tract. 5. reſol. 2.*

4 *Haſe de ſuppor 2. que circà delectum ciborum in die jejunii, ſe hade eſtar pelo coſtume da Regiaõ , de ſorte , que ſe obſerve , o que ahi for coſtume legitimamente preſcrito. He doutrina de S. Thomaz 22. part. 147. art. 8. ad 3. Reginald in praxi tom. 1. l. 4. c. 13. ſect. 1. num. 147. Filliuc. tom. 2. tract. 27. pag. 2. cap. 3. num. 61. Rodrig. in Bull. §. 6 num. 2. Cruz in Bull. diſp. 1. cap. 5. dub. 16. Villalobos tract. 23. Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 13. §. 11. Trullench. in Bull. l. 1. §. 4. dub. 3. Mendo in Bull. diſp. 18. c. 2. n. 12. Azor inſtit. moral. tom. 1. lib. 7. cap. 10. part. 1. tract. 9. Reſol. Avend. ubi ſuprà.*

5 *Daqui vem , que por coſtume he licito em algumas Regioens comer ovos , e lacticinios na Quareſma , como em Flandres ſaõ licitos os lacticinios no tal tempo , paucis diebus exceptis , teſte Diana , & Avendaño citatis. E tambem ſó por coſtume he licito em Caſtella edere in ſabbatis inteſtina animaliũ, como diz Diana citado. Item ex ſolà conſuetudine in Indiis Hiſpaniæ ſabbatis eſt licitum Indis carnis uſus , ut teſtatur Avenda. citatus. E onde ha coſtume comer ovos, e lacticinios na Quareſma , licitamente ſe podem comer ſem peccado venial , ut cum communi docet P. Fag. in 4. Eccleſ. præcept. l. 1. cap. 2. n. 11. E há eſte coſtume no Arcebiſpado de Evora , Biſpado de Vizeu , e outros , teſte eod. Fag. Imò, q̃ a obrigaçaõ de abſterſe dos ovos, e lacticinios na Quareſma provem ſó do coſtume , e naõ da ley Eccleſiaſtica , que o mande ſub peccato gravi : he opiniaõ de Peliz ; Fag. loco citato n. 12. e approvada em*

mui-

muitas Univerſidades, e pelo Tribunal do Santo Officio, e Inquiſição, ainda que o P. Mendo in Bull. diſp. 18. cap. 1. n. 1. com o mais commum dos DD. diz, que a tal obrigação provem ex lege Eccleſiaſtica, lata in Cap. Denique diſt. 4.

6 Haſe de ſuppor 3. que he opinião muito ſeguida, que aquelles, a quem he licito comer ovos, e lacticinios em tempo de Quareſma, he tambem licito veſci ſagimine, & lardo, ſive butyro ſuillo: ita docent cum Gloſſa in Cap. Presbyter diſt. 82. Sylveſt in ſum. verb. Jejun. q. 5. §. 2. Angl verb. Jejunium. §. 5. Dominicus Balta in Apologia edita Hiſpal. à n. 1557. citans Boſell. Raymundum, & alios, Tabien. verb. Jejunium §. 7. Conrad. in reſp. caſuum p. 1. q. 250. in addit. Bartol. de Medi. in inſtruct. conf. l. 1. cap. 14. §. 10. fine cum Victor. Bertach. Avilles. Item Annan, Felin. Corzeſtus, Ovand; & alii, quos citat, & ſequitur Sebaſt. in faſciculo flor. lib. 1. tom. 3. cap. 11. n. 51. Azor tom. 1. inſtit moral. lib. 7. cap. 10. q. 8. Fag. in 4. Eccleſ. præcept. lib. 1. cap. 2. n. 20. Machad. tom. 1. lib. 2. p. 4. tract. 3. doct. 4. n. 5. Boſſius tom. 3. de jejunio tit. 21. tr. 9. n. 61. Barb. in Cap. Presbiter n. 2. Paſq. in praxi jejunii deciſ. 74. n. 4. Benedict. Pereyr. in ſum p. 2. tract. 35. num. 754. Hoſtienſ. Panormit. apud. Mend. in Bull. diſp. 18. cap. 2. n. 12. Leand. de præcept. Eccleſ. tract. 5. diſp. 2. q. 35. §. Eſſet probabile. Et non ſolùm licere uti butyro ſuillo, ſed & ſanguine, docet SS. 7. Nardus Gallus in Conciliis conciliorum 10. fol. 72. apud. Dian. p. 10. tract. 16. reſol. 77.

7 Porem os que ſeguem a contraria opinião de que não he licito ſagimen, & lardum; aos que he licito o uſo dos ovos, e lacticinios, dizem, que aonde houver coſtume de comer ſagimen, & lardum, ſive butyrum ſuillum, he licito o tal uſo. Ità P. Mend. in Bul. dict. diſp. 18. n. 12. ubi ſic: Opus non eſt Bulla Cruciatæ ad uſum lardi, ſeu ſaginimis, quo ova parentur, ubi conſuetudo id permittit, ut in Sicilia, in Galæcia, & in Regno Peruano propter olei penuriam. Quarè ſtandum eſt locorum conſuetudini, ut docent Filliuc; Rodrig. Cruz, Villalobos; Trullench; Henriq. Idem tenet Regin. in praxi tom. 1. lib. 4. cap. 13. ſect. 1. n. 147. Dian. 1. p. tract. 9. reſol. 21. & p. 10. tract. 16. reſol. 77. Aved. in theſauro Indico, loco citato n. 227. E acreſcenta o P. Mendo, que em algumas Provincias há coſtume utendi lardo, & ſagimine etiam reſpectu eorum, qui nequeunt edere ova, & lacticinia, eò quod ad alia fercula, & requiratur oleum, & ſit inibi magna penuria. Iſto ſuppoſto.

8 Reſpondo 1; que ſem diſpenſação alguma podem os ditos moradores de S. Paulo, e os mais de que ſe falla na propoſta, uſar licitamente da manteyga, de que ſe trata. A razão he 1. porque no Eſtado do Braſil (ſegundo a informação, que me deram) he licito em todo o tempo comer ovos, e lacticinios; e conforme a opinião dos muitos DD. allegados no num. 6. à quem he licito uſus ovorum, & lacticiniorum, tambem he licito uſus lardi, & ſaginimis. 2. porque em S. Paulo, e mais partes do Braſil ha coſtume de ſe uſar da tal manteyga, e ſegundo o que ſe propoem, o tal coſtume he de muitos annos baſtantes para preſcrever, e

 he

he racionavel; conforme o que fica dito no num. 2. *e* 3. *E onde ha eſte coſtume, he licito o tal uſo, conforme a commum ſentença dos DD. como conſta do que diſſemos no num.* 7. *E ſó por eſta razaõ do coſtume he licito na Provincia de Entre Douro, e Minho uzar da dita mãteyga, como conſta de certo, e aſſim ſe pratica, ſabendo-o, e conſentindo-o os Prelados pela falta de azeyte, que ha naquella Provincia; e em Buenos Ayres, e todas as Indias de Caſtella ha o meſmo coſtume pela meſma razaõ, como teſtifica Avendanho no lugar já citado.*

9 *Pelo que ſem fundamento os Confeſſores metem eſcrupulo aos ditos moradores. Refere o Padre Avendanho in theſauro Indico tom.* 1. *tit.* 5. *cap.* 28. *n.* 228. *que o ſubdelegado Commiſſario da Bulla da Cruzada nas Indias de Caſtella publicara hum edicto, em que declarava, que era peccado mortal, uſus lardi, ſive butyri ſuilli, e mandava ſub pœna excõmunicationis maioris aos Confeſſores, que aſſim o intimaſſem aos penitentes. Mas que todos os homens doutos aſſentaraõ, que o tal edicto, e cenſura naõ tinha vigor contra o coſtume legitimamente preſcrito, nem ſe fez cazo delle, practicandoſe, como de antes, o uzo da dita manteyga.*

10 *Reſpondo* 2: *que na duvida, ſe he, ou naõ he neceſſaria diſpenſaçaõ para uzar da tal manteyga, pode o diſpenſado licitamẽte obrar ſem a tal diſpenſaçaõ, quando a duvida naõ exclue a probabilidade, como he no cazo prezente. Aſſim o tem Bonac. de legib. diſp.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 18. *Barb. de poteſt. Epiſcop. p.* 2. *alleg.* 35. *num.* 18. *Caſtro Pal. tom.* 1. *tr.* 3. *de Diſpens. leg. d.* 6. *p.* 5. *n.* 10.

11 *E para tirar todo o eſcrupulo, pode o Biſpo declarar, que naõ he neceſſaria diſpenſaçaõ, e diſpenſar ad cautellam, porque neſte cazo, em que a duvida (ſiqua datur) he desta qualidade o pode fazer, como affirma Caſtro Palao proximè citatus, n.* 10. *Barb. cit. n.* 15. *Bonacin. ubi proximè, Sa verb. Diſpenſatio n.* 1. *Salas de legib. diſp.* 20. *ſect.* 3. *n.* 28. *Laym. Theolog. Moral. lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 22. *n.* 4. *Dian. p.* 4. *tr.* 3. *Reſol.* 46. *ubi ſic: conceſſo tamen gratis in illo dubio tibi eſſe neceſſariam diſpenſationem, exiſtimo Epiſcopalem ſufficere; tùm quià non videtur Pontifici reſervatus caſus dubius, ſed certus; tùm quià poteſtas diſpenſandi latè eſt interpretanda. Citat Barb. Trullench. in expoſit. Decal. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 39. *n.* 4. *& loquens de voto reſervato idem affirmat Sãch. in Decal. lib* 4. *cap.* 40. *n.* 26. *M. Suar. tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de Voto cap.* 26. *n.* 6. *E ſe iſto pode fazer o Biſpo, à fortiori o Senhor Nuncio. Iſto he, o que me parece. ſalvo meliori judicio: Lisboa Collegio de Santo Antaõ da Companhia de JESU.* 15. *de Outubro de* 1683.

Sub Cenſura.

Franciſco Pinheyro.

P*Arecem-me as reſoluçoens ſobreditas muito provaveis, e ſeguras na conſciencia: Lisboa Collegio de Santo Antaõ da Companhia de JESU.* 18. *de Outubro de* 1683.

Sub Cenſura.

Sebaſtiaõ de Magalhaens.

Sup-

SUppoſta a verdade da propoſta, ſou do meſmo parecer do Padre Meſtre, e doutiſſimo Conſulente, e pelos meſmos fundamentos. Collegio de Santo Antaõ da Companhia de JESU de Liſboa: 24. de Outubro de 1683.

Sub Cenſura

Vicente de Liz.

COnformo-me em todas as reſoluçoens com o parecer do Padre M. pelos meſmos fundamentos, em que ſe funda, que ſam muito communs, e pode ajudar muito para nam neceſſitarem de diſpenſaçaõ a tradiçaõ taõ antiga, que tem aquellas terras, como ſe diz na propoſta, que havia diſpenſaçam para comerem nos dias de peixe as couzas ſobreditas; porque ainda que naõ appareça hoje a diſpenſaçaõ in ſcriptis, nem quem a viſſe, aquella tradiçaõ taõ antiga, que a houve, he huma grande prova, como ſe ve em outras materias. E aſſim eſtam (conforme iſto) os moradores daquellas terras em uzo, e poſſe, ſeu quaſi poſſe de comerem as couzas ſobreditas por diſpenſaçaõ, que tem à tempore immemoriali. Liſboa, Seminario de S. Patricio 25. *de Outubro de* 1683.

Sub Cenſura

Domingos Leytaõ. S. J.

SOu do meſmo parecer do Padre Meſtre, e ſapientiſſimo Conſulente em todas as ſuas reſoluçoens, pelos fundamentos, em que ſe funda, ſuppondo porem os coſtumes, que diz ha, aſſim da dita manteyga em S. Paulo, como dos ovos no Brazil. Liſboa, Seminario de S. Patricio 25. *de Outubro de* 1683.

Sub Cenſura

Affonſo de Sylveira.

TEnho por muito ſeguras na cõſciencia as reſoluçoens acima do Doutiſſimo P. M. Conſulente, e me conformo com ellas, principalmente conſtando-me, que em alguns Biſpados deſte Reyno, donde ſe padece menos falta de azeite, ſe praticaõ, conſentindo Prelados de ſummo zelo, e approvando-as Varoens Doutiſſimos, que foram conſultados. Liſboa, Seminario da Companhia de JESU: 26. *de Outubro de* 1683.

Sub Cenſura

Franciſco da Cruz.

SUppoſto, o q̃ na propoſta ſe diz, me parece, que a reſoluçaõ do M. R. P. Meſtre Conſulente ſe pode em boa conſciencia ſeguir pelos fundamentos ſolidos, que aponta, e tambem, que os Confeſſores, que neſte ponto eſcrupulizaõ, naõ tem ſufficiente fundamento para repararem neſta materia. No Moſteyro do Santiſſimo Sacramento em 16. *de Novembro de* 1683.

Sub Cenſura

Fr. Ignacio da Coſta.

COnformo-me neſta materia cõ o parecer doutamente diſcutido, e provaveis razoens, em que ſe funda o P. M. Conſulente, que em boa conſciencia, e ſem eſcrupulo ſe pode ſeguir. S. Domingos de

Lisboa 21. de Novembro de 1683.

Sub Cenſura

Fr. Gonçalo do Crato.

SEgundo a propoſta, me confor- mo com a reſoluçaõ do R. Padre Meſtre Conſulente, que ſem eſcrupulo, e em boa conſciencia ſe pode ſeguir. S. Domingos de Lisboa 21. de Novembro de 1683.

Sub Cenſura

Fr. Manoel da Aſcençaõ.

NAõ acho razaõ, que poſſa enfermar as em que ſe funda eſte parecer do Doutiſſimo Conſulente; e aſſim me parece tambem, que os moradores daquellas terras, ſendo verdade, o que ſe propoem, podem viver ſeguros na conſciencia. S. Domingos de Lisboa 23. de Novembro de 1683.

Sub Cenſura

Fr. Bento de Santo Thomaz.

NOs termos da propoſta me parecem muito provaveis as reſoluçoens do Doutiſſimo Conſulente; e aſſim me conformo com o ſeu parecer pelas razoens doutamente apontadas. S. Domingos de Lisboa; hoje 23. de Novembro de 1683.

Sub Cenſura

Fr. Manoel Leytaõ.

CErtifico eu Filippe Ribeyro Pereyra Ulyſſiponenſe publico authoritate Apoſtolica Notario dos approvados em eſta Corte, e Cidade de Lisboa pelo Ordinario, e Eſcrivaõ do Meirinho Geral do Tribunal da Legacia, e faço fé, que a mim ſobredito Notario me foy prezentado por parte do Reverendo Joaõ Leyte da Sylva, Sacerdote do habito de S. Pedro, humas rezoluçoens, e pareceres de diverſos PP. Doutores aſſignados por elles meſmos, requerendo-me lhe deſſe o treslado em publica forma, o qual he, o que a traz ſe contem, que fiz tresladar bem, e fielmente do proprio original, a que me reporto, e concorda com o meſmo original ſem couſa, que duvida faça: e por verdade paſſei a prezente por mim feita, e aſſignada, e corroborada de meus ſinaes publico, e razo, de que uzo em ſemelhantes, e o dito Reverendo Joaõ Leyte da Sylva tornou a levar o proprio original; e de como o recebeo, aſſignou commigo aqui em Lisboa aos vinte, e nove dias do mez de Janeiro de mil ſeiscentos, e oitenta, e quatro annos.

V. Filippe Ribeyro Pereyra publico authoritate Apoſtolica Notario.

Joaõ Leyte da Sylva.

449 Ecce tibi promiſſum diſcurſum, ſeu judicium Theologicum unà cum ſubſcriptionibus Doctorum, qui illud approbarunt, & atteſtatione publici Notarii, fideliter tranſcriptum! Unde confirmatur 1: Braſiliæ uſus, & conſuetudo legitimè præſcripta non ſervandi lacticinia etiam in jejuniis Quadrageſimæ: teſtimonium enim, ſeu informatio de tali uſu allegata in prædicto judicio Theologico n. 8. cohæret

ret cum notitia illa, quam ſuprà dedi num. 421. de eodem uſu non abſtinendi à lacticiniis in Braſilia: quam tamen notitiam ego aliundè, ut dixi, acceperam, non autem ex teſtimonio,ſeu informatione in ipſo judicio Theologico data dict. n. 8.

450 Confirmatur 2: probabilitas ſententiæ affirmantis diſpenſatum ad ova, & lacticinia, eſſe conſequenter diſpenſatum ad uſum ſaginis, ſeu lardi porcini: quatenùs Authoribus pro ea ſententia adductis ſuprà num. 452. accedunt tot, & tam graves Authores, (quos tamen non vidi, cum ad manum non ſint) ibi in diſcurſu Theologico citati num. 6.

451 Confirmatur 3: cum Paulopolitanis potuiſſe D. Epiſcopum Fluminenſem,attentis circunſtantiis, quæ in diſcurſu Theologico ponderatur num. 10. diſpenſare de jure ordinario ſuper uſu ſaginis, & lardi porcini in diebus jejunii, ut ibidem dicitur, num. 11.

452 His verò prætermiſſis, certum omninò eſt potuiſſe D. Epiſcopum Fluminenſem diſpenſare ex facultatibus extraordinariis, quas à Sede Apoſtolica conceſſas habet adinſtar earum, quas habet D. Nuntius, Sed fortaſſe à D. Nuntio ſupplicata fuit hæc gratia, ex ignorantia Patris Leyte, qui probabilitèr neſciebat talia poſſe D. Epiſcopum Fluminenſem, & ideò ad D. Nuntium recurrit, cũ ad proprium Paſtorem faciliùs poſſet. Igitur Breve D. Nuntii emanavit, ut ſequitur.

Breve à D. Nuntio Ulyſſiponenſi expeditum.

453 *Marcellus Durazius Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Chalcedonenſis, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Prælatus domeſticus, & Aſſiſtens, ejuſque, & dictæ Sanctæ Sedis in Portugallia, & Algarbiorum Regnis, atque Dominiis cum poteſtate legati de latere Nuntius. Reverendiſſimo in Chriſto P. Epiſcopo Sancti Sebaſtiani Fluvii Januarii ſalutem in Domino ſempiternam. Ex parte communitatis, & Incolarum Oppidi, & diſtrictus Sancti Pauli nũcupati in Braſiliis, nobis nuper fuit expoſitum, fuiſſe, & eſſe conſuetum in illo Oppido, ac diſtrictu, nec non in finitimis Provinciis ſubditis Regi Catholico ova, & piſces, cæteraque fercula tempore jejunii ſagimine, & lardo ſuillo parare, ex quo in illis partibus deficit oleum Olivarum. Verũ ab aliquo tempore conſueviſſe quoſdam Confeſſores pœnitentes admonere, non licere uti hujuſmodi ſagimine, & lardo, ità ut illorum conſcientiæ magnis ſcrupulis vexentur, dùm ex una parte dubiæ remanent ex Confeſſorum admonitionibus, & ex alterà ab eſu talis ſaginis, & lardi, quamplurimi non abſtinent; quare nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuarum conſcientiarum quieti conſulere, & aliàs in præmiſſis opportunè providere benignè dignaremur. Nos igitur quieti conſcientiarum eorumdem Incolarum conſulere volentes, circumſpectioni tuæ per præſentes committimus, ut conſtito priùs tibi in illis partibus fuiſſe legitimè introductam, & de præſenti vigere tàm in dicto Oppido, ejuſque diſtrictu, quam in finimis Provinciis conſuetudinem utendi tali ſagimine, & lardo tempore jejunii pro parandis ovis, & piſcibus, cæteriſque ferculis; nullumque ſcandalum ex ea oriri,*

 eoſdem

eoſdem Incolas hujuſmodi ſagimine, & lardo ad ova, piſces, cæteraque fercula paranda abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo uti poſſe declares, dummodò eiſdem ſagimine, & lardo non utantur pro obſonio. In contrarium faciendum, non obſtantibus quibuſcumque. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas fieri, ſigillique noſtri juſſimus impreſſione muniri. Datum Ulyſſipone die XV. Menſis Januarii. M. D. C. L. XXXIV. Pontificatus Sanctiſſimi noſtri Domini Innocentii PP. XI. anno octavo.

M. Archiepiſcopus Chalcedcn.]

Regiſt. lib. 4. *fol.* 145.

M. Albrando Reg.

Sebaſtianus Maſſimini Secretarius.

Cumpraſe, como nelle ſe contem. Villa de S. Paulo: 20. de Junho de 1695. annnos.

Coſta.

454 Ex prædicto Brevi D. Nuntii conſtat 1. poſſe Paulopolitanos uti ſagimine, & lardo ſuillo ad ova, piſces, & quæcumque alia fercula paranda diebus jejunii abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, ut in ipſo Brevi exprimitur.

455 Conſtat 2. uti nequaquam poſſe Paulopolitanos ſagimine, ſeu lardo ſuillo pro obſonio, vulgò *cõduto*: particula enim *dummodo*, quæ in Brevi apponitur, ibi: *dummodò eiſdem ſagimine, & lardo non utantur pro obſonio*, ſignificat negationem, ſeu excluſionem conceſſionis quo ad uſum ſagiminis, & lardi pro obſonio, ſeu *conduto*. Poſſunt igitur Paulopolitani ova, piſces, legumina, herbas, & quæcumque alia fercula præparare, condire, miſcere, & temperare; ſagimine, & lardo liquefactis loco olei, aut cujuſcumque alterius liquoris ciborum temperativi; comedere autem ſagiminen, ſeu lardum ſuillum pro obſonio, ſeu *conduto*, nequaquam poſſunt.

456 Conſtat 3. prædicta omnia, prout in Brevi continentur, à D. Epiſcopo Fluminenſi fuiſſe incolis S. Pauli declarata, ut Breve requirit, per R. Emmanuelem da Coſta Cordeyro, tùm temporis in Provinciam S. Pauli Viſitatorem miſſum pro Epiſcopo; ut conſtat ex ejuſdem P. Coſta rubrica ad calcem Brevis poſita, ibi: *Cumpraſe, como nelle ſe contem, &c.*

457 Advertendum adhuc 1. per clauſulam illam Brevis: *Ex parte communitatis, & Incolarum Oppidi, & diſtrictûs S. Pauli nuncupati in Braſiliis* venire omnia Oppida mediterranea ad Auſtrum verſùs, vulgò *de Serra acima*, quæ ſupremo Gubernatori S. Pauli, ejuſque diſtrictùs ſubordinantur hic, & nunc, & ab ipſis S. Pauli, ejuſvè diſtrictùs incolis fuere fundata, ut *Cuyabà, Guayaz, &c.*

458 Dixi: *Subordinantur hic, & nunc*: quià ſi labentibus annis dividantur diſtrictus Paulopolitani, & multiplicentur gubernia invicem independentia, ut non ſemel contingit; id non obſtabit, quominus Oppida jam fundata, & in poſterum fundanda, modò ſint mediterranea, vulgò *de Serra acima*, Paulopolitano gaudeant privilegio.

459 Advertendum 2. hujuſmodi Breve D. Nuntii eſſe interpretandum adinſtar privilegii localis, de cujus natura eſt, ut omnes in lo-

co

co exiſtentes; ſive in perpetuum, ſive ad tempus, privilegio loci fruantur, ut in materia de privilegiis tritum eſt, & uſu receptum, ut, v. g. cùm quis ad Caſtellam accedit, & ibi Sabbatis per annum pecorum inteſtinis, & extremitatibus, ſeu minutis, ut vocant, veſcitur.

SECTIO VIII.

Quando expediat diſpenſare in uſu carnium.

460 PRo cauſis diſpenſandi in uſu carnium nullam certam regulam aſſignant Authores, præter debilitatem virium, aut ſanitatem conſervandam in illis, quibus piſces ſunt nocivi: quo ad alias enim cauſas, Prælatis diſpenſandi facultatem habentibus, aut conſcientiarum moderatoribus, & judicio medicorum ſe remittunt. Sic *Trullench. in Decalog. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 7. *n.* 16. ait: quando cauſa eſt evidentèr juſta, nulla eſt opus diſpenſatione; quando non eſt certa, tunc conſulendi viri docti, ut Profeſſor Caſuum, Doct. Theologiæ, Confeſſarius, & Medicus. Si aliquis eorum dicat cauſam eſſe ſufficientem, nulla requiritur diſpenſatio: quo in caſu ipſi non diſpenſant, ſed declarant cauſam eſſe, vel non eſſe ſufficientem; quòd ſi adhuc dubia eſſet, tunc recurrendum ad Superiorem, ut diſpenſet; quiá tunc neceſſaria eſt juris relaxatio, circà quam Medicus, vel Confeſſarius poteſtatem non habent. Hæc *Trullench. & Rocafull. in praxi Theol. Moral. tom.* 1. *lib.* 3. *de præcept. Eccleſ. cap.* 11. *n.* 212. hæc habet: Si autem dubia res eſt, tunc neceſſaria eſt authoritas Superioris, vel Epiſcopi. Ità DD. communiter. His præjactis ſit

461 Notatio Prima. An cum illis, quorum debilitatæ ſunt vires, expediat diſpenſare in eſu carnium? Reſolutio affirmativa ſupponitur ab omnibus, qui quærunt; an diſpenſatus in carnibus propter debilitatem virium teneatur jejunare? Dum enim ſic quærunt, vel ſupponunt diſpenſationem jam factam, vel de illa facienda non dubitant, ſed ſolùm inquirunt de obligatione jejunii, videlicet, an in tali diſpenſato adhuc perſeveret obligatio jejunandi? Quod eſt valdè diverſum. Unde pro parte affirmativa quæſtionis propoſitæ citari poſſunt omnes Authores, qui quærunt: an diſpenſatus in carnibus propter debilitatem virium teneatur jejunare? Vide illos ſuprà num. 435.

462 Notatio Secunda. An cum illis, quibus piſces ſunt nocivi, expediat diſpenſare in eſu carnium? Sentētia affirmativa probatur eo ferè modo, quo probata manet præcedens reſolutio: quià ſcilicet dum diſputatur: an diſpenſatus in carnibus ob ſanitatem conſervandam, & quià piſces ei nocent, adhuc teneatur ad jejunium? vel ſupponitur diſpenſatio jam facta, vel de ea facienda non dubitatur: ſed ſolùm inquiritur de obligatione jejunii, nempe, an in tali diſpenſato extincta ſit obligatio jejunii, necne? Igitur pro affirmatione præſentis quæſtionis allegari poſſunt Authores utriuſque ſententiæ, tàm affirmantis, quàm negantis ſic diſpenſatum teneri ad jenunium. Vide illos ſupra num. 441.

463 Notatio Tertia. An cum habentibus cauſas, quæ Epiſcopo videantur rationabiles, expediat diſpenſare in eſu carnium? Certa eſt reſolùtio affirmativa. Ratio eſt; quià arbitrio Epiſcopi relinquitur diſ-

diſpenſatio facienda in carnibns, quandò ei expedire videbitur, ibi in Indulto: *Quando expedire videbitur.* Quoties igitur cauſa, quæcũ. que illa ſit, D. Epiſcopo apparebit rationabilis, ac ſufficiens, ulteriori inveſtigatione non indiget; cùm de D. Epiſcopo aliud præſumi non debeat quàm quòd prudenter operabitur.

464 Notatio Quarta. An cum habentibus cauſas, quæ Epiſcopo videantur dubiæ, expediat diſpenſare in eſu carnium? ℞. affirmativè cùm *Dian. Coordinat. tom.* 4. *tr.* 6. *Reſol.* 74. *n.* 4. *ubi, cum Caetano in* 2.2.*D. Thom. quæſt*, 147.*art.* 4. habet ſequentia. Rectè *Caetanus* docet Prælatos, ac Superiores, quando ſubditi proponunt cauſam dubiam ad obtinendam diſpenſationem, non debere eſſe nimis ſcrupuloſos, ac ambiguos, remittentes id conſcientiæ ſubditi petentis; cùm potiùs ad ipſos Prœlatos ſpectet tunc diſpẽſare, cauſam dubiam per diſpenſationem efficiendo juſtam. Ità etiam *Azor tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 29. *quæſt.* 2. qui citat *Navarrum*, *Roſellum*, & *Angelum.*

465 Reſolutionẽ deducit *Dian.* proximè citatus ex *Joan. Sancio in ſelectis diſp.* 51. *n.* 9. ubi *Sanctius* latè probat, quòd dubia cauſa exiſtente, opus non ſit diſpenſatione. Vide *Dian. citat. Reſol*, 73. *n.* 2.

466 Idem deducitur ex acutiſſimo *Caramuele in Theol. Moral. lib.*3. *de conſcient. diſp.* 1. *n.*1395. ubi *Caramuel* acritèr defendit nullo modo neceſſariam eſſe diſpenſationem in dubio, ſed ſufficere jus naturale divinum, quod legi Eccleſiaſtcæ de abſtinentia à carnibus, & cuicumque alteri præcepto humano prævalet. Quin imò habet ibidẽ Caramuel diſpẽſationis petitionem in dubio, an neceſſaria ſit diſpenſatio, fore peccaminoſã. Vide *Dian. cit. reſol.* 74. *num.* 2. Ex quibus ad minimum infertur non difficulter; ſed benignè concedendam eſſe diſpenſationem in dubio; cùm dubium in favorem rei ſit interpretandum, ut tenet *Regul. jur. n.* 6.

467 Notatio Quinta. An cum iter agentibus, quibus non ſunt piſces, expediat diſpenſare in uſu carnium? ℞. affirmativè, & probatur ſic. Non comedere piſces, quià ſũt nocivi, & non comedere piſces, quià non ſunt abſolutè, in idem recidunt: imò deterioris conditionis eſt quo ad uſum piſcis, ille, cui non ſunt piſces abſolutè, quàm ille, cui piſces nocent: nam ille, cui piſces nocent, illos nihilominùs edere poterit, ſi libeat: ille verò, cui non ſunt piſces abſolutè, illos edere non poteſt, quamvis illos appetat; cùm piſces non habeat abſolutè: ſed cum illis, quibus piſces nocent, expedit diſpenſare in uſu carnium: ergò etiam cum iter agentibus, quibus non ſunt piſces abſolutè. Conſequentia videtur bona. Minor eſt ſententia communiſſima; ut nuper vidimus Notat. 2.

468 Difficultas eſt in probanda maiori, contrà quam videtur obſtare, quòd iter agentes invenire poterunt alios cibos præter piſces, ut, v. g. Lacticinia, ex quibus ſufficiens alimentum pro prandio parent. At id non obſtat 1: quià etiam illi, quibus piſces nocent, talia poſſunt habere, eaque pro prandio parare: & tamen quià piſces non edunt ex nocumento probabili, ſunt diſpenſabiles in uſu carnium: ergò etiam iter agentes, quia piſces non habent, erunt diſpenſabiles in carnibus.

469 Non obſtat 2: quià juxtà doctrinam *Leandri de præcept.*

Eccleſ.

Eccleſ. tract. 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 19. *apud Dian Coordinat. tom.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 85. *n.* 2. iter agens, vel eſt perſona nimis delicata, aſſuetaque epulari ſplendidè; vel eſt perſona humilis, & nutrita vilibus eſcis: ſi iter agens ſit perſona gravis, & aſſueta cibis delicatis, vix ei ſufficient pro prandio lacticinia, niſi per unum, vel alterum diem, ut colligitur ex *Dian. cit. n.* 3. Si verò iter agens ſit perſona humilis, & aſſueta vilibus eſcis, etiam tali perſonæ non ſufficient pro prandio lacticinia, quamvis alia de cauſa, nempè, quià hujuſmodi homines, licet robuſti, & aſſueti vilibus eſcis, indigent nihilominùs ſublevatione, & nutrimento maiori, quod *Paſqualig. in praxi de jejun. Deciſ.* 49. *n.* 2. & 3. *cum P. Vidal*; & aliis apud *Dian. citat. n.* 1. dicit eſſe verum, eſtò talis iter agens per unum tantùm diem careret piſcibus, & aliis cibis in die jejunii conceſſis.

470 Ubi adverte pro itinerantibus nimis delicatis, & aſſuetis epulari ſplendidè, & non ſolùm judicandos eſſe Magnates, aut Principes, ut exemplificat *Dian. citat. reſol.* 85. *n.* 2. ſed etiam Miniſtros Regios, Sacerdotes, Negotiatores divites, atque etiam his inferiores, qui tamen domi ſuæ ſolent epulari abundanter. Ratio eſt: quià pro his quo ad macerationem, & extraordinariam in jejunio ſervando mortificationem militat par ratio, ac pro nobilioribus.

471 Ex quibus deducitur 1: quòd expediat diſpenſare in uſu carnium cum iter agentibus à Provinciis maritimis Braſiliæ ad loca mediterranea, ut v. g. *Minas Geraes*, *Guayàz*, *Cuyabâ*, & hujuſmodi loca, quæ ſunt à mari remotiſſima.

472 Deducitur 2: quòd expediat diſpenſare in uſu carnium cum aliis Braſiliæ Incolis, qui habitant in locis mediterraneis, ubi non ſunt piſces, nec recentes, nec ſale conditi.

473 Dixi: *nec recentes*: quià aliqua oppida mediterranea Braſiliæ ad fluvios jacent, qui piſcibus abundãt. Undè ſi ibi adſint, qui piſces capiant, & vendant, nequè ad ipſos piſcatores, neque ad illos, qui piſces ibi captos commodè emere poſſint, extenditur præcedens reſolutio.

474 Dixi etiam: *nec ſale conditi*: quià licet in aliqua loca mediterranea Braſiliæ, ut in Aurifodinas, aliquoties tranſportentur piſces ſale conditi; tamen tàm magno pretio ibi venduntur, ut illos non emant, niſi pauci, iique opulentiores. Quarè cũ cæteris, qui ibi dictos piſces cõmodè emere non poſſunt, reſpectu quorum perindè eſt, ac ſi non eſſent ibi tales piſces, expedit diſpenſare in uſu carnium.

475 Notatio Sexta. An expediat diſpenſare in eſu carnium cum itinerantibus, & aliis Braſiliæ Incolis mediterraneis, qui panem, & carnes tantùm habent? Ante reſolutionem ſcire oportet, quantum in præſenti dubio diſcrepent Authores. Imprimis enim *Dian. Coordinat. tom.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 85. *n.* 2. dicit, quòd ſiquis per unicum tantùm diem careret aliis cibis præter panem, tunc non poſſet veſci carnibus, ſed ſolo pane contentus eſſe deberet: ſecùs, ſi careret per plures dies.

476 *Leander*, ubi ſuprà, docet, quòd ſi perſona, cui dictus caſus cõtingere poteſt, ſit nimis delicata, aſſuetaque epulari ſplendidè, ut ſunt Magnates, aut Principes, poſſit panem, & carnes comedere diebus vetitis: non autem ſic, ſi perſona

ſona ſit robuſta, & enutrita vilibus eſcis, ut paſtores, & pauperrimi agricolæ.

477 At verò *P. Vidal. in Arca Theolog. Moral. tit. de jejun. Inquiſ.* 1. *num.* 70. loquitur abſolutè, & indiſtinctè ait, quòd non habens in diebus jejunii alios cibos præter carnes, poſſit illas licitè comedere pro nutrienda, & conſervanda vita, additquè ità ſentire communiter DD. ut *Henriq. Fagund. Sylveſtr. Azor, Tolet. Filliuc. Bonac. Trullench.* & alii, quos citat, & ſequitur *Paſqualig. in praxi de jejun. deciſ.* 49. *num.* 1. *& deciſ.* 83. *num.* 1. *Sanch. lib.* 5. *conſil. cap.* 1. *dub.* 19. *num.* 4. 5. *&* 6.

478 Quod principalius verificari reſpectu itinerantium ſuadere conatur *cit. Paſqualig.* primò, quià panis non eſt cibus ſuapte natura ordinatus ad vitæ ſuſtentationem, ſe ſolo. Secundò, quià panis non eſt cibus ſimpliciter, & æquè benè ſufficiens ad vitam hominis cõſervandam, præſertim quando iter agens eſt defeſſus ob laborem itineris, quod *Paſqualig. cit. deciſ.* 49. *n.* 3. affirmat eſſe verum, licèt iter agens per unum tantũ diem careret aliis cibis conceſſis. Suppoſita hac varietate Doctorum.

479 Reſolutio ſit. Cùm itinerantibus, & aliis Braſiliæ Incolis mediterraneis, qui panem, & carnes ſolùm habent in diebus jejunii, expedit diſpenſare in uſu carnium. Fundamentum eſt: quià inter Authores controvertitur, & dubium eſt: an ille, qui panem, & carnes ſolùm habet, licitè carnes comedat diebus vetitis? In dubio autem benignè concedenda eſt diſpenſatio, ut cum communi Doctorum ſuprà diximus.

480 Porrò in locis Braſiliæ mediterraneis, qua patent vaſtiſſima boum paſcua, vulgò *Piaguy*, carnibus, & lacte preſſo pro pane utuntur paſtores, & reliqui ibi commorantes diebus etiam vetitis. Similiter inter Hiſpanos nobis vicinos, & ultrà Flumen Argenteum habitantes in civitatibus *Buenos Aires*, *& Santa Fé*, Servos Africanos, & Indos domeſticos carnibus ſuſtentari, & ali audimus diebus vetitis. Utrobiqué autem, an ex DD. Epiſcoporum diſpenſatione, an potiùs ex neceſſitate legis prohibentis excuſante id fiat, nobis non conſtat.

DIS-

DISPUTATIO SEPTIMA

DE VIGESIMA OCTAVA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

De poteſtate Facultates Pontificias communicandi.

481 VIgeſima Octava Facultas Pontificia. *Prædictas facultates cõmunicandi, non tamen illas, quæ requirunt ordinem Epiſcopalem, vel non ſine Sacrorum Olecrm uſu exercentur, Sacerdotibus idoneis, qui in eorum Diœceſibus laborabunt, & præſertim tempore ſui obitùs, ut Sede Vacante, ſit, qui poſſit ſupplere, donec Sedes Apoſtolica certior facta, quod quã primum fieri debebit per delegatos, vel per unum ex eis, alio modo provideat: quibus delegatis, authoritate Apoſtolica facultas conceditur, Sede Vacante, in caſu neceſſitatis conſecrandi calices, patenas, & altaria portalia Sacris Oleis, ab Epiſcopo tamen benedictis.*

482 Notatio Prima. An facultates Pontificias, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, poſſint ipſi communicare? Reſolutio affirmativa conſtat ex Indulto Apoſtolico, ibi: *Prædictas facultates communicandi*, eas ſcilicet, quæ in catalogo continentur à num. 1. uſque ad num. 29. incluſivè, ſub ea tamẽ limitatione, quæ ſequenti Notatione ponitur.

483 Notatio Secunda. An omnes omninò facultates, quæ in catalogo cõtinentur, poſſint Epiſcopi communicare? ℞. affirmativè, ſi excipiantur, quæ ad ſui uſum requirunt ordinem Epiſcopalem, ut conferre Ordines, atque etiam illa, quæ non niſi Sacris Oleis intervenientibus exercentur, ut conſecrare Calices. Conſtat ex Indulto, ibi: *Prædictas facultates communicandi, non tamen illas, quæ requirunt ordinem Epiſcopalem, vel non ſine Sacrorum oleorum uſu exercentur.*

484 Neque dicas, quòd in Indulto detur facultas, Sede Vacante, conſecrandi Calices, &c. Hæc enim facultas, non authoritate Epiſcoporum, neque cõmunicatione ab ipſis facta, ſed ſolùm à S. Sede, & authoritate Apoſtolica immediatè cõceditur Epiſcoporum delegatis; ibi: *Quibus delegatis authoritate Apoſtolica facultas conceditur, Sede Vacante, in caſu neceſſitatis cõſecrandi calices, patenas, & altaria portatilia Sacris Oleis, ab Epiſcopo tamen benedictis.* Quamvis igitur nominatio delegati ad Epiſcopum ſpectet, & ab illo immediatè dependeat: ſuppoſita tamen electione delegati, ejuſque nominatione ab Epiſcopo facta; tunc facultas conſecrandi Calices, &c. tali delegato conceſſa nequaquàm ab Epiſcopo, ſed à Sede Apoſtolica immediatè

mediatè dependet, & emanat, de quo rurſùs infrà.

485 Simile privilegium habent RR. PP. Provinciales Societatis JESU. & reliqui Superiores de illorum licentia, ſi non adſit Epiſcopus. Paulus III. 16. Octobris 1549. in Bulla: *Licet debitum.* Urbanus VIII. 10. Aprilis 1634. in Bulla: *Ut neceſſitatibus Indiarum.* Benedictus XIII. in Bulla: *Pretioſus in conſpectu Domini*: pro RR. PP. Prædicatoribus, data 22. Maii 1727. apud Compend. Indic; verb. *Benedictione* pag. 21. & 22.

486 Privilegium eſt in uſu: ego enim cùm per annum 1706. Paulopoli exiſterem, R. P. Joannem Antonium Andreonium, Societatis JESU Provincialem, altare portatile conſecrare vidi: poſteà verò currente anno 1740. cùm Fluminenſis Collegii Rectorem agerem, abſentibus Excellẽtiſſimo, & Reverendiſſimo D. Fluminenſi Epiſcopo, D. Fr. Antonio à Guadalupe, immortalis memoriæ, & R. P. Joanne Pereyra Societatis JESU Provinciali, de iſtius licentia Calices conſecravi.

487 Notatio Tertia. An aliquas tantùm facultates, non tamen omnes, poſſint Epiſcopi communicare? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià Epiſcopis datur facultas ad arbitrium, non autem injungitur præceptum communicandi, ut ex Indultò liquet: poſſunt igitur Epiſcopi facultates communicare, vel aliquas tantùm, juxtà rerum, vel temporum exigentias.

488 Confirmatur: quià in facultatum catalogo, quæ Germaniæ Epiſcopis conceduntur, dicitur, quòd illas communicare poſſint *in totum, vel in partem*; ut videre eſt apud *Lacroix lib. 6. part.* 3. *num.* 846. §. 20. idem ergò dicendum de facultatibus, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, quamvis in earum catalogo talis clauſula non exprimatur.

489 Notatio Quarta. An poſt factam facultatum communicationem, poſſint Epiſcopi illam poſteà revocare? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià in facultatum catalogo nulla eſt clauſula, vel dictio prohibens communicationis factæ revocationem, ſed de ſola ibi conſtat facultate cõmunicandi ad arbitrium Epiſcoporum: ergò ſicut liberum eſt Epiſcopis facultates cõmunicare, vel non communicare, ità liberum illis eſt communicationem revocare, vel non revocare ad arbitrium: præſertim, quià talis communicatio Sacerdotibus idoneis facienda eſt, ut in catalogo exprimitur; qui autem idoneus eſt hodie, cras fortaſſe non erit.

SECTIO II.

Quibus perſonis poſſint Braſiliæ Epiſcopi facultates Pontificias communicare.

490 NOtatio Prima. An perſonis laicis poſſint Braſiliæ Epiſcopi Facultates Pontificias communicare? ℞. dictas facultates non niſi perſonis in ſtatu Sacerdotali conſtitutis communicari poſſe, ut conſtat ex Indulto Apoſtolico, ibi: *Communicandi... Sacerdotibus idoneis.*

491 Notatio Secunda. An ſaltem perſonis in minoribus, Subdiaconatu, aut Diaconatu conſtitutis poſſint Epiſcopi facultates Pontificias communicare? ℞. negativè, 1: quià in Indulto dicitur: *Sacerdotibus idoneis*: per Sacerdotes autem non

non veniunt perſonæ in minoribus, neque in Subdiaconatu, aut Diaconatu conſtitutæ. 2: quià in facultatum Catalogo datur poteſtas abſolvendi in caſibus num. 5. 15. & 16. contingentibus: eam verò abſolutionem dare nequeunt per ſe, nec per alios perſonæ in minoribus, Subdiaconatu, aut Diaconatu conſtitutæ. Non per ſe, ut patet ex natura caſuum dd. nn. cõtingentium: deinde non per alios; quià licèt in præſenti facultate 28. concedatur Epiſcopis poteſtas communicandi, ipſorum tamen Epiſcoporum delegatis non conceditur poteſtas ulterius communicandi.

492 Notatio Tertia. An ſolis Sacerdotibus poſſint Epiſcopi facultates Pontificias communicare? ℞. affirmativè, & oſtenditur tum à priori; quià in Indulto dicitur expreſſè: *Sacerdotibus idoneis*; tùm à poſteriori; quià in præſenti Indulto 28. datur Epiſcoporum delegatis facultas cõſecrandi Calices, Patenas, & Altaria portatilia; ad horum autem conſecrationem, cùm Sacra Olea interveniant, requiruntur manus Sacræ, ſeu Sacerdotum.

493 Notatio Quarta. An Sacerdotibus Regularibus poſſint Epiſcopi facultates Pontificias communicare? ℞. affirmativè; quià Pontifex indeterminate, & indiſtinctè loquitur quo ad Sacerdotes, ibi: *Sacerdotibus idoneis*: non ergò excluduntur Sacerdotes Regulares. Sic Excellentiſſimus, & Reverendiſſimus DD. Fr. Joſephus Fialho, felic. recordat. Epiſcopus Olindenſis, poſtquàm ad Archiepiſcopatum Bahienſem fuit evectus, ante tamen quàm in Bahiam navigaſſet, pro ſui abſentia ſupplenda, R. P Sebaſtiano Antunes, Societatis JESU, tùm temporis Collegii Olindenſis Rectori actuali, facultates Pontificias ætate noſtra communicavit.

494 Notatio Quinta. Quæ idoneitas requiratur in Sacerdotibus, quibus Epiſcopi facultates Pontificias communicabunt? ℞. idoneitatem requiri, quæ DD. Epiſcoporum prudentiæ ſufficiens appareat; ipſorum enim arbitrio relinquitur talis idoneitatis qualitas, ibi: *Communicandi Sacerdotibus idoneis.*

495 Notatio Sexta. An pluribus Sacerdotibus, an potius uni tantùm, poſſint Epiſcopi facultates Pontificias communicare? ℞. quòd non uni tantùm, ſed pluribus ſimul Sacerdotibus poſſint Epiſcopi facultates communicare. Ratio eſt 1: quià Indultum ità loquitur: *Sacerdotibus idoneis, qui in eorum Diœceſibus laborabunt*: ſimiles autem locutiones: *Sacerdotibus*: *laborabunt*; in plurali ſumi debent.

496 2: quià poſt hanc clauſulam: *Ut, Sede Vacante, ſit, qui poſſit ſupplere, donec Sedes Apoſtolica certior facta*; additur, ibidem: *Quòd quam primum fieri debebit per delegatos, vel per unum ex eis*: ſupponit ergò Indultum plures eſſe poſſet delegatos. Sic contingere poteſt, ut conveniens ſit; imò & neceſſarium, ut in *Portu Securo*, v. g. ſit unus Epiſcopi Fluminenſis delegatus, in *Terra Nova* alter, alter in Aurifodinis, vulgò *Minas Geraes*, & alter in Aurifodinis, vulgò *Guayàz*, *Cuyabá*, &c. ob locorum diſtantiam, & recurſum ad DD. Epiſcopos difficilimum.

497 Notatio Septima. An Sacerdotes, quibus Epiſcopi facultates Pontificias communicabunt, intrà eorum Diœceſes exiſtere debeant? Affirmamus ex Indulto, ubi ſic: *Sacerdotibus idoneis, qui in eorum Diœceſibus laborabunt.* Et

num. 29. Epiſcopis injungitur, nè hujuſmodi facultatibus Pontificiis utantur: *Extrà fines ſuæ Diœceſis.* Et rurſus in fine poſt datam diei, & anni, dicitur: *Ità tamen, ut iis nullo modo uti poſſint extrà fines ſuæ Diœceſis.* Si igitur Epiſcopis iterùm, atque iterùm commendatur, præcipiturque, nè facultatibus ſibi conceſſis utantur extrà fines ſuæ Diœceſis; à fortiori ſequitur, quòd ſolis Sacerdotibus, qui intrà eorum Diœceſim laborabunt, & exiſtent, poſſint Epiſcopi facultates communicare, & non aliis, ut nimirùm eorum delegati etiam ſolùm facultatibus tandiù uti poſſint, quandiù intrà delegantium Diœceſim laborabunt, & exiſtent, non verò alibi.

SECTIO III.

Quando poſſint Braſiliæ Epiſcopi facultates Pontificias cõmunicare.

498 Notatio Prima. Quando poſſint Epiſcopi facultates Pontificias communicare? ℞. Quocumque vitæ ſuæ tempore poſſunt Epiſcopi facultates Pontificias communicare. Ratio eſt 1: quià Põtifex in Indulto nullum tempus determinat. Ratio eſt 2: quià in Indulto datur Epiſcopis facultas *communicandi, præſertim tempore ſui obitùs*: dictio autem *præſertim* non excludit tempus, in quo Epiſcopi vivunt, ſed exprimit tempus illud, in quo potiùs facultates communicare poſſunt juxtà ea, quæ tradunt *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 39. *num.* 6. *Paſqualig. de Sacrif. Miſſ. tom.* 1. *quæſt.* 424. *n.*2. & alii ab eo citati.

499 Ratio eſt 3: quià dictio *&* in Indulto appoſita, ibi: *& præſertim tempore ſui obitùs*; eſt conjunctiva, & æqualiter copulans tẽpus præteritum, in quo Epiſcopi vivent, cum tempore ſui obitùs; juxtà *Menoch. conſil.* 943. *n.* 10. *Jaſ. in* L. 1. n. 3. ff. De Juſt. & Jur. *Rota deciſ.* 115. *n.* 8. *p.* 1. *diverſor*: ergò ſicut Epiſcopi poſſunt facultates Pontificias communicare tempore ſui obitùs, ità poſſunt quocumque vitæ ſuæ tempore.

500 Sic Excellentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Fr. Antonius á Guadalupe, immortalis memoriæ Epiſcopus Fluminenſis, antequàm in aurifodinarum viſitationem olim proficeretur, R. D. Gaſpari Gonçalves de Araujo, Cathedralis ſuæ Decano digniſſimo, facultates Põtificias communicavit, ut, eo abſente, ſupereſſet, qui in hac civitate ſupplere poſſet. Ad cujus exemplũ Excellentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Fr. Joannes à Cruce, cùm nuper in aurifodinis divertiſſet, R. D. Emmanueli Freyre Batalha, Magiſtro Scholæ in Cathedrali, & Vicario ſuo Generali, eaſdem facultates, & ob eumdem finem communicavit.

501 Notatio Secunda. An tempore ſui obitùs poſſint Epiſcopi facultates Pontificias communicare? ℞. affirmativè ex Indulto; *communicandi, præſertim tempore ſui obitùs*: ubi redditur ratio, cùr Epiſcopi communicare debeant eo *præſertim tempore*, ut nimirum *Sede Vacante ſit, qui poſſit ſupplere.* Nam cùm Braſilia per longos maris tractus ita à Roma diſtet, ut difficilimus ſit ad illam recurſus, imò & moraliter impoſſibilis in caſu urgentis neceſſitatis; idcircò Pontifices, quibus incumbit univerſalis animarum cura, ex paternali charitate pro-

provident, ut mortuis Epiſcopis, in Braſilienſium bonum ſpirituale ſuperſit, qui ſuppleat, eaſdemque facultates Pontificias habeat, ac exercere poſſit, quas Epiſcopi, ſub limitatione ſupradicta. Sic Excellentiſſimus, ac Reverendiſſimus DD. Franciſcus à S. Hieronymo, bon. mem. Epiſcopus Fluminenſis, cùm jam morti eſſet propinquus, R. D. Gaſpari Gonçalves de Araujo, Sedis ſuæ jam tùm Decano digniſſimo, facultates Pontificias communicavit.

502 Notatio Tertia. Qui teneantur, mortuo Epiſcopo, Sedem Apoſtolicam certiorem facere? ℞. cum diſtinctione, & dico primò. Si unus tantum fuerit Epiſcopi delegatus, is tenebitur Sedem Apoſtolicam certiorem facere de obitu Epiſcopi, ut patet.

503 Dico Secundò. Si verò delegati fuerint plures, tunc ſinguli eorum tenentur, aut ſaltem unus, Sedem Apoſtolicam certiorem facere de obitu Epiſcopi. Conſtat ex Indulto, ibi: *Donec Sedes Apoſtolica certior facta per delegatos, vel per unum ex eis*: dictio autem, *vel* eſt diſjunctiva, L. *Si illud* ff. De legat. 2. & quandoque ponitur pro *ſaltem Gl.* 4. *in* L. *Judices*, C. De fide inſtrum.

504 Quando autem Epiſcoporum delegati fuerint plures, difficile eſt determinare, quis eorum teneatur primo ordine Sedem Apoſtolicam certiorem facere de obitu Epiſcopi. Nihilominus ratio dictat priorem fore, & eſſe debere, qui aptiori loco ſit ad Sedem Apoſtolicam quàm primùm certiorandam de obitu Epiſcopi, qualis eſſe videtur, qui in hac Epiſcopali Civitate Fluminenſi, v. g. habitabit.

505 Notatio Quarta. Quando teneantur delegati, mortuo Epiſcopo, ſedem Apoſtolicam certiorem facere? ℞. ad id teneri quam primùm, ut habet Indultum, ibi: *Quod quam primùm fieri debebit.*

506 Dubitari tamen poteſt, quantum tempus importet hæc dictio, *Quam primum. Tamburin. de Sacrif. Miſſ. lib.* 3. *cap.* 1. §. 6. *dub.* 15. verſ. *Reſpondeo*, ait dictionem *quam primum* intelligi ſic: *Quam primùm prudenti, & opportuna occaſione poterit, ità ut non expectetur ex mera negligentia.*

507 *Paſqualig. de Sacrif. Miſſ. tom.* 2. *quæſt.* 1065. dicit, quòd quamvis dictio *quam primùm* modò importet ſpatium trium menſium in difficilibus, modò duorum in rebus parvis, ut obſervant Doctores ex leg. *In fraudem.* §. *Fiſcalibus*, ff. De jure fiſci: in aliquibus tamen rebus determinari non poſſe tempus, quod importat ly *quam primùm*: quià juxtà diverſitatem locorum facilius, vel difficiliùs offertur occaſio rem exequendi: fieri enim poterit, quòd per plures menſes non offeratur occaſio opportuna, & fieri poterit, quòd intrà breves dies offeratur.

508 Ex quibus ad dubium patet reſponſio. Reſpondetur enim teneri delegatum, vel delegatos Sedem Apoſtolicam certiorem facere de obitu Epiſcopi, data prima occaſione navigii, vel directè in Ulyſſiponem, vel indirectè per Inſulas, ut media hac diligentia, quã mercibus, & aliis negotiis tractandis cõmunitèr adhibent mercatores induſtrii, de obitu Epiſcopi properet notitia in Portugalliam, & inde Romam.

509 Notatio Quinta. An peccent Epiſcoporum delegati, ſi ex mera negligentia Sedem Apoſtolicam

cam certiorem non faciant de obitu Epiſcopi? ℞. peccare: quià verbum *debebit*, quo Pontifex utitur, ibi: *Quòd quam primùm fieri debebit*, ſignificat obligationem, quā talibus delegatis Sedes Apoſtolica injungit de obitu Epiſcoporum quam primùm notificando: qui autem obligationi ſuæ non ſatisfacit, cùm poſſit, proculdubio peccat juxtà qualitatem obligationis.

510 Notatio Sexta. An verò prædicta obligatio ſit gravis, an potiùs levis? ℞. eſſe levem. Ratio eſt 1: quià licèt Pontifex utatur verbo *debebit*, ibi: *Quam primùm fieri debebit*: non tamen exprimit, cùm poſſet, an hujuſmodi debitum obliget ſub præcepto gravi, vel potiùs ſub levi: in dubio autem benignior interpretatio facienda eſt, & levior obligatio imponenda juxtà L. *Interpretatione*, & L. *Si Præſes*, ff. De pœnis, & notat *Sayrus in Clavi Regia*, *lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 29. *Dian. Coordinat. tom.* 6. *tr.* 1. *reſol.* 29. *n.* 5.

511 2: quià obligatio gravis induci ſolet per verba, *Jubeo*, *Mando*, *Impero*, *Statuo*, *Præcipio*, aut ſimilia, *Sanch. in Decalog. lib.* 6. *cap.* 4. *à n.* 36. Nullo autem ex prædictis verbis utitur Pontifex in præſenti, ſed ſolo verbo *debebit*, quòd licèt æquipolleat præcepto, *Benedict. Pereyr. in Elucidar utriuſq. jur. lib.* 1. *Elucidat.* 9. *ſect.* 6. *n.* 224. non inde tamen infertur præceptum grave, cùm etiam dentur præcepta levia.

512 3: Quià Pontifex in Facult. Catalog. n. 23; in quo celebrandi bis in die facultas datur, ad imponendum præceptum grave, ſequentibus clauſulis utitur, ibi: *Caveat verò... in quo graviter ipſius cōſcientia oneratur*: & rurſus ibid. *Seriò ipſius conſcientiæ injungitur*: ergò quià Pontifex in noſtro caſu ſimilibus clauſulis non utitur, rectè deducimus in noſtro caſu non imponi præceptum grave.

513 4: quià ex eo, quòd delegatus de obitu Epiſcopi notificando negligens ſit, nullum ſequitur inconveniens, nec abſurdum grave, cùm aliundè poſſit Sedes Apoſtolica certior fieri, quatenùs datà occaſione in Europam, de eodem certior fit Sereniſſimus Portugaliæ Rex, ad quem ſpectat Braſiliæ Epiſcopos nominare, & Pontifici offerre, qui ſtatim nominatos confirmat, *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. part.* 1. *tit. cap.* 4. *n.* 6. Unde per hanc ſaltem viam poterit Sedes Apoſtolica certior fieri de obitu Epiſcopi, & aliter providere citrà inconveniens, & abſurdum grave, quod ex negligentia delegati ſequatur.

SECTIO IV.

Quid poſſint Epiſcoporum delegati, quibus facultates Pontificiæ communicantur.

514 NOtatio Prima. An poſſint Epiſcoporū delegati Calices, Patenas, & Altaria portatilia conſecrare? Reſolutio affirmativa patet ex Indulto, ibi: *Quibus delegatis authoritate Apoſtolica facultas conceditur*, *Sede Vacante*, *in caſu neceſſitatis*, *conſecrādi Calices Patenas*, *&* *Altaria portatilia Sacris Oleis*, *ab Epiſcopo tamen benedictis*.

515 Notatio Secunda. A quo prædicta facultas Epiſcoporum delegatis concedatur? ℞. à Sede Apoſtolica immediatè concedi: ibi in *In-*

Indulto: *Quibus delegatis auctoritate Apoſtolica facultas conceditur, Sede Vacante, in caſu neceſſitatis, conſecrandi calices, patenas, & altaria portatilia Sacris Oleis, ab Epiſcopo tamen benedictis*: nàm cùm initio præſentis facultatis 28. caveatur, nè DD. Epiſcopi facultates communicent, quæ Sacris Oleis intervenientibus exercentur. Calix verò, Patena, & Altaria portatilia non niſi Sacris Oleis intervenientibus conſecrentur; ea de cauſa neceſſe fuit declarare, & exprimere, eam conſecrandi poteſtatem, quæ Epiſcoporum delegatis paulò infrà conceditur in eodem Indulto, non jam ab Epiſcopis, ſed ab ipſamet Sede Apoſtolica immediatè concedi.

516 Notatio Tertia. Quando poſſint Epiſcoporum delegati Calices, Patenas, & Altaria portatilia conſecrare? Reſpondeo talia poſſe, *Sede Vacante, in caſu neceſſitatis*, ut conſtat ex Indulto.

517 Notatio Quarta. Quæ neceſſitas ſufficiat, Sede Vacante, ut Epiſcoporum delegati Calices, Patenas, & Altaria portatilia conſecrent? ℞. ſufficere neceſſitatem, quæ ex Sede Vacante, præciſè oritur. Ratio eſt: quià in his locis à Sede Apoſtolica remotiſſimis non ſupereſt, mortuo Epiſcopo, qui talia conſecret, niſi mortui Epiſcopi delegatus: (ad Regulares enim, qui ſimilia conſecrare poſſint, non tenentur recurrere Diœceſani:) ergò ut mortui Epiſcopi delegatus Calices, Patenas, & Altaria portatilia conſecret, Sede Vacante, ſufficit ea neceſſitas, quæ ex Sede Vacante præciſè oritur.

518 Notatio Quinta. An delegatus, ut poſt obitum Epiſcopi ſuppleat, facultates exercere poſſit etiam poſt adventum novi Epiſcopi? An potiùs ab illarum uſu, & exercitio ſtatim ceſſare debeat? Supponit quæſtio decennium, ad quod facultates Pontificiæ Epiſcopo mortuo fuerant conceſſæ, nondùm eſſe finitum, ſed adhuc annos, menſes, vel dies reſtare pro ejus complemẽto. Hoc ſuppoſito

519 Dico primò. Si novus Epiſcopus, quando in Diœceſim advenit facultates Põtificias ſecũ non afferat, tunc mortui Epiſcopi delegatus facultatibus uti poterit, etiam poſt adventum novi Epiſcopi. Ratio eſt: quià facultates præſertim tempore obitus communicatæ durant tempus in ipſis præſcriptum, *Donec Sedes Apoſtolica, alio modo provideat*, ibi: *Donec Sedes Apoſtolica certior facta per delegatos, vel per unum ex eis alio modo provideat*: Cùm verò, quando novus Epiſcopus in Diœceſim advenit, ſi dictas facultates ſecum non afferat, nondùm Sedes Apoſtolica alio modo providerit quo ad hæc; idcircò mortui Epiſcopi delegatus facultatibus uti poterit, etiam poſt adventum novi Epiſcopi.

520 Dico ſecundò. Si verò novus Epiſcopus quando in Diœceſim advenit facultates Pontificias ſecum afferat, tunc mortui Epiſcopi delegatus à facultatum uſu, & exercitio ſtatim ceſſare debet. Ratio eſt: quià facultates delegato communicantur, ut illis utatur poſt obitum Epiſcopi, donec Sedes Apoſtolica alio modo provideat, ut conſtat ex Indulto Apoſtolico; cùm autem Sedes Apoſtolica jam alio modo providerit per novas facultatum cõceſſiones, quas novus Epiſcopus ſecum affert, ut ſupponimus; ideò mortui Epiſcopi delegatus à facultatum uſu, & exercitio ſtatim ceſſare

re debet poſt adventum novi Epiſcopi. Dictio enim *donec*, qua Pontifex utitur, eſt reſtrictiva temporis, juxtà leg. *Legatum* ff. De annuis legat. adeòque in ſubjecta materia ſignificat facultates duraturas, donec alteri à delegato de novo concedantur. Sed fortaſſe de hoc iterum diſp. ſequent.

DISPUTATIO OCTAVA

DE VIGESIMA NONA FACULTATE PONTIFICIA, QUÆ BRASILIÆ EPISCOPIS CONCEDITUR.

SECTIO I.

Quo intuitu debeant Braſiliæ Epiſcopi Facultates Pontificias exercere.

521 VIgeſima nona facultas Pontificia. *Et prædictæ facultates gratis, & ſine ulla mercede exerceantur, & ad annos decem tantùm conceſſæ intelligantur, nec illis uti poſſit extrà fines ſuæ Diœceſis.*

522 *Feria quinta die 22. Februarii anno. 1725. in Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habitâ in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum coram SS. D. N. D. Benedicto Divinâ Providentia PP. XIII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in totâ Rep. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis, Sanctiſſimus D. N. Papa prædictus N. Epiſcopo S. Sebaſtiani in Indiis Occidentalibus ſupradictas facultates ad decennium conceſſit, ità tamen, ut iis nullo modo uti poſſit extrà fines ſuæ Diœceſis.*

523 Notatio Prima. An gratis, & ſine ulla mercede debeant Braſiliæ Epiſcopi facultates Pontificias exercere? Adeò clarè loquitur Pōtifex, ut nulla expoſitione indigeant ejus verba, ibi: *Prædictæ facultates gratis, & ſine ulla mercede exerceantur.*

524 Notatio Secunda. Idem dicendum de Epiſcoporum delegatis. Ratio eſt: quià Pontifex univerſaliter loquitur, & indiſtinctè dicit, quòd hujuſmodi facultates gratis, & ſine ulla mercede exerceantur, quin ad Epiſcopos, vel ad eorum delegatos locutionem dirigat, ibi: *Prædictæ facultates gratis, & ſine ulla mercede exerceantur*; ſed prædictæ facultates tàm ab Epiſcopis, quàm ab ipſorum delegatis exrcentur, aut exerceri poſſunt: ergò prædictæ facultates tàm ab Epiſcopis, quàm ab ipſorum delegatis gratis, & ſine ulla mercede exerceri debent.

525 Notatio Tertia. An ſi Epiſcopus, vel ejus Delegatus non gratis, ſed ſub aliqua mercede facultates Pōtificias exerceat, valeāt nihilominùs

nùs gratiæ ab ipſis factæ, v. g. diſpenſationes matrimoniales, aut hujuſmodi? Affirmamus. Ratio eſt: quià neque in præſenti Indulto 29; neque in toto facultatum Catalogo apparet dictio, vel clauſula, quæ gratias ab Epiſcopis, vel eorum delegatis ſic factas irritet, & annullet: ergó gratiæ ſic factæ valerent, licèt ratione materiæ graviter peccarent Epiſcopi, vel eorum delegati, qui facultates Pontificias eo modo exercerent.

526 Notatio Quarta. An Epiſcoporum, vel delegatorum Notarii teneantur gratis, & ſine ulla mercede facultates Pontificias expedire? ℟. negativè, quemadmodùm enim pro dandis dimiſſoriis ad ordines, v. g. nihil poſſunt Epiſcopi recipere juxtà *Trid Seſſ.* 21. *de Reformat. Cap.* 1. *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 7. *num.* 26. poſſunt tamen Epiſcoporum Notarii pro conficiendis inſtrumentis dimiſſoriarum. *Barboſ. cít. num.* 27. ità ſimiliter pro conficiendis inſtrumentis cujuſcumque Gratiæ expediendæ, quæ ex noſtro Catalogo concedatur, poſſunt Epiſcoporum, vel delegatorum Notarii aliquid recipere, & ità habet praxis.

SECTIO II.

An extrà fines ſuæ Diœceſis poſſint Braſiliæ Epiſcopi facultates Pontificias exercere?

527 IN præſenti Indulto 29. Epiſcopis injungitur, *Nè facultatibus ſibi conceſſis uti poſſint extra fines ſuæ Diœceſis*: & rurſus in fine poſt datam diei, & anni, dicitur: *Sanctiſſimus D. N. Papa prædictus N. Epiſcopo S. Sebaſtiani in Indiis Occidentalibus prædictas facultates ad decennium conceſſit, ità tamen, ut iis nullo modo uti poſſit extra fines ſuæ Diœceſis.*

528 His non obſtantibus, advertendum eſt ſub prædictis lineis non comprehendi facultates, quæ in Catalogo continentur, & ſimul ad juriſdictionem Ordinariam ſpectant; tales enim facultates potius ampliat, quàm reſtringit Pontifex, ut diximus *lib.* 1. *n.* 7. & 8. v. g. poteſt Epiſcopus 1. extrà fines ſuæ Diœceſis ſubditum ſuum excommunicare, & abſolvere, *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 6. *n.* 16. poteſt Epiſcopus 2. literas dimiſſorias dare, ſi abſentes ſubditi eas petant, ut ab alio ordinentur; poteſt Epiſcopus 3. ſubditi ſui examen demandare Epiſcopo loci, in quo ſubditus ipſe degit, *Barboſ. cit. alleg.* 7. *num.* 29. & ſic de aliis. Hæc, inquam, & ſimilia ad juriſdictionem Ordinariam ſpectantia, quarum aliqua in noſtro Catalogo continentur, non intendit Pontifex reſtringere, neque de his loquitur, cùm Epiſcopis injungit; *nè facultatibus ſibi conceſſis utantur extra fines ſuæ Diœceſis*: ſed ſolùm de facultatibus extraordinariis, & in Catalogo ſpecialiſſimè conceſſis loquitur Pontifex, cùm Epiſcopis prædicta injungit; & hoc pro certo tenendum. His poſitis, ſit

529 Notatio Prima. An poſſint Braſiliæ Epiſcopi facultates Pontificias exercere extrà fines ſuæ Diœceſis? ℟. negativè, cum Indulto Apoſtolico, in quo nil magis exprimitur, quàm repetita prohibitio Epiſcopis facta, *Nè facultatibus ſibi conceſſis uti poſſint extrà fines ſuæ Diœceſis.*

530 Notatio Secunda. An ſi Braſiliæ Epiſcopi facultates Pontifi-

cias exercerent extrà fines ſuæ Diœceſis, valerent nihilominùs gratiæ ab ipſis factæ? ℞. negativè. Ratio eſt primò: quià dictio *nec*, quà Pōtifex utitur, ibi: *nec illis uti poſſit*: eſt revocatoria, & irritans facultatem Epiſcopis conceſſam, ſi ea uti præſumant extrà fines ſuæ Diœceſis; quatenùs dictio *nec* incluſam habet negationem. Leg. *Siquis ità ſtipulatus* 129. De verbor. obligat. & quandoque ponitur pro *non* juxtà Leg. 3. §. *Si duo impuberes* ff. De Carb. edicto, & Leg. 1. §. *Si ad fiſcum*, & aliàs ſæpè, unde in noſtro caſu idem valet *nec*, ac *non*, & facit hunc ſenſum: *illis uti non poſſit extrà fines ſuæ Diœceſis*.

531 Ratio eſt Secundò: quià clauſula illa: *nullo modo*: quà Pontifex utitur, ibi: *ità tamen*, *ut iis nullo modo uti poſſit extrà fines ſuæ Diœceſis*: eſt clauſula univerſalis, negativa, & excludens omnem caſum, & diſpenſationem, ut habet *Cened. poſt. lib. pract.*, *&* *Canonic. quæſt. ſingul.* 7. *n.* 1. & operatur idem, quod clauſula decreti irritantis apud *Stephan. Gratian. Marchiæ deciſ.* 51. *n.* 18. ergò clauſula illa: *nullo modo*; poteſtatem Epiſcopis conceſſam irritat, & invalidat, ſi Epiſcopi facultatibus ſibi conceſſis uti præſumant extrà fines propriæ Diœceſis. Undè nec licitè, nec validè facultates Pontificias exercebit Epiſcopus, qui illas exerceat extrà proprium territorium.

532 Notatio Tertia. An cum alienis ſubditis, qui tamen exiſtunt intrà fines propriæ Diœceſis poſſint Braſiliæ Epiſcopi facultates Pōtificias exercere? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià licèt in Indulto determinetur territorium pro facultatum uſu, & exercitio; tamen perſonæ, cum quibus facultates ſunt exercendæ, non determinantur, ſed indefinitè loquitur Indultum quoad perſonas, ut videre eſt in facult. Catalog. à n. 1. uſque ad n. 17. ergò ſub eadem indeterminatione, & univerſalitate loqui debemus dummodò perſonæ ſint intrà proprium territorium Epiſcopi, qui facultates Pontificias exercet.

533 Confirmatur: quià ex ratione proximè datà affirmat *Pignatel. tom.* 7. *Conſultat.* 53. facultates Pontificias, quæ Germaniæ Epiſcopis conceduntur, extendi ad omnes perſonas, etiam non ſubditas Epiſcopis, nempè ad peregrinos, exteros, & advenas, etiam Religioſos dummodò Epiſcopi intrà proprias Diœceſes exiſtant; & Religioſi pariter, peregrini, exteri, & advenæ ibidem ſint: ſed facultates Pontificiæ, quæ Germaniæ Epiſcopis conceduntur, facultatibus Braſilicis ſunt ſimiles, ac ferme eædem *à n.* 1. uſque *da n.* 17. ut diximus *lib.* 1. *n.* 4. ergò facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, etiam cum perſonis non ſubditis Epiſcopi exerceri poſſunt, dummodò tales perſonæ intrà propriam Epiſcopi Diœceſim exiſtant.

534 Et hujus adhuc ratio eſt: quià Pontifex eſt Paſtor ſupremus, & Univerſalis, qui bonum ſpirituale omnium fidelium, ubicumque exiſtant, indies augeri cupit: dummodò igitur facultatum tenor ad unguem ſervetur, & reſtrictio à Pōtifice facta ad proprium Epiſcopi territorium; minimè verò ad perſonas ſubditas, vel non ſubditas Epiſcopi; dictat ratio, ut ſubditi, & non ſubditi Epiſcoporum, cùm omnes ſint oves Pontificis à beneficio Pontificis participando non excludantur

dantur, atque adeò etiam cum ſubditis alienis (reſpectu Epiſcopi, non autem reſpectu Pontificis) modò ſint intrà Epiſcopi territorium, poſſit Braſiliæ Epiſcopus facultates Pontificias exercere.

535 Notatio Quarta. An cum ſuis ſubditis, qui ſunt extrà fines ſuæ Diœceſis, poſſint Braſiliæ Epiſcopi, qui tamen ſunt intrà fines ſuæ Diœceſis, facultates Pontificias exercere? ℞. negativè. Reſolutio deſumitur ex Indulto Apoſtolico, cujus termini ſunt irritantes, & facultatum revocatorii, quatenus bis admonentur Epiſcopi, nè facultates exerceant extrà fines ſuæ Diœceſis, ibi: *Nec illis uti poſſint extrà fines ſuæ Diœceſis.* Rurſus: *Ità tamen, ut iis nullo modo uti poſſit extrà fines ſuæ Diœceſis*: ubi dictio *nec* idem valet, ac *non*: & clauſula: *nullo modo*, vim habet, & efficaciam decreti irritantis juxtà proximè dicta. Sicut igitur cum omnibus perſonis, quæ ſunt intrà fines propriæ Diœceſis, poſſunt Epiſcopi facultates exercere, ut ſuprà diximus: ità è converſo cum nullis perſonis etiam ſubditis, quæ ſint extrà fines propriæ Diœceſis, poſſunt Epiſcopi facultates exercere, quamvis ſint intrà propriam Diœceſim.

536 Notatio Quinta. An Epiſcopus, qui extrà ſuam Diœceſim exiſtit, poſſit facultates Pontificias exercere intra fines ſuæ Diœceſis? Senſus eſt: ſit Ulyſſipone, v. g. Epiſcopus Fluminenſis; deinde diſpenſationem ab eo petat per literas, vel Procuratorem Titius, v. g. qui Flumine Januario exiſtit, & matrimonium contrahere intendit cum Bertha ſibi affine, vel conſanguinea intrà gradus prohibitos. In hoc ſenſu quæritur: an Epiſcopus Fluminenſis, qui Ulyſſipone exiſtit, poſſit diſpenſare cum Titio, qui Flumine Januario exiſtit?

537 Vera mihi eſt reſolutio affirmativa. Fundamentum eſt primò: quià Epiſcopus extrà proprium territorium habet poteſtatem exercendi actus jurisdictionis voluntariæ, ut v. g. concedere dimiſſorias ſuis ſubditis, eoſque excommunicare, & abſolvere, *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 6. *n.* 16. imò poteſt Epiſcopus juriſdictionem etiam contentioſam exercere extrà fines ſuæ Diœceſis, dummodò cauſæ contentioſæ cognitio, & effectus ponendus ſit intrà fines ſuæ Diœceſis, *Barboſ. cit. n.* 18. ergò cùm diſpenſatio matrimonialis, de qua eſt dubium, ſit in ordine ad propriam Diœceſim, & intrà ejus fines ponendus ſit effectus, benè poteſt Epiſcopus Fluminenſis, qui Ulyſſipone exiſtit, diſpenſare cum Titio, qui Flumine Januario vivit.

538 Declaratur conſequentia: quià Pontifex, quando facultates reſtringit ad proprium Epiſcopi territorium, præcipuè intendit, quòd uſus, & exercitium talium facultatum non extendatur ad perſonas in aliena Diœceſi exiſtentes, ad vitandas ſcilicet contentiones, & querelas, quæ probabiliter orirentur, ſi Epiſcopus alienæ Diœceſi ſe intromitteret, diſpenſando cum perſonis in aliena Diœceſi exiſtentibus, vel alias gratias faciendo habitantibus extrà fines propriæ Diœceſis: ſed nullum ex prædictis inconvenientibus ſequitur, nec timeri poteſt, ſi Epiſcopus Fluminenſis, qui Ulyſſipone exiſtit, diſpenſet cum Titio, qui Flumine Januario exiſtit: ergò poteſt cum illo diſpenſare.

539 Fundamentnm eſt ſecundò; quià

quià privilegium, quòd nemini nocet, & cedit in favorem cauſæ piæ, eſt amplè interpretandum. *Caſtro Pal. de privileg. diſp.* 4. *punct.* 10. *num.* 5. Facultates verò Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, nemini nocent, & ſunt in favorem cauſæ piæ, quatenus ſunt in bonum ſpirituale fidelium Braſilienſium: ergò ubicumquè exiſtant Braſiliæ Epiſcopi, poſſunt dictas facultates exercere, & illis uti in bonum ſpirituale ſuarum ovium, dummodò intrà propriam cujuſque Diœceſim ponendus ſit effectus, & gratiæ executio.

540 Inſtabis tamen. Pontifex in Indulto utitur ſequentibus clauſulis: *Et prædictæ facultates gratis, & ſine ulla mercede exerceantur; ità tamen, ut iis nullo modo uti poſſit extrà fines ſuæ Diœceſis*: ſed Epiſcopus Fluminenſis, qui Ulyſſipone exiſtit, verè eſt extrà fines ſuæ Diœceſi: ergó diſpenſare nequit cum Titio, quamvis Titius ſit Flumine Januorio.

541 Ante reſponſionem obſerva 1. duplex exercitium conſiderari poſſe in verbo *exerceantur*, exercitium activum, & exercitium paſſivum.

542 Obſerva 2: duplicem quoque uſum dari in verbo *utitur*, alterum activum, paſſivum alterum. Uſus, & exercitium activum facultatum datur, cùm Epiſcopus, v. g. diſpenſat in impedimento matrimonii; uſus verò, & exercitium paſſivum facultatum tunc datur, cùm quis diſpenſatur in impedimento dicto.

543 Obſerva 3: cum perſonis, quæ ſint extrà fines propriæ Diœceſis, nullo modo poſſe Epiſcopos facultates Pontificias exercere, aut illis uti, neque uſu, & exercitio activo, neque uſu, & exercitio paſſivo. Non uſu, nec exercitio activo: quià Epiſcopus Fluminenſis, v. g. eſt, revera prohibitus nè cũ perſonis extrà ſuam Diœceſim exiſtẽtibus facultates Pontificias exerceat, aut illis utatur. Deindè non uſu etiam, nec exercitio paſſivo: quià nemo, qui extrà Diœceſim Fluminenſem exiſtat, poteſt recipere diſpenſationem, quá Epiſcopus Fluminenſis facere nequit. Hæc cum perſonis, quæ ſint extra propriam Diœceſim.

544 At verò cum perſonis, quæ ſint intrà propriam Diœceſim, poteſt Epiſcopus Fluminenſis facultates Pontificias exercere, & illis uti, tàm exercitio, & uſu activo, quàm exercitio, & uſu paſſivo. Exercitio, & uſu activo, quando ipſe Epiſcopus diſpenſat; exercitio autem, & uſu paſſivo, cùm quis ab Epiſcopo diſpenſatur.

545 Hoc autem verum eſt, ſive Epiſcopus Fluminenſis exiſtat intrà propriam Diœceſim, ſive exiſtat extrà illam, v. g. Ulyſſipone; cum hoc tantùm diſcrimine, quòd quando Epiſcopus exiſtit intrà propriam Diœceſim, facultates Pontificias exercet, & illis utitur, tàm activè, quàm paſſivè intrà propriam Diœceſim; quando verò exiſtit extrà propriam Diœceſim v. g. Ulyſſipone, facultates Pontificias exercet, & illis utitur, activè extrà propriam Diœceſim, paſſivè verò intra illam; ad eum ferè modum, quo Pontifex diſpenſat intrà fines hujus Diœceſis Fluminenſis, diſpenſat enim activè, cùm Romæ diſpenſat; paſſivè verò cùm hic Flumine Januario acceptatur diſpenſatio à Pontifice facta. His poſitis, ad inſtantiam ſupra factam num. 551.

546 ℞. Epiſcopum Fluminenſem, qui Ulyſſipone exiſtit, nullo modo

modo poſſe, nec activè, nec paſſivè facultates Pontificias exercere, aut illis uti cum perſonis, quæ ſint extrà fines ſuæ Diœceſis; & in hoc ſenſu verificantur clauſulæ illæ indulti: *Nullo modo exerceantur ita ut iis nullo modo utì poſſint extra fines ſuæ Diœceſis.*

547 At verò cum perſonis, quæ ſint intrà fines ſuæ Diœceſis, poteſt Epiſcopus Fluminenſis, qui Ulyſſipone exiſtit, facultates Pontificias exercere, & illis uti, tàm activè, quàm paſſivé: activè, diſpēſando ex loco, ubi exiſtit, paſſivè verò, cùm diſpenſatio ab eo facta pervenit ad ejus Diœceſim, & ibi ponitur ejus effectus, & executio; quatenus hoc non eſt contra clauſulam illam indulti: *Extra fines ſuæ Diœceſis*: hæc enim clauſula appellat perſonas diſpenſandas, minimè verò perſonam diſpenſantem; &, quod indè ſequitur, poteſt Epiſcopus Fluminenſis, qui Ulyſſipone exiſtit, diſpenſare cum Titio Flumine Januario exiſtente: cùm per ordinem ad diſpenſationes Flumine Januario exequendas, perindè ſe habeat Epiſcopus Fluminenſis, dùm Ulyſſipone exiſtit, ac ſi exiſteret hic Flumine Januario: cùm hic Flumine Januario, & intrà propriam ejus Diœceſim ponendus ſit effectus, & diſpenſationis executio.

548 His non abſtantibus; ſervetur ordo à Pontifice præſcriptus, & providentia ab eo data de facultatibus communicandis, quoties Epiſcopus à propria Diœceſi diſcedat, vel per illam diſcurrat, ut eo abſente ſit, qui ſupplere poſſit: Sic Exellentiſſimus, & Reverendiſſimus DD. Fr. Antonius à Guadalupe ſan. mem. Epiſcopus Fluminenſis, cùm ab Auguſtiſſimo Luſitaniæ Rege Joanne V. ad Epiſcopatum Viſeenſem in Portugallia fuerit vocatus, antequàm ex hoc Flumine in Tagum ſolveret anno 1740. R. D. Gaſpari Gonçalves de Araujo, Sedis Fluminenſis Decano digniſſimo, & unà ejus ſobrino R. D. Joſepho de Souza Ribeyro, e Araujo, ejuſdem Sedis Fluminenſis Archidiacono, facultates Pontificias communicavit. Excellentiſſimus verò, & Reverendiſſimus DD. Fr. Joannes à Cruce, item Epiſcopus Fluminenſis, cùm ad aurifodinarum viſitationem proſequendam nuper revertiſſet, R. D. Henrico Moreyra de Carvalho, Sedis Fluminenſis Canonico Doctorali, olim, Sede Vacante, Vicario Capitulari, nunc verò D. Epiſcopi Vicario Generali, & amico meo colendiſſimo, facultates Pontificias adminiſtrandas delegavit.

SECTIO III.

Quandiu poſſint Braſiliæ Epiſcopi facultates Pontificias exercere?

549 Duobus modis præcribitur tempus, ad quod facultates Pontificiæ conceduntur: primò per hos terminos *Ad annos decem tantùm cōceſſæ intelligãtur*: Secundò in hunc modum: *Supradictas facultates ad decennium cōceſſit*: & licèt aliquod diſcrimen intercedat inter has clauſulas *decem annos*, & *decennium*, ut in ſimili obſervavit *Paſqualig. de Sacrific. Miſſ quæſt.* 752. tamen quià Pontifex in catalogo utramque clauſulam jungit, & modò una, modo altera utitur, ideó ceſſat omne dubium, quod ex utriuſque clauſulæ diverſa acceptione oriri poſſet. Videantur, quæ diximus lib. 1. n. 36. Unde ſit

550 No-

550 Notatio Prima. Quæſtio principalis eſt: Quomodo computandum ſit decennium in facultatibus præſcriptum? An ſtatim à tempore Datæ, id eſt, à die, quo Romæ conceduntur, & expediuntur facultates? An potius à die, quo in Braſiliam, & ad manus Epiſcoporum perveniunt? Diſtinctione utêdum, & dicendum primò. Decennium in facultatibus præſcriptum, quo ad illarum valorem, ſubſtantiam, & eſſentiam computandum ſtatim á die Datæ. *Pignat. tom. 7. conſultat. 53. n. 9. ad 9. Anaclet. lib. 5. Decretal. tit. 3. §. 2. n. 46.* & DD. communiter. Ratio eſt: quià quælibet iſtarum facultatum eſt, quædam veluti donatio, quæ ubi primùm fit, & acceptatur, ſtatim valet. Arg. L. *Abſenti* ff. De donation; in præſenti autẽ ubi primùm Pontifex concedit, ſtatim adeſt Epiſcoporum acceptatio.

551 Dicendum Secundò. Decennium in facultatibus præſcriptũ, quo ad illarum uſum, praxim, & exercitium, computari debet à die, quo in Braſiliam, & ad manus Epiſcoporum perveniunt Facultates. Conſtat ex quadam declaratione Sacræ Congregat. de Propaganda Fide die 13. anno 1670. apud *Pignat. citat. Interrogata enim Sacra Cõgregatio á Miſſionariis pro declaratione: an tempus præſcriptum in facultatibus ſibi conceſſis currere inciperet á die expeditionis, vel adventùs eorum in Miſſiones? Sacra Congregatio reſpondit: quòd facultates currerent á die, quo perveniunt ad locum Miſſionum*: ergò ſimiliter in noſtro caſu. Vide omninò, quæ diximus *lib. 1. á. n. 13. uſque ad n. 46.*

552 Notatio Secunda. Limita, ſi aliundè per procuratorem, vel aliam perſonam loco procuratoris ſubſtitutam, habeatur notitia prævia de facultatibus jam conceſſis, & Romæ expeditis, & D. Epiſcopus cum hac deinde notitia facultates incipiat exercere, ut fieri poſſe diximus *lib. 1. n. 14.* in hac enim hypotheſi ità computari debet decennium, ut currere incipiat à die, quo facultatibus uti cæpit Excellentiſſimus; non verò à die, quo poſteà ad ejus manus perveniunt facultates.

553 Ratio eſt: quià ſicut Epiſcopi privandi non ſunt, quin facultatibus per decennium utantur, ità talibus uti non poſſunt ultrà decennium, ut in catalogo cavetur; ſi autem Epiſcopus à die, quo notitiam habuit conceſſionis, illa uti cæpiſſet, & poſteà à die, quo ad ejus manũs perveniunt facultates, iterũ computaret, decennium; in eo caſu ultrà decennium tranſcurreret, quod tamen facere non poteſt. Vide, quæ diximus *lib. 1. á n. 39.*

554 Notatio Tertia. An decennium in facultatibus præſcriptum expiret morte concedentis? Videtur, quòd ſic; quià initio cujuſque Pontificatùs promulgatur regula Cancellariæ, quæ revocat quaſcumque facultates conceſſas quibuſvis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis, & Perſonis, necnon Apoſtolicæ Sedis Nũciis... de diſpenſando cum quibuſvis perſonis ſuper matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac ſuper natalium, & ætatis defectibus, &c. Nihilominùs ad quæſitum

555 ℞. negativè. Ratio eſt: quià pro Germaniæ Epiſcopis, quorum Indulta cum Braſiliæ Indultis conveniunt, ut notavimus *lib. 1. n. 11.* dubitatum eſt anno 1700. cùm novus eſſe Pontifex, videlicet: an relatæ

latæ facultates Germaniæ Epiſcopis conceſſæ, revocatæ eſſent? *Et interrogata Roma reſpondit: facultates illas, quæ à S. Officio conceſſæ ſunt, quales ordinariè ſunt, quæ Nuntiis Apoſtolicis, & Epiſcopis mittuntur, non revocari per illam regulam; ſed eas tantum, quæ ab anteceſſore Papa ipſo immediatè conceſſæ erant.* Ità in terminis *Lacroix lib. 6. part. 3. num.* 848.

556 Subſumo: Sed ex facultatibus Braſiliæ conceſſis apertè conſtat, quòd per S. Officium conceſſæ fuerint, ibi in fine: *In Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habitâ in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum coram SS. D. N. D. Benedicto Divina Providentia PP. XIII. ac Emminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Chriſtiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis*: ergò facultates Pontificiæ, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, non expirant morte concedentis.

557 Notatio Quarta. An decēnium in facultatibus præſcriptum expiret morte Epiſcopi, cui conceduntur? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià tales facultates non ſpectant ad juriſdictionem ordinariam Epiſcoporū maiori ex parte, ut notavimus *lib.* 1. *n.* 5. ac proindè non ſūt perpetuæ cum juriſdictio ordinaria & perpetua recurrant, ut diximus loco citato: ergò facultates, & decēnium in illis præſcriptum expirant morte Epiſcopi, cui conceduntur.

558 Advertendum tamen diligentèr pro præcedenti Notatione, atque etiam pro illis, quæ diximus *lib.* 1. *à n.* 59. ut nimirùm intelligatur, in quo ſenſu loquamur in præſenti: dicimus enim expirare decēnium in facultatibus præſcriptum, quo ad illarum tranſitum, & ſuceſſionem in Capitulum, Sede Vacante, quatenus tales facultates ad juriſdictionem ordinariam Epiſcoporum non pertinent maiori ex parte, ut diximus loco citato; minimè verò affirmamus prædictas facultates expirare, aut illarum decennium quoad ſui cōmunicationem factam, vel faciendam perſonæ, vel perſonis ab Epiſcopo delegatis, dùm Epiſcopus vivit, vel tempore ſui obitùs; nam prout ſic durabunt facultates, quantum reſtabit decennii, niſi priùs ſit aliter proviſum, ut *ſect. præced.* diximus per totam.

SECTIO IV.

Quandiu poſſint Epiſcoporum delegati facultates Pontificias exercere?

559 Superfluus omninò videtur præſentis ſectionis titulus: nam ſi ad annos decem tantùm facultates conceduntur, ut vidimus *ſect. præced.* quomodò poterunt Epiſcoporum delegati facultates Pontificias exercere, niſi quantum, & in quale tempus Epiſcopi cōmunicabunt, v. g. ad quinquennium, aut triennium, ad annum, vel menſem, aut etiam ad unum tantum diem intrà decennium ipſum, non autem ultrà illud? Ità quidem eſt: quià verò *Lacroix lib. 6. part.* 2. *n.* 1598. dubium affert, quod hic renovari poterit, pro amovendo quocumque ſcrupulo præſens ſectio inſtituitur.

560 Dubium oritur ex eo, quòd Germaniæ Epiſcopis variæ facultates concedantur, quas alioquin non habent, & ulteriùs detur poteſtas *communicandi aliis Sacerdotibus*

illas

illas facultates. Sed in fine ſubditur: *& prædictæ facultates tantùm conceſſæ intelligantur ad quinquennium.*

561 Jam verò facultates, quæ Germaniæ Epiſcpis conceduntur, cum Indultis Braſiliæ, in quibus etiam datur poteſtas communicandi, magna ex parte coincidunt, dempta temporis differentia; nàm Indulta Braſiliæ durant ad decennium, ad quinqnennium verò Indulta Germaniæ, teſtatur *Lacroix loco cit.* & fuſiùs *lib.* 6. *part.* 3. *num.* 846. His poſitis, ſit

562 Notatio Unica. Utrùm ex vi poteſtatis ſibi conceſſæ ad communicandum, poſſint Braſiliæ Epiſcopi facultates Pontificias communicare ad plures, quam decem annos? aut etiam in perpetuum? Pars affirmativa inculcatur primò: quià verba illa Indulti Braſilici: *Prædictæ facultates ad annos decem tantùm conceſſæ intelligantur*, videntur reſpicere tantùm facultates à Papa conceſſas Epiſcopis, non autem ab Epiſcopis communicandas aliis, nam nihil dicunt de communicandis: ergò reſtrictio ad decennium videtur cadere tantùm ſuper conceſſionem Papæ, & non ſuper communicationem ab Epiſcopis faciendam.

563 Sed contrà: quià Epiſcopis datur tantùm poteſtas communicandi facultates ſibi conceſſas, neque enim plus inſinuatur in reſcriptis; ſed Epiſcopis ſolùm datur facultas ad decennium: ergò Epiſcopi ſolùm poſſunt cõmunicare ad decennium, non verò ad tempus longius; nemo enim dat, quod non habet; & hãc ſolùm interpretationem, & non ampliorem patitur verbum *communicare*, ut notat *Lacroix citat. n.* 1598.

564 Inculcatur ſecundò: quià facultas communicandi, cùm ſit beneficium Principis, debet amplè interpretari, & non plus reſtringi, quàm verba ſonant: ergò cùm detur facultas communicandi abſolutè ſine verbo ullo reſtringente ad decennium, dicendum eſt, dari facultatem communicandi ad quodcumque tempus, prout Epiſcopis expedire videbitur.

565 Sed contrà quià in noſtro Catalogo reperiuntur verba ad decennium reſtringentia, videlicet, *Donec Sedes Apoſtolica certior facta, quod quamprimùm fieri debebit, per delegatos, aut per unum ex eis, alio modo provideat*: dictio enim *donec*, qua Pontifex utitur, eſt reſtrictiva temporis, juxtà L. *Legatum* ff. De annuis legat, & ſignificat in ſubjecto puncto facultates tantùm duraturas, donec alteri à delegato iterùm concedantur, aut de hac re aliter provideatut, vel in Epiſcopo futuro, vel in quocumque alio: ergò non ſubſiſtit argumentum.

566 Inculcatur tertio: quià quando Epiſcopus dicit; *Titius ſit ad decennium Vicarius meus cum poteſtate approbandi Confeſſarios*; tunc Titius ex vi hujus poteſtatis poteſt approbare in perpetuum, ità ut quamvis poteſtas approbandi non ſit perpetua, tamen approbatio ſit perpetua: ergò cùm Papa dicat: *Epiſcopus habeat ad decennium facultatem abſolvendi ab hæreſi cum poteſtate hanc facultatem communicandi*; poterit Epiſcopus communicare in perpetuum, ità ut quamvis poteſtas communicandi non ſit perpetua, tamen facultas communicata ſit perpetua.

567 Sed contrà: quià aliundè conſtat talibus Vicariis, quamvis ipſimet

ipſimet approbati non eſſent, & ad unicum tantùm diem futuri eſſent in officio Vicarii, concedi poſſe ab Epiſcopis facultatem ſimpliciter approbandi, & dandi facultatem abſolvendi in perpetuum; in noſtro autem caſu etiam conſtat limitari tempus ad decennium, & ad tempus longius protrahi non poſſe propter clauſulam Indulti: *donec Sedes Apoſtolica*, &c. Unde non ſtat paritas.

568 Inculcatur quartò: quià ſi ipſimet Epiſcopi tantùm acciperent facultatem, v. g. abſolvendi ab hæreſi, & non poteſtatem dandi aliis facultatem abſolvendi ab hæreſi; tunc tale privilegium eſſet inutile, cùm plerumque Epiſcopi per ſe non abſolvant.

569 Sed contrà: quià ex poteſtate communicandi, quæ Epiſcopis fit, non ſequitur poſſe Epiſcopos communicare in perpetuum; nemo enim dare poteſt, quod non habet: ſi igitur Epiſcopi ſolùm habent facultatem, v. g. abſolvendi ad decẽnium, quomodo facultatem abſolvendi dari poterunt ad tempus longius, quàm decennium, aut etiam in perpetuum? Inutile eſt igitur argumentum; minimè verò inutile eſt privilegium, quod Epiſcopis conceditur ad abſolvendum per ſe, vel per alios, eſtò cum limitatione temporis. Quare

570 Tenenda omninò eſt pars negativa, nempe, ex vi poteſtatis ſibi conceſſæ ad communicandum nullatenus poſſe Braſiliæ Epiſcopos facultates Pontificias communicare ad plures, quàm decem annos, multoque minus in perpetuum. Suadetur primó: quià communicare eſt facere aliquid ſibi, & alteri commune, nempè, ut alter etiam habeat, quod ego habeo: ergo ſi Epiſcopus extrà decennium non habeat, nec alter per ipſum habere poterit.

571 Suadetur ſecundo: quià ſi Epiſcopus poſſet faculates communicare in perpetuum, cùm inter illas ſit diſpenſare in certis gradibus pro Matrimoniis contrahendis; ordinare extrà tempora, &c. tunc poſſet Epiſcopus dictas, & alias facultates etiam ultima die decennii, quo eas habet, communicare in perpetuum multis Sacerdotibus per totam Diœceſim ſuam diſperſis, ità ut hi in perpetuum habituri eſſent facultates, quas nequidem Epiſcopus habet; eſt autem inauditum, quòd ullus Epiſcopus unquàm ità communicarit: & eſt incredibile, quòd ità communicare poſſit, alioquin fermè fruſtrà teneretur ſingulis decenniis petere confirmationem talium facultatum aliis communicandarum, quià ſatis multos haberet in ſua Diœceſi, qui diſpenſarent: ergò.

572 Ità fermè citatus Lacroix quoad quinquennium in Germaniæ facultatibus præſcriptum. His tamen non contentus concludit totum pendere à mente, & voluntate Pontificis tales facultates concedentis: nam cùm in multis agatur de valore Sacramentorum, meritò debent Ordinarii à S. Sede petere declarationem, (ait) nè Sacramenta exponantur periculo nullitatis.

573 Ego verò ſuperfluam judico inſinuatam diligentiam, & petitionem pro declaratione faciendam: cùm de mente Pontificis apertè conſtet circá limitationem temporis, ad quod facultates conceduntur, & communicari poſſunt, per illam ſcilicet clauſulam: *Donec Sedes Apoſtolica certior facta, quod quam primùm fieri debebit, per delegatos,*

tos , *vel per unum ex eis* , *alio modo provideat* , in quod fortaſſe non advertit P. Lacroix. Nam ſi Pontifex Epiſcopis facultatem facit communicandi , & inſuper communicationem ipſam expreſſè reſtringit ad tempus , nempe , *Donec Sedes Apoſtolica* &c. ad quid eſt amplius Pontifex conſulendus , aut petenda pro natura , & conditione communicationis declaratio ?

574 Suadetur tertiò : quià ſicut privilegium Principis eſt amplè interpretandum , nec plùs reſtringendum , quàm verba ſonant : ità etiam non eſt interpretandum contra mentem Principis , nec plùs ampliandum , quàm ejus verba ſonant; ſed apertè conſtat de limitatione temporis , ejuſque reſtrictione ad decennium , & non ad tempus longius , quàm decennium , per illa verba : *Donec Sedes Apoſtolica* &c. cùm particula *donec* ſit reſtrictiva temporis , juxtà L. *Legatum* ff. De annuis legat ; & faciat conditionem extinctivam L. *Sufficit*.56 & Jaſ. ibi n. 5. ff. De cōdit. indeb.: ergò facultates Pontificiæ , quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur , & ab ipſiſmet communicantur , tandiù durabunt in delegato , quandiù delegari poſſunt delegari autem non poſſunt ultrà decennium , multoque minus in perpetuum propter jam dicta.

575 Ex quibus manifeſté apparet , qualiter cōmunicari poſſint facultates Braſilicæ; poſſunt enim Cōmunicari ad decēnium v. g. ad triennium , ad annum , vel menſem , aut etiam ad unicum tantùm diem , prout temporum ratio , & locorum diſtantia poſtulabunt : ità tamen , ut nullo modo excurrat dicta communicatio ultrà decennium Epiſcopis ipſis præſcriptum. Quod etiam verum habet , tametſi Epiſcoporum delegati , ad quos ſpectat Sedem Apoſtolicam certiorem facere de obitu Epiſcopi , munus hoc ſuum non impleant , etiam de induſtria ; eo nimirum fine , ut Sedes Apoſtolica defectu notitiæ aliter non provideat ; ad huc enim in eo eventu facultatum communicatio terminari , & finiri debet cum ipſo decennio Epiſcopis præſcripto. Et hæc ſint ſatis , cedantque in maiorem Dei gloriam , ejuſque Matris Intemeratæ B. V. Mariæ.

FINIS LIBRI QUARTI.

APPEN-

APPENDIX PRO CASIBUS IN BRASILIA RESERVATIS, cum deſiderata eorum Expoſitione.

SECTIO I.

Quid, & Quotuplex ſit Reſervatio?

1 POSTQUAM Notationes ad Facultates Põtificias, quæ Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, ut cũque abſolveram; non defuerunt, qui mihi conati ſunt ſuadere, ut caſus in Braſilia reſervatos etiam exponerem. Cur enim (aiebant) interpretaris Facultates extraordinarias, ac de ſola poteſtate Pontificia Epiſcopis factas Braſilienſibus; caſus verò, qui ſunt illorum proprii, & de juriſdictione ordinaria reſervati, explicare contemnis? Alieno tandem judicio acquievi; & in ejus obſequium, quod aliàs obedientiæ comparandum eſt, appendicem hâc inſtituo.

2 Quæres igitur primò Quid ſit Reſervatio? ℞. *Reſervatio eſt reſtrictio juriſdictionis à legitimo Superiore inducta Confeſſariis, per quam reſtrictionem ii non valeant aliqua peccata Sacramentaliter*

ter abſolvere. Colligitur ex *Reginald. Tamburin.*, & aliis apud *Nog. in Bull. Cruciat. diſp.* 15. *num.* 4.

3 Quæres Secundò : Quotuplex ſit Reſervatio ? ℞. Reſervationem communiter dividi in Pœnalem, quæ fit in odium alicujus delicti, & in Medicinalem, quæ fit propter bonum fidelium, ob rectam gubernationem alicujus Communitatis. Vel aliter : Reſervatio pœnalis illa dicitur, quæ habet annexam cenſuram; medicinalis verò, quæ non habet cenſuram annexam. *Gob. tom.* 3. *tract.* 7. *n.* 260.

4 Primi generis ſunt Caſus Pontificii, qui ſemper reſervantur ſub excommunicatione, imò propter excõmunicationem reſervantur, ut tenent communiter Doctores, & ideò dicuntur habere cenſuram annexam.

5 Secundi generis ſunt Caſus Epiſcopales, qui fermè reſervantur ſine excommunicatione, (quamvis etiam ſub illa reſervari poſſint) & ideo dicuntur non habere annexam cenſuram. *Gobat. loc. cit.*

SECTIO II.

Quando incurratur Reſervatio.

6 QUæres primò: An Reſervatio Medicinalis etiam ignorantes comprehendat ? ℞. affirmativè cum *Sanch. Molin. Card. de Lug. Hurt. Dian. & Soar. Luſit. de Pœnit. tract.* 7. *diſp.* 1. *ſect.* 3. *num.* 68. §. *Dicendum itaque.* Ratio eſt, quia Reſervatio hæc, cùm ſit juriſdictionis reſtrictio, ad Confeſſarium dirigitur, & in illo reſidet: ut ergò liget, ſufficit, quòd Confeſſario nota ſit, licèt à pœnitente ignoretur.

7 Quæres Secundò. An ignorantes reſervationem pœnalem excuſentur ab ejus incurſione ? ℞. affirmativè cum Doctoribus proximè citatis. Ratio eſt; quià cenſura, ſive excommunicatio; quam ſecum imbibit reſervatio pœnalis, fertur contrà contumaces: in ignorante autem non præſumitur contumacia; & ideò ab illo non incurritur dicta reſervatio.

8 Quæres Tertio. An proxima doctrina amplianda ſit etiam ad laborantes ignorantia mortaliter culpabili ? Probabilis eſt reſolutio affirmativa, dummodò ignorantia non ſit craſſa, aut ſupina. *Ità Sanch. lib.* 9. *de Matrim. diſp.* 32. *n.* 31. *Bonac. de Cenſur. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 10. *Barboſ. & Dian*; quos citat, & ſequitur *Soar. Luſit.* ibi proximè *num.* 69. Probatur ex textu in Cap. 2. De Cõſtitutionib., ubi ſermo eſt de omni ignorantia, quæ non ſit craſſa, & ſupina.

9 Neque obſtat primò textus in Cap. *Cùm illorum*, De ſentent. excõmunicat., ubi deciditur percuſſorem Clerici ignoranter accedentem ad Sacros Ordines incurrere pœnas &c. Nam hic textus loquitur de ignorantia craſſa, qualis præſumitur illa, qua notorius clerici percuſſor accedit ad Sacros Ordines.

10 Non obſtat ſecundò, quòd reſervatio ſit ſubtractio juriſdictionis in Confeſſario &c. talis enim non eſt, quando habet rationem pœnæ reſpectu illorum, quos comprehendit, tunc enim in illis reſidet, non autem in Cõfeſſario. *Soar. citat. num.* 70.

11 Nota deinde, quòd ſicut quãdo ignoratur cenſura reſervationi Pontificiæ annexa, neque incurritur cenſura, neque reſervatio; ità quãdo cenſura incurritur, & datur facultas

cultas ad illius abſolutionem, etiam cenſetur conceſſa facultas ad abſolvendum à peccato, & è contra. *Nogueyr. in Bull. Cruciat. diſp.* 15. *à num.* 14.

12 Aliter contingit, quando reſervatio eſt facta Epiſcopo ſub cenſura: tunc enim, ut notat *Nogueyr. cit. diſp.* 18. *n.* 309. quamvis cenſura non incurratur ab ignorante, adhuc tamen incurritur reſervatio. Ratio eſt; quia Summus Pontifex non reſervat delictum ſine cenſura: Epiſcopus verò & cum cenſura, & ſine illa peccatum reſervat: ergò licèt ignoretur cenſura ab Epiſcopo lata, quando ſub illa delictum reſervat, adhuc tamen delictum manet reſervatum Epiſcopo.

SECTIO III.

Quæ peccata reſerventur.

13 CErtum quidem eſt nonnulla peccata mortalia, eaque graviora de facto reſervari, ut habet praxis Eccleſiæ, & conſtat ex *Trident. Seſſ.* 14. *cap.* 7.

14 Dubium tamen eſt primò: An peccata venialia defacto reſerventur? ℟. negativè cum praxi Eccleſiæ, & communi Doctorum. Ratio eſt; quià reſervatio venialium eſt inutilis: tum quia ſine illorum manifeſtatione obtineri poteſt abſolutio Sacramentalis: tum quia alia via, quàm Sacramento pœnitentiæ impretrari poteſt venialium remiſſio. Et idem, quod de venialibus, dicimus, etiam de mortalibus jam ritè confeſſis, ut habent *Salmantic. tom.* 1. *Theol. moral. tract.* 6. *cap.* 13. *punct.* 2. *n.* 10. *& Soar. Luſit. de pœnitent. tract.* 7. *diſp.* 1. *n.* 7.

16 Dixi: *defacto*: quià poſſe Summum Pontificem ſibi reſervare venialia, affirmant *Soar. Coninch. Palaus*, & alii, quos citant, & ſequuntur *Salmant. citat.* Notat tamen *Soar. Luſit. cit. n.* 9. ſolum Summum Pontificem, & non alios Prælatos inferiores, poſſe hujuſmodi peccata reſervare.

16 Dubium eſt ſecundò. An defacto reſerventur peccata merè interna? ℟. negative cum multis, quos citant, & ſequuntur *Salmant. num.* 11. Probatur; quia dum imponitur reſervatio, puniri intenditur ea culpa, cujus gravitas ſit perceptibilis, ac proinde externa: ergò defacto non reſervantur peccata merè interna. Confirmatur; quia ut dicitur in Cap. *Cogitationis*, De Pœnit. *diſt.* 1. Eccleſia non punit actus internos. Et in Cap. *A' nobis* 1. De ſentent. excommunicationis. Eccleſia non judicat de interioribus.

17 Poſſe autem peccata merè interna reſervari tenent *Soar. de Lug. Navar. Fagund. Sanch*, & alii, quos citat, & ſequitur *Soar. Luſit.* citat. *num.* 11. Ratio eſt; quià ſicut ſuperior poteſt non concedere juriſdictionem ad peccata merè interna, nec externa abſolvenda, ut non concedit, quando Sacerdotem non approbat ad Confeſſiones audiendas: ita quando Superior juriſdictionem concedit, poteſt illam concedere abſolutam ad peccata externa, limitatam verò ad peccata merè interna abſolvenda; ſed hoc ultimum eſſet reſervari: ergò peccata merè interna poſſunt reſervari.

18 Unde colliges, reſervato aliquo peccato, ſolùm intelligi reſervari peccatum externum, & non merè internum; adeo, ut non incurrat caſum reſervatum, qui facit opus externum, quod de ſe non eſt ſufficiens ad peccatum mortale, licet

licèt internus animus fuerit peccandi lethaliter, ut cum quis furatur quantitatem levem, animum tamen habuit furandi quantitatem gravem. *Granad. Henriq. Soar de Lug. Dian.* & alii, quos refert, & ſequitur *Dicaſtilb. diſp.* 11. *dub.* 4. *num.* 33. & alii, quos etiam citant, & ſequuntur *Salmantic. n.* 12. Ratio eſt; quià licèt talis mortaliter peccaverit ratione internæ voluntatis, opus tamen externum fuit leve, adeòque non reſervatum, ut proxime diximus num. 14.

19 Dubium eſt tertiò. An peccata dubia defacto reſerventur? ℞. negativè cum multis, quos citant, & ſequuntur *Salmant. n.* 15. Idque ſive dubium ſit, an peccatum ſit cõmiſſum: ſive dubium ſit, an peccatum ſit mortale, ſive ex levitate materiæ, ſive ex defectu perfectæ deliberationis. Ratio eſt; quià cùm reſervatio ſit odioſa, & ſtrictè interpretanda, non extenditur ad caſus dubios.

20 Dubium eſt quartò. An pœnitens bona fide abſolutus per inferiorem à peccato dubio, quod poſtea reperit fuiſſe certum, & reſervatum, teneatur poſteà ſe pro illo præſentare Superiori? ℞. negative. Ità *de Lug. Dicaſtilb. Averſ. Gabriel*, & *Anton.* quos citant, & ſequuntur *Salmantic. num.* 16. Ratio eſt; quià Inferior habebat juriſdictionem ad abſolvendum à tali caſu, hic enim, in quantum dubius, non erat reſervatus, & inferior habebat juriſdictionem ad caſus non reſervatos. Confirmatur; quià diſpenſatus ab Inferiori in voto reſervato dubio, licèt poſteà conſtet de certitudine voti, non tenetur ampliùs adire ſuperiorem pro illius diſpenſatione, ſed eſt valide diſpenſatus; quià votum dubium non eſt reſervatum, & Inferior, ut ſupponitur, habebat juriſdictionem ad diſpenſandum in votis non reſervatis. Ità cum cõmuni Doctorum tenet *Sãch. lib.* 4. *Decal. cap.* 44. *num.* 10. & *Soar. Luſit. n.* 22. §. *Hæc quæſtio* in fine.

21 Ex dictis, præſertim à num. 4. deducitur non ſolùm Papam, ſed etiam Epiſcopos poſſe ſibi reſervare. Utrumque conſtat ex *Trident. Seſſ.* 14. *cap.* 7. ibi: *Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate, ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo poterunt peculiari judicio reſervare. Nec dubitandum eſt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat.* Quia verò de Caſibus Pontifici reſervatis egimus *lib.* 3. *Braſil. Pontific. à num* 289. agendum hic eſt de caſibus, qui Braſiliæ Epiſcopis reſervantur. Unde ſit

SECTIO IV.

Proponuntur Caſus in Braſilia reſervati.

22 Caſus in Braſilia reſervati habentur in *Conſtitutionibus Bahienſibus* l. 1. *tit.* 45. n. 177. quæ Conſtitutiones licèt pro ſolo Archiepiſcopatu Bahienſi ſint factæ, & ex prima ſui inſtitutione ibi tantum vigeant; attamen ex libera, & ſpontanea illarum acceptatione, etiam in reliquis Braſiliæ Diœceſibus vigent, & ſervantur, quatenus reliqui Braſiliæ Epiſcopi, donec ſpeciales, & proprias conſtitutiones unuſquiſque condat, Bahienſes admiſerunt, & illis ſtare decreverunt. Quod fortaſſe etiam fecerunt Excellentiſſimi, & Reverendiſſimi

diſſimi DD. Epiſcopi Angolæ, & S. Thomæ, qui ad Africam ſpectant, ſed tamen inter Metropolitani Braſilienſis Suffraganeos numerantur. Igitur caſus in Braſilia reſervati non ſunt jam duo ſupra viginti, ut antea apud *Abreum* de Paroch. *lib.* 1.. *num.* 413. & *Nogueyr. in Bull. Cruciat. diſp.* 18. *ſect.* 34. *num.* 408., ſed ſolùm novem, videlicet:

1 *Homicidio voluntario. Neſte cazo ſe comprehendem os Mandantes, Conſulentes, Auxiliantes: nem he neceſſario, que ſe ſiga o effeito,, quando ſe obra qualquer acçaõ, com animo de matar, como ferindo, atirando á eſpingarda, cu com ſetta, ou dando veneno.*

2 *Feitiçaria conhecida por tal, praticada, aconſelhada, ou procurada por meyo de outrem.*

3 *Furtar algũa couza pertencente à Igreja, paſſando de hum marco de prata. E ſe for couza pertencẽte ao Altar, ſendo ouro, ou prata, ſerà o tal furto reſervado em qualquer quantia.*

4 *Juramento falſo em juizo, ou em actos judiciaes, ou perante Superior competente, ainda que do dito juramento naõ reſulte perjuizo a terceiro.*

5 *Aconſelhar, ou procurar aborto animado, ou naõ animado.*

6 *Incendio feito de propoſito para fazer damno, ainda que elle ſe naõ ſiga.*

7 *Dizimos naõ pagos às Igrejas, ou áquelles, a quem ſe devem, que excedaõ a quantia de quatro centos reis.*

8 *Reter o alheyo, cujo dono ſenaõ ſabe, que exceda a quantia de dez toſtoens. Neſte cazo ſe cõprehende reter em ſeu poder eſcravos fugitivos, ou que ſe apartaraõ de ſeus ſenhores, ou furtados; e tambem a compra, ou venda dos Indios, que ſaõ livres, quando os cativaõ para os fazerem eſcravos, ou para outros fins injuſtos, ou para ſe ſervirem delles: e iſto ſe reſerva, ou os Indios ſejaõ bautizados, ou naõ.*

9 *Excommunhaõ maior á jure, vel ab homine, que naõ ſeja reſervada a outrem.*

23 En recentes caſus, qui in Conſtitutionibus Bahienſibus reſervantur, & dicuntur totius Braſiliæ Reſervati, quia per omnes Braſiliæ Diœceſes etiam ſunt admiſſi ob rationem proximè datam n. 22. Ut verò dicti caſus, ſuppoſita eorum intelligentia memoriter retineantur, his verſibus cõprehenduntur.

Furta, Veneficium, Lethum,
Juramen, Abortus,
Cenſuræ, Decimæ, Retinere aliena, Cremàre.

Supereſt tamen, ut adhuc notetur diligenter declaratio, quæ ſuper duobus ultimis caſibus additur in *Conſtitutionibus* loco citato num 179. Videlicet:

E declarando os dous caſos ultimos de dizimos naõ pagos, e de reter o alheyo, mandamos que ſe o penitente, ao tempo, que ſe confeſſar, tiver pago os dizimos, a quem ſe devem, e tiver legitimamente diſtribuido a pobres (naõ paſſando a quantia de dous mil reis) o alheyo, cujo dono ſenaõ ſabe, ou gaſtado, ou applicado á fabrica da Igreja, ſeja abſolto pelo Confeſſor, a quem ſe for confeſſar; e paſſando o achado da dita quantia de dous mil reis, ſe entregarà ao Parocho dà Igreja, cujo freguez for o penitente, o qual naõ diſporà delle, ſem no lo fazer a ſaber, ou ao noſſo Provizor, para ſe determinar a ſua diſtribuiçaõ; o qual avizo nos farà dentro de hum mez, ſen-

ſendo no Reconcavo, e no tempo que ſor poſſivel, ſendo mais diſtante: e pomos pena de excommunhaõ ao Parocho, que aſſim o naõ cumprir.

SECTIO V.

Quid reſervetur in Braſilia per Homicidium Voluntarium?

24 PRimus caſus in Cõſtitutionibus Bahienſibus reſervatus, eſt: *Homicidio voluntario. Neſte cazo ſe comprehẽdem os mandantes, conſulentes, auxiliantes: nem he neceſſario, que ſe ſiga o effeito, quando ſe obra qualquer acçaõ com animo de matar, como ferindo, atirando á eſpingrada, ou com ſetta, ou dando veneno.* Caſus hic aliter reſervatur in Braſilia, ac in aliis Diœceſibus extra Braſiliam: in aliis enim Diœceſibus extra Braſiliam reſervatur homicidium voluntarium executioni mandatum, & ſecuto effectu, quamvis hoc ultimum in reſervatione non exprimatur, ut videre eſt apud *Nogueyr. in Bull. Cruciat. diſp.* 17. *ſect.* 6. *à n.* 62. ſic audio reſervari in Diœceſi Pernambucenſi, ubi Conſtitutiones Bahienſes ſunt receptæ cum prædicta reſtrictione in præſenti caſu, videlicèt, quod ibi ſolùm reſervetur homicidium voluntarium executioni mandatum, & ſecuto effectu, & non aliter.

25 Hic verò in Diœceſi Fluminenſi, ubi hæc ſcribimus, reſervatur homicidium voluntarium in tota ea latitudine, quam habent Conſtitutiones Bahienſes, quatenùs, ut incurratur reſervatio, ſufficit, quòd homicidium ſit intentatum, quamvis non ſequatur effectus, dummodò ponantur actiones de ſe occiſivæ, ut habet Conſtitutio.

26 Unde juxta Conſtitutiones Bahienſes reſervatur ille caſus, qui in aliis Diœceſibus non eſt reſervatus juxta doctrinam communem; ſcilicet, quando quis lethaliter, & cum intentione occidendi hominem percutit, ſi ante mortem ipſius hominis percuſſi, rite confiteatur; ſecuta enim poſtea morte, non tenetur iterum confiteri, ut cum communi tenet *Nogueyr. citat. diſp.* 18. *ſect.* 26. *n.* 395. Qui caſus, licèt in doctrina communi non ſit reſervatus, quia mors poſtea ſecuta ſolùm eſt effectus peccati, non autem peccatum, quòd in confeſſione ſupponitur remiſſum: nihilominùs in Conſtitutionibus Bahienſibus eſt reſervatus, quià licet confeſſio fiat ante mortem ſecutam, ad reſervationem tamen incurrendam ſatis eſt poſuiſſe actionem externam occiſivam, ut tenet Conſtitutio.

27 His non obſtantibus, reſervationẽ homicidii voluntarii, de quo egimus *lib.* 1. *Braſiliæ Pontific. à n.* 213. non incurrunt primò Judices, & Miniſtri Juſtitiæ, qui juxtà leges damnant ad mortem, eamque exequuntur. *Abreus lib.* 10. *ſect.* 2. §. 8. *num.* 837. Ratio eſt; quià ut incurratur reſervatio homicidii voluntarii debet dari peccatum mortale in ejus patratione: prædicti verò mortaliter nòn peccãt damnando ad mortem juxtà leges, nec committunt peccatum homicidii, quod ſolùm in hoc reſervatur, quãvis committere poſſint peccatum odii, aut vindictæ, ſi ex prava affectione juſtam mortis ſententiam proferant, & exequantur.

28 Reſervationem homicidii voluntarii non incurrunt ſecundò milites, qui hoſtes occidunt in bello juſto. Ità *Abreus cit. n.* 837. Ratio;

tio eſt; quià milites in bello juſto non peccant mortaliter, quo ad reſervationem incurrendam requiritur: ergò illam non incurrunt.

29 Secùs, ſi bellum eſſet injuſtum, & ut tale cognitum; quià verò milites non tenentur examinare Cauſas belli á ſuo Principe illati, ſi eis non conſtet de injuſtitia, poſſunt, & debent bellum juſtum reputare: &, quod inde ſequitur, licèt in eo caſu occidant, non incurrunt reſervatum. Ita *Abreus citat.*

30 Reſervatum non incurrit tertiò ille, qui injuſtum aggreſſorem occidit in defenſionem vitæ, honoris, pudicitiæ, aut bonorum, ſi illum occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ità cum multis *Nogueyr. cit. n.* 64. Ratio eſt: quià ſic occidens cenſetur ſe defendere, non peccat igitur, nec tenetur ad reſtitutionem, nec incurrit irregularitatem.

31 Extenditur hæc reſolutio primò ad caſũ, quo injuſtus aggreſſor ſit pater, filius, frater, conjux, Sacerdos, Religioſus &c. adhuc enim in eo caſu nec reſervatio, nec excommunicatio incurritur, ut cum multis tenet *Nogueyr. cit. n.* 65.

32 Extenditur ſecundò ad caſũ, quo aggreſſus fuerit in culpa, ut ab aggreſſore invaderetur. Ità cum *Molin. Dian. Leand. Soar. Luſit.* & aliis *Noguey. cit. num.* 70 Ratio eſt: quià licèt certum ſit aggreſſum in præſenti caſu peccaſſe mortaliter ob occaſionem, quam præbuit, ut ab aggreſſore impeteretur; attamen non peccavit peccatum homicidii, defendendo ſe, quatenùs habet jus ſe defendendi. Sic communiter docent Authores de adultero, qui aggreſſus á marito poteſt pro ſua defenſione illum occidere.

33 Dubium tamen eſt primò: An reſervatum incurrat maritus, qui pro defenſione ſui honoris occidit uxorem cum adultero deprehenſam? Pars negativa ſuaderi poterat ex noſtris *Ordinationibus liv.* 5. *tit.* 38. in principio, ubi dicitur: *Achãdo o homem caſado ſua mulher em adulterio, licitamẽte poderá matar aſſim a ella, como ao adultero, ſalvo ſe o marido for peam, e o adultero fidalgo, ou noſſo Dezembargador, ou peſſoa de mor qualidade.* Ex quibus verbis colligi videtur ſimilem occiſorem non peccare mortaliter ex cauſula illa: *licitamẽte poderá matar*, ut autem incurratur reſervatio homicidii voluntarii, debet ſupponi peccatum mortale in ejus commiſſione.

34 Nihilominus maritus, qui uxorem occidit in adulterio deprehenſam, eſt homicida voluntarius, & peccat mortaliter juxtà propoſitionem ab Alexandro VII. damnatam, quæ inter alias eſt 19. *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.* Peccat igitur maritus, qui taliter occidit, adeòque incurrit reſervatum homicidii voluntarii, ut habet *Noguey. citat. á num.* 85. Ratio eſt: quià occiſio, privata authoritate, eſt intrinſecè mala, illa verò, authoritate privata, cõmittitur: deinde jus civile nil poteſt diſponere contrà id, quod eſt intrinſecè malum: ergò jus civile in caſu propoſito non juſtificat uxoridicium, eſtò illud impunitum relinquat.

35 Unde patet ad id, quod affertur ex noſtris *Ordinationibus* nempe: *Licitamente poderá matar*: talia enim verba debent intelligi de licito pro foro externo, non verò de licito pro foro interno, & conſcientiæ, contrà quam graviter peccat maritus uxorem occidens in adulterio

rio deprehenſam; atque adeò incurrit reſervatum homicidii voluntarii.

36 Replicabis primò. Maritus in eo eventu non incurrit excommunicationem, occidens Clericum adulterum, ut conſtat ex Cap. 1. De ſentent excomm. ibi: *Nec ille compellendus eſt ad Sedem Apoſtolicam venire*; *qui in Clericum cum uxore, matre, ſorore, vel filia propria turpiter inventum, manus injecerit violentas*. Et tenent *Gloſſ.* ibi verb. *Turpiter*, *Et Navarr. Sayr. Molin. Laym.* & alii plures cum *Barboſ.* apud *Noguey. cit. n.* 88. ergò neque reſervatum incurrit maritus, qui occidit uxorem cum adultero inventam.

37 ℞. negando conſequentiam. Diverſa ratio eſt: quià excommunicatio eſt pœna Eccleſiaſtica, & ſpiritualis, ut tenent omnes, quam pœnam non vult Eccleſia incurri, & ità declarat in præſenti caſu, quamvis juſti doloris. At verò reſervatio non eſt pœna in præſenti caſu, ſed ſolùm medicina, & quædam juriſdictionis reſtrictio, quæ in confeſſario reſidet, non autem in marito uxorem occidente, & ideò ab eo incurritur reſervatio. *Nogueyr. cit. n.* 99. in fine.

38 Replicabis ſecundò. Peccatum occidentis Clericum turpiter inventum cum propria uxore non manet reſervatum Pontifici, ut conſtat ex cit. Cap. ergò neque uxoricidium in præſenti caſu manebit reſervatum Epiſcopo.

39 ℞. negando conſequentiam. Diſparitas eſt: quià quando in peccatis reſervatis Pontifici non incurritur excõmunicatio annexa, etiam non incurritur reſervatio Pontificia; & cùm in præſenti caſu non incurratur excommunicatio Pontificia, ut conſtat ex allegato textu; ideo etiam non incurritur reſervatio Põtificia. At verò ad incurrendam reſervationem Epiſcopalem ſufficit peccatum mortale, quod ratione ſuæ gravitatis reſervari ſolet ab Epiſcopis, ut tenent communiter DD. maritus verò, qui Clericum occidit, vel alium quemcumque turpiter inventum cum uxore ſua, citrà dubium peccat mortaliter juxta propoſitionem ab Alexandro VII. damnatam, quam proximè attulimus n. 34.

40 Dubium eſt ſecundò. An reſervatum habeat, qui occiderit proximum de ejus licentia, ut accidit Amalecitæ occidenti Saùlem, ut dicitur *in lib.* 2. *Reg. Cap.* 1. ℞. reſervatum habere, cum nemo ſit dominus vitæ ſuæ, qui eam licentiam poſſit concedere. Unde qui ſic occideret, reſervatum incurreret homicidii voluntarii. Ità *Abreus cit. num.* 839.

41 Dubium eſt tertiò. An reſervatum incurrat, qui facit homicidium caſuale? ℞. eum, qui facit homicidium caſuale, de quo egimus *lib.* 3. *Braſil. Pontific. à n.* 213. non incurrere reſervatum homicidii voluntarii, eſtò homicidium caſuale aliquid culpæ admixtum habeat, & voluntarii in cauſa, quià ſcilicet voluiſti cauſam v. g. ebrietatem, ex qua homicidium ſecutum fuit, non præmiſſa debita diligentia, ut vitaretur. Ità *Abreus cit. n.* 840. Ratio eſt: quià licèt in eo caſu peccatum fueri ex negligentia mortaliter culpabili, vel ex injuſta actione, tale tamen homicidium non dicitur ſimpliciter voluntarium, quod hic ſolùm reſervatur.

SEC-

SECTIO VI.

Quid reſervetur in Braſilia per Veneficium.

42 SEcundus caſus in Braſilia reſervatur per hæc verba: *Feitiçaria conhecida por tal, praticada, aconſelhada, ou procurada por meyo de outrem.* In hoc caſu reſervantur Veneficia, quæ tamen ſub multiplici differentia conſiderari poſſunt: primò enim dantur Veneficia ad ſciendas res occultas, & abſentes, & dicitur Superſtitio Divinationis. Secundò, ad procurandam ſanitatem, & alios effectus alioquin bonos, vel non malos per media inutilia, & ſuperſtitioſa, & dicitur Vana Obſervantia. Tertio ad cauſandas infirmitates, amores turpes, & alia mala, & dicitur Maleficium. Quartò, ad effectus mirabiles, & impoſſibiles ſecundùm communem exiſtimationem, & dicitur Magia. Quinto, ad alios effectus ſuperſtitioſos de quibus *Abreus de Paroch. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 207.

43 Jam verò Veneficium ſtrictè ſumptum deſcribi poteſt: *Quædam vana obſervantia, in qua quis intendit ope dæmonis nocere proximo in perſona, vel in rebus.* Unde qui ita noceat, procurando, ut alter à Dæmone obſideatur, aut infirmetur, aut trahatur amore: aut etiam inducendo tempeſtates ſuper agros, & ſimilia mala faciendo, mediante dæmonis auxilio expreſſè, vel tacitè invocati, habet reſervatum, ubi Veneficium reſervatur. Ità cum *Graff. Bordon. tit.* 1. *reſol.* 40 *n.* 13. *Soar. Luſit. de Pœnit. tract.* 7. *n.* 359.

44 Dubitabis primò. An quando reſervatur Veneficium, cenſeantur etiam reſervatæ omnes ſpecies Superſtitionis, Incantantionis, Sortilegii, Divinationis, ac Maleficiorum, Magicæ, & Aſtrologicæ artis? Affirmant *Abreus de Paroch. lib.* 10. *cap.* 10. *ſect.* 2. *n.* 815. *Graff. Bordon.* & alii, quos refert, non tamen ſequitur *Noguey. in Bull. Cruciat. diſp.* 18. *ſect.* 4. *n.* 43.

45 Probabilius verò negat *Nogueyr. cit. à n.* 45. quatenùs dicit in præſenti caſu ſolùm reſervari Veneficia ſtrictè ſumpta, quæ proximè definivimus num. 43. non verò alias magiæ, & maleficii ſpecies. Prima ratio eſt: quià verba legis in potiori ſignificatu ſunt accipienda juxtà ſenſum grammaticalem L. 1. *Qui in perpetuum* ff. Si ager vectigal, & cum aliis Juribus, & Doctoribus *Barboſ. tract. de Axiomatibus jur. Axiomate* 222. *n.* 25: ſed Veneficia ſtrictè ſumpta ea tantùm dicuntur, quæ ordinantur ad tolendum morbum, ſive ad illum inferendum, aut alia damna, ſive in hominibus, ſive in rebus ipſorum, cum pacto expreſſo, vel tacito cum dæmone, ut diximus n. 43. ergò quando reſervatur Veneficium, hæc ſola ſpecies Veneficii reſervatur, non verò aliæ ſpecies ſortilegii, Divinationis, Magiæ &c.

46 Secunda ratio eſt: quià ut aliquis caſus ſit reſervatus, debet intelligi juxtà tenorem Conſtitutionum reſervantium, ut docuerunt *Sylveſt. Graff. Henriq. Caſtro Pal. Tamburin.* apud *Nogueyr. cit. n.* 46. reſervatio enim eſt odioſa, adeóque in omni proprietate accipi debent verba caſûs reſervati; ſed verba Conſtitutionum Bahienſium, nempe: *Feitiçaria conhecida por tal*: non acciperentur in omni proprietate, ſi ad omnes alias ſpecies

maleficiorum extenderentur, præterquam ad Veneficium ſtrictè ſumptum: ergò ſola Veneficia in ſua proprietate, & ſtrictè ſumpta reſervantur in præſenti caſu, non verò aliæ ſpecies Sortilegii, Magiæ &c.

47 Confirmatur: quià Clemens VIII. pro caſibus regularibus reſervandis expreſſit non ſolum Veneficia, ſed etiam Sortilegia, & Incantantiones, ut teſtatur *Nogueyr. cit. n.* 48. ſed ſi ſub Veneficio comprehenderētur omnes ſpecies maleficii, ſuperfluò diſtingueret Pontifex Veneficia à Sortilegiis, & Incantantionibus: ergò ex diſtinctione á Pontifice facta optimè infertur ſub Veneficio non comprehendi alias ſpecies maleficii.

48 Ex quibus ſequitur non cōprehendi in hoc præſenti caſu ſpecies ſuperſtitionis, ut eſt v. g cultus indebitus tributus Deo vero, Idololatria, Divinatio, nec etiam illius ſpecies, quæ ſunt plures, nec etiam Sortilegium, aut Incantatio, eò quòd non ſint Veneficia in eo ſēſu, quo ſupra n. 43. quo ſenſu hic ſolùm reſervatur Veneficium. Vide *Nogueyr. cit. n.* 47.

49 Dubitabis ſecundò. An qui pro Veneficis habentur, & Veneficia conficere exiſtimantur, cùm tamen Venefici non ſint, nec Veneficia conficere ſciant, reſervatum incurrant? ℞. negativè. Ratio eſt: quià præſens reſervatio intelligitur de Veneficio, ut tali cognito, ut habet textus: *Feitiçaria conhecida por tal*: non autē de Veneficio exiſtimato, & præſūpto dumtaxàt. Qui igitur putantur eſſe Venefici, aut ut tales inculcantur ſub prætextu operæ, & auxilii dandi ad nocendum, vel ad alios fines turpes (ut nonnulli ſunt in Braſilia, præſertim Æthiopes, qui ſimilibus impoſturis vivunt) graviter quidem peccant contrà primum Decalogi præceptum, non tamen incurrunt præſentem reſervationem; quia re verà non ſunt Venefici, ſed meri deceptores, & alienæ pecuniæ, ad cujus reſtitutionem tenentur, fures induſtrii.

50 Dubitabis tertió. An qui colligit herbas, oſſa, & alia id generis ad Veneficiorum maſſam attemperandam, incidat in præſentem caſum? ℞. negativè. Ità cum multis *Nog. in Bull. Cruciat. diſp.* 18. *ſect.* 4. *n.* 50. Ratio eſt: quià talis nec Veneficia conficit, nec illis utitur jam factis, ſed tantùm præparat materiam ad Veneficia: quando autem reſervatio imponitur alicui delicto, non incurritur, niſi ab illo, qui illud conſumat, ac perficit, ut cum pluribus DD. affirmat *Nogueyr. citat.*

51 Dubitabis quarto. An reſervatum incurrat non ſolùm ille, qui Veneficia conficit ad inferendum, vel tollendum morbum, vel ad aliis nocendum in perſona, vel in rebus; ſed etiam ille, qui Veneficiis utitur factis à magiſtris hujus artis? ℞. affirmativè: utrumque enim prohibetur expreſſè in clauſulis Conſtitutionum reſervantium: primum enim venit per clauſulam: *Feitiçaria conhecida por tal*: ſecundum veró per clauſulam illam: *Feitiçaria praticada*: id eſt, Veneficii uſus, & exercitium.

52 Dubitabis quintó. An idem dicendum de illis, qui conſilium dant, ut Veneficium fiat, atque etiam de illo, qui alterius interventu Veneficium procurat ad nocendum, vel ad alios fines à ſe intentos? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià tùm de primis, cùm de ſecundis loquuntur expreſſè Conſtitutiones, dum dicunt: *Feitiçaria aconſelhada, ou*

ou procurada por meyo de outrem: non eſt igitur, unde prædicti excuſentur ab incurrenda præſentis caſûs reſervatione.

53 Dubitabis ſextó. Qualiter ſe gerere debeat Confeſſarius, quando pœnitens confitetur peccatum Veneficii, vel aliud ad artes magicas ſpectans? ℞. debere examinare primò, an præter Veneficium exercitum, inierit pactum expreſſum cum dæmone. Secundò, an ibi fuiſſent additæ aliæ peccatorum ſpecies v. g. Hæreſis, Idololatria externa, vel ſacrilegium. Tertio, an ſuo Veneficio damnum intulerit. Si Confeſſarius deprehenderit intervenifſe hæreſim, remittat pœnitentem ad DD. Inquiſitores, vel Epiſcopos Braſilienſes, qui intrà fines ſuæ Diœceſis poſſunt ab hæreſi abſolvere, ut alibi diximus. Si verò non interveniſſet hæreſis, cùm ſit caſus reſervatus, ab eo poteſt abſolvi, vel de licentia Prælati, vel virtute Cruciatæ, vel Jubilæi.

SECTIO VII.

Quid reſervetur in Braſilia per furtum rei ad Eccleſiam pertinentis?

54 TErtius caſus in Braſilia reſervatus ſic habet: *Furtar alguma couza pertencente á Igreja, paſſando de hum marco de prata. E ſe for couza pertencente ao altar, ſendo ouro, ou prata, ſerá o tal furto reſervado em qualquer quantia.* Caſus hic in nonnullis Diœceſibus reſervatur ſub nomine generico ſacrilegii, cujus ſpecies eſt furtum Eccleſiæ. Cùm enim Sacrilegium ex *D. Thom.* 22. *quæſt.* 99. *art.* 3. definiatur: *Violatio rei Sacræ*: idcircò eam violationem dividunt Doctores in tres ſpecies. Prima verſatur circà perſonas Sacras: ſecunda circà loca Sacra: tertia circà res Sacras. Unde conſtat Sacrilegium, quod eſt genus, latiùs patere, quàm furtum Eccleſiæ, quod eſt ſpecies ſacrilegii. In noſtro igitur caſu minus reſervatur, quam ubi reſervatur ſacrilegium; quatenus in noſtro caſu ſolùm reſervatur tertia ſpecies ſacrilegii, ſeu furtum rei ad Eccleſiam pertinentis, ut conſtat ex allegato text. Conſtitution.

55 Dubium primum. An reſervatum incurrat, qui furatur in Eccleſia res ad Eccleſiam non pertinētes, v. g. tapetē, qui ibi aſſervatur ad ſedendum? Affirmandum videtur ex text. in Cap. *Quiſquis inventus* 17. *quæſt.* 4. ubi diciditur committi Sacrilegium ab eo, qui aufert *Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro*: qui autem furatur tapetem in Eccleſia aſſervatum ad ſedendum, licèt non furetur *Sacrum de Sacro*, furatur tamen *non Sacrum de Sacro*, quod exprimitur in ſecunda parte textùs Sacrilegium deſcribentis.

56 Nihilominus certa eſt reſolutio negativa. Ratio eſt: quià hic reſervatur furtum rei ad Eccleſiam pertinentis, ille verò tapes, quamvis ſit in Eccleſia, ad Eccleſiam non pertinet; & verba reſervationis extendi non debent, ſed accipienda ſunt juxtà propriam ſui ſignificationem, ut eſt omnium.

57 Ad textum, quo inculcatur pars affirmativa ℞. illum vigere ad plurimum, ubi reſervatur Sacrilegium in genere, præſertim ſi res non Sacra ſit ſub Cuſtodia Eccleſiæ, ut cum plurimis tenet *Nogueyr. in Bull. Cruciat. diſp.* 18. *ſect.* 8. *n.* 184. non autem vigere in noſtro caſu, in quo non reſervatur Sacrilegium

gium in genere, ſed tantùm in ſpecie, ſeu potiùs ſpecies Sacrilegii, nempe furtum rei ad Eccleſiam pertinentis.

58 Dubium ſecundum. An habeat reſervatum, qui furatur res Sacras, vel non Sacras, ſive ſint intrà Eccleſiam, ſive extrà illam, dummodò ad Eccleſiam pertineant? ℞. affirmative. Ratio eſt: quià ità habetur expreſſum in *Conſtitution.* ibi: *Furtar alguma couza, pertencente á Igreja*: quæ verba ſi accipiantur, ut ſonant, nihil aliud intendunt, quàm inpedire furtum rei ad Eccleſiam pertinentis, ubicumque ea res ſit, ſive intrà, ſive extrà Eccleſiam: verba autem reſervationis accipi debent, ut ſonant.

59 Inquires hic: quid ſit, & quanti valeat quantitas aſſignata in Contitutionibus, & dicta Luſitanicè, *Hum marco de prata*, ut inde ſcias quando incurratur reſervatio in furto rei ad Eccleſiam pertinentis? Dico primo. Quantitas aſſignata in Conſtitutione, & dicta luſitanicè: *Hum marco de prata*, idē eſt, ac quantitas dicta luſitanicè: *meyo arratel de prata*, ou *oito onças*, *ou ſeſſenta e quatro oitavas*.

60 Dico ſecundò. Quantitas aſſignata in Conſtitutione, & Luſitanicè dicta *Hum marco de prata*: idē valet, ac ſex millia, & quater centa regalium, luſitanicè, *ſeis mil e quatro centos reis*: tali enim pretio pondus argenti aſſignatum in Conſtitutione expertus ſum vendi, & emi in Civitate Fluminēſi. Porro dictæ quantitatis furtum apud Luſitanos eſt adeo enorme, ut qui illud committit, inevitabiliter damnetur ad mortem ex *Ordinat. Reg. lib.* 5. *tit.* 60. in princip.

61 Nota tamen hic, ad incurrendam præſentis caſûs reſervationem non ſufficere, ſiquis furetur ſolam dictam quantitatem *de hum marco de prata*; ſed ulterius requiri, quòd furtum rei ad Eccleſiam pertinentis fiat in maiori quantitate, ita enim exprimitur in *Conſtit.* ibi: *Paſſando de hum marco de prata.*

62. Dubium tertium. Quæ quantitas ſufficiat, ut incidat in reſervatum, qui furatur aurum, vel argentum, ſi ad Altare pertineat? ℞. quamcumque quantitatem ſufficere, etiam minorem ſupradicta num. 60. Fundamentum eſt: quia ſic exprimitur in *Conſtit.* ibi: *E ſe for couza pertencente ao Altar, ſendo ouro, ou prata, ſerá o tal furto reſervado em qualquer quantia.* Tanta eſt Luſitanorum reverentia ergà Altare Domini, ut capite plectendus ſit, qui de Altari furetur etiam minorem quantitatem, quam valeat *Hum marco de prata. Ordinat. Reg. lib.* 5. *tit.* 60. *n.* 4. ibi *Qualquer peſſoa, que furtar prata, ou ouro dos Altares.... morra por iſſo morte natural, poſto que naõ chegue á valia de marco de prata.*

63 Dubium quartum. An reſervatum in furto auri, vel argenti de Altari, ſufficiat quantitas levis, an potius requiratur quantitas gravis? Ratio dubitandi eſt: quia in *Conſtit.* dicitur: *Em qualquer quātia.* ℞. ad reſervatum in furto auri, vel argenti etiam de Altari, ſemper requiri quantitatem gravem, & qualis ſufficiat ad peccatum mortale, non obſtāte clauſula: *Em qualquer quantia.* Ratio eſt: quià reſervatio ſupponere debet peccatum mortale, ſupra quod cadat, cum venialia de facto non reſerventur, ut ſuprà diximus n. 14. Ergò licèt in *Conſtit.* apponatur clauſula: *Em qualquer quantia*: tamen, ut reſervatum habeat, qui furatur aurum, vel argē-

tum

tum de Altari, ſemper ejus furtum intelligendum eſt de quantitate gravi, & accedente ad peccatum mortale. Hic eſſe debet omnium ſenſus in præſenti caſu juxtà doctrinam cōmunem.

64 Quæres tamen: Quæ quantitas ſufficiat ad conſtituendum peccatum mortale in materia furti? ℞. de hac re plures eſſe ſententias, quæ videri poſſunt apud *Lacroix lib.* 3. *part.* 1. *á num.* 979. Ego verò, cùm in hoc puncto nullà certa regula á Doctoribus tradatur, juxtà ea, quæ á Patribus doctis Noſtræ Societatis ſæpiùs audivi, dirigor, ac gubernor. Cenſeo igitur neminem in Braſilia eſſe damnandum de furto gravi, & ſufficienti ad incurendam præſentis caſus reſervationem, niſi furetur maiorem quantitatem, quam unum aureum, Luſitanicè, *Hum cruzado.*

65 Moveor ſpecialiter primò; quià Conſtitutiones Bahienſes pro ſeptimo caſu reſervato incurrendo dictam quantitatem determinant, ibi: *Dizimos naõ pagos ás Igrejas, ou áquelles, a quem ſe devem, que excedaõ a quantia de quatro centos reis*: ſed ex mente legislatoris expreſſa in ſeptimo caſu optimè deducitur ad interpretandam ejus mẽtem in hoc tertio caſu: ergò á ſimili nemo incurret hujus tertii caſus reſervationem, niſi furetur aurum, vel argentum de Altari, cujus furtum excedat valorem unius aurei.

66 Moveor ſecundò, & efficaciter: quia in octavo caſu *Conſtit.* reſervatur *retentio rei alienæ*, *cujus dominus ignoratur*, *quæ excedat valorem mille regalium Luſitanorum*, *vulgò dez toſtoens.* Unde licèt ad mortale conſtituendum minor quantitas ſufficiat, quàm mille regalium Luſitanorum; tamen legislator expreſſit maiorem quantitatem requiri ad reſervatum in retentione rei alienæ, quàm mille regalium; requiritur enim (ait) ultrà mille regalium: ergò ubi legislator non exprimit quantitatem requiſitam ad reſervatum (ut non exprimit in furto auri, vel argenti de Altari) rectè præſumitur requiri ad minimum ea quantitas, quæ excedat valorem unius aurei.

67 Moveor tertio: quià eſtò rationes de ſufficientia minoris quantitatis ad mortale conſtituendum ſint probabiles, tamen rationes noſtræ etiam ſunt probabiles, & ſaltem reddunt quæſtionem poſitivè dubiam ob rationes utrinque probabiles; ſed in dubio poſitivo reſervationis non eſt reſervatio, ut ſupra diximus n. 19., & cum communi tenet *Lacroix lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1599. in fine, & rurſùs cùm *Soar. Hurtad. Lug. Dicaſt. & Avers. loc. cit. n.* 1604. ergò ſtante dubio, illum non audeo de reſervatione reprehendere, qui furtum committit in auro, vel argento de Altàri, niſi ejus furtum excedat quantitatem unius aurei.

SECTIO VIII.

Quid reſervetur in Braſilia per Juramentum falſum in Judicio?

68 CAſus ordine quartus, qui in Braſilia reſervatur, eſt: *Juramento falſo em juizo, ou em actos judiciaes, ou perante ſuperior competente, ainda que do dito juramento naõ reſulte prejuizo a Terceiro.* Ad incurrendum hunc caſum reſervatum duæ requiruntur conditiones. Prima, quod juretur falſum. Secunda, quod id fiat in judicio,

dicio, vel actis judicialibus, vel coràm ſuperiore competente.

69 Pro prima conditione obſerva, quòd quatuor modis poteſt quis jurare falſum. Primo, quando ſcit aliquid non eſſe verum, & affirmat eſſe verum. Secundò, quando ſcit aliquid eſſe verum, & negat eſſe verum. Tertiò, quando jurat ſcienter dubium pro certo. Quarto, quando jurat ſcienter certum pro dubio.

70 Pro ſecunda conditione obſerva, quòd juramentum falſum, ut ſit reſervatum, debet eſſe primò in judicio legitimo, nempè in illo, in quo ſervatur forma juris, ſive illa ſit accidentalis, ſive ſubſtantialis, de quo vide *Sanch. in Conſil. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 36. *& cap.* 5. *dub.* 5. *Cardin. de Lug. de juſt. & jur. diſp.* 40. *ſect.* 1. Debet eſſe ſecundò in actis judicialibus, quales ſunt illi, qui pertinent ad judicium legitimum, ſive ſit ſæculare, ſive Eccleſiaſticum. Debet eſſe tertio coram ſuperiore, ſeu judice competente, qui habeat juriſdictionem ad interrogandum, & examinandos teſtes.

71 Undè ſi judex careat juriſdictione, vel illam habeat impeditam v. g. quia eſt vitandus, vel procedat non ſervato juris ordine accidentali, vel ſubſtantiali, quia reum interrogat, non præcedente ſemiplena probatione delicti; tunc juramentum falſum coràm illo non erit reſervatum. *Cardin. de Lug. de juſt. diſp.* 39. *ſect.* 2. His præjactis

72 Quæres primo. An habeat reſervatum reus ille, qui interrogatus à Judice de crimine omninò occulto, quod vere commiſit, jurat ſe illud non cōmiſiſſe? ℞. negativè cum *Ægid. Coninch. & Arriag.* quos refert, & ſequitur *Nogueyr. in Bull. Cruciat. diſp.* 18. *ſect.* 10. *n.* 239. Ratio eſt: quià cùm Judex ſolùm habeat poteſtatem interrogandi de criminibus, aliquo modo in judicio probatis, aut de quibus reus ſufficienter eſt infamatus; id circò reus in caſu propoſito ſine perjurio reſpondet: ſe illud crimen non commiſiſſe, quatenùs judex, ut judex, non interrogat, nec interrogare debet de omninò occultis.

73 Idem dicendum, ſi reus ob circunſtantiam ab omni culpa ſit immunis, quià tunc poteſt juratus negare, ſe illud crimen commiſiſſe, intelligendo eo modo, ac fine, quo à judice interrogatur. Exemplum ſit in eo, qui injuſtam compenſationem debiti, rem alienam ſubtraxit. Ità cum aliis *Laym. lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 14. n. 8. *& Arriag. tom.* 5. *de Fide n.* 76. poſt medium,

74 Quæres ſecundò. An reſervatum incurrat, qui interrogatur de aliquo, quod ſub ſecreto ſcit, vel non l cet, ut alteri manifeſtetur, ſi juret ſe id neſcire? ℞. negativè cum *Ægid. Coninch. & Arriag.* quos citat, & ſequitur *Nogueyr. num.* 240. Ratio eſt: quià ratione circunſtantiarum intelligitur reum jurare ſe id neſcire juxtà mentem ipſius interrogantis, quam ſcilicet hic, & nunc habet, vel habere debet ipſe interrogans, nempè, ut interroganti manifeſtetur crimen occultum, quod interrogatus manifeſtare non tenetur.

75 Quæres tertio. An putans jurare verum, jurans tamen falſum, incurrat præſentem reſervationem? ℞. negativè cum multis, quos citat, & ſequitur *Nogueyr. cit. n.* 213. Ratio eſt: quià putans jurare verum, licèt peccet mortaliter non adhiben-

hibendo ſufficientem deligentiam ad veritatem indagandam, tamen putat ſe jurare verum, & non it contrà id, quod in mente habet, in quo ſtaret juramentum falſum.

76 Quæres quarto. An habeat reſervatum, qui putat ſe falſò jurare, & jurat tamen verum? ℞. negativè cum *Soar. Peyrin. Leſan. & Tamburin.* quos citat, & ſequitur *Nogueyr. cit. num.* 214. Ratio eſt: quia ſic jurans, re ipſa non jurat falſum, ſed verum: reſervatio autem non imponitur falſæ exiſtimationi, ſed rei veritati: ergò licet taliter jurans peccaſſet mortaliter, adhuc reſervationem non incurrit.

77 Quæres quinto. An ſiquis interrogetur à Judice competente circà materiam levem, incurrat reſervatum, ſi juret falſò? ℞. affirmativè. Ratio eſt: quià qui Deum invocat in teſtem mendacii, etiam levis, committit peccatum graviſſimum, ut habent *Fagund. Caſtro Pal. Soar. & plures*, alii apud *Leand. tom. 7. tract. 1. diſp. 7. §. 1. quæſt.* 4. & colligitur ex propoſitione ab Innocentio XI. damnata anno 1679. die 4. Martii, quæ eſt numero 24. & habet ſic: *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propterquam velis, aut poſſis damnare hominem.* Ergò ſi ſic jurans cōmittit peccatum mortale, citra dubium incurrit reſervatum. *Nogueir. cit. num.* 215.

78 Quæres ſexto. An qui jurat falſum, ſine animo jurandi in judicio, vel actis judicialibus, vel coram judice competente, incidat in reſervatum perjurii. ℞. affirmative cum *Nog. cit. n.* 216. Ratio eſt: quia nunquàm licet jurare ſine animo jurandi juxtà propoſitionem 25. ab Innocent. XI. damnatam, quæ ſic habet: *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis*: Ergò neque in caſu propoſito licitum eſt jurare ſine animo jurandi, neque in quocumque alio, multòque minus jurando falſum, cùm invocare Deum in teſtem falſi in apparentia, atque etiam ſolis verbis externis, ſit magna irreverentia, & peccatum graviſſimum, ut habet *Sanch. Leſſ. Soar. Bonacin. Caſtro Pal. Trulench. & Leand. apud. Nogueir. cit. n.* 217: Unde tale perjurium eſt peccatum reſervatum. Si plura velis, conſule *Nogueir. cit. à n.* 221.

SECTIO IX.

Quid reſervetur in Braſilia per Abortum?

76 QUintus Caſus reſervatus in Braſilia, eſt: *Aconſelhar, ou procurar aborto animado, ou naõ animado.* Ad hujus caſus intelligentiam ſuppono primò. Abortum communiter definiri: *Intempeſtivum, & immaturum humani fœtus ortum.* Qui tunc procuratur, quando aliquis ſtudioſè, & de propoſito, potionibus, herbis, percutionibus, aut ſimilibus agit, ut fœtus immaturè, & ante tempus ejiciatur.

80 Suppono ſecundò: Abortum fœtus animati etiam pertinere ad homicidium voluntarium, quatenus abortus fœtus animati verè, & propriè eſt occiſio creaturæ habentis animam rationalem, licèt aliquandiù ſupervivat, & baptizetur.

81 Suppono tertiò: Multiplicem eſſe opinionem de hora, ac die, quà fœtus humanus animatur, ut videre eſt apud *Nogueira in Bull. Cruciat. diſp.* 18. *ſect.* 6. *à n.* 94.

Improbabilius tamen fuit cujuſdam medici delirium, nempè, fœtum tunc incipere animari, quando fœmina parit, & in illus utero carerei anima rationali. Quodquidem delirium ab Innocent. XI. ut improbabile, fuit damnatum in propoſitione 35. quæ ſic habet: *Videtur probabile omnem fœtum, quādiù in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium cõmitti.*

82 Suppono quarto: Sententiam eſſe apud Philoſophos, & Theologos receptiſſimam fœtum humanum animari regulariter in maſculis poſt quadrageſimam diem, & in fœminis poſt octogeſimam à conceptione. Ità *Azor tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. *Quarant in ſumm.* verb. *Abortus. Barboſ. de poteſt. Epiſc. part.* 3. *allegat.* 51. *num.* 137. *Lezan. tom* 3. verb. *Abortus n.* 10. ubi teſtatur id eſſe receptum in Sacra Pœnitentiaria: *Tambur. de jur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 13. *quæſt.* 2. *num.* 34. *Soar. Luſit. de pœnitent. tract.* 7. *n.* 464. & alii communiter. His ſuppoſitis

83 Quæres primò: Quid reſervet Epiſcopus, quando ſibi reſervat abortum fœtùs animati? Ratio dubitandi eſt; quià Xiſtus V. in ſua Conſtit. *Effrænatam* apud *Quarant.* verb. *Abortus. Nald.* verb. *eodem*, & *Leſan.* eodem verb. *n.* 2. ſub excommunicatione Sedi Apoſtolicæ reſervata, & aliis pœnis, caſum abortus reſervavit, non ſolùm poſt, ſed etiam ante animationem fœtùs, idque pro omnibus Chriſti fidelibus, ut videre eſt apud *Bordon. tom.* 1. *reſolut.* 45. *n.* 11. Poſtea verò Gregor. XIV. in Conſtit. ſua, quæ incipit: *Sedes Apoſtolica*, & habetur apud citatos, Xiſti Bullam moderatus eſt, ita ut pœnas abſtulerit, quo ad abortum ante animationem fœtùs, poſt animationem verò eaſdem pœnas excommunicationis, & irregularitatis reliquit: voluit tamen, ut excommunicatio dicta non jam Sedi Apoſtolicæ, ſed Ordinario loci eſſet in poſterum reſervata. *Soar. de Cenſur. diſp.* 44. *ſect.* 2. *Gibal. cap.* 4. *de irregular. quæſt.* 1. *conſectar.* 2. *Leſan. ſupra n.* 9. *Soar. Luſit.* proximè *num.* 465. *Nald.* & alii, quos refert *Bordon.* proximè, ut teſtatur *Nogueyr. citat. num.* 101.

84 Si igitur abortus fœtùs animati jam eſt Epiſcopis reſervatus, & ſub excommunicatione etiam Epiſcopis reſervata de mandato Pontificis, quid reſervat Epiſcopus, quando ſibi reſervat abortum fœtùs animati? ℞. Epiſcopum nil de novo reſervare, quando ſibi reſervat abortum fœtùs animati, ſed ſolùm declarare, & in memoriam revocare, nequis ignorantiam allegare poſſit, abortum fœtùs animati eſſe Epiſcopis reſervatum ſub excommunicatione ipſis etiam reſervata, idque de mandato Pontificis.

85 Ubi nota, quòd cùm dicta excommunicatio ſit Epiſcopis reſervata, licèt quando committitur abortus fœtùs animati, ea ignoretur, & ideò non incurratur, ſemper tamen incurri caſum reſervatum juxtà ea, quæ ſuprà diximus num. 12.

86 Quæres ſecundò. An incurrat reſervatum, qui procurat abortum fœtús inanimati? ℞. incurrere, ſtando Conſtitutionibus Bahienſibus, ſi in tota ſua latitudine ſerventur; in illis enim expreſſè prohibetur abortus fœtùs etiam inanimati

mati ſub reſervatione, ibi: *Aconſelhar, ou procurar aborto animado, ou naõ animado.*

87 Scio, quòd ubi Conſtitutiones Bahienſes non vigent, aut ubi reſtrictæ ſunt in præſenti caſu, teneat doctrina communis non reſervari abortum fœtùs inanimati, quando generaliter reſervatur procuratio abortus. At verò *Conſtitutiones Bahienſes* ad reſervandum abortum fœtùs etiam inanimati videntur fundari in eo, quòd talis procuratio ſit intrinſece mala, mortaliter peccaminoſa, & in nullo caſu licita, ut conſtat ex propoſitione 34. ab Innocent. XI. damnata, videlicet: *Licet procurare abortum ante animationem fœtùs, nè puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.*

88 Unde licèt Monialis cujuſcumque obſervantiſſimi Conventùs, qui ex ejus partu graviſſimè infamaretur, concepiſſet ope Dæmonis incubi, eam violenter cognoſcentis, adhuc ei non liceret procurare abortũ fœtùs etiam inanimati: quià ſcilicet fœtùs ille adhuc eſt humanus, ex ſemine hominis per dœmonem ad illum effectum adducto, adeòque intrinſecè malus talis fœtùs abortus, ut liquet ex propoſitione damnata.

89 Quæres tertio. An incurratur reſervatio, quando procuratio abortùs ſtare poteſt ſine peccato, ut v. g. quando mulier eſt in vitæ periculo, & non datur aliud remedium, ut vivat, niſi pharmacum ex natura ſua curativum talis infirmitatis, quamvis inde ſequatur abortus, qui non intenditur, ſed prævidetur? ℞. negative cum *Card. de Lug. Leand. Moya Baſil. Põc. Bonacin. Navar. Bord. Soar. Luſit. & Leſan*; quos citat, & ſequitur *Nogueyr. cit. n.* 111. ad finem. Ratio eſt: quià in tali caſu non committitur mortale, quod requiritur ad incurrendam reſervationem: ideò autem non committitur mortale, quià talis abortus non procuratur directè, & cõtingit præter intentionem, cùm ſolúm intendatur directè expellere humores noxios, quamvis indirectè ſequatur abortus.

90 Imo ſi nulla ſpes ſit, quòd fœtus animatus vivere poſſit, & baptiſari, ſit tamen ſpes, quòd mater vivat, adhuc applicari poterit remedium æquè vtile ad vitam matris, & mortem fœtus, ut habet *Pater Eduardus de Oliveira in Cõpend. Bull. Cruciat. cap.* 18. *art.* 1. §. 6. *num.* 419. nunquàm tamen licèt prægnanti applicare remedium, quòd directe tendat ad abortum, cùm id ſit intrinſece malum, ut dictum manet.

91 Quæres quartò. An etiam incurrat reſervatum, qui conſilium dat ad procurandum abortum fœtus animati, aut non animati? ℞. affirmativé; quià ita exprimitur in *Conſtit.* ibi *Aconſelhar aborto animado, ou naõ animado.* Unde quæ dicta ſunt de procurante abortum, intelliguntur etiam de conſilium dante ad abortum, cùm in *Conſtit.* utrumque exprimatur.

92 Nota poſtremò. Ad incurrendam reſervationem hujus caſùs ſufficere conſilium dare, aut procurare abortum, quamvis effectus non ſequatur. Ratio eſt: quià id, & non aliud ſonant in ſua propria ſignificatione verba reſervantia in *Cõſtit.* ibi: *Aconſelhar, ou procurar aborto.* Verba autem reſervantia, ſicut extendenda non ſunt ultrà propriam ſignificationem, ita etiam ſunt accipienda, ut ſonant juxtà

communem, & vulgarem ſenſum.

SECTIO X.

Quid reſervetur in Braſilia per Incendium?

93 SExtus caſus in Braſilia reſervatus habet: *Incendio feito de propoſito para fazer damno, ainda que elle ſenaõ ſigua.* Contingit hic caſus, quoties aliquis ſcienter excitat incendium cum animo nocendi, quamvis damnum non ſequatur. Unde non incurritur reſervatio, ſi caſu incendium excitetur, & damnum inferatur per accidens, ut v. g. quando aliquis ignem applicat locis incultis, ut paſcua gregibus naſcantur, quamvis inde damnum grave alicui ſecutum ſit. *Nogueyr. in Bull Cruciat. diſp.* 18. *ſect.* 7. *n.* 143. Ratio eſt: quià incendium iſtud non fit *de propoſito*, nec *ex intentione nocendi*, quod requiritur ad caſum reſervatum, ſed fit caſualiter, & præter intentionem.

94 Quæres primò. An incurrat reſervatum, qui ex intentione nocẽdi applicuit ignem, incendium tamen extinctum eſt, antequam noceret, vel ab hominibus, vel á ſuperveniente pluvia? ℞. Affirmative. Ratio eſt: quià in Braſilia, ut incurratur reſervatio, ſufficit excitatio incendii ad nocendum, quamvis damnum non ſequatur, ut habet textus expreſſè, ibi: *Incendio feito de propoſito para fazer damno, ainda que elle ſenaõ ſigua.* Quamvis in Diœceſibus, in quarum Conſtitutionibus non inveniatur ſimilis expreſſio, ſolùm incurrit reſervatum Incendiarius, damno ſecuto.

95 Quæres ſecundò. An reſervatum habeat ſolus ille, qui incendium facit, an etiam mandans, conſulens, vel auxilians? ℞. illum dumtaxat, qui incendium facit, reſervatum habere, non autem mandantes, conſulentes, vel auxiliantes. Ratio eſt: quià in Conſtitutione, ad cujus verba ſolùm attendendum eſt, exprimitur tantummodò facere incendium, ibi: *Incendio feito*: Et non exprimuntur mandantes, conſulentes, vel auxiliantes: reſervatio autem, cùm ſit odioſa, non debet extendi ultra id, quod verba ſonant. *Nogueyr. cit. n.* 51, & 142.

96 Neque contrarium convincunt text in Cap. *Peſſimam* 23. *quæſt.* 8. ibi: *Ignem appoſuerit, vel apponi fecerit, aut appoſitoribus conſilium, aut auxilium ſcienter tribuerit.* Et text. in Cap. *Siquis membrorum*, ibi: *Incendia fecerit, ſive facere juſſerit, aut facienti conſenſerit.* Non, inquam, contrarium convincunt: quia adducti textus loquuntur de aliis pœnis infligendis, & de reſtitutione ab incendiariis facienda, ut habet *Nogueyr. cit. n.* 146, in fin: minimè verò loquuntur de reſervatione incurrenda in noſtro caſu.

97 Quæres tertiò. An inter incendiarios rei profanæ, & incendiarios rei Eccleſiaſticæ interſit aliquod diſcrimen? ℞. cum diſtinctione, & dico primò. Inter incendiarios rei profanæ, & incendiarios rei Eccleſiaſticæ nullum intereſt diſcrimen, quo ad reſervationem incurrendam; utrique enim illam incurrunt. Ratio eſt: quià textus indifferenter loquitur, ibi: *Incendio feito*: non diſtinguens inter incendiarios rei profanæ, & incendiarios rei Eccleſiaſticæ: ubi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere

guere debemus, præſertim in odioſis, qualis eſt reſervatio: ergò incẽdiarius, ſive ſit rei profanæ, ſive rei Eccleſiaſticæ, incurrit reſervatum.

98 Dico ſecundò. Inter incendiarios rei profanæ, & incendiarios rei Eccleſiaſticæ non intercedit diſcrimen, quo ad excommunicationem ipſo facto incurrendam; quia neutri illam incurrunt ipſo facto. De incendiariis rei Eccleſiaſticæ tenent *Caetan. Tolet. Navar. Soar. Filiuc. Avil. Sá-Dian. Sayr. Caſtro Pal.* & alii, quos citat, & ſequitur *Nogueyr. citat. n.* 149. Ratio eſt: quià nullus eſt textus, in quo excommunicentur ipſo facto incendiarii rerum Eccleſiaſticarum.

99 De incendiariis vero rei profanæ ſequitur ex præcedenti: nam ſi non apparet textus, in quo excommunicentur ipſo facto incẽdiarii rerum Eccleſiaſticarum; multò minùs aſſignabitur textus, in quo excommunicentur ipſo facto incendiarii rei profanæ.

100 Dico tertiò. Inter incendiarios rei profanæ, & incendiarios rei Eccleſiaſticæ nullum datur diſcrimen in eo, quòd tam uni, quàm alteri poſſint ab Epiſcopo excommunicari. De incendiariis rei Eccleſiaſticæ conſtat ex Cap. *Tua nos* 19. De ſentent. excommunicationis. De incendiariis verò rei profanæ non eſt textus, qui Epiſcopis id interdicat.

101 Dico quartò. Incendiarius rei profanæ, ſi ab Epiſcopo excõmunicetur, poteſt ab eodem Epiſcopo, vel de ejus licentia, á quocumque alio abſolvi. *Nogueyr. loc. cit.* Ratio eſt: quià non eſt textus id interdicens.

102 Dico quintò. An verò incendiarius rei Eccleſiaſticæ, ſi ab Epiſcopo excommunicetur, nequit ab illo abſolvi, cùm in eo caſu excommunicatio fiat reſervata Pontifici. Conſtat ex Cap. *Tua nos*. Unde aſſerit *Coninch. de Sacram. quæſt.* 13. *dub.* 5. *n.* 37. *Hunc eſſe caſum, in quo quis poteſt ligare, & non ſolvere.*

103 Igitur ante denuntiationem ab Epiſcopo factam poſſunt incendiarii rerum Eccleſiaſticarum abſolvi ab Epiſcopo: poſt denuntiationem verò à ſolo Papa, vel de ſola ejus licentia poſſunt abſolvi. Aliter in incendiariis rei profanæ, qui etiam poſt denuntiationem ab Epiſcopo factam, poſſunt ab illo abſolvi; & hoc eſt unicum diſcrimen, quod inter incendiarios rei profanæ, & incendiarios rei Eccleſiaſticæ intercedit.

104 Quæres quartò. An ſufficiat, quod incendiarius rei Eccleſiaſticæ excommunicetur edicto generali, ut excommunicatio ſit Pontifici reſervata? Affirmant *Soar. Filliuc. & Bonacin.* apud *Nog. cit. num.* 150.

105 Probabilius tamen dicendum requiri, quód denuntiatio, ſeu excommunicatio fiat in ſpeciali, & expreſſo nomine. Ità *Dian. Caſtro Pal.* & alii, quos citat, & ſequitur *Nogueyr. cit. num.* 151. Ratio eſt: quià per generalem publicationem nullus incendiarius notus ſit, ſed æque manet occultus, ac ſi nulla daretur publicatio: textus veró loquitur de publicatione, qua delinquentes manifeſtentur, & noti fiant. Argum. *Extravag.* ad evitanda ſcandala: ergó non de publicatione generali, ſed de ſpeciali, & expreſſo nomine, intelligendus eſt textus.

SEC-

SECTIO XI.

Quid reſervetur in Braſilia per Decimas non ſolutas?

106 SEptimus caſus, qui in Braſilia reſervatur, is eſt: *Dizimos naõ pagos ás Igrejas, ou a aquelles, a quem ſe devem: que excedaõ a quantia de quatro centos reis.* In *Conſtit. Bahienſib. lib.* 2. *tit.* 21. *n.* 415. reſervatur hic caſus ſub excommunicatione: Ut autem incurratur reſervatio in eo impoſita, tria requiruntur.

107 Primum, ut quantitas decimarum retenta excedat valorem unius aurei, Luſitanicè, *quatro centos reis*, ut conſtat ex *Conſtit.* citata.

108 Secundum, ut debitor decimarũ peccàverit mortaliter in retinendo; & cùm poſſit, non reſtituit: *Abreus de Paroch. lib.* 10. *cap.* 10. *Sect.* 2. §. 14. *n.* 850.

109 Tertium, ut quando decimarum retentor confitetur, nondùm reſtituerit, nec ullo modo ſatisfecerit ei, cui decimæ debentur. *Idem Abreus loc. cit.* ſecùs, ſi quãdo decimarum retentor ad confeſſionem accedit, jam ſatisfecit, vel cum illo, cui decimæ debentur, ſe compoſuit; tunc enim non habet reſervatum, & á quocumque confeſſario abſolvi poteſt juxta *Conſtit. Bahienſ. lib.* 1. *tit.* 44 *n.* 179.

110 Sicut non habet reſervatum, qui non peccavit mortaliter in retentione decimarum, ſi habeat propoſitum ſolvendi quam primùm potuerit. *Nogueyr. in Bull. Cruciat. diſp.* 18. *ſect.* 11. *n.* 252.

111 Neque etiam ille, qui non ſolvit primitias; cũ primitiæ ſint diverſæ à decimis: reſervatio verò exprimit tantùm decimas, non autem primitias, ad quas extendi non debet reſervatio, cùm ſit odioſa. Ita cum multis *Noguey. cit. n.* 253.

112 Quæres primó An incurrat reſervatum, qui deducit expenſas factas in colligendis fructibus, vel paſcendis animalibus, vel extrahit ſemen terræ mandatum? Ante reſponſionem ſuppono, decimas dividi in reales, perſonales, & mixtas. Realis eſt, quæ provenit ex fructibus terræ, agrorum, arborũ, & ſimilium. Perſonalis dicitur, quæ provenit ex induſtria perſonæ, ſcilicet, ex piſcatione, venatione, aut ex alio hominis artificio. Mixta tandem provenit ex animalibus, putà, ex fætu, lana, lacte, butyro, & ſimilibus. Hoc ſuppoſito

113 ℞. cum diſtinctione, & dico primò. Loquendo de expenſis deductis in colligendis fructibus, vel paſcendis, & nutriendis animalibus, atque etiam in extrahendo ſemine terræ mandato, tunc reſervatum incurrit, qui deducit expenſas. Ità *Fagund. Leand. Abr.* & alii communiter, quos citat, & ſequitur *Noguey. cit.* 254. De aliis fructibus patet. At de ſemine terræ mandato, oſtenditur: quia ſemen terræ mandatum jam mortuum eſt: unde quidquid ex eo colligitur, fructus eſt: ergò ex illo debetur decima pars, nullis detractis expenſis pro agris colendis.

114 Dico ſecũdò. Loquendo autẽ de decimis perſonalibus v.g. ex venatione, vel piſcatione, quià probabile eſt poſſe deduci expenſas in illis factas; etiam probabile eſt non habere reſervatum, qui ex decimis perſonalibus expenſas deducit. Ità *Fagund. Leand. & Noguey. citat. num.* 254.

115 Quæ-

115 Quæres ſecundò. An incurrat reſervatum, qui retinet quãtitatem aſſignatam in reſervatione, ſive eam ſimul, & per modum unius retinuerit, ſive per minuta furta ad eam pervenerit: item ſive debeatur eidem, ſive diverſis Eccleſiis, aut perſonis? ℞. affirmativè cùm *Abr.* & aliis ab eo relatis *n.* 852. Ratio eſt: quià per modica furta infertur damnum grave ſub gravi obligatione reſtituendi, quando ad quantitatem ad id requiſitam pervenitur, ut conſtat ex propoſitione ab Innocent. XI. damnata, quæ ſic habet: *Non teneturquis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.* Ergò quando per minuta furta quocumque modo pervenitur ad mortale, incurritur reſervatio.

116 Quæres tertiò. An habeat reſervatum, qui per minuta furta pervenit ad quantitatem ſufficientem ad mortale, ſed ante confeſſionem reſtituit illud ultimum furtum, quod compleverat quantitatem ſufficientem ad mortale? ℞. negative cum *Nogueyr. num.* 269. Ratio eſt: quià reſtituendo ultimum furtum, quo completur quantitas gravis, liberatur quis á reſtitutione, ad quam tenebatur ſub mortali ob quantitatem gravem. *Sanch. Vaſq. Sayr. Fag. Molin. Hurtad. Regin. Granad. Card. de Lug. & Moya*, quos citat, & ſequitur *Nogueyr.* proximè: ergò etiam liberatur á reſervatione ille, qui ex decimis minutis ablatis ante cõfeſſionem reſtituit illum exceſſum, quo antea fuerat completa quantitas ſufficiens ad reſervationem.

117 Quæres quarto. An innodetur præſenti reſervatione, qui retinet decimas excedentes quantitatem aſſignatam in Conſtitutione, eò quòd opprimatur gravi neceſſitate, quia non habet neceſſaria ad ſui, & ſuorum congruam ſuſtentationem? ℞. affirmativè. Ratio deſumitur ex damnatione Pontificia Innocent. XI. nempè: *Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi*: Retinere autem decimas in gravi neceſſitate eſt furari: nam ut ait *Vaſq.* 12. *diſp.* 75. *cap.* 3. *n.* 14. *Perinde eſt retinere rem alienam, & uſurpare: nam retentio nihil aliud eſt, quàm uſurpatio quædam continuata, imo uſurpatio ideò eſt mala, quia ordinatur ad retentionem.* Idem tenet *quæſt.* 72. *art.* 6. *n.* 21. ubi inquit: *Retentio enim quædam uſurpatio eſt.* Igitur ea tantùm paupertas excuſat á ſolutione decimarum, quà, ſi ſolverentur, perirent ſolventes, ut ſæpiùs in Rota deciſum eſt apud *Nogueyr. num.* 273. Ergò qui retinet decimas excedentes quantitatem aſſignatam in Conſtitutione, quamvis opprimatur gravi neceſſitate, & non habeat neceſſaria ad ſui, & ſuorum congruam ſuſtentationem, adhuc innodatur præſenti reſervatione.

118 Quæres quinto. Qualis exceſſus decimarum ſuprà aſſignatam quantitatem unius aurei, aliàs *quatro centos reis*, requiratur ad incurrendam reſervationem præſentis caſus? ℞. quamcumque quantitatem indeterminatam ſufficere, quia etiam textus, cui attendendum eſt, loquitur indeterminatè, ibi: *Dizimos naõ pagos ás Igrejas, ou a aquelles, a quem ſe devem, que excedaõ a quantia de quatro centos reis.*

119 Replicabis. Reſervatio præſentis caſùs videtur eſſe Epiſcopis

pis prohibita in Decreto Sacr. Congregat. de mandato Clement. VIII. anno 1602. die 26. Novembris, cujus Decretum, ſeu Literæ de verbo ad verbum habentur apud *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 50. *num.* 288. nempè: *Neque reſerventur caſus, in quibus abſolutio, niſi cum reſtitutione, vel executione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non cõfertur.* Sed illis, qui decimas retinent, non confertur abſolutio, niſi priùs decimas ſolvant, ut ſtatuitur in *Trid. Seſſ.* 25. *cap.* 12. *de reformat.* ibi: *Qui decimas ſubtrahunt, excommunicentur*: neque ab hoc crimine, niſi plena *reſtitutione ſecuta abſolvantur*: Ergò, cùm reſervatio præſentis caſûs ſit Epiſcopis prohibita, non tenet, ac proinde non incurritur.

120 ℟. negando maiorem cum *Nogueyr. n.* 275. in fin; & *P. Eduard. de Oliveyr. in Compendio Bull. Cruciat. cap.* 18. *art.* 1. §. 12. *n.* 435. Ratio à priori eſt: quià Decretum Sacræ Congregationis, quamvis moneat Epiſcopos, non tamen prohibet, nè ipſi præſentem caſum ſibi reſervent, ut cum *Bord. tom.* 1. *reſolut.* 6. *n.* 17. notat *Noguey. n.* 204.

121 Ratio á poſteriori eſt: quià non ſolùm in Cõſtitutionibus Bahienſibus, verùm etiam in pluribus aliis Portugalliæ reſervatur præſens caſus: non eſt autem credibile id fieri, & abſque juſtà cauſa à Doctiſſimis Epiſcopis; maximè, quià præſens reſervatio non eſt in deſtructionem, ſed in ædificationem animarum: ergò tenet, & tenere aſſerunt Authores citati.

SECTIO XII.

Quid reſervetur in Braſilia per retentionem alieni, cujus dominus ignoratur?

122 CAſus octavus, qui in Braſilia reſervatur, ſic habet: *Reter o alheyo, cujo dono ſe naõ ſabe, que exceda a quantia de dez toſtoens. Neſte cazo ſe comprehẽde reter em ſeu poder Eſcravos fugitivos, ou que ſe apartaraõ dos ſeus ſenhores, ou furtados, e tambem a compra, ou venda dos Indios, que ſaõ livres, quando os captivaõ para os fazerem eſcravos, ou para outros fins injuſtos, ou para ſe ſervirem delles: e iſto ſe reſerva, ou os Indios ſejaõ bautizados, ou naõ.* Circa hujus caſus intelligentiam habetur declaratio in *Conſtit. Bahiens. lib.* 1. *tit.* 44. *n.* 179. quæ omninò videnda eſt ſuprà n. 23.

123 Ad ulteriorem tamen ejuſdem caſûs declarationem ſupponendum primò, bona inventa eſſe in quadruplici differentia. Prima illorum, quæ nunquàm habuerunt dominum, ut gemmæ, ambarum, & ſimilia in mari, vel ejus littore inventa: at de his non eſt caſus, quià ſunt inventoris, ut docent *Fagund. Fragoſ.* & *Scobar*, quos citat, & ſequitur *Noguey. in Bull. Cruciat. diſp.* 18. *ſect.* 12. *n.* 278.

124 Secunda differentia eſt illorum, quæ aliquando habuere dominum, ſed per longum tempus ſuper hominum memoriam dominum non habent, ut theſaurus in terra, vel parietibus abſconditus, de quibus etiam non procedit caſus; quià theſaurus ſic inventus pertinet ad inventorem, & ad dominum, in

in cujus agro, vel domo fuit inventus. *Ordinat. Reg. lib.* 2. *tit.* 26. §. 16. *&* 17. *Fagund. in* 7. *Decalog. præcept. lib.* 3. *cap.* 22. *à num.* 13. *Scobar Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *n.* 422.

125 Tertia differentia eſt rerum animatarum, quarum dominus reperiri nequit, ut oves, & boves, alia animalis manſueta, de quibus etiam non procedit quæſtio de inventis; quià de his inventis, quæ vulgò dicuntur *do vento, ou do invento* diſponunt *Ordinat. Reg. lib.* 3. *tit.* 94. *Fragoſ. tom.* 2. *diſp.*19. §. *n.* 5. *Fagund.* proximè *n.* 7.

126 Quarta differentia eſt illarum rerum inanimatarum, qua ex circunſtantiis creduntur habere dominum de præſenti, ſed facta diligentia, non reperitur. De bonis itaque inventis in hac ultima conſideratione, & ſub hac quarta differentia procedit caſus, & reſervatur retentio rei alienæ, ſi excedat aſſignatam ſummam ipſius reſervationis, dummòdò inventor peccaverit mortaliter in acceptione, vel retentione hujuſmodi; quià ſi non peccavit, quià ſemper habuit animum vero domino reſtituendi rem inventam, & illo non comparente, pauperibus, poſt adhibitam debitam deligentiam, diſtribuendi, tunc non incurrit præſentem reſervationem. Sic cum *Fragoſ. Nogueyr. cit. num.* 279.

127 Idem dicitur, ſi inventor ſit pauper, & ſibi, vel alteri jam applicavit rem inventam, quià tunc etiam non incurrit reſervatum. Ita Doctores communiter apud *Abr. de Paroch. lib.* 10. *n.* 345. in fin.

128 Supponendum ſecundò: Circà hujuſmodi bona quartæ ſpeciei, & caſu inventa duplicem dari ſententiam. Prima, & communis ſententia docet, ſi poſt debitam deligentiam dominus inveniri non poſſit, debere in pauperes, vel alia pia opera expendi. Ita *D. Thom. Leſſ. Rebel. Dicaſtilh. Molin. Fagund. Laym. Caſtro Pal. Cardin. de Lug.* & alii, quos citat *Noguey. n.* 288. Probatur: quia hæc videtur eſſe rationabilis voluntas domini, & quia ſic communi conſuetudine receptum eſt.

129 Secunda ſententia probabilis docet poſſe inventorem ea bona ſibi retinere cum intentione ea domino reddendi, ſi comparuerit. Defendunt hanc ſententiam *Sott. Navar. Sá. Trullench. Mend. Tambur.* & alii plures apud *Nogueyr n.* 289. Præcipuum hujus ſententiæ fundamentum eſt: quia nec jure naturali, nec poſitivo tenetur inventor ea bona diſtribuere pauperibus, aut piis locis: ergò poteſt ea ſibi retinere cum animo tradendi domino comparenti, cujus hæc præſumitur voluntas; quià unuſquiſque præſumitur velle, quod ſibi eſt commodius: domino autem commodius eſt, quòd inventor dicta dona retineat cum onore ea tradendi, quàm ut in pauperes, aut pia loca diſtribuat, nulla amplius remanente ſpe ea recuperandi. Quibus duabus ſententiis ſuppoſitis.

130 Quæres primò. Quando incurratur reſervatio præſentis caſûs? Dico primò. Stando in prima ſentẽtia de diſtributione in pauperes, aut pia loca, tunc incurritur reſervatio ab inventore, quando hic potens reſtituere pauperibus, aut piis locis, antequam ad confeſſionem accedat, non reſtituit. Ita *P. Eduard. de Oliveir. in compend. Bull. Cruciat. cap.* 18. *art.* 1. §. 15. *n.* 450. Ratio eſt: quià

Ppp reti-

retinere rem alienam, & uſurpare per inde eſt, ut *ex Vaſq.* diximus ſuprà num. 117. Ergò qui retinet quantitatem ſufficientem ad reſervationem incurrendam, & illam pauperibus non reſtituit, cùm poſſit, habetur pro uſurpatore in re gravi; adeoque incurrit reſervatum.

131 Dico ſecundò: Stando autem in ſecunda ſententia de retentione inventorum cum animo ea reddendi domino, ſi comparuerit, tunc incurritur præſens reſervatio, quando inventor, cùm pauper non ſit, ut ſibi applicet bona inventa, ea retinet cum animo non tradendi domino, quamvis compareat. Ita idem *Eduard. de Oliv. num.* 451. in fin. Ratio eſt: quià ſic retinens eſt in continauta uſurpatione rei alienæ, quatenùs eſt cum animo non reſtituendi domino, quamvis compareat: ergò eſt in conſcientia peccaminoſa, ac proinde incurrit reſervationem.

132 Et hic eſt ſenſus, in quo juxtà primam, vel ſecundam ſententiam poteſt Epiſcopus ſibi reſervare peccatum, quod committitur in retentione rei inventæ, ut affirmant *Fragoſ. Navar. Molin. & Rebel.* quos citat, & ſequitur *Abr. de Paroch. lib.* 10. *n.* 247. quibus ſubſcribit *Nogueyr. cit. num.* 280. in fin.

133 In quo etiam ſenſu poteſt Epiſcopus ſibi reſervare diſpenſationem, ſeu diſtributionem rerum inventarum, ut affirmat *Nogueyr. n.* 286. Ratio eſt: quià Epiſcopi poſſunt omnia in ſuo Epiſcopatu, quæ S. Pontifex in univerſo Orbe, exceptis ſpecialiter reſervatis, ut ex jure, & Doctoribus docent *Sanch. & Soar. apud Nogueyr.* proximè; ſed S. Pontifex in Regnis Caſtellæ ea bona inventa diſtribuit, & applicat ſub pœna excõmunicationis Fratribus Ordinis Sãctiſſimæ Trinitatis, aut B. Mariæ de Mercede: ergò in Provinciis, ubi S. Pontifex ea bona non applicat, nec diſtribuit ſub reſervatione, poſſunt Epiſcopi applicare ſub reſervatione, & diſtribuere in pia opera, non obſtante deciſione Sacræ Congregationis die 14. Junii anno 1619. apud *Nogueyr. n.* 281.

134 Intelligitur tamen tradita reſolutio, niſi inventor rei alienæ diſtribuiſſet pauperibus, vel piis operibus; aut niſi rem alienam retinere velit cum animo reddendi domino, ſi comparuerit; tunc enim viget ſententia negans poſſe Epiſcopos ſibi reſervare dictas diſpenſationes, ſeu diſtributiones ut tenent *Molin. Rebel. Vaſq. Navar. Sylveſt. & Gabriel.* apud *Nog. n.* 284. quidquid in contrarium diſponat *Conſtitutio Bahienſis*, ubi ſuprà *n.* 23.

135 Quia verò *Conſtitutio Bahienſis*, quando pœnitens tenetur reſtituere pauperibus, præſcribit modum reſtituendi, ſeu diſtribuendi; adhuc advertendum eſt diligenter, quòd licet Epiſcopi poſſint præcipere confeſſariis ſibi ſubditis ſub pœna excommunicationis, ne de talibus bonis diſponant, ſed diſpoſitionen remittant ipſis, quos Epiſcopi deſignant, ut habetur ſupra n. 23; id tamen non poſſunt Epiſcopi præcipere Regularibus exemptis, ut ex *Molin. Peliz. Bord. Navar. Graff.* & aliis habet *Nogueyr. n.* 186. Ratio eſt: quià modus reſtituendi ab Epiſcopis præſcriptus non eſt peccatum, nec cenſura, ſed præceptum, & Regulares ſolùm prohibentur abſolvere à peccatis, & cenſuris Epiſcopo reſervatis, ab aliis vero præceptis

ceptis Epiſcopalibus ſunt omninò exempti.

136 Quod adeò certum eſt, ut abſolutè afferat *Rebell.* 1. *p. lib.* 2. *quæſt.* 12. *n.* 26., à quo non multùm differt *Molin. tom.* 3. *diſp.* 747. *n.* 3. & conſentit. *Nogueyr. n.* 285. Renuente inventore, qui peccavit mortaliter, tradere inventa illis, quibus ab Epiſcopo tradi præcipitur, poſſe dimitti à Confeſſario Regulari, ut, facta prius debita deligentia, diſtribuat pauperibus, & revertatur: factaque diſtributione, poteſt abſolvi à Confeſſario Regulari, præcepto Epiſcopali circà diſtributionem, & modum eam faciendi, non attento.

137 Quæres ſecundò. An incurrat reſervatum, qui apud ſe retinet ſervos fugitivos, vel á dominis ſuis abſentes, vel furto ablatos? Indubitata eſt reſolutio affirmativa, conſtat enim expreſſè ex *Conſtit.* ibi: *Neſte cazo ſe comprehende reter em ſeu poder eſcravos fugitivos, ou que ſe apartaraõ de ſeus ſenhores, ou furtados.* Fundatur Conſtitutio in eo, quod ſervi ſint res ſua dominorum ſuorum, ſicut res aliæ inanimatæ, quæ conſtituunt quartam differentiam retinendi rem alienam, de qua ſuprà n. 126. Quarè retinere ſervos alienos, quocumque modo ex aſſignatis, ad retentionem rei alienæ reduxit legislator, & in præſenti caſu voluit comprehendi jure optimo; quià nimirum qui ſic retinet ſervos, verè retinet res alienas.

138 Quæres tertiò. Quando incurrat reſervatum prædictus retentor? An ſtatim, ubi primùm admittit, & apud ſe retinet ſervos alienos; an potiùs poſt longum tempus ſuæ retentionis? ℞. reſervatum incurrere, ubi primùm ex retentione infert damnum grave; & non anteà. Ratio eſt: quia ad reſervationem incurrendam requiritur peccatum grave, cùm venialia de facto non reſerventur, ut ſupra diximus n. 14.: ergò qui apud ſe retinet ſervus alienos quocumque modo ex aſſignatis, tantummodò incurrit reſervatum, poſtquam ex retentione ſua infertur damnum grave ſervorum dominis.

139 Hoc autem regulandum eſt juxtà quotidianum lucrum, quod ſervus retentus domino ſuo acquirere poteſt, quod tamen non eſt, nec eſſe poteſt idem in omnibus, ſed diverſum, & variabile juxtà naturalem induſtriam, aut officium ſervi retenti. Unde ſiquis apud ſe retineat ſervos alienos modo dicto per unum, vel alterum diem, aut quandiù illorum dominis illatum non ſit damnum grave, non habebit reſervatum.

140 Quæres quartò. An habeat reſervatum, qui apud ſe retinuit dictos ſervos per longum tempus, & ex tali retentione intulit damnum grave; ſed tamen, cùm ad Confeſſionem accedit, jam apud ſe non retinet dictos ſervos? ℞. affirmative. Ratio eſt: quià de hac retentione ſervorum idem dicendum eſt, quod de retentione rei alienæ, cujus explicationem jam dedimus; nam ſub eodem caſu retentionis rei alienæ, hæc retentio ſervorum comprehenditur; ſed inventor rei alienæ, qui eam occupavit cum peccato mortali ſine animo reſtituendi habet peccatum reſervatum juxtà *Abreu cit.* & alios communiter etiam ſi accedat ad cõfeſſionem, poſtquam talem rem conſumpſit, deſtruxit, vel aliàs jam diſtraxit: ergò idem dicendum de retentione ſervorum. Et hujus ul-

tima ratio eſt : quià in præſenti retinere ſumitur moraliter, non phyſice; qui enim rem obnoxiam reſtitutioni conſumit, deſtruit, vendit, vel aliás diſtrahit, moraliter retinet, quatenus moraliter non ceſſat ab injuſta prima rei uſurpatione. Unde habet reſervatum, qui ſervos alienos retinet moraliter; quamvis non retineat phyſice, quia reſervatio ideo fit, ut quis ſolvendo debitum à retentione morali ceſſet.

141 Quæres quintò. An reſervatum habeat, qui vendit, aut emit Indos Braſilos, ut fiant ſervi, & mancipia, vel ob alios fines injuſtos, vel ut ſibi coacti inſerviant: idque ſive Indi fuerint baptiſati, & chriſtiani, ſive pagani, & non baptiſati? Certa eſt reſolutio affirmativa. Conſtat enim expreſſè ex *Conſtit.* ibi: *E tambem a compra, ou venda dos Indios, que ſaõ livres, quando os captivaõ para os fazerem eſcravos, ou para outros fins injuſtos, ou para ſe ſervirem delles; e iſto ſe reſerva, ou os Indios ſejaõ bautizados, ou naõ.*

142 Fundatur Conſtitutio in eo, quòd ſit graviſſimum peccatum vendere, aut emere dictos Braſilos, quorum *non bene pro toto libertas venditur auro*; quia ſcilicet Indi Braſili nunquàm potuerunt, nec poſſunt in ſervitutem redigi, ut conſtat ex iterata declaratione Pauli III. apud *Avendan. in Theſaur. Indic. tit.* 1. *n.* 99. adjicientis pœnam excommunicationis latæ ſententiæ ſibi reſervatæ, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, atque etiam ex repetitis Regum noſtrorum prohibitionibus, de quibus videri poſſunt *Molin. tract.* 2. *diſp.* 32. *Rebel. part* 1. *lib.* 1. *quæſt.* 10. *Solorzan. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 75. *& lib.* 3. *cap.* 6. *à n.* 28. *& cap.* 7. *n.* 56. *& in Politic. lib.* 2. *cap.* 1. *apud Avendan.* proximè.

SECTIO XIII.

Quid reſervetur in Braſilia per excommunicationem maiorem à jure, vel ab homine, alteri non reſervatam?

143 Nonus, & ultimus caſus, qui in Braſilia reſervatur, ſic habet: *Excõmunhaõ mayor à jure, vel ab homine, que naõ ſeja reſervada a outrem.* Pro pleniori hujus caſus perceptione recolenda hic ſunt, quæ de excommunicatione maiori diximus lib. 4. *Braſil. Pontific. n.* 139.

144 Addendum tamen, quid ſit excommunicatio maior à jure? Quid excommunicatio maior ab homine? Excommunicatio maior à jure illa dicitur, quæ in jure Canonico continetur, & fertur per modum legis, ſeu Statuti generalis perpetui. Excommunicatio verò maior ab homine illa eſt, quæ á judice Eccleſiaſtico fertur per modum mandati, aut ſententiæ temporariæ. Ita cum communi *Bonacin. diſp.* 1. *de cenſur. quæſt.* 1. *punct.* 1. *n.* 5.

145 Quæres primò. Quid reſervent Epiſcopi, quando ſibi reſervant excõmunicationem á jure, alteri non reſervatam? Ratio dubitandi oritur ex Decreto Sacræ Congregat. de mandato Clement VIII. quod affert *Barboſ de poteſt. Epiſcop. part* 3. *allegat.* 50. *num.* 288. ubi ſic.: *Videant ipſi Ordinarii, nè illos caſus promiſcuè reſervent, quibus annexa eſt excommunicatio maior à jure impoſita, cujus abſolutio nemini reſervata ſit,*

ſit, niſi fortè propter frequentiam, ſcandalum, aut aliam neceſſariam cauſam, aliqui hujuſmodi caſus nominatim reſervandi viderentur. Ex tali igitur decreto conſtat non poſſe Epiſcopos (ſaltem licitè) ſibi reſervare indiſcriminatim omnes excommunicationes in jure communi latas, & nemini reſervatas. Non obſtante tali decreto

146 ℞. poſſe Epiſcopos ſibi reſervare prædictas excommunicationes; tùm quia DecretumSacræ Cõgregat. quamvis moneat Epiſcopos, non tamen prohibet, ne ipſi earum abſolutionem ſibi reſervent, ut cùm *Bordon. tom.* 1. *reſolut.* 6. *n.* 17. notat *Nogueyr. in Bull. Cruciat. diſp.* 18. *ſect.* 9. *n.* 204. tùm quia dictæ excommunicationes à pluribus Epiſcopis de facto reſervantur. Non eſt autem credibile id fieri illicitè, & abſque juſta cauſa, cùm potiùs, ea ſuppoſita, in eodem Decreto Sacræ Congregat. relinquatur locus, & facultas Epiſcopis, ut poſſint reſervare, ibi: *Niſi fortè propter frequentiam, & ſcandalum, aut aliam neceſſariam cauſam.* Accedit, quòd reſervatio Epiſcopalis non ſit in deſtructionem, ſed in ædificationem, ut notat *Nogueyr. n.* 203.

147 Quæres ſecundò. Quid reſervent Epiſcopi, quando ſibi reſervant excommunicationem ab homine? ℞. reſervare excommunicationes ab homine latas per ſentẽtiam generalem, quæ nulli reſervantur, quod fit, quando in ſententia excommunicationis nullus excommunicatus exprimitur, nec nominatim declaratur; quià tunc á tali excommunicatione, cùm nemini reſervetur, poſſet quilibet Confeſſarius Braſilienſis abſolvere, niſi Braſiliæ Epiſcopi eam ſibi reſervarent in præſenti Conſtitutione.

148 Secus, quando in ſententia fertur excommunicatio ab homine contrà aliquem ſpecialiter, & expreſſo nomine; quia tunc taliter excommunicatus ab illo debet abſolvi, à quo ipſa excommunicatio fuit impoſita, vel ab ejus ſucceſſore, vel á quocumque alio, qui habeat poteſtatem delegatam. Sic cum *Vaſq. Valent. Coninch. Avil. Bonac. Abr. de Paroch. lib.* 10. *n.* 335. *& Nogueyr. n.* 206. Tandem pro complemento præſenti Sectionis notandæ ſunt tres exceptiones.

149 Exceptio Prima. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, non ſatifacit præcepto annuæ Cõfeſſionis, ut conſtat ex propoſit. 14. ab Alexand. VII. damnata, die 24. Septemb. ann, 1665. & prætereà incurrit excommunicationem majorem, ut conſtat ex *Cõſtitutionib. Bahienſ. lib.* 1. *tit.* 36. *num.* 143. Verùm ab hujuſmodi excommunicatione poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere, ut dicitur loc. cit. *Conſtit. Bahienſ.* quod idem eſt, ac dicere hujuſmodi excommunicationem non eſſe reſervatam in Braſilia.

150 Exceptio Secunda. Quamvis ille, qui non confitetur in Quadrageſima uſque ad Dominicam in Albis incluſivè, incurrat excõmunicationem majorẽ in *Conſtit. Bahienſib. lib.* 1. *tit.* 36. *num.* 140. tamen excipiuntur ibidem n. 141. mares uſque ad decimum quartum, & fœminæ uſque ad decimum ſecundum ætatis ſuæ annum, qui omnes, licet non confiteantur perdictum tempus, non incurrunt excõmunicationem, & poſſunt á quocumque Confeſſario abſolvi.

151 Ex-

151 Exceptio Tertia. Qui tempore Quadrageſimæ uſque ad Dominicam in Albis incluſive vagantur extra propriam Parochiam, ſi poſtea in eam revertantur poſt tale tempus, non incurrunt excommunicationem, niſi poſtquam complentur viginti dies à ſua reverſione in Parochiam. Idem conceditur illis, qui juſtam cauſam habuerunt non implendi præceptum Confeſſionis intra tale tempus. *Conſtit Bahienſ lib.* 1. *tit.* 37. *n.* 146.

152 Eo autem ſpatio vinginti dierum elapſo, ſi prædicti non confiteantur, nec juſtam cauſam probent ſuæ omiſſionis, tunc incurrunt excommunicationem, á quà nullus Confeſſarius, niſi de Prælati licentia, vel ex alio privilegio, abſolvere poteſt. *Conſtit. Bahienſ. loc. cit.*

153 Apponendus hic erat catalogus omnium excommunicationum, quæ tùm à jure communi, tùm á *Conſtitutionibus Bahienſibus* inveniuntur latæ: ab hujuſmodi tamen abſtinemus; quia omnes, & ſingulæ hujuſmodi excommunicationes videri poſſunt apud *Cõſtit. Bahienſ. lib.* 5. *à num.* 1085. uſque ad *n.* 1195.

SECTIO XIV.

Qui ſint exempti á Braſiliæ reſervatis?

154 EXpoſitis caſibus, qui in Braſilia reſervantur, ſupereſt, ut primò ad perſonas, quæ ab illis eximuntur, deinde ad perſonas, quæ illis ſubjacent: poſtremò ad perſonas, quæ ab illis poſſunt abſolvere, deveniamus, ac per tres Sectiones abſolvamus.

155 Quæres igitur primò. An Sacerdotes, qui frequenter celebrant, ſint exempti à Braſiliæ reſervatis? ℞. affirmativè, ſi unam excipiamus excommunicationem. Itá expreſſè in *Conſtit. Bahienſ. lib.* 1. *tit.* 35. *num.* 138. ubi habentur hujuſmodi ampliſſima verba: *E os Sacerdotes, que por obrigaçaõ, ou devoçaõ celebraõ frequentemente, ſe confeſſaraõ de oito em oito dias, ainda que naõ tenhaõ conſciencia de peccado mortal. E para que o poſſaõ mais facilmente cumprir, lhes damos licença para livremente eſcolher Confeſſor Secular, ou Regular, que em algum Biſpado eſteja actualmente approvado, ou que foſſe huma vez approvado neſte Arcebiſpado, com licença paſſada in ſcriptis para ouvir cõfiſſoens, poſto que no tal tempo ſe lhe tenha já acabado a licença, que tinha; naõ tendo porém canonico impedimento, ou outra probibiçaõ, pela qual razaõ naõ poderaõ eſcolher o que foy reprovado: e ao tal Confeſſor eſcolhido pelos Sacerdotes na forma aſſima ditta, damos licença para os poder abſolver de todos os peccados, ainda que ſejaõ a nós reſervados, excepto da Excommunhaõ mayor, porque neſte cazo os abſolverá, quem para iſſo poder tiver.*

156 Inferes! Ergo Sacerdotes, qui non celebrant frequenter, non eximuntur á Reſervatis. Probatur illatio; quia reſervatio tollitur reſpectu Sacerdotum, qui frequenter celebrant, ibi in *Conſtit*: *E os Sacerdotes que por obrigaçaõ, ou devoçaõ celebraõ frequentemente.* Imo ideò tollitur reſervatio, ut Sacerdotes frequenter celebrare poſſint, ibid. *E para que o poſſaõ mais facilmente*

te cumprir: ergò Sacerdotes, qui non celebrant frequenter, non eximuntur á reſervatis.

157 ℞. etiam Sacerdotes, qui non celebrant frequenter eſſe exẽptos á Braſiliæ reſervatis. Ratio eſt primò: quiá dicti Sacerdotes non excludũtur in *Conſtit*: ergò neque nos excludere debemus. Ratio eſt ſecũdò: quia exceptio pro Sacerdotibus facta in *Conſtitut.* eſt favor, gratia, & beneficium Principis: favor autem, gratia, & beneficium Principis ſunt latè interpretanda. Cap. *In his* De privil & Cap. *Olim* ubi *gloſſ.* fin. & *Abb. num.* 1. De verb. ſignificat.

158 Quæres ſecundò. An ſervi ſint exempti á Braſiliæ reſervatis? Reſolutio affirmativa. Conſtat expreſſè ex *Conſtit. Bahienſ. lib.* 1. *tit.* 44. *n.* 177. ibi: *Pelo que conformando-nos com a diſpoſiçaõ do Sagrado Concilio Tridentino, reſervamos para nós, e a noſſos ſucceſſores a abſolviçaõ dos caſos, e peccados ſeguintes, (reſervados) naõ ſendo commetidos por eſcravos, que a reſpeito deſtes levantamos a reſervaçaõ.*

SECTIO XV.

Qui ſubjaceant Braſiliæ reſervatis.

159 QUæres primò. An Peregrinus ſubjaceat Braſiliæ reſervatis? ℞. affirmative cũ *Soar. Lug. Villalob. Dian.* & aliis, quos citant, & ſequuntur *Salmantic. tom.* 1. *Theolog. Moral. tract.* 6. *de Sacram. Pœnit. cap.* 13. *punct.* 3. *num.* 26. Ratio eſt: quià reſervatio, cùm ſit ſubtractio juriſdictionis, reſidet in confeſſario: ergò ſi Confeſſarius in Braſilia, ubi Peregrinus confitetur, non habeat juriſdictionem ad abſolvendum à reſervatis, illis ſubjacet peregrinus.

160 Quod verum eſt, ſive reſervatum, quod peregrinus confitetur commiſſum fuerit intra Braſiliam, ſive extra illam. Sicut è contrà; ſi peccatum, quod peregrinus confitetur, ſit reſervatum extra Braſiliam, & in loco, è quo diſceſſit, cùm in Braſiliam venit bona fide, & ſine dolo; non autem ſit reſervatũ in Braſilia, tunc poteſt peregrinus abſolvi à confeſſario, non habente juriſdictionem ad reſervata illius loci, è quo peregrinus diſceſſit, cùm in Braſiliam venit. Ità *Paludan. Caetan. D. Antonin.*, quos affert, & ſequitur *Soar. diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 4. *Henriq. Dian.* & alii, quos citat, & ſequitur *Lug. diſp.* 20. *ſect.* 5. *n.* 71. *Præpoſit. Bonacin.* & alii, quos adducunt, & ſequuntur *Salmantic. cit. num.* 24. Ratio eſt: quiá in caſu propoſito poteſt ſe gerere peregrinus, ſicut alii, qui ſunt incolæ Braſiliæ, & nullis, niſi Braſiliæ reſervatis, ſubjacent, & ita in uſu, & praxi ſervatur: nec enim cõfeſſarii dum peregrinos audiunt, ſolliciti ſunt interrogare, nec ſcire tenentur, aut commodè poſſunt, ſiqui caſus ſint in eorum patria reſervati: ergò peregrinus, qui reſervatum habebat in loco, è quo diſceſſit bona fide, poteſt hic, ubi tale reſervatum non eſt, à quocumque confeſſario abſolvi.

161 Quæres ſecundò. An Indi ſubjaceant Braſiliæ reſervatis? Dico primò. Indi, qui ſunt ſubditi Epiſcoporum, ſubjacent Braſiliæ reſervatis. Ratio eſt: quià lex reſervationis comprehendit omnes Epiſcoporum ſubditos, qui in tali lege

lege non ſunt ſpecialiter exempti; ſed Indi in lege reſervationis non ſunt ſpecialiter exempti; nulla enim in *Conſtit. Bahienſ.* viſitur clauſula, quæ Indos eximat á reſervatione incurrenda: ergò Indi, qui ſunt ſubditi Epiſcoporum ſubjacent Braſiliæ reſervatis.

162 Dico ſecundò Indi, qui non ſunt ſubditi Epiſcoporum, eorum reſervatis non ſubjacent. Ratio eſt: quià reſervatio non in alios, quam in ſubditos fertur, ut dicitur in *Trident. Seſſ.* 14. *cap.* 7: ergò Indi, qui non ſunt ſubditi Epiſcoporum, eorum reſervatis non ſubjacent.

163 Dico tertio. Indi, qui jure belli fiunt ſervi, ſunt exempti à Braſiliæ reſervatis. Ratio eſt: quià *Conſtitutio Bahienſis* ubi ſupra num. 158. ſervos liberat à reſervatis, quin diſtinguat inter ſervos à nativitate, & ſervos jure belli: ergò Indi, qui jure belli aliquando fiunt ſervi juxtà *Ordinat. Reg.* eò ipſo fiunt liberi à Braſiliæ reſervatis, ſicut alii ſervi, qui tales ſunt à nativitate.

SECTIO XVI.

Quis poſſit abſolvere à Braſiliæ reſervatis?

164 IMprimis citra controverſiam eſt, eum, qui caſus reſervat, poſſe ab illis abſolvere; nam reſervatio eſt ſubtractio juriſdictionis: habet ergò ille, qui reſervat, juriſdictionem in ſe ſufficientem ad dandam, & tollendam aliis, ac per conſequens ad abſolvendum à reſervatis ſuis.

165 Indubitatum quoque eſt, poſſe illum, qui in eo genere, & foro ſuperior eſt reſervante, ſimiliter abſolvere à peccatis, quæ á ſuo inferiori reſervantur, quia quidquid inferior Prælatus poteſt, poteſt etiam qui in eodem genere, & foro, illi præfertur, cùm non ſolùm æqualem, ſed maiorem juriſdictionem habeat reſpectu ſubditorum. Sic Papa abſolvere poteſt à reſervatis Epiſcopo, Generalis à reſervatis Provinciali, & ſic de aliis.

166 Dicitur: *in eodem genere, & foro*, ad quod ſcilicet pertinet reſervatio; quia ſi ſuperioritas eſſet in alio genere, & foro, non ſufficeret ad abſolvendum à peccatis, etiam Prælato inferiori reſervatis. Sic, ut notant *Soar. diſp.* 30. *ſect.* 1. *num.* 1. & *Granad. tract.* 10. *diſp.* 7. *num* 2. Archiepiſcopus non poteſt abſolvere à reſervatis Epiſcopo; quia non habet immediatam juriſdictionem in Diæceſibus ſuffraganeorum in hoc foro, niſi fortaſſè in actu viſitationis.

167 Unde deducitur nullum alium, præter dictos, qui ſit reſervante inferior, poſſe abſolvere à reſervatis, niſi de ipſius reſervantis licentia, vel virtute Cruciatæ, vel Jubilæi, vel hujuſmodi, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & abſolutionis irritæ, ac nullius, ut declaratur in *Conſtit. Bahienſ. lib.* 1. *tit.* 49. *num.* 178. ibi: *Dos quaes cazos* (reſervados) *naõ poderáõ abſolver os Parochos, e mais Cõfeſſores ſem noſſa eſpecial licença, ou de quem lha puder dar ſob pena de excommunhaõ maior, ipſo facto, alem da abſolviçaõ ſer nulla. Mas poderaõ abſolver de quaeſquer outros peccados a nós reſervados por direito, ou por coſtume.*

168 Quæſ-

168 Quæſtio modo eſt primò. An poſſit Braſiliæ Epiſcopus, qui reſervat, auditis ſolis reſervatis, pœnitentem abſolvere, & illum remittere ad inferiorem confeſſarium pro abſolutione non reſervatorum? ℞. negative. Ità *Caſtro Pal. Gabriel. Sylveſt. Vaſq. Reginald. Sayr. Card. de Lug.* & alii, quos refert, & ſequitur *Di Caſtilh. diſp.* 11. *dub.* 18. *num.* 317. & cum aliis *Bonac. diſp* 5. *quæſt.* 7. *pũct.* 5. §. 3. *Salmantic. tom.* 1. *Theol. moral. tract.* 6. *de Sacram. pœnit. cap.* 8. *punct.* 5. *à num.* 134. Ratio eſt: quià Confeſſionis integritas jure divino præcipitur: ſed non eſt ſufficiens cauſa, quæ ab hujuſmodi jure divino obſervando excuſet, continua Prælatorum occupatio, neceſſitas communicandi in ſubdito, & ſimiles, quæ á Patronis ſententiæ oppoſitæ allegantur apud *Salmantic. num.* 133: ergò Braſiliæ Epiſcopus, qui reſervat, non poteſt, auditis ſolis reſervatis, pœnitentem abſolvere, & illum remittere ad inferiorem confeſſarium pro abſolutione non reſervatorum.

169 Conſonat damnatio Pontificia Innocent XI. in propoſ. 59. nempè: *Licèt Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm Confeſſos ratione magni concurſûs pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus Feſtivitatis, aut Indulgentiæ*: nam ſi non licet confeſſionem dimidiare ratione magni concurſûs pœnitentium: cur licebit illam dimidiare ratione occupationum, quibus Prælati premuntur, cùm ipſi etiam à graviſſimis negotiis facilè ſe valeant expedire eo modo, quo dicetur numero ſequenti.

170 Quæſtio eſt ſecundò. An ſi pœnitens confiteatur Braſiliæ Epiſcopo reſervatum, Epiſcopus verò non abſolvat Sacramentaliter, ſed mittat pœnitentem ad inferiorem pro abſolutione Sacramentali obtinenda, tollatur reſervatio? ℞. affirmativè cùm *Soar. & Caſtro Pal.*, quos citant, & ſequuntur *Salmantic. citati cap.* 8. *punct.* 5. *num.* 68. Ratio eſt; quià illa Epiſcopi remiſſio ad inferiorem eſt tacita juriſdictionis delegatio.

171 Quæſtio eſt tertio. An ſi Epiſcopi delegato pœnitens confiteatur reſervatum, ipſe verò delegatus abſolutionem illius non præſtet, ſed alteri abſolutionem remittat, tollatur reſervatio? ℞. negativè cùm *Soar. Caſtro Pal: & Salmantic. num* 69. Ratio eſt. quia Epiſcopi delegatus non poteſt delegare juriſdictionem ad abſolvẽdum, ſicut poteſt Epiſcopus: ergò in caſu propoſito non tollitur reſervatio.

172 Quæſtio eſt quartò. An ſi Braſiliæ Epiſcopo pœnitens confiteatur, & ex oblivione invincibili prætermittat reſervatum, maneat liber à reſervatione? ℞. affirmativè cùm *Gabriel. Sylveſt. Covarruv. Navarr. Sà. Henriq. Coninch. Ledeſm.* & aliis, quos citant, & ſequũtur *Salmantic. cit. cap.* 13. *punct.* 3. 43. Ratio eſt primò: quià habens poteſtatem abſolvendi á reſervatis cenſetur velle pœnitentem à peccatis liberare quantùm poteſt; ſed Braſiliæ Epiſcopus poteſt à peccatis invincibiliter oblitis pœnitentem liberare quo ad reſervationem, quamvis illum non liberet ab obligatione ea peccata directe confitendi: ergò Braſiliæ Epiſcopus cenſetur id ipſum velle. Ratio eſt ſecundò: quià quando pœnitens expreſſè petit, &

Epiſcopus dare intendit abſolutionem adæquatè juxtà omnem poteſtatem, quam habet, verè tollitur omnis cenſura, & reſervatio: atqui ſemper cenſetur pœnitens ſaltem tacitè id petere, & Epiſcopus idem intendere, niſi oppoſitum exprimat: ergò ſemper per conſuetam abſolutionem tollitur omnis cenſura, & reſervatio, quæ ab Epiſcopo tolli poteſt.

173 Et hoc, ſive caſus reſervati habeant annexam cenſuram, ſive non. Ratio primi eſt: quia Epiſcopus abſolvens à peccatis priùs intendit, ſi licitè poteſt, pœnitentem à cenſura abſolvere, qua ligatus eſt; quia abſolutio cenſuræ abſolutioni Sacramentali præmittitur: ſublata ergò cenſura, tollitur quoque reſervatio peccati, cui erat annexa. Ratio ſecundi eſt: quia Epiſcopus cenſetur velle facere, quantum poteſt, & ideo dicitur tollere cenſuram, ubi adeſt cum reſervatione: ergò à fortiori dicendum velle tollere reſervationem, ubi adeſt ſine cenſura, cùm hoc ſit minus vinculum, & regulariter præſumatur levior caſus. Ita *Salmantic.* cit. *cap.* 13. *punct.* 9. *n.* 44.

174 Tradita doctrina extenditur ad Epiſcopi delegatos ad abſolvendùm à reſervatis. Ita *Coninch. Caſtro Palao* & *Avers.*, quos citant, & ſequūtur *Salmantic.citat. cap.* 13. *punct.* 3. *n.* 45. Ratio eſt: quià confeſſarius à pœnitente electus per jubilæum, aut per Bullam Cruciatæ, eſt mere delegatus, non potens delegare, nec alteri licentiam dare ad abſolvendum à reſervatis: & tamen tollit reſervationem mediante abſolutione indirecta à caſibus invincibiliter oblitis, ut etiam Authores partis adverſæ fatentur: ergò idem dicendum de Epiſcopi Braſilienſis delegato.

175 Id, quod dictum eſt de reſervatis invincibiliter oblitis, pariter aſſerunt *Salmantic. cit. n.* 46. de reſervatis ex neceſſitate, ſive ex juſta cauſa prætermiſſis v. g. ob vitandum grave damnum ipſius pœnitentis, vel alterius, quod ex talium reſervatorum confeſſione prudenter timeatur: pariter enim affirmant talium reſervatorum auferri reſervationem, ſicut invincibiliter oblitorum, ita ut poſſint talia reſervata cuilibet confeſſario poſtea aperiri: & ſimiliter affirmant auferri cenſurā per abſolutionē generalem cenſurarū ab Epiſcopo, vel ejus delegato datam. *Homobonus*, *Dian. de Lug.* & *Avers.*, quos afferunt, & ſequuntur *Salmantic. loc. cit.*

FINIS LAUS DEO,
Virginique Matri.

INDEX
RESOLUTIONUM, ET ALIARUM
Rerum, quæ in hoc volumine continentur.

L. librum deſignat, N. numerum marginalem.

ADVERTE TAMEN, LECTOR, IN HOC INDICE NON comprehendi caſus in Braſilia reſervatos, qui ad finem libri quarti appenduntur; quia cùm dicti caſus ſint ſuo ordine expoſiti, & peculiaribus ſectionibus diſtincti facile erit reperire, quidquid in unoquoque deſiderabitur.

A

ABBAS.

ABBAS, qui juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habet, poteſt benedicere paramenta eccleſiaſtica, & alia utenſilia ad ſacrificium Miſſæ neceſſaria, lib. 3. n. 69.

Abſens.

Abſentibus poteſt Epiſcopus Braſilienſis in articulo mortis indulgentiam plenariam concedere, lib. 3. n. 354.

Abſolvere.

Abſolvere poſſunt Braſiliæ Epiſcopi tam per ſe, quam per alios à quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis Papæ reſervatis, lib. 2. n. 137. Item à caſibus intra Bullam Cœnæ contentis ſemel in vita, & ſemel in morte: ab aliis verò caſibus Papæ reſervatis extra Bullam Cœnæ toties quoties. Ibid.

In articulo mortis quicumque Sacerdos poteſt abſolvere hæreticum, lib. 3. n. 247. Etiamſi in articulo mortis adſit Sacerdos habens omnia requiſita ad abſolvendum ab hæreſi, adhuc ſimplex Sacerdos poteſt tum validè, tum licitè ab illa abſolvere, lib. 3. num. 248.

Qualiter poſſit abſolvere Epiſcopus Braſilienſis ab hæreſi, apoſtaſia à fide, & à ſchiſmate? V. Epiſcopus Braſilienſis circa abſolutionem hæreſis, &c.

Abſolutio.

Abſolutio à reſervatis, vel excommunicatione quando licentia per internuntium fuit petita, & à ſuperiore jam conceſſa, licèt nuntius nondum redierit, eſt valida, lib. 1. num. 22. Uſus tamen talis licentiæ ante acceptam de illa notitiam, quamvis ſit validus, eſt temerarius, adeoque illicitus. Ibid.

Actiones.

Actiones leves externæ, quamvis ex affectu mortali procedant, non comprehenduntur ſub reſervatione alicujus delicti, lib. 3. num. 287.

Adamantes.

Adamantes Braſilici in territorio, vulgò *Serro do Frio*, jam antea inventi, noti tandem fuere, & vulgati ano 1730. lib. 1. n. 107.

Adjutor.

Adjutor dicitur, qui alteri cooperatur in aliquo miniſterio, ſeu functione, lib. 2. n. 205.

Advena.

Advena. V. Epiſcopus Braſilienſis circa abſolutionem à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis.

Adulterium.

Adulterium cum promiſſione matrimonii eſt impedimentum dirimens, lib. 2. n. 519. V. Crimen.

Ægrotus.

Ægrotus ſi petat extremam unctionem, tenetur Parochus ex juſtitia, & ſub mortali illam miniſtrare, lib. 3. num. 43. & illam miniſtrare debet, etiamſi ægrotus non petat, nec ullo ſenſu tunc utatur, lib. 3. num. 45. Ægrotus, qui caret organo ſenſuum, ungi debet in partibus proximioribus organo, quod non habet, lib. 3. num. 46.

Ætas ad ordines.

Tonſura, & Ordines minores dari non poſſunt ante uſum rationis, lib. 1. n. 237. Dari tamen poſſunt ſeptennio completo, lib. 1. n. 238. Ad Subdiaconatum requiritur 22. annus: ad Diaconatum 23. annus: ad Presbyteratum 25. annus, lib. 1. num. 239. Sufficit, quod prædicti anni ſint incepti, lib. 1. num. 240. Computandi ſunt à die nativitatis, etiam ſiquis naſcatur, cæſo matris utero, lib. 1. n. 241. Probabiliter non eſt curandum de die biſſexti, lib. 1. n. 242.

Ætas ad Ordines ſolùm eſt de jure eccleſiaſtico, lib. 1. n. 243. ſic, ſi Ordo pueris, furioſis, & amentibs, qui uſu rationis carent, conferatur, characterem in eorum animas imprimet. Ibid. An ſiquis Sabbato Sancto naſceretur anno, in quo Paſcha die 10. Aprilis caderet, poſſet, decurſis 24. annis, eodem die Sabbati ordinari, ſi in illo anno Paſcha incideret die 10. Aprilis? lib. 1. n. 245.

De jure non poſſunt Epiſcopi diſpenſare in ætate ad Ordines, lib. 1. n. 248.

Braſiliæ verò Epiſcopi poſſunt diſpenſare ſuper defectu ætatis unius anni ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, vel Presbiteratum indeterminatè, lib. 1. n. 251.

Ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent ſuper defectu ætatis unius anni ad Subdiaconatum, vel Diaconatum; vel Presbiteratum, requiritur operariorum penuria, lib. 1. n. 258.

Cum quibus perſonis poſſint Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in ætate ad Ordines? lib. 1. n. 262. Cum jam aliunde diſpenſato in uno ætatis anno poſſunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in alio ætatis anno, ita ut taliter ordinandus ad Ordines ſuſcipiendos accedat diſpenſatus in duplici ætatis anno, lib. 1. àn. 263.

Æthiopes.

Æthiopes Africani, Aſiatici, & Americani in ordine ad privilegia neophytorum participanda pro neophytis reputantur, lib. 2. n. 254.

Sunt diſpenſabiles in quibuſcumque conſanguinitatis, & affinitatis gradibus, jure Divino non prohibitis, primo excepto: & in omnibus aliis impedimentis, & attinentiis, ſeu conjunctionibus, in quibus neophyti ſunt diſpenſabiles, lib. 2. n. 252.

Tertius, & quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus apud illos ſunt extincti, lib. 2. an. 300. Excipitur, ſi 3. & 4. conſanguinitatis gradus ſint in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, lib. 2. n. 297. Non tamen excipitur, quamvis 3. & 4. gradus ſint in linea recta affinitatis, lib. 2. num. 298.

In 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus miſtim conjuncti, quamvis aliunde ſint conjuncti in 1. vel 2. gradu, non indigent diſpenſatione ad matrimonium contrahendum lib. 2. n. 299.

Quandiu extra regiones ultramarinas exiſtunt, privilegiis ultramarinis gaudent, lib. 2. n. 289. Quamvis extra regionis ultramarinas nati ſint, cum in Braſiliam veniunt, pro neophytis reputantur, lib. 2. n. 291.

V. Neophytus.

Affinitas.

Affinitas. V. Impedimenta matrimonii.

S. Aloyſius.

S. Aloyſius Gonzaga Scholarum Societatis JESU Patronus, lib. 3. num. 534. In Luſitania, ejuſque dominiis de illo ab omnibus recitatur, & dicitur Miſſa die 21. Junii ſub ritu duplici: ab illis verò, tum ſæcularibus, quam regu-

regularibus, qui gymnaſia Societatis frequentant, & ad Horas Canonicas tenentur, poteſt de eodem recitari, & Miſſa diei ſub ritu duplici primæ claſſis cum octavario. Ibid.

Altare.

Altare dicitur quaſi Alta Ara, & ſignificat illam aram, in qua Miſſa celebratur, lib. 4. n. 228. aut eſt ſtabile, ſeu fixum, aut portatile. Ibid. Fixum eſt tota illa menſa, in qua Miſſa dicitur, ſive tota ſit lapidea, ſive partim lapidea, & partim lignea. Ibid.

Altare portatile eſt lapis ille, qui vulgò dicitur *Pedra d'Ara.* Ibid. Lapis ille debet eſſe ſacratus. Ibid, & tantæ capacitatis, ut calicem, & hoſtiam capere poſſit, lib. 4. n. 229. In petra Aræ enormiter fracta non licet celebrare, lib. 4. n. 230. illa verò Ara dicitur enormiter fracta, quæ in reſiduo calicem, & hoſtiam non capit, lib. 4. n. 231. Si totum altare fuerit lapideum, & conſecratum, ſuperflua eſt petra Aræ. Ibid.

In conſecratione petræ Aræ debent de more poni reliquiæ Sanctorum, lib. 4. num. 332. non autem de ſubſtantia ejus conſecrationis, lib. 4. n. 233. Sic non peccat, qui altare ſive fixum, ſive portatile conſecrat ſine reliquiis Sanctorum, modo abſit contemptus, lib. 4. n. 235. Unde non tenetur Sacerdos explorare, an in altari, in quo celebrat, ſint reliquiæ lib. 4. num. 236.

Dupliciter ſumi poteſt altare portatile, lib. 3. n. 452. Epiſcopus uti poteſt altari portatili etiam extra propriam Diœceſim, lib. 3. n. 454. In quocumque decenti loco, dum iter facit, celebrare poteſt in altari portatili, lib. 3. n. 455. Illo uti poteſt ex ſola commoditate, lib. 3. n. 457.

Anima.

Quid anima in Purgatorio detenta patiatur, lib. 3. *num.* 409. In Purgatorio non torquetur à dæmonibus, lib. 3. num. 410. Pia fidelium opera juvant animam defuncti per modum ſuffragii, lib. 3. n. 418.

Indulgentia pro anima defuncti applicata illi juxta ſententiam probabilem infallibiliter prodeſt, lib. 3. n. 424. Tres conditiones requiruntur ex parte offerentis, ut ſuffragia animabus defunctorum proſint, lib. 3. n. 425. Quænam verò conditiones requirantur ex parte animæ, ut ſuffragia illi proſint, lib. 3. n. 430.

Miſſa non ſolum eſt ſatisfactoria pro animabus Purgatorii, lib. 3. n. 435. ſed etiam impetratoria, lib. 3. num. 436. Valor Miſſæ animabus Purgatorii prodeſt ex opere operato, lib. 3. n. 439. & ex opere operantis, lib. 3. n 441. V. Miſſa, & Epiſcopus Braſilienſis circa Miſſam.

Annus.

Per occaſionem anni ſancti non eſt prætermittendum jubilæum 40. horarum in Eccleſiis Societatis, lib. 3. num. 378. Idem dicendum de jubilæo in Dominicis ſingulorum menſium, lib. 3. n. 379.

Annus incœptus habetur pro completo lib. 4. n. 207.

Apoſtaſia à Fide.

Apoſtaſia à Fide diſtinguitur ab hæreſi in eo, quòd hæc ſit contraria alicui tantum veritati fidei Catholicæ, illa verò omnibus fidei articulis, lib. 3. num. 204. Definitur: Error voluntarius, & pertinax contra omnem veritatem, & doctrinam fidei Chriſtianæ in eo, qui fidem ſuſcepit, lib. 3. num. 213. Juxta ſententiam probabilem differt ſpecie ab hæreſi, lib. 3. num. 214. & juxta aliam ſententiam etiam probabilem ſolum differt ſecundum magis, & minus. Ibid.

Ab illa poteſt Epiſcopus Braſilienſis abſolvere, ſive ſit occulta, ſive publica, lib. 3. n. 255. Hæc poteſtas non ſolùm extenditur ad omnes perſonas Eccleſiaſticas tam ſæculares, quam regulares, lib. 3. n. 258. ſed etiam ad omnes perſonas laicas tam ſæculares, quam regulares, lib. 3. n. 260. & hoc ignorantibus, aut etiam invitis Superioribus regularibus, lib. 3. n. 262. Si Epiſcopus Braſilienſis incidat in apoſtaſiam, poteſt alteri da-

re facultatem, ut ipſum Epiſcopum abſolvat, lib. 3. n. 263.

Apoſtata.

Apoſtata ſubjacet eiſdem pœnis, quibus ſubjacet hæreticus, lib. 3. num. 229. Quænam ſint hæ pœnæ, V. Pœna.

Epiſcopus de jure non poteſt abſolvere ab hæreſi, quam incurrit apoſtata, ſi ſit publica, lib. 3. n. 233. Idem dicendum de Prælatis regularibus per ordinem ad apoſtatas ſæculares, lib. 3. n. 238.

Aqua benedicta.

Aqua, cum qua reconciliatur Eccleſia non conſecrata, ſufficit, quòd ſit benedicta à ſimplici Sacerdote, lib. 3. num. 100. Illa verò, cum qua reconciliatur Eccleſia conſecrata, à quolibet Epiſcopo benedici poteſt, lib. 3. num. 106.

Aqua, qua ſimplex Sacerdos extra caſum neceſſitatis Eccleſiam conſecratam reconciliat, debet eſſe benedicta ab Epiſcopo, lib. 3. n. 114. Aliter dicendum in caſu neceſſitatis, lib. 3. n. 115. in caſu enim neceſſitatis debet eſſe ab ipſo Sacerdote, non communiter, ſed ſolemniter benedicta, lib. 3. n. 118.

Arbitrium.

Arbitrium prudens regulari debet ſecundum rectam rationem, lib. 4. n. 362. quod ſemper intelligitur, quando aliquid arbitrio alicujus relinquitur. Ibid.

Arbor.

Arbor multiplex pro diſtinguendis conſanguinitatis, & affinitatis gradibus ſimplicibus, & miſtis lib. 2. à num 386.

Archiepiſcopus.

Archiepiſcopus. Vide Epiſcopus.

Articulus.

In articulo mortis poteſt Epiſcopus Braſilienſis concedere indulgentiam plenariam omnibus Chriſti fidelibus, lib. 3. num. 345. non tamen hæreticis, apoſtatis, & ſchiſmaticis, lib. 3. n. 347. Vide Mors.

Artifex.

Artifices ubi conſueverunt Miſſam audire notabiliter ante auroram, poterit ibi Miſſa celebrari notabiliter ante auroram, lib. 4. n. 210.

Aſſeſſor.

Aſſeſſor communiter dicitur, qui alteri comes adjungitur, ut ei conſilium præſtet in aliqua reſolutione, ſeu diſpoſitione facienda, lib. 2. n. 205.

Aſtrologia.

Aſtrologia judiciaria eſt prohibita, lib. 4. num. 24. Qui ſint libri, qui de Aſtrologia judiciaria tractare dicuntur. Vide Liber.

Aurifodinæ.

Aurifodinæ Braſilicæ, vulgò *Minas Geraes*, fuerunt repertæ anno 1698. lib. 1. n. 108. Ab Excellentiſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Fr. Antonio de Guadalupe primum viſitatæ anno 1726. lib. 1. n. 107.

Aurora.

Aurora dicitur tempus illud, in quo incipit clareſcere, ſeu quo incipiunt remitti noctis tenebræ ante ortum Solis, lib. 4. n. 206. Non eſt computanda mathematicè, ſed moraliter. Ibid.

B

BACCHANALIA.

BACCHANALIA. V. Indulgentia, Oratio 40. Horarum. Societas JESU.

Balſamum.

Balſamum eſt neceſſarium non neceſſitate ſacramenti, ſed neceſſitate præcepti ad Chriſma conficiendum, lib. 3. n. 6. Prædicta neceſſitas non eſt ex præcepto purè eccleſiaſtico, ſed divino Chriſti, lib. 3. n. 7.

Baptiſmus.

Baptiſmus iteratus inducit irregularitatem, lib. 1. n. 171.

Benedicere.

Benedicere Oleum infirmorum cum cæremoniis, quæ in Pontificali Romano præſcribuntur, pertinet ad Epiſcopum, lib. 3. n. 3. Etiam illud poteſt

poteſt benedicere ſimplex Sacerdos juxta ſententiam probabilem, lib. 3. n. 4. Olea ſacra benedicuntur, aſſiſtentibus duodecim Sacerdotibus, ſeptem Diaconis, ſeptem Subdiaconis, Acolythis &c. lib. 3. n. 9. Tria olea, nimirum Infirmorum, &c. ab Epiſcopo benedicuntur feria quinta in Cœna Domini, lib. 3. n. 13.

Benedicere olea ſacra cum paucioribus Sacerdotibus, quam duodecim, conceditur Epiſcopis Braſilienſibus, lib. 3. n. 14. etiam extra diem Cœnæ Domini, lib. 3. n. 16. & in quocumque die tam feſto, quam non feſto, lib. 3. n. 17.

Benedicere paramenta, & alia utenſilia ad ſacrificium Miſſæ neceſſaria poteſt Epiſcopus, lib. 3. n. 64. Hanc facultatem benedicendi paramenta, &c. poteſt Epiſcopus delegare ſimplici Sacerdoti, lib. 3. n. 66.

Epiſcopis Braſilienſibus conceditur facultas delegandi poteſtatem benedicendi paramenta, &c. non ſolum abſque limitatione perſonarum, lib. 3. num. 80. ſed etiam abſque limitatione temporis, lib. 3. n. 81.

Benedicere paramenta, &c. poſſunt Abbates, qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & omnes alii Prælati regulares, tam Generales, quam Provinciales, lib. 3. n. 69. quinimmò Rectores Collegiorum Societatis, & Domorum Præpoſiti, lib. 3. n. 70. & hoc non ſolùm ad uſum ſuarum Eccleſiarum, ſed etiam aliarum quarumcumque, lib. 3. n. 73. Hanc facultatem benedicendi paramenta, &c. delegare poſſunt non ſolum ſuis ſubditis, lib. 3. n. 74. ſed etiam alteri cuicumque Sacerdoti non ſubdito, lib. 3. num. 75.

Beneficium.

Beneficium ſimoniace obtentum, & fructus ex illo percepti reſtitui debent, lib. 1. n. 347. V. Simonia.

Beneficium eccleſiaſticum inſtituitur primariò, & principaliter ad utilitatem Eccleſiæ, lib. 4. num. 108. ſecundario verò; & minus principaliter in præmium eorum, qui ob virtutem, & ſtudia ſunt de Eccleſia benemeriti, lib. 4. à n. 108.

Bigamia.

Bigamia eſt reiteratio matrimonii conſummati, lib. 1. num. 202. Triplex eſt, vera, interpretativa, & ſimilitudinaria, lib. 1. n. 203. Bigamus eſt irregularis, lib. 1. n. 202. Bigamus quis ſit? lib. 1. n. 204. Quoad effectum diſpenſationis tam bigamus eſt, qui cum pluribus uxoribus, quam qui cum duabus tantum matrimonium conſummavit, lib. 1. n. 205.

Bigamus interpretative dicitur, qui duas habuit uxores, unam legitimam, & alteram invalidè, ſi cum utraque conſummavit, lib. 1. n. 206. Secus, ſi matrimonium fuiſſet nullum defectu conſenſus. Ibid.

Non eſt bigamus primò, qui duo matrimonia contraxit, ſed utrumque invalide, lib. 1. n. 207.

Secundò, qui uxorem prius à ſe ipſo defloratam ducit, lib. 1. n. 208.

Tertiò, qui cognoſcit uxorem vi, fraude, aut dolo oppreſſam ab adultero. Ibid.

Quartò, qui, pendente lite de adulrerio uxoris, illam, jubente judice, cognoſcit. Ibid.

Quintò, qui recipit uxorem ſuam, quæ ex falſa ipſius mortis fama ſecundas nuptias inierat. Ibid.

Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare in bigamia ſimilitudinaria, lib. 1. num. 209. Poſſunt etiam diſpenſare in bigamia vera, ſi præciſa neceſſitas operariorum fuerit, lib. 1. n. 210. Secus, ſi præciſa neceſſitas operariorum non fuerit. Ibid.

Braſilia.

Braſiliæ coloni non ſunt ex locis, ubi ſanctum Officium exercetur, lib. 3. n. 266. Qui Braſiliam veniunt, v. g. cauſa mercaturæ exercendæ, & ibi habitare incipiunt cum animo permanendi in perpetuum, vel ſaltem per maiorem anni partem, non cenſentur ex locis, ubi ſanctum Officium exercetur, lib. 3. n. 267. Idem dicendum non ſolum de illis, qui ex Africa, ejuſque Inſulis Braſiliam appel-

lunt, & hic habitant, etiam ad breve tempus, lib. 3. n. 268. ſed etiam de illis, qui ex Aſia, illiusque Inſulis Braſiliæ applicant, lib. 3. n. 269. Quoad effectum fruendi privilegii, Epiſcopis Braſiliæ conceſſi, non cenſentur ex locis, ubi ſanctum Officium exercetur, qui in claſſe annua, vel navigio ſolitario ex Luſitania venit animo non permanendi in Braſilia, lib. 3. n. 270.

In Braſilia non ſervantur lacticinia ex conſuetudine legitime introducta, lib. 4. n. 413. & 449.

Breve.

Breve Pontificium, quo Societati JESU conceditur jubilæum 40. horarum, lib. 3. num. 376. quo verò conceditur jubilæum in Dominicis menſium, lib. 3. n. 383.

Breve D. Nuntii Ulyſſiponenſis in favorem Provinciæ Paulopolitanæ in Braſilia circa edendum in diebus jejunii ſagimen, ſeu lardum porcinum, vulgò *manteiga, unto, ou banha de porco*, lib. 4. n. 453. interpretandum ad inſtar privilegii localis, lib. 4. n. 459.

Bulla.

Bulla Pii IV. ejuſque conceſſionis occaſio, lib. 2. à n. 107. Viget dicta Bulla, lib. 2. n. 106. Capitulum Braſilienſe, Sede vacante, ſuccedit in omnibus privilegiis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ultramarinis, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubjectis, in præfata Bulla conceduntur, lib 2. n. 108. Recenſentur Bullæ privilegia, lib. 2. à n. 137.

Bulla *Animarum ſaluti*, ſeu potius pars ejus, diſpenſationes matrimoniales neophytorum concernens, lib. 2. n. 252.

Bulla Cœnæ.

Excommunicationem in I. Canone Bullæ Cœnæ latam incurrit hæreticus internus, ſimul & externus, qui verbo, aut ſigno per ſe manifeſtat interiorem hæreſim, lib. 3. n. 231. Prædictam excommunicationem non incurrit, ſi hæreſim internam manifeſtat verbo, aut ſigno externo, quod de ſe non eſt peccatum grave, lib. 3. n. 234. & à fortiori ſi nec verbo, nec ſigno aliquo hæreſim manifeſtat, lib. 3. n. 235. Cæterum hanc excommunicationem incurrit hæreticus internus, ſimul & externus, ſed occultus per accidens; qualis eſt ille, qui in cubiculo ſuo v. g. nemine præſente, Chriſtum conculcavit, lib. 3. num. 236.

Epiſcopi de jure non poſſunt abſolvere ab hac excommunicatione, ſi hæreſis ſit publica, lib. 3. n. 237. Idem dicendum de Prælatis regularibus per ordinem ad hæreticos ſæculares, ſive illorum hæreſis ſit publica, ſive occulta per accidens, lib. 3. n. 238. Probabile eſt poſſe Epiſcopos poſt Bullam Cœnæ ex vi facultatis à Tridentino conceſſæ abſolvere ab hæreſi, & aliis criminibus occultis, lib. 3. num. 246.

Caſus reſervati intra Bullam Cœnæ, lib. 3. n. 292. Quinam poſſint ab his caſibus abſolvere. V. Societas JESU, Epiſcopus Braſilienſis circa abſolutionem à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis.

C

CALIX.

CALIX, qui prima miſſa non fuit purificatus, quando eâdem die celebratur in diverſis locis, ferri debet à loco primæ celebrationis ad locum, quo iterum celebrabitur, aut aſſervari in ſacrario, aut ablui, & ablutio in piſcinam projici, lib. 4. n. 204.

Capellanus.

Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, nec mortaliter peccat, ſi aliquando à ſuo munere abſtineat, nec tenetur per alium ſuæ obligationi ſatisfacere, lib. 4. n. 180.

Capellanus Oratoris Veneti ad Angliam ante ultimam revolutionem pluries in die celebrabat in Capella dicti Oratoris, lib. 4. n. 188.

Capitulum, Sede vacante.

Capitulum, Sede vacante, ſuccedit Epiſcopo in omibus, quæ ſunt juriſdictionis ordinariæ, lib. 1. n. 63.

Capitulum Braſilienſe, Sede vacante, ſuccedit in omnibus privilegiis, quæ Archiepiſcopis, & Epiſcopis transmarinis, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubjectis, in Bulla Pii IV. conceduntur, lib. 2. n. 108. Recenſentur Bullæ privilegia, lib. 2. a n. 137. Poteſt omnia, quæ unà cum Jeſuitis poteſt Epiſcopus circa neophytorum matrimonia diſpenſanda, lib. 2. num. 222. Vide Epiſcopus Braſilienſis.

Cardinales.

Cardinales, Sede vacante, circa libros prohibitos. V. Liber.

Carmina.

Carmina continentia caſus Sedi Apoſtolicæ reſervatos in Decretalibus, lib. 3. num. 289. In Clementinis, & Extravagantibus, lib. 3. n. 290. Extra corpus juris, & Bullam Cœnæ lib. 3. n. 291. Intra Bullam Cœnæ, lib. 3. n. 292.

Carnium eſus.

Carnium eſus prohibetur in diebus jejunii, lib. 4. num. 383. Primum indicium animalis carnei eſt, ſi poſſit diu vivere extra aquas, lib. 4. num. 385. Excipiuntur tamen primò teſtudines, ranæ, & limaces. Ibid. Secundò, viperæ lib. 4. n. 386. Tertiò, crocodilus Braſilus, vulgò *Jacaré*, lib. 4. à n. 397. Quartò, animal dictum *Iguana*, lib. 4. à n. 393. Quintò, animal dictum *Manatti*, lib. 4. n. 396. Sextò, canes aquatici, & lupi marini, lib. 4. n. 397. & 398.

Secundum indicium animalis carnei eſt, ſi animal ſit magis ſimile animalibus carnem habentibus, quam non habentibus, lib. 4. n. 387. Sic colubri, præſertim aquatici, non ſunt caro in jejunio prohibita. Ibid.

Tertium indicium eſt in dubio, an hoc animal conſtet carne, necne? lib. 4. n. 388. Sic crocodilus Braſilus non eſt caro in jejunio prohibita, lib. 4. à n. 397. neque *Iguana*, lib. 4. à n. 393. neque lacertus, Braſilice *Teyuguçû*, lib. 4. n. 399. nec etiam chamæleon. lib. 4. n. 400.

Nihilominus nomine carnium, quæ in jejunio prohibentur, veniunt primò aves aquaticæ, corvi marini, & ſimiles, lib. 4. n. 401. Secundò, cartilagines, nervi, & ſanguis animalium, quorum caro prohibetur, lib. 4. n. 402. Tertiò, jus ex carnibus, medulla, axungia, & pinguedo vi ignis nondum liquefacta, lib. 4. num. 403. & 404. V. Diſpenſatus in eſu carnium. Diſpenſandum in eſu carnium.

Caſtella.

In Caſtela, ejusque dominiis extat conſuetudo edendi in ſabbatis pecorum inteſtina, & extremitates, ſeu minuta, ut vocant, lib. 4. n. 381.

Caſus reſervati.

Caſus reſervati Sedi Apoſtolicæ in Decretalibus, lib. 3. num. 289. In Clementinis, & Extravagantibus, lib. 3. n. 290. Extra corpus juris, & Bullam Cœnæ, lib. 3. num. 291. Intra Bullam Cœnæ, lib. 3. n. 292. Quinam poſſint ab his caſibus abſolvere, V. Epiſcopus Braſilienſis circa abſolutionem à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Societas JESU.

Caſus in Braſilia reſervati. V. Appendix pro caſibus in Braſilia reſervatis, lib. 4. à n. 186.

Catalogus.

Catalogus Facultatum Braſiliæ Epiſcopis conceſſarum, lib. 1. à n. 1.

Catechumenus.

Catechumenus, qui jam in Chriſtum credidit, & fidem ſuſcepit, non tamen baptiſmum in re, ſi interea aliquem fidei articulum neget, reputatur hæreticus in foro interno, & apud Deum, lib. 3. n. 207. non tamen in foro externo, & apud homines, lib. 3. n. 203.

Cauſa.

Cauſa, quæ pro diſpenſationibus matrimonii impetrandis allegari ſolet, duplex eſt, altera finalis, impulſiva altera, lib. 2. n. 361. Finalis eſt, quæ movet animum diſpenſantis. Ibid. Impulſiva verò, quæ tantummodò facilitat, lib. 2. n. 362. In dubio, an cauſa allegata ſit finalis, an potius impul-

impulſiva, cenſetur impulſiva, lib. 2. n. 364. Niſi una ſola cauſa allegata ſit, tunc enim cenſetur finalis, lib. 2. n. 365. Diſpenſatio matrimonialis ut licitè fiat, requiritur juſta cauſa, lib. 2. n. 359. Item ut validè fiat, lib. 2. n. 360. Quando una ſola cauſa non eſt ſufficiens pro diſpenſatione matrimonii impetranda, poſſunt plures allegari, lib. 2. num. 366. Quando plures cauſæ allegantur, ſufficit, quod una ſit vera, lib. 2. num. 367. Dummodo ſeorſim ſumpta ſufficiat ad diſpenſationem concedendam. Ibid.

Cauſa *ob infamiam ex copula*, lib. 2. n. 374. Copula non eſt cauſa diſpenſationis concedendæ, lib. 2. n. 375. Debet tamen exprimi in diſpenſatione petenda, aliàs diſpenſatio erit nulla, lib. 2. n. 376. Quamvis ſententia contraria ſit etiam valde probabilis, lib. 2. n. 384. Præſertim ſi impedimentum ſit publicum, copula verò occulta, lib. 2. n. 379. Adeo, ut poſſis externe interroganti cum juramento copulam negare ſub hac animi reticentia: Non habui copulam, ut tibi dicam, vel ut in judicio proferam, lib. 2. n. 380. Nihilominus, ſi copula exprimatur in diſpenſatione petenda, non eſt opus exprimere, quot vicibus habita fuerit, lib. 2. n. 377. Quando allegatur copula, & ſimul infamia ſequenda fœminæ, licet non verificetur copula, ſi aliunde verificetur infamia ſequenda fœminæ, valet diſpenſatio, lib. 2. num. 378.

Cauſa *ob vitanda ſcandala*, lib. 2. num. 387. Quæ ſint ſcandala vitanda, lib. 2. à n. 388. Scandala vitanda ſufficit, quod ſint probabiliter talia, lib. 2. n. 395.

Cauſa *ob anguſtiam loci*, lib. 2. n. 396. Non admittitur hæc cauſa in Civitatibus magnis, & inſignibus, lib. 2. n. 397. maxime verò in Civitatibus, quæ tercentum focularia non excedunt, lib. 2. n. 398. & 399. Anguſtia loci non eſt ſtricte accipienda, ſed morali modo, lib. 2. n. 400.

Verificatur anguſtia loci primo, ſi maior pars perſonarum in tali loco ſint oratricis affines, conſanguinei, vel alio quovis impedimento ligati, lib. 2. n. 401.

Verificatur ſecundo, ſi oratrix per quinque, aut ſex annos fuiſſet expoſita ad nubendum, & nullus æqualis eam petiiſſet, lib. 2. n. 402. & 403.

Verificatur tertio, quamvis in loco ſint plures æquales non conſanguinei, nec affines, ſi tamen ſint ætate longævi, deformes, concubinarii, &c. vel ex alio matrimonio filios habeant, lib. 2. n. 404. & 406.

Verificatur quarto, ſi oratrix ſit aliquo crimine, aut vitio diffamata, lib. 2. n. 405.

Verificatur quintò, ſi oratrix ſit juvenis, & viri, qui eam ducere volunt, ſenes, aut è contra, lib. 2. n. 407.

Verificatur ſextò, ſi oratrix ſit nobilis, & viri, qui eam ducere volunt, ignobiles, quamvis ſint divites, lib. 2. n. 408.

Verificatur ſeptimò, quamvis in oppidis vicinis ſint æquales, quibus oratrix commode nubere poſſet, lib. 2. n. 409.

Cauſa *ob incompetentiam dotis*, lib. 2. n. 419. Admittitur hæc cauſa in remotioribus tantum gradibus, quando non augmentatur dos, lib. 2. n. 420. Quando verò augmentatur dos, etiam in gradibus propinquioribus admittitur, lib. 2. n. 421. Incompetentia dotis arbitrio diſpenſantis relinquitur, lib. 2. n. 422. & 425. Non eſt tamen ſtricte accipienda, ſed morali modo, lib. 2. n. 444. Reputari debet juxta conſuetudinem regionis, quæ in hujuſmodi attendenda eſt, lib. 2. n. 423. Datur incompetentia dotis ad nubendum æquali, quamvis extra patriam in locis finitimis non deſint æquales, quibus oratrix nubere poſſet cum dote minus competenti, lib. 2. n. 443.

Orator non in omnibus ſuis bonis in genere, ſed in ſpecie dotem aſſignare debet, lib. 2. n. 426. Nec debet eſſe aliũde obligatus ad dotandam oratricem

cem vel ex toto, vel ex parte, lib. 2. n. 427. Augmentum dotis debet eſſe omnino liberum, & non aliunde hypothecatum, lib. 2. n. 428. Promitti debet, & acceptari per ſcripturam publicam, lib. 2. n. 429. Si fœmina ob paupertatem, & tamquam indotata diſpenſetur, licet ante matrimonium contractum dives fiat, v. g. ex legato pingui, adhuc valet diſpenſatio, lib. 2. n. 432. Si fœmina, licet aliqualem dotem habeat, pro indotata diſpenſetur; aut pro non habente competentem dotem, iſta verò ſit omnino indotata, probabilius eſt adhuc valere diſpenſationem, lib. 2. n. 434. Non requiritur, quod ab oratore, ſed ſufficit, quod à quocumque alio tertio augeatur dos, lib. 2. num. 437. & 439.

Eſt ſufficiens cauſa diſpenſandi, ſi dos oratricis ſit litibus involuta, lib. 2. à n. 439. aut ſuper ſucceſſione bonorum magni momenti oratrici lites moveantur, lib. 2. à n. 441. Item, ſi fœmina, ejusque conſanguineus, vel affinis inſtituantur hæredes à teſtatore divite ſub conditione, ut ſimul contrahant, ſi diſpenſatio obtineatur, lib. 2. n. 447.

Eſt ſufficiens cauſa diſpenſandi, ſi facultates parentum ad dotandam filiam non ſufficiant, niſi ultra legitimam filiæ debitam, ipſa aliis filiis præferatur, lib. 2. n. 448. quod verum eſt, licet certa ſpes ſit alicujus ſucceſſionis, vel donationis bonorum, quæ à libera alterius voluntate dependet, lib. 2. n. 449.

Fœmina cenſetur pauper primò, licet aliquis promittat, vel ex pacto conveniat illam dotare, ſi conſanguineo, vel affini nubat, lib. 2. n. 445.

Secundò, quando ejus parentes illam dotare non poſſunt, niſi poſt ipſorum mortem, lib. 2. num. 446.

Tertiò, ſi ejus pater plures filias habeat, & juxta ſuas facultates poſſet unam ſufficienter dotare, ſed habita aliarum ratione non poteſt unam ſufficienter dotare, lib. 2. n. 450.

Quartò, quamvis dotem debeat ſufficientem ad nubendum æquali, ſi pravos mores, aut alias malas qualitates habeat, lib. 2. n. 451.

Fœmina non dicitur pauper primò, ſi dos, quam habet, ſit ſufficiens ad nubendum æquali, licet non ſit ſufficiens ad nubendum conſanguineo, vel affini, qui eam ducere intendit, lib. 2. n. 452.

Non dicitur pauper ſecundò, ſi habeat legitimam, aut jus ad opulentam hæreditatem, licet ejus poſſeſſionem nondum adierit, lib. 2. n. 453. Non eſt idem petere diſpenſationem ob incompetentiam dotis, ac in forma pauperum, lib. 2. n. 454.

Cauſæ *ob ætatem*, lib. 2. n. 455. In quibus gradibus admittatur hæc cauſa, lib. 2. n. 457. Exceſſus 24. annorum ſufficit, ut concedatur diſpenſatio ob ætatem, lib. 2. n. 458. Quod viget, quamvis fœmina aliquando nubere recuſaſſet, lib. 2. n. 459. Ultra exceſſum 24. annorum nulla alia cauſa requiritur, lib. 2. n. 461. In gradibus remotioribus etiam diſpenſatur, quamvis fœmina ſolum 24. annum attingat, lib. 2. n. 462. Licet fœmina ſit triginta, vel quadraginta annorum, & ultra, ſufficit dicere, quod 24. annum, & ultra agit, lib. 2. n. 463.

Cauſa *pro viduis*, lib. 2. n. 464. In quibus gradibus admittatur hæc cauſa, lib. 2. n. 465. & ſub quibus conditionibus, lib. 2. n. 466. & 467. Cum viduis non diſpenſatur ob exceſſum 24. annorum præciſè, lib. 2. n. 469. Hinc, ſi ob mulieris ætatem, non addita alia cauſa, petatur diſpenſatio, tacendo mulierem eſſe viduam, diſpenſatio erit ſubreptitia, lib. 2. num. 470. Si vidua ſit orbata parentibus, vel ſaltem patre, eoque magis, ſi ex alio matrimonio filios habeat, diſpenſari poteſt, lib. 2. à n. 471.

Cum viduis diſpenſari ſolet ob infamiam ex copula, vel ejus ſuſpicione, vel ob alias cauſas, quæ cenſeantur graves, piæ, & juſtæ, lib. 2. n. 468. adeo, ut in diſpenſatione petenda pro viduis, quando aliæ cauſæ allegantur,

tur, (unâ exceptâ ob ætatem) neceſſe non ſit exprimere oratricem eſſe viduam. Ibid.
Cauſa *pro Neophytis*, lib. 2. num. 475. Ad diſpenſandum cum neophytis quæcumque cauſa ſufficit, quæ prudentis arbitrio rationabilis judicetur. Ibid. Non requiritur figura judicii, nec ſtrepitus forenſis, lib. 2. n. 476. Religioſi, quibus Indorum cura committitur, poſſunt procedere circa cauſas matrimoniales Indorum, juris ordine non ſervato, lib. 2. n. 477. Idem dicendum de Religioſis, quibus Æthiopum cura demandatur. Ib. Aliæ cauſæ pro diſpenſationibus matrimonialibus reſumuntur, lib. 2. à n. 478.

Celebrare.

Celebrare Miſſam. V. Miſſa. Sacerdos. Epiſcopus Braſilienſis circa Miſſam celebrandam. Societas JESU.

Celebrari.

In nocte Nativitatis Domini poſt primam Miſſam cantatam non poſſunt aliæ duæ immediatè celebrari, lib. 3. n. 495. In eadem tamen nocte poſſunt tres Miſſæ privatæ ſucceſſivè celebrari, lib. 3. n. 501.

Cenſura.

Cenſura Papæ reſervata abſolvi poteſt à Braſiliæ Epiſcopis, lib. 2. n. 137.
Quando cenſura Pontifici reſervata incurritur, & conceditur licentia ad illius abſolutionem, etiam cenſetur licentia conceſſa ad abſolvendum à peccato, & è contra, lib. 3. n. 285. aliter dicendum de cenſura Epiſcopis reſervata, lib. 3. n. 286. Quamvis ignorantes non incurrant cenſuram, nihilominus incurrunt reſervationem ab Epiſcopo factam, lib. 3. n. 286.

Chamæleon.

Chamæleon. V. Carnium eſus.

Chorus.

Chorus Miſericordiæ in Civitate Fluminenſi, ejus erectio, & fundatoris nomen, lib. 1. n. 110. Quot Capellanis conſtet. Ibid. Chorus Candelariæ in eadem Civitate, ejusque fundatio, & Authorum nomina, lib. 1. n. 111. Numerantur ejus Capellani. Ibid.

Chriſma.

Ad Chriſma conficiendum non eſt neceſſarium balſamum neceſſitate ſacramenti, ſed neceſſitate præcepti, lib. 3. n. 6. Hoc præceptum non eſt purè eccleſiaſticum, ſed divinum Chriſti, lib. 3. n. 7.
Ad Chriſma conſecrandum Sacerdotes ſunt Epiſcopo neceſſarii, lib. 3. num. 10. Ordinarius Chriſmatis conferendi Miniſter eſt ſolus Epiſcopus, lib. 3. n. 26. In cauſa neceſſitatis uti licet Chriſmate pro Sacramento extremæ Unctionis conferendo, lib. 3. n. 57.

Cœmeterium.

Cœmeterium, ſi ſit contiguum Eccleſiæ, polluitur, pollutâ Eccleſia; non tamen è contra, lib. 3. n. 86. ab illo extrahenda ſunt corpora infidelis, & excommunicati ante reconciliationem, ſi contingat Eccleſiam pollui ex ſepultura ipſorum, lib. 3. n. 125. Si ſit benedictum communi tantùm benedictione, reconciliari poteſt per ſimplicem Sacerdotem, lib. 3. num. 132. Si verò ſit conſecratum, per Epiſcopum reconciliari debet, lib. 3. n. 133. poterit tamen reconciliari per ſimplicem Sacerdotem ex delegatione Epiſcopi Braſilienſis, lib. 3. n. 134. Reconciliata Eccleſia, non manet reconciliatum, lib. 3. n. 137.

Cœna.

Cœna. Vide Bulla Cœnæ.

Cognatio ſpiritualis.

Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas perſonarum ex ſtatuto Eccleſiæ conſurgens, lib. 2. n. 615. Matrimonium contrahendum impedit, contractum dirimit. Ibid. Duplex eſt: altera ex Baptiſmo, altera ex Confirmatione provenit, lib. 2. n. 616. Proveniens ex Baptiſmo, dirimit inter baptizantem, & baptizatum, & hujus patrem, & matrem. Ibid. Ex Confirmatione contrahunt cognationem ſpiritualem patrinus, & confirmans cum confirmato, cumque hujus patre, & matre, lib. 2. n. 617. Utraque cognatio eſt perpetua etiam poſt mortem illius perſonæ, ratione cujus contrahitur, lib. 2. n. 618.

Qui

Qui per errorem levat filium Petri, exiſtimans ſe levare filium Pauli, cum neutro contrahit, lib. 2. num. 619. Maximè verò ſic baptizans, lib. 2. n. 620.

Infidelis (non baptizatus) baptizans, vel ſuſcipiens filium fidelis, cum nullo contrahit, lib. 2. n. 621. Nec licèt infidelis ipſe poſteà baptizetur, lib. 2. n. 623. Sic etiam, licèt fidelis baptizet, vel teneat filium infidelis, non contrahit cum parentibus infidelibus ipſius baptizati, vel confirmati, lib. 2. n. 624. Nec licèt tales infideles poſteà baptizentur, lib. 2. n. 625. Unde validum erit matrimonium inter fidelem ſic baptizantem, vel ſuſcipientem, & inter dictos parentes infideles, quamvis ipſi poſtea baptizentur, lib. 2. num. 626. Infidelis verò baptizatus, v. g. hæreticus baptizans, vel ſuſcipiens, tum cum perſona baptizata, vel ſuſcepta, tum cum ejus parentibus contrahit, lib. 2. n. 622.

Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum quibusvis perſonis in cognatione ſpirituali, lib. 2. à n. 627. Excipe inter patrinos, & filios ſpirituales, lib. 2. à n. 635. Niſi cum neophytis; cum iis enim poſſunt diſpenſare etiam inter patrinos, & filios ſpirituales quoad matrimonia præterita, lib. 2. n. 641. minimè verò quoad matrimonia futura, lib. 2. n. 640.

Jam verò non eſt neceſſe exprimere numerum filiorum, quos compater, ſeu comater de ſacro fonte levavit, vel in ſacramento Confirmationis tenuit, lib. 2. 629. Secus, quando compater comatris, & rurſus, comater compatris prolem tenuit, ac levavit, lib. 2. n. 630. Item, non eſt neceſſe exprimere copulam, ſi fortè inter illos habita fuiſſet, lib. 2. n. 632. Niſi alia cauſa alleganda non adeſſet, lib. 2. num. 633. Facile conceditur iſtiusmodi diſpenſatio, lib. 2. n. 634.

Collegium.

De Sanctis, de quibus in Fluminenſi Collegio Societatis JESU recitatur ex privilegio Pontificio, nimirum ob eorum reliquias inſignes, recitare poſſunt Religioſi, qui ſunt extra Collegium, ad illud tamen pertinent, lib. 3. n. 514.

Coloni.

Braſiliæ coloni non ſunt ex locis, ubi ſanctum Officium exercetur, lib. 3. n. 208.

Coluber.

Coluber. V. Carnium eſus.

Communicatio facultatum.

Communicatio facultatum fieri poteſt à Braſiliæ Epiſcopis, lib. 4. à n. 482. quocumque tempore vitæ ſuæ, lib. 4. n. 498. Sed præſertim tempore ſui obitus, lib. 4. n. 501.

Quibus perſonis facta fuerit communicatio ætate noſtra, lib 4. num. 493. 500. 501. & 548. Communicatio facultatum expirat, finito decennio in ipſis præſcripto, lib. 4. num. 570. quamvis delegati de induſtria negligant Sedem Apoſtolicam de Epiſcoporum obitu certiorem facere. Ibid.

Communio.

Communio per modum Viatici, aut ex devotione. V. Viaticum. Infirmus.

Commutatio.

Commutatio Voti. V. votum.

Concilium.

Concilium Melivetanum, præſente D. Auguſtino, celebratum, lib. 2. num. 102. Quid in eo ſtatutum fuerit. Ibid.

Confeſſarius.

Omnes omninò confeſſarii qualiter poſſint ad novum examen revocari, lib. 4. à n. 144.

Confeſſarius Societatis JESU transmarinus poteſt diſpenſare cum neophytis in impedimento petendi debitum conjugale, lib. 2. à n. 608. cum reliquis verò perſonis, qui neophyti non ſunt, id tantum poteſt de licentia R. P. Provincialis, lib. 2. n. 610. Taliter diſpenſare poteſt extra Sacramentum Confeſſionis, lib. 3. à n. 611. Vide Debitum conjugale.

Confirmatio.

Miniſter ordinarius confirmationis eſt ſolus Epiſcopus, lib. 3. num. 26. Ex commiſſione Pontificis etiam ſimplex Sacerdos poteſt confirmationem mi-

niſtrare, lib. 3. n. 27. Epiſcopus conſecratus, licèt excommunicatus, hæreticus, vel degradatus, validè, non tamen licitè miniſtrat Confirmationem, lib. 3. n. 29. Aliter dicendum, ſi Epiſcopus ſit ſolum electus, lib. 3. n. 30. Confirmationis ſacramentum iterari non poteſt, lib. 3. num. 31. Hinc ſequitur, quod ſi confirmatus moreretur, & iterum à mortuis reſurgeret, non eſſet denuò confirmandus, lib. 3. num. 32. Si ſacramentum Confirmationis iteretur, non incurritur irregularitas, lib. 3. num. 33.

In locis remotis, quibus raro accedit Epiſcopus, convenienter confirmantur infantes ante uſum rationis, lib. 3. n. 34. Epiſcopus in ſua Diœceſi licitè confirmat ſubditos alterius, lib. 3. n. 35. Pro ſacramenro Confirmationis chriſma debet eſſe novum, nimirum conſecratum intra illum annum à die Jovis ſancti computatum, lib. 3. n. 37. Si anno nondum finito timeatur chriſma defecturum, poteſt affundi guttatim oleum olivarum, ita tamen, ut quod dennuò infunditur, ſit ſemper minus oleo conſecrato, lib. 3. n. 40.

Conſanguinitas.

Conſanguinitas, & illius gradus per quaſdam regulas dignoſcuntur, lib. 2. à n. 17. Conſanguinitatis nomina, lib. 2. à num. 20.

Conſecratio.

Conſecratio eſt valida, quamvis fiat cum vino modicæ aquæ miſto, lib. 2. num. 313.

Conſuetudo.

Conſuetudo legitimè introducta ſicut leges inducere, ita abrogare poteſt, lib. 4. n. 412.

Converſus.

Primò converſis ab hæreſi concedi poteſt indulgentia plenaria, lib. 3. num. 322. ut his talis indulgentia concedatur, nihil aliud requiritur, quam converſio ab hæreſi, lib. 3. n. 234. Etiam concedi poteſt ab Epiſcopis Braſilienſibus indulgentia plenaria primò converſis à Paganiſmo, Judaiſmo, & Turciſmo, lib. 3. n. 326.

Copula.

Copula non eſt cauſa movens ad diſpenſationem concedendam, lib. 2. n. 375. eſt enim mera conditio, lib. 2. n. 313. Debet tamen exprimi in diſpenſatione petenda, aliàs diſpenſatio erit nulla, lib. 2. n. 376. Quamvis ſententia contraria ſit etiam valde probabilis, lib. 2. n. 384. Præſertim ſi impedimentum ſit publicum, copula verò occulta, lib. 2. n. 379. Adeò, ut poſſis externè interroganti cum juramento copulam negare ſub hac animi reticentia: *Non habui copulam, ut tibi dicam, vel, ut in judicio proferam*, lib. 2. n. 380. Nihilominus, ſi copula exprimatur, non eſt opus exprimere, quot vicibus habita fuerit, lib. 2. num. 377. Quando allegatur copula, & ſimul infamia ſequenda fœminæ, licèt non verificetur infamia ſequenda fœminæ, valet diſpenſatio, lib. 2. num 378.

Poſt diſpenſationem jam factam, nondùm tamen contracto matrimonio, ſi habeatur copula inter conſanguineos, vel affines jam diſpenſatos, neceſſaria non eſt nova diſpenſatio inter ipſos, lib. 2. n. 381. Quod viget, quamvis oratores diſpenſationem jam eſſe factam ignorarent, lib. 2. num. 382. Secùs, ſi poſt factam diſpenſationem copula habeatur cum conſanguinea illius fœminæ, quam quis ducere intendit intra gradum prohibitum, lib 2. n. 383. Præſumuntur diſpenſati vir, & uxor, qui in gradu prohibitio contraxerunt, ſi per decem annos continuos, & ultra in matrimonio vixerunt, & mortui ſunt, lib. 2. n. 373. V. Cauſa. Infamia. Diſpenſatus.

Coribòcas.

Coribòcas. V. Miſti, vulgò Coribòcas.

Crimen.

Crimen, quod matrimonium dirimit, triplex eſt, lib. 2. n. 518. Primum eſt homicidium conjugis ab altero conjuge, & alio tertio ſive phyſice, v. g. gladio, vel veneno, ſive moraliter,

liter, v. g. imperio, perfectum: eo nimirum conſilio, ut poſtea inter ſe matrimonium contrahant. Ibid.

Secundum eſt adulterium, quando ſcilicet duo carnaliter ſe cognoſcunt, vivente alterius conjuge, & vel matrimonium ineunt de præſenti, vel ſaltem dant fidem de ineundo poſt mortem conjugis, lib. 2. n. 519.

Tertium eſt raptus, per quem perſona cum violentia abducitur matrimonii incundi cauſa, lib. 2. n. 520.

Quando non intervenit machinatio mortis, ſed ſolum adulterium cum matrimonio de præſenti, vel cum promiſſione matrimonii de futuro, incurritur impedimentum criminis, ſive promiſſio matrimonii antecedat, ſive ſubſequatur adulterium, lib. 2. num. 525.

Quando verò intervenit machinatio mortis, incurritur impedimentum criminis, ſive vir occidat uxorem, ſive uxor virum ad contrahendum cum adulterante, lib. 2. n. 521. Secus, ſi uxor virum occidit ſine intentione ineundi matrimonium, quamvis poſtea viricidium raptum habeat, lib. 2. n. 522.

Si infidelis de conſilio fidelis crimen machinationis committat, nequit poſt baptiſmum contrahere cum tali fideli, lib. 2. n. 523. Poſſet verò, ſi infidelis homicidium perpetraret abſque fidelis conſilio. Ibid. Si duo infideles homicidium, vel adulterium committerent cum promiſſione ineundi matrimonii, poſſent nihilominus ſuſcepto baptiſmo, inter ſe contrahere, lib. 2. n. 524. Quæ requirantur, ut impedimentum criminis contrahatur, lib. 2. à n. 526.

Super impedimento criminis quocumque modo commiſſi, dummodo non interveniat machinatio mortis, poſſunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare, lib. 2. n. 142. 145. 534. & à num. 540. Hinc poſſunt diſpenſare cum eo, qui, vivente uxore, matrimonium cum alia, quæ prioris matrimonii conſcia erat, de facto contraxit, & conſummavit, mortuaque prima uxore (neutro tamen in ejus mortem machinante) petit diſpenſari, ut in ſecundo dicto matrimonio remanere valeat, lib. 2. n. 535. Sub quibus tamen conditionibus diſpenſare debeant, lib. 2. à num. 536. Poſſunt diſpenſare cum eo, qui mortem machinatus eſt, ſed tamen ſine effectu, lib. 2. à num. 538.

Ad ſi diſpenſandus ſit neophytus, quamvis mortem machinatus fuiſſet cum effectu, poſſunt Braſiliæ Epiſcopi unà cum Presbyteris Societatis ad id deputatis diſpenſare in matrimonio jam contracto, ut in eo remanere valeat, lib. 2. à n. 545. Minime verò in ordine ad matrimonium primò contrahendum, lib. 2. n. 550.

Semel diſpenſatus in crimine machinationis veræ, ſi iterum incidat in aliud crimen machinationis veræ, & ſecundam diſpenſationem petat, non valebit ſecunda diſpenſatio, niſi fiat mentio prioris, lib. 2. n. 551. Secus, ſi in aliud genus criminis incidiſſet, v. g. in fidem datam cum adulterio, lib. 2. nu. 552. Si prior diſpenſatio fuiſſet nulla, valebit omnino ſecunda diſpenſatio, licet prioris nulla fiat mentio, lib. 2. n. 553. V. Impedimenta Matrimonii.

Cocodrilus Braſilius.

Cocodrilus Braſilus, vulgò *Jacarè*. V. Carnium eſus.

Cultûs diſparitas.

Cultus diſparatis. V. Impedimenta Matrimonii.

D

DAMNATIS AD MORTEM.

DAMNATIS ad mortem miniſtranda eſt Euchariſtia per modum Viatici, lib. 4. n. 333. Etiam non jejunis, lib. 4. n. 334. Uno ſaltem die, antequam ſuſpendantur, aut aliter necem patiantur, lib. 4. n. 336. Permitti tamen poteſt, ut Euchariſtiam ſumant eodem die, quo puniuntur, lib. 4. à n. 337. In quibus caſibus. Ibid.

Si

Si damnatus ad mortem pridie ſumpſiſſet Euchariſtiam per modum Viatici, & ipſo mortis die appeteret iterum ſumere ex devotione, putant *Sanc. & Dian.* pium eſſe illi dare Euchariſtiam, lib. 4. à n. 342. Immò *Sa*, & cum eo *Sanc.* tenent damnatis ad mortem miniſtrari poſſe Euchariſtiam per unam horam ante mortem, lib. 4 n. 346.

Debitum conjugale.

Debitum conjugale fundatur in mutua corporum traditione, lib. 2. n. 556. Amittitur primò, quando ad matrimonium præceſſit votum caſtitatis, aut religionis, lib. 2. n. 557.

Secundò, quando conjux poſt matrimonium de alterius licentia, vel uterque de mutuo conſenſu vovent caſtitatem, vel abſque voto pactum ineunt de non petendo, lib. 2. n. 558.

Tertiò quando reſultat cognatio ſpiritualis, qua alter conjugum, vel alteruter fiunt patrini communis filii in Baptiſmo, vel Confirmatione, lib. 2. n. 559.

Quartò, quando vir cum conſanguinea uxoris ſuæ, vel uxor cum conſanguineo mariti ſui copulam habent intra primum, vel ſecundum gradum, & non ultra, lib. 2. n. 560.

Amiſſo jure petendi, peccat mortaliter, qui abſque diſpenſatione petit, lib. 2. num. 561. Non ſemper tamen peccat, etiam poſt amiſſum jus petendi, qui reddit, immò aliquando reddere tenetur. Ibid.

Ab incurrenda privationis pœna petendi debitum conjugale excuſat primò ignorantia facti, lib. 1. num. 562. & 565. Secundò, ignorantia juris, lib. 2. n. 563 & 575. Tertiò, ignorantia pœnæ, lib. 2. num. 564. & 588. V. Jus.

Decennium.

Decennium in facultatibus præſcriptum incipit quoad eſſentiam à die datæ, id eſt, à die, quo facultates Romæ conceduntur, & expediuntur, lib. 1. à n. 16. & lib. 4. n. 550. Quoad uſum verò, & exercitium incipit à die, quo in Braſiliam perveniunt facultates, & ad manus Epiſcoporum, lib. 1. à n. 30. & lib. 4. n. 551. Limita, ſi aliundè per procuratorem, vel aliam perſonam loco procuratoris ſubſtitutam habeatur notitia prævia de facultatibus jam conceſſis, & Romæ expeditis: & deinde cum hac notitia facultatibus uti cœpiſſet Epiſcopus: tunc enim ita computandum eſt decennium, ut currere incipiat à die, quo facultatibus uti cœpit Epiſcopus, lib. 1. n. 39. & lib. 4. n. 552.

Decennium in facultatibus non expirat morte concedentis, lib. 1. à n. 55. & lib. 4. n. 555. Nec morte Epiſcopi, cui conceduntur, lib. 1. n 59. & lib. 4. n. 558.

Dedicatio Eccleſiæ.

In Eccleſiæ dedicatione poteſt Epiſcopus concedere indulgentiam unius anni, lib. 3. n. 158. Et in illius anniverſario indulgentiam quadraginta dierum. Ibid.

Defunctus.

Defunctus V. Anima. Miſſa, & Purgatorium.

Delegatus.

Delegatus, mortuo Epiſcopo, tenetur Sedem Apoſtolicam de ejus obitu certiorem facere, & quo ordine, lib. 4. à n. 502. Tenetur Sedem Apoſtolicam de obitu Epiſcopi certiorem facere quamprimum, lib. 4. à n. 505. Quamprimum hîc ſignificat occaſionem opportunam certiorandi, nempe, data prima occaſione navigii, vel directè in Ulyſſiponem, vel indirectè per Inſulas, lib. 4. n. 508. Peccabit delegatus, ſi negligat Sedem Apoſtolicam de obitu Epiſcopi certiorem facere, lib 4. n. 509. Non tamen ſub gravi, ſed tantum ſub levi, lib. 4. n. 510.

Delegatus poteſt, præter alia, calices, patenas, & altaria portatilia conſecrare, lib. 4. n. 514. Talia poteſt ex conceſſione ſibi facta immediate à Sede Apoſtolica, non autem ab Epiſcopo, lib. 4. n. 484. & 515. Id tantum poteſt, Sede vacante, in caſu neceſſitatis, lib. 4. n. 527. Sufficit autem neceſſitas, quæ oritur ex Sede vacan-

vacante præciſè, lib. 4. n. 517. Quicumque ſit delegatus, ut poſt obitum Epiſcopi ſuppleat; an etiam poſſit facultates exercere poſt adventum novi Epiſcopi, vel potius ab illarum uſu, & exercitio ſtatim ceſſare debeat, lib. 4. à n. 518.

Reliqua vide verb. Epiſcopus Braſilienſis circa communicationem ſuarum facultatum. Et verb. Epiſcopus Braſilienſis circa uſum ſuarum facultatum.

Diaconatus.

Diaconatus conferri poteſt extra Tempora, & non ſervatis interſtitiis, data rationabili cauſa, lib. 1. n. 88. In Braſilia ſufficit minor cauſa, quam de jure requiritur, lib. 1. n. 96. Cauſa hujuſmodi non conſiſtit in indiviſibili, lib. 1. n. 97.

Ad Diaconatum requiritur 23. annus, lib. 1. n. 239. Sufficit, quod prædictus annus ſit inceptus, lib. 1. num. 240. Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare in uno ætatis anno ad Diaconatū, lib. 1. n. 251. Ut Epiſcopi Braſiliæ diſpenſent in uno ætatis anno ad Diaconatum, requiritur operariorum penuria, lib. 1. n. 258.

Dictio.

Dictio *Quivis* eſt univerſalis, lib. 1. n. 180. Item dictio *Quilibet*, & dictio *Quicumque*. Ibid.

Dictio *Si* idem aliquando valet, ac dictio *Quamvis*, lib. 2. n. 155. Dictio *Et* eſt copulativa, lib. 2. num. 204. Dictiones *Immò*, *Etiamſi*, *Quinetiam* ſunt ampliativæ, & extenſivæ de uno caſu ad alium, lib. 2. num. 327.

Dictio *Quamprimum* in rebus difficilibus importat ſpatium trium menſium, duorum in rebus parvis, lib. 4. num. 507. Ordinarie ſignificat occaſionem opportunam rei peragendæ, lib. 4. n. 506.

Dictio *Donec* eſt reſtrictiva temporis, lib. 4. num. 320. Dictio *Nec* incluſam habet negationem, lib. 4. num. 530. Quandoque ponitur pro *non*. Ibid.

Dies feſti.

Dies feſti, quibus ex indulto Apoſtolico Ordines conferri poſſunt extra Tempora, & non ſervatis interſtitiis, ſunt omnes dies Dominici, & feſti de præcepto in foro, lib. 1. n. 142. Sufficit, quod ſit dies feſtus in Diœceſi, in qua Ordines conferuntur, lib. 1. n. 143. Pro regularibus ordinandis ſufficit, ſi in eorum Monaſterio, aut Religione celebretur feſtum. Ibid. Poſſunt Ordines conferri etiam diebus feſtis, qui tales ſunt in choro tantum, lib. 1. n. 145. Dies feſti debent eſſe interpolati, minime verò continui, niſi ex ſpeciali privilegio, lib. 1. à n. 160. Religioſi Societatis JESU ordinari poſſunt tribus diebus feſtis etiam continuis, lib. 1. n. 161. In hoc privilegio non communicant alii Religioſi. Ibid. Ut Religioſi Societatis JESU ordinentur tribus diebus feſtis etiam continuis, ſufficit, quod ſint dies feſti in choro tantum, lib. 1. n. 163. & 164.

Dies jejunii.

Dies jejunii, lib. 4. à n. 382.

Dieta.

Dieta duplex eſt, altera legalis, vulgaris altera, lib. 2. n. 226. Vulgaris importat iter unius diei juxta conſuetudinem regionis, lib. 2. n. 231. & 232. Legalis continet viginti milliaria, lib. 2. n. 226. Quilibet exceſſus etiam unius milliarii ſupra viginti milliaria computatur pro ſecunda dieta legali, lib. 2. n. 227. Secus in dieta vulgari. Ibid.

Dieta in ordine ad privilegia Indica debet accipi de vulgaribus, lib. 2. num. 229. Duæ dietæ important quindecim leucas Braſilicas, parum, minusve, lib. 2. num. 230. V. Leuca. Paſſus.

Dignior.

Dignior cenſetur, qui Eccleſiæ utilior eſt, lib 4. n. 107. Maior utilitas Eccleſiæ unde dignoſcatur, lib. 4. n. 111. electio digni, omiſſo digniori, eſt nulla, lib. 4. à n. 112. Hinc electo minus digno, poteſt dignior appellare à ſui rejectione, lib. 4. n. 100.

Diœ-

Diœceſis.

Extra propriam Diœceſim uti poteſt Epiſcopus altari portatili, lib. 3. num. 454. & in quocumque decenti loco, dum iter facit, lib. 3. n. 455.

Diſpenſandum in eſu carnium.

Diſpenſandum in eſu carnium cum illis, quorum debilitatæ ſunt vires, lib. 4. num. 461. Item cum illis quibus piſces ſunt nocivi, lib. 4. n. 462. & cum habentibus cauſas, quæ Epiſcopo videantur rationabiles, lib. 4. n. 463. immò & cum habentibus cauſas, quæ Epiſcopo appareant dubiæ, lib. 4. n. 464. In dubio non difficulter, ſed benigne concedenda eſt diſpenſatio, lib. 4. n. 466.

Diſpenſandum cum iter agentibus, quibus non ſunt piſces, lib. 4. num. 467. Sive iter agens ſit perſona delicata, & aſſueta epulari ſplendide, lib. 4. n. 469. ſive perſona humilis, & aſſueta vilibus eſcis. Ibid. Unde expedit diſpenſare in eſu carnium

Primò, cum Miniſtris Regiis, Sacerdotibus gravibus, negotiatoribus opulentis, cum iter agunt, ſi domi ſuæ ſoleant epulari abundanter, lib. 4. n. 470.

Secundò, cum iter agentibus à Provinciis maritimis Braſiliæ ad loca mediterranea, v. g. *Minas Geraes*, *Guayáz*, *Cuyabá*, &c. lib. 4. n. 471.

Tertiò, cum illis Braſiliæ incolis, qui habitant in locis, ubi non ſunt piſces nec recentes, nec ſale condîti, lib. 4. n. 472.

Quartò, cum itinerantibus, & aliis Braſiliæ incolis mediterraneis, qui ſolum panem, & carnes habent, lib. 4. num. 479. Quod probabile dicit Paſqualig. licet iter agens per unum tantum diem careret cibis in die jejunii conceſſis, lib. 4. 478.

Diſpenſare ſuper impedimentis matrimonii.

Diſpenſare ſuper impedimentis matrimonii non poteſt Epiſcopus de jure, lib. 2. n. 31. Poteſt tamen diſpenſare in matrimonio jam contracto cum impedimento occulto, quando gravis neceſſitas urget, & datur periculum in mora, vel impotentia adeundi Papam, dummodo matrimonium ſit publicum, & ſeparatio fieri nequeat ſine ſcandalo, lib. 2. à n. 32. Idem poteſt circa matrimonium futurum cum impedimento occulto, concurrentibus prædictis circumſtantiis, lib. 2. à n. 51. In prædictis impedimentis, & ſub prædictis circumſtantiis poteſt diſpenſare, quamvis interveniat mala fides ex parte unius tantum contrahentis, lib. 2. à n. 67. Idem poteſt quamvis interveniat mala fides ex parte utriuſque contrahentis, lib. 2. à n. 75. In prædictis impedimentis, & ſub prædictis circumſtantiis poteſt diſpenſare, quamvis impedimentum ſit publicum, lib. 2. à n. 87. Sub prædictis circumſtantiis extenditur dicta poteſtas ad diſpenſandum in impedimentis matrimonji, quæ gradibus non conſtant, ut v. g. crimen, lib. 2. à num. 95.

In impedimento occulto etiam occulte facienda eſt diſpenſatio, lib. 2. num. 105. Epiſcopus non tenetur diſpenſationes à Papa procurare, nec expenſas facere pro earum impetratione, quamvis diſpenſandus ſit pauper, lib. 2. n. 104. Tenetur tamen diſpenſare, data juſta cauſa, lib. 2. n. 483. Si nolit diſpenſare, data juſta cauſa, poteſt ſubditus ad Metropolitanum recurrere, lib. 2. n. 484.

Diſpenſare ſuper impedimentis matrimonii in Braſilia.

Diſpenſare poſſunt Braſiliæ Epiſcopi in impedimentis matrimonii cum quibusvis perſonis: primò, in 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſimplici, lib. 2. n. 170. & 141.

Secundò, in 3. conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſimplici, lib. 2. num. 171.

Tertiò, in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus miſtim conjunctis, lib. 2. n. 172. & 141.

Quartò, in 4. conſanguinitatis, & affinitatis ſimplici, & in 3. & 4. gradibus miſtim conjunctis, etiam poſt contracta ſcienter, vel ignoranter matrimonia, ſi copulâ exinde ſubſecutâ con-

conſummata fuerint talia matrimonia, lib. 2. n. 143.

Quintò, in 4. conſanguinitatis, & affinitatis ſimplici, & in 3. & 4. gradibus miſtim conjunctis, etiam poſt contracta ſcienter, vel ignoranter matrimonia, licet copula exinde ſubſecuta conſummata non fuerint talia matrimonia, lib. 2. à n. 147.

Sextò, in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus miſtim conjunctis, quamvis tales gradus ſint multiplicati, lib. 2. n. 193.

Septimò, in 2. 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus miſtim conjunctis, lib. 2. n. 173. & 195.

Octavo, in 2. 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus miſtim conjunctis, quamvis dicti gradus ſint multiplicati, lib. 2. n. 195.

Nono, prædicta omnia poſſunt Braſiliæ Epiſcopi cum quibusvis perſonis tum quoad matrimonia præterita, tum quoad futura, lib. 2. n. 174.

Decimò, cum his verò, qui ab hæreſi, vel infidelitate convertuntur ad fidem Catholicam, etiam poſſunt diſpenſare in 2. ſolo conſanguinitatis, & affinitatis gradu, ſed quoad matrimonia præterita tantùm, minimè verò quoad futura, lib. 2. num. 175. & 176.

Undecimò, in impedimento publicæ honeſtatis, juſtis ex ſponſalibus proveniente, lib. 2. n. 505. Et licet in impedimẽto publicæ honeſtatis, quod ex matrimonio rato provenit, diſpenſare nequeant ex ſexta facultate Pontificia ipſis conceſſa præciſè, lib. 2. num 508.

Duodecimò, poſſunt tamen aliundè, nempè ex alio privilegio ipſis conceſſo diſpenſare in impedimento publicæ honeſtatis, etiam ex matrimonio rato proveniente, lib. 2. n. 141.

Decimotertiò, in impedimento criminis quocumque modo commiſſi, dummodo non intervenerit machinatio mortis cum effectu, lib. 2. n. 534. 540. 142. & 145.

Decimoquarto, in impedimento cognationis ſpiritualis, præterquam inter levantem, & levatum, lib. 2. à n. 627.

Decimoquinto, in omnibus prædictis caſibus, tum quando diſpenſatur cum illis, qui ab hæreſi, vel infidelitate ad fidem Catholicam convertuntur, tum etiam quando diſpenſatur cum quibuſcumque aliis perſonis, poſſunt Braſiliæ Epiſcopi prolem inde ſuſceptam, vel ſuſcipiendam declarare legitimam, lib. 2. n. 144. & 177.

Decimoſextò, poſſunt diſpenſare cum gentilibus, & infidelibus, ut poſt converſionem, & baptiſmum, quam ex illis maluerint, ſi etiam ipſa fidelis fiat, retinere poſſint, niſi prima voluerit converti, lib. 2. à n. 677.

Diſpenſare cum neophytis.

Diſpenſare cum neophytis poteſt Epiſcopus Braſilienſis: primò, in 2. ſolo conſanguinitatis, & affinitatis gradu, etiam quoad futura matrimonia, lib. 2. n. 203.

Secundò, poteſt probabiliter diſpenſare cum neophytis in 2. conſanguinitatis, & affinitatis gradu miſtim cum primo, lib. 2. à n. 208.

Tertiò, poteſt diſpenſare cum neophytis in 1 gradu, etiam rectæ lineæ affinitatis, ex copula illicita reſultantis, in occultis tamen, & in foro conſcientiæ tantum, ac urgentibus juſtis cauſis, lib. 2. n. 216.

Quartò, poteſt diſpenſare cum neophytis in cognatione ſpirituali orta ex baptiſmo, & confirmatione, etiam inter levantem, & levatum, lib. 2. num. 219.

Quintò, poteſt diſpenſare cum neophytis in cognatione legali orta ex adoptione. Ibid.

Sextò, poteſt diſpenſare cum neophytis in impedimento publicæ honeſtatis, ſive ex ſponſalibus, ſive etiam ex matrimonio rato impedimentum proveniat. Ibid.

Septimò, poteſt diſpenſare cum neophytis in impedimento criminis, etiam morte ſecuta ex machinatione, quoad matrimonia præterita tantum, lib. 2. à n. 546. Minime verò in ordine ad matrimonia futura, lib. 2. n. 550.

C Octavò,

Octavò, aliquando prædicta omnia poteſt Epiſcopus Braſilienſis ſe ſolo, lib. 2. à n. 235.
Nonò, in quibus tamen locis, & ſub quibus limitationibus, lib. 2. n. 236. & 239.
Decimò, quandiu id poſſit Epiſcopus Braſilienſis ſe ſolo, lib. 2. à n. 237.
Undecimò, in omnibus prædictis matrimoniis denuo celebratis, aut revalidatis prolem antecedenter ſuſceptam poteſt Epiſcopus Braſilienſis legitimam declarare, ac decernere, lib. 2. n. 220.
Duodecimò, ſub quibus tamen conditionibus prædicta omnia poſſit Epiſcopus Braſilienſis, lib. 2. à n. 204.

Diſpenſatio.

Diſpenſatio eſt juris communis relaxatio cum cauſæ cognitione ab eo, qui legitimam poteſtatem habet, lib. 2. n. 357. Diſpenſatio matrimonialis, ut licite fiat, requiritur juſta cauſa, lib. 2. n. 359. Item, ut valide fiat, lib. 2. n. 360. Diſpenſatio ſubreptitia ea dicitur, pro cujus impetratione tacetur veritas alioquin exprimenda, lib. 2. n. 360. Obreptitia verò, pro cujus impetratione allegatur falſitas, qua cognita diſpenſatio non fuiſſet concedenda. Ibid.
In diſpenſatione matrimoniali petenda tum gradus remotior, tum propinquior exprimi debent, lib. 2. num. 368. Hinc non valet diſpenſatio, ſi unius tantum gradus ſimplicis mentio fiat, cum tamen ſit duplicatus, lib. 2. n. 369. In impedimento occultò etiam occulte facienda eſt diſpenſatio, lib. 2. num. 105. Præſumitur diſpenſatio inter virum, & uxorem, qui in gradu prohibito contraxerunt, ſi per decem annos continuos, & ultra vixerunt, & mortui ſunt, lib. 2. num. 373. V. Diſpenſare. Diſpenſatus. Epiſcopus.
Diſpenſatio ad edendas carnes diebus vetitis non eſt neceſſaria in caſu neceſſitatis, lib. 4. n. 460. In dubio, an neceſſaria ſit, quid agendum. Ibid.

Diſpenſatio in interſtitiis.

Diſpenſatio in interſtitiis pro Minoribus ſit quacumqne rationabili cauſa interveniente, lib. 1. n. 82. Ad diſpenſandum in interſtitiis inter Minores, & Subdiaconatum dari debet neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ disjunctivè, lib. 1. n. 83.
Neceſſitas Eccleſiæ datur 1. quando ordinandus habet beneficium, cui inſervire debet, lib. 1. n. 84. Datur 2. quando deſunt miniſtri, qui ſolitis officiis ſatisfaciant. Ibid. Datur 3. quando ordinandus ſtudiis vacat, lib. 1. n. 85. Datur 4. ſi ætas ordinandi ſit provecta, lib. 1. n 86.
Utilitas verò Eccleſiæ tunc adeſſe putatur, quando præſumitur obſequium aptius eſſe præſtandum, v. g. ſi ordinandus ſit in ſacra Theologia Doctor, vel aliàs vir doctus, & probus, ex cujus ordinatione ornamentum ſtatus Eccleſiaſtici, & futurum Eccleſiæ ſervitium ſperari poſſit, lib. 1. n. 87.
Pro interſtitiis diſpenſandis ad Diaconatum ſufficit quævis cauſa, quæ Epiſcopo appareat rationabilis. v. g. ſedulo incumbere Philoſophiæ, aut Theologiæ: eſſe idoneus ad prædicandum, aut cantandum Euangelium in ſolemnibus, lib. 1. n. 88. Ut diſpenſetur in interſtitiis ad Presbyteratum requiritur neceſſitas ſimul, & utilitas Eccleſiæ, lib. 1. n. 89.
Ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent in interſtitiis ad Subdiaconatum minor neceſſitas ſufficit, quam communiter requiritur, lib. 1. num. 94. Hæc minor neceſſitas non conſiſtit in indiviſibili, ſed moraliter penſanda eſt juxta viri prudentis arbitrium, lib. 1. n. 95.
Ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent in interſtitiis ad Diaconatum, minor rationabilis cauſa ſufficit, quam communiter requiritur, lib. 1. num. 96. Etiam hæc cauſa non conſiſtit in indiviſibili, lib. 1. n. 97.
Ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent ad Presbiteratum in interſtitiis minor cauſa ſufficit, quam ea, quæ à Tridentino requiritur, lib. 1. n. 98. Sufficit enim ſola neceſſitas, lib. 1. n. 99. Hæc verò neceſſitas commenſurari debet à numero

mero Sacerdotum, qui per totam Diœceſim exiſtunt, lib. 1. à n. 101.

Diſpenſatio in interſtitiis quoad perſonas.

Cum ſuis ſubditis poſſunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in temporibus, & interſtitiis, lib. 1. n. 120. Etiam quando ſubditos ſuos non ordinant, dimiſſorias tamen dant, ut ab alio ordinentur, lib. 1. n. 122. Etiam cum illo, qui ab Ordinario dimiſſorias præſentat, in quibus rogatur Epiſcopus, ut cum dimiſſo diſpenſet, lib. 1. num. 124. Poſſunt etiam diſpenſare cum illo, qui ab Ordinario dimiſſorias præſentat, ex quibus tamen non conſtat, an diſpenſatus accedat, nec deinde rogatur Epiſcopus ordinaturus, ut cum dimiſſo diſpenſet, lib. 1. à. num. 125. Qua verò ratione poſſit etiam diſpenſare cum eo, qui alio dimiſſus fuit, & huc appulit, deciditur, lib. 1. à n. 137.

Diſpenſatio in ætate ad Ordines. V. Ætas, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.

Diſpenſatio in votis. V. Votum. Diſpenſatio in ſimonia. V. Simonia.

Diſpenſatio matrimonii.

Diſpenſatio matrimonii conceſſa in gradu proximiori, v. g. in 2. conſanguinitatis, eo ipſo cenſetur conceſſa in gradu remotiori, v. g. in 3. ejuſdem conſanguinitatis, lib. 1. n. 255.

Diſpenſandus in gradibus cognationis.

Diſpenſatus ex errore in 2. gradu, qui ſolum petit diſpenſationem pro 3. manet diſpenſatus in ipſo 3. gradu, lib. 2. n. 156. & 371. Non tamen è contra, lib. 2. n. 371. Poſt diſpenſationem matrimonialem jam factam, nondum tamen contracto matrimonio, ſi habeatur copula inter conſanguineos, vel affines jam diſpenſatos, neceſſaria non eſt nova diſpenſatio inter ipſos, lib. 2. n. 381. Quod viget, quamvis oratores diſpenſationem jam eſſe factam ignorarent, lib. 2. n. 382. Secus, ſi poſt factam diſpenſationem copula habeatur cum conſanguinea illius fœminæ, quam quis ducere intendit intra gradum prohibitum, lib. 2. num. 383. V. Copula. Diſpenſare.

Diſpenſatus in eſu carnium.

Diſpenſatus in eſu carnium diebus jejunii non tenetur ad jejunium, lib. 4. num. 428. Alii diſtinguunt inter diſpenſatos ratione virium, vel ſtomachi debilitati, & inter diſpenſatos ratione ſanitatis conſervandæ, & de primis dicunt non teneri ad jejunium, maxime verò de ſecundis, lib. 4. n. 427. Non poteſt ſæpius comedere carnes in eodem die, lib. 4. num. 331. Niſi aliqua circumſtantia contrarium ſuadeat, lib. 4. n. 432. Eo die, quo carnes non edit, probabile eſt ad jejunium obligari, lib. 4. n. 433. Alii affirmant de diſpenſatis ratione ſanitatis conſervandæ, lib. 4. n. 434. Negant verò de diſpenſatis ratione virium, vel ſtomachi debilitati. Ibid.

Diſpenſatus ad unum genus carnium poteſt quaſcumque, etiam nocivas comedere, lib. 4. n. 435. Non tamen carnes, & ſimul piſces, ſi diſpenſatus ſit cum onere jejunandi, ſeu unicæ comeſtionis, lib. 4. n. 436. 2. Cum quis diſpenſatur in eſu carnium, cenſetur diſpenſatus ad ova, & lacticinia, lib. 4. num. 437. V. Carnium eſus.

Diſpenſatus in jejunio.

Diſpenſatus in jejunio. V. Jejunium.

Diſtantia.

Diſtantia à Papa, vel ejus delegato tunc datur, quando in procuranda diſpenſatione ſpatium duorum menſium in itinere conſumitur, lib 2. num. 101. Comparatur diſtantia inter Afticam, quæ Italiam reſpicit, & inter Braſiliam à Roma, lib. 2. num. 103. Papa, vel ejus delegatus cenſentur adiri non poſſe, quando obſtat oratorum paupertas, lib. 2. n. 100.

Dubium.

Dubium juris, & dubium facti, lib. 1. n. 174. In dubio ſive juris, ſive facti non incurritur irregularitas, lib. 1. n. 175. Extenditur reſolutio ad dubium purum, & ad dubium non purum, lib. 1. n. 176. Item ad utrumque forum, tam internum, quam ex-

ternum, lib. 1. n. 177. Semper tamen excipitur caſus homicidii dubii, lib. 1. n. 175.

Dubium ſacræ Congregationi de propaganda fide propoſitum circa intellectum ſextæ facultatis Pontificiæ, Braſiliæ Epiſcopis conceſſæ, lib. 2. num. 167. Dubium ſacræ Congregationi de propaganda fide propoſitum circa privilegiumSocietati JESU conceſſum pro neophytis diſpenſandis, lib. 2. n. 178.

E

ECCLESIA.

ECCLESIA non reconciliatur, niſi ſit polluta, lib. 3. n. 84. Nulla polluitur, niſi prius fuerit benedicta, vel conſecrata, lib. 3. n. 84. Quatuor cauſæ, quibus Eccleſia polluitur, numerantur, lib. 3. n. 85. Ea polluta, polluitur cœmeterium, ſi ſit contiguum, non tamen è contra, lib. 3. n. 86. In dubio, an ſit polluta, cenſetur non polluta, lib. 3. n. 87. Ut habeatur pro polluta, non requiritur ſententia judicis, ſed ſufficit, quod pollutio ſit notoria, lib. 3. num. 90. Judicium de illius pollutione ſpectat ad eum, ad quem ſpectat ejus reconciliatio, lib. 3. n. 91. Multipliciter polluta reconciliatur per unam tantum reconciliationem, lib. 3. n. 93. Si ſit polluta, quam citò reconciliari debet, lib. 3. n. 95. Si ſit ſolum benedicta, reconciliari poteſt per ſimplicem Sacerdotem, lib. 3. n. 97. Idem dicendum de cœmeterio benedicto, lib. 3. n. 97. Nec ad hoc in ſimplici Sacerdote licentia Epiſcopi requiritur de jure, lib. 3. n. 98. Requiritur tamen de facto, lib. 3. n. 99. Sufficit, quod aqua, cum qua reconcilianda eſt Eccleſia non conſecrata, ſit benedicta à ſimplici Sacerdote, lib. 3. n. 100. Solus Epiſcopus de jure poteſt illam, ſi ſit conſecrata, reconciliare; lib. 3. n. 103. Nec de jure poteſt illius reconciliationem ſimplici Sacerdoti delegare, lib. 3. num. 104. Alteri tamen Epiſcopo poteſt, lib. 3. n. 105.

Aqua, cum qua reconcilianda eſt Eccleſia conſecrata, à quocumque Epiſcopo benedici poteſt, lib. 3. n. 106. Simplici Sacerdoti poteſt Summus Pontifex concedere facultatem reconciliandi Eccleſias conſecratas, & poteſt Epiſcopis concedere facultatem delegandi poteſtatem, quam de jure habent, reconciliandi Eccleſias conſecratas, lib. 3. n. 108.

Epiſcopus Braſilienſis poteſt delegare ſimplici Sacerdoti facultatem reconciliandi prædictas Eccleſias, lib. 3. num. 107. & 110. Aqua, cum qua ſimplex Sacerdos ex delegatione Epiſcopi Braſilienſis Eccleſiam conſecratam reconciliat extra caſum neceſſitis, debet eſſe ab Epiſcopo benedicta, lib. 3. n. 114. Aliter dicendum in caſu neceſſitatis, lib. 3. num. 115. In caſu enim neceſſitatis debet eſſe benedicta ab ipſo Sacerdote, non communiter, ſed ſolemniter, lib. 3. n. 118. Quæ neceſſitas ſufficiat, ut ſimplex Sacerdos ex delegatione Eccleſiam conſecratam reconciliare poſſit aqua à ſe benedicta. V. Sacerdos.

Si contingat Eccleſiam pollui ex ſepultura infidelis, vel excommunicati, ante reconciliationem extrahenda ſunt eorum corpora ab Eccleſia, vel cœmeterio, lib. 3. n. 125. Hoc tamen intelligendum eſt, ſi corpora infidelis, & excommunicati certo diſcerni poſſint ab aliis, lib. 3. n. 126. & 127. Ante reconciliationem Eccleſiæ benedictæ, vel conſecratæ non ſunt radenda ejus tigna, & parietes, lib. 3. n. 128. Reconciliata Eccleſia, non manet reconciliatum cœmeterium, lib. 3. num. 128.

In dedicatione Eccleſiæ poteſt Epiſcopus concedere indulgentiam unius anni, lib. 3. n. 158. Et in illius anniverſario indulgentiam quadraginta dierum, lib. 3. n. 158. Indulgentiæ, quæ Eccleſiis Societatis in Braſilia conceduntur, habentur lib. 3. num. 198. Eccleſiæ theſaurus eſt cumulus, &c. lib.

&c. lib. 3. num. 156.

Epiſcopatus Fluminenſis.

Epiſcopus Fluminenſis à PortuSecuro uſque ad Novam Coloniam Sacramenti extenditur, lib. 1. num. 115. Portus Securus à linea Æquinoctiali ad Auſtrum verſus jacet ad decimum ſeptimum gradum ſolarem, ad trigeſimum autem quintum Nova Colonia Sacramenti. Ibid.

Epiſcopus.

Epiſcopus *circa abſolutionem à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis.* Epiſcopus de jure poteſt abſolvere à caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſervatis extra Bullam Cœnæ, lib. 4. n. 295. Caſus Sedi Apoſtolicæ reſervati extra Bullam Cœnæ, eo ipſo, quod ſint occulti, fiunt Epiſcopales, lib. 3. num. 300.

Epiſcopus *circa abſolutionem hæreſis.* Epiſcopus de jure non poteſt abſolvere ab hæreſi, quam incurrunt hæretici, apoſtatæ à fide, & ſchiſmatici, lib. 3. num. 237. Probabile eſt, Epiſcopos poſt Bullam Cœnæ ex vi facultatis à Tridentino ipſis conceſſæ abſolvere poſſe ab hæreſi, & aliis criminibus occultis, lib. 3. n. 246.

Epiſcopus *circa dimiſſorias concedendas.* Epiſcopus poteſt literas dimiſſoriales concedere ſuis ſubditis etiam abſentibus, lib. 4. num. 528. Poteſt ſuorum ſubditorum examen committere Epiſcopo loci, in quo vivunt. Ibid.

Epiſcopus *circa jejunium diſpenſandum.* Epiſcopus poteſt diſpenſare in jejuniis ſuæ Diœceſis, lib. 4. n. 418. Atque etiam in jejuniis juris communis, data rationabili cauſa, lib. 4. num. 419. Secus, ſi non detur rationabilis cauſa, lib. 4. à n. 418.

Epiſcopus *circa illegitimos diſpenſandos.* Epiſcopus poteſt diſpenſare cum illegimis ad Ordines minores, & beneficium ſimplex, lib. 1. n 184. Poteſt diſpenſare cum illegitimis occultis ad ſacros Ordines, lib. 1. n. 185. Reliqua vide verb. Illegitimi.

Epiſcopus *circa impedimenta matrimonii diſpenſanda.* Epiſcopus non poteſt de jure diſpenſare in impedimentis matrimonii, lib. 2. n. 31. Poteſt tamen diſpenſare in matrimonio jam contracto cum impedimento occult ò quando gravis neceſſitas urget, & datur periculum in mora, vel impotentia adeundi Papam, dummodo matrimoninm ſit publicum, & ſeparatio fieri nequeat ſine ſcandalo, lib. 2. à num. 32. Idem poteſt circa matrimonium futurum cum impedimento occulto, concurrentibus prædictis circumſtantiis, lib. 2. à n. 51. In prædictis impedimentis, & ſub iiſdem circumſtantiis poteſt diſpenſare, quamvis interveniat mala fides ex parte unius tantum contrahentis, lib. 2. à n. 67. Idem poteſt, quamvis interveniat mala fides ex parte utriuſque contrahentis, lib. 2. à num. 75. In iiſdem impedimentis, & ſub prædictis circumſtantiis poteſt diſpenſare, quãvis impedimentum ſit publicum, lib. 2. à n. 87. Sub prædictis circumſtantiis extenditur dicta poteſtas ad diſpenſandnm in impedimentis matrimonii, quæ gradibus non conſtant, ut v. g. crimen, lib. 2. à n 95. Epiſcopus non tenetur diſpenſationes à Papæ procurare, nec expenſas facere pro earum impetratione, quamvis diſpenſandus ſit pauper, lib. 2. num. 104. Tenetur tamen diſpenſare, data juſta cauſa, lib. 2. n. 483. Si nolit diſpenſare, data juſta cauſa, poteſt ſubditus ad Metropolitanum recurrere, lib. 2. n. 484.

Epiſcopus *circa indulgentias.* Epiſcopus à Summo Pontifice habet poteſtatem concedendi indulgentias, lib. 3. num. 154. In dedicatione Eccleſiæ poteſt concedere indulgentiam unius anni, lib. 3. n. 358. Et in illius anniverſario indulgentiam quadraginta dierum, lib. 3. n. 158. vel aliàs quando placuerit. Ibid. Hoc deinde ultimum poſſunt Archiepiſcopi in tota ſua Provincia, & in ſuffraganeis Diœceſibus, quamvis non non ſint in actu viſitationis, lib. 3. n. 159. Si Archiepiſcopi, aut Epiſcopi ampliorem indulgentiam concedant, quam ipſis permiſſum eſt, ſolum quoad exceſ-

ſum irrita eſt conceſſio, lib. 3. num. 160. Non ſolum ſuis ſubditis, & extra ſuum territorium, ſed etiam regularibus exemptis poſſunt indulgentias concedere, lib. 3. n. 161.

Epiſcopus *circa interſtitia diſpenſanda.* Epiſcopus poteſt de jure diſpenſare in interſtitiis ad Ordines, lib. 1. à n. 72. Quæ cauſæ requirantur, ut Epiſcopus diſpenſet in interſtitiis ad Ordines, lib. 1. à n. 82. Reliqua vide verb. Diſpenſatio in interſtititiis.

Epiſcopus *circa irregularitatem diſpenſandam.* Epiſcopus poteſt diſpenſare in omnibus irregularitatibus, quæ ex delicto occulto proveniunt, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, lib. 1. num. 178. Reliqua vide verb. Irregularitas.

Epiſcopus *circa Miſſam.* Extra propriam Diœceſim poteſt Epiſcopus uti altari portatili, lib. 3. n. 454. Dum iter facit, poteſt in quocumque decenti loco celebrare in altari portatili, ſeu facere coram ſe celebrare, lib. 3. n. 455. Et hoc ex ſola commoditate, lib. 3. n 457.

Epiſcopus *circa olea benedicenda.* Epiſcopus oleum Infirmorum benedicit cum cæremoniis, quæ in Pontificali Romano præſcribuntur, lib. 3. n. 3. Indiget Sacerdotibus ad Chriſma conſecrandum, lib. 3. n. 10. Ab illo tria olea, Infirmorum nimirum, &c. feria quinta in Cœna Domini benedicuntur, lib. 3. n. 13.

Solus Epiſcopus Chriſmatis conferendi eſt ordinarius Miniſter, lib. 3. num. 26. Si ſit conſecratus, licet excommunicatus, hæreticus, vel degradatus, poteſt valide, quamvis illicite, miniſtrare ſacramentum Confirmationis, lib. 3. n. 29. Aliter dicendum, ſi ſit ſolum electus, lib. 3. n. 30. In locis remotis, quò raro accedit, convenienter confirmat infantes ante uſum rationis, lib. 3. n. 34. In ſua Diœceſi licite confirmat ſubditos alterius, lib. 3. n. 35.

Epiſcopus *circa Ordines conferendos.* V. Ordo.

Epiſcopus *circa paramenta, & reconciliationem Eccleſiæ.* Epiſcopus poteſt benedicere paramenta, & alia utenſilia ad ſacrificium Miſſæ neceſſaria, lib. 3. num. 64. Ad hæc benedicenda poteſt ſimplici Sacerdoti facultatem delegare, lib. 3. num. 66. De jure non requiritur illius licentia, ut ſimplex Sacerdos poſſit reconciliare Eccleſiam ſolum benedictam, lib. 3. n. 98. Requiritur tamen de facto, lib. 3. num. 99.

Solus Epiſcopus de jure poteſt reconciliare Eccleſiam, ſi ſit conſecrata, lib. 3. n. 103. Non tamen poteſt de jure ſimplici Sacerdoti delegare reconciliationem illius, lib. 3. n. 104. Sed poteſt reconciliationem delegare alteri Epiſcopo, lib. 3. num. 105.

Aqua, qua reconcilianda eſt Eccleſia conſecrata, à quolibet Epiſcopo benedici poteſt, lib. 3. n. 106. Epiſcopis poteſt Pontifex concedere facultatem delegandi poteſtatem ſimplici Sacerdoti, quam Epiſcopi de jure habent reconciliandi Eccleſias conſecratas, lib. 3. num. 108. Cœmeterium conſecratum debet reconciliari per Epiſcopum, lib. 3. num. 133.

Epiſcopus *circa Parochos examinandos.* Epiſcopus poteſt ad novum examen revocare Parochos etiam collatos, ſi eorum notus ſit defectus ſcientiæ, vel præcedat rumor de eorum imperitia, vel errore in ſacramentis miniſtrandis, lib. 4. num. 154. Vel quando probabiliter judicat Parochos eſſe inſufficientes, aut quia ſtudiis non vacarunt, aut quia ſcientiam, quam antea habebant, amiſerunt, lib. 4. n. 155 Idque poteſt tam in actu viſitationis, quam extra, lib. 4. num. 156. Omnes autem omnino Parochos collatos ſuæ Diœceſis non poteſt ad novum examen revocare, lib. 4. à n. 141. Qualiter poſſit Confeſſarios ad novum examen revocare, lib. 4. à n. 144.

Epiſcopus *circa ſimoniam.* Epiſcopus poteſt abſolvere, & diſpenſare in ſimonia occulta, lib. 1. n. 353. Secus

in ſimonia publica, lib. 1. num. 352. Cum ſimoniaco occulto, ut ſine nova collatione retineat beneficium, etiam poteſt diſpenſare, lib. 1. num. 354. Reliqua vide verb. Simonia.

Epiſcopus *circa vota commutanda, & diſpenſanda.* Epiſcopus poteſt de jure diſpenſare, & commutare vota, quæ non ſunt reſervata, lib. 1. num. 293. Extenditur hæc poteſtas ad vota de non petenda diſpenſatione, aut commutatione, lib. 1. n. 294. Item ad vota juramento firmata, lib. 1. num. 295. Reliqua vide verb. Votum.

Epiſcopus Braſilienſis.

Epiſcopus Braſilienſis varias habet facultates à Summis Pontificibus ſpecialiter conceſſas, lib. 1. à n. 1. Ad juriſdictionem ordinariam non pertinent maiori ex parte, lib. 1. à num. 5. At qua parte ad juriſdictionem ordinariam pertinent, etiam aliquid ſpeciale, & de novo conferunt, lib. 1. à n. 7. Illis uti poteſt Epiſcopus intra fines ſuæ Diœceſis etiam cum peregrinis, exteris, & advenis, etiam Religioſis, lib. 1. à n. 9. Statim à die datæ, id eſt, à die, quo Romæ expediuntur, lib. 1. à n. 16. & lib. 4. n. 505. Sive Epiſcopus ſupplicet, & acceptet per ſe, ſive per alios, lib. 1. n. 19. Etiam ante notitiam conceſſionis, dummodo ſit facta, lib. 1. n. 20. Quamvis catalogus facultatum naufragium faciat, aut aliter in via pereat, lib. 1. num. 25. Quod verum eſt tam pro foro interno, quam pro externo, lib. 1. n. 26. Dictis facultatibus uti poteſt Epiſcopus, licet ſolum ſit confirmatus, lib. 1. num. 47. Si excipias, quæ requirunt ordinem Epiſcopalem, lib. 1. n. 50. Idem poteſt Archiepiſcopus Braſilienſis ante receptionem pallii, lib. 1. à n. 51. Non expirant dictæ facultates morte Epiſcopi, cui conceduntur, ſi tempore obitus communicentur, lib. 1. num. 59. & lib. 4. num. 558. Neque morte Pontificis concedentis, lib. 1. à n. 55. & lib. 4. n. 555.

Epiſcopus Braſilienſis *circa abſolutionem à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt abſolvere ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, lib. 3. n. 293. Etiamſi tales caſus ſint publici, lib. 3. num. 294. & hoc non ſolum per ſe, ſed etiam per alios quoſcumque, quibus ipſe facultatem ſibi conceſſam communicaverit, lib. 3. n. 302.

Habens Pontifici reſervatum intra, vel extra Bullam Cœnæ, & confitens Epiſcopo Braſilienſi, vel ejus delegato, quamvis nullam ex oblivione de tali reſervato mentionem faciat, manet liber à reſervatione, lib. 3. num. 303. Idem dicendum, ſi confiteatur alicui ex prædictis, & faciat confeſſionem nullam, lib. 3. n. 304.

Extra ſacramentum Pœnitentiæ poteſt Epiſcopus Braſilienſis abſolvere ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, lib. 3. n. 305. Etiam poteſt à talibus caſibus abſentem abſolvere, lib. 3. n. 306. Non ſolum ſuum ſubditum, ſed etiam non ſubditum, v. g. advenam, peregrinum, & regularem, lib. 3. n. 307. Si incidat in aliquem caſum Sedi Apoſtolicæ reſervatum, in Bulla Cœnæ contentum, poteſt alteri dare facultatem, ut ipſum Epiſcopum abſolvat, lib. 3. num. 308. Per novam promulgationem Bullæ in Cœna Domini non revocatur facultas Epiſcopis Braſilienſibus conceſſa abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, lib. 3. n. 318.

Epiſcopus Braſilienſis *circa abſolutionem hæreſis.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt abſolvere ab hæreſi, apoſtaſia à fide, & ſchiſmate, ſive hæc crimina ſint occulta, ſive publica, lib. 3. n. 255. Hæc poteſtas extenditur non ſolum ad omnes perſonas Eccleſiaſticas tam ſæculares, quam regulares, lib. 3. n. 258. Sed etiam ad omnes perſonas laicas tam ſæculares, quam regulares, lib. 3. num. 260. Et hoc ignorantibus, aut etiam invitis ſuperioribus regularibus, lib. 3. num. 262. Si Epiſcopus, Braſilienſis incidat in hæreſim,

reſim, apoſtaſiam, aut ſchiſma, poteſt alteri dare facultatem ut ipſum Epiſcopum abſolvat, lib. 3. n. 263.

Non poteſt tamen abſolvere perſonas, quæ ex locis fuerint, ubi ſanctum Officium exercetur, ſi tales perſonæ extra loca miſſionum, ubi impune graſſantur hæreſes, incidant in hæreſim, apoſtaſiam à fide, & ſchiſma, lib. 3. n. 364. Aliter dicendum, ſi in locis, ubi impune graſſantur hæreſes, deliquerint, lib. 3. n. 265. Non poteſt abſolvere eos, qui judicialiter abjurarunt, & poſt judicialem abjurationem in hæreſim, apoſtaſiam à fide, & ſchiſma fuerunt relapſi, ſi iſti nati ſint ubi puniuntur hæreſes, v. g. in Portugallia, lib. 3. num. 271. Aliter dicendum, ſi nati ſint ubi non puniuntur hæreſes, v. g. in Anglia, lib. 3. n. 272. Hæc tamen abſolutio danda eſt ſolum in foro interno, & conſcientiæ, lib. 3. num. 273.

Epiſcopus Braſilienſis *circa ætatem ad Ordines.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare ſuper defectu ætatis unius anni ad Subdiaconatum, Diaconatum, aut Presbyteratum indeterminatè, lib. 1. n. 251. Cum jam aliunde diſpenſato in uno ætatis anno adhuc poteſt diſpenſare in alio ætatis anno, ita ut taliter ordinandus ad Ordines ſuſcipiendos accedat diſpenſatus in duplici ætatis anno, lib. 1 à num. 263. Reliqua vide verb. Ætas ad Ordines.

Epiſcopus Braſilienſis *circa bigamiam.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare in bigamia ſimilitudinaria, lib. 1. n. 209. Etiam poteſt diſpenſare in bigamia vera, ſi præciſa neceſſitas operariorum fuerit, lib. 1. num. 210. Reliqua vide verb. Bigamia.

Epiſcopus Braſilienſis *circa cauſas celebrandi bis in die.* Epiſcopus Braſilienſis, ſiquis Sacerdos in ejus Diœceſi appareat facultatem Pontificiam habens celebrandi bis in die, poteſt approbare, vel non approbare cauſas ad ita celebrandum, & cur? lib. 4. à n. 290. Sacerdotem, qui ſine legitima cauſa miſſam iteraret, poteſt punire ad arbitrium, lib. 4. n. 293. & 295. vel pœna pecuniaria, lib. 4. n. 296. vel pœna partim pecuniaria, & partim corporali, ſeu ſpirituali, lib. 4. n. 297.

Excipitur 2. Sacerdos ſæcularis, qui ſine legitima cauſa miſſam iteraret, & præterea ex aliis circumſtantiis fieret ſuſpectus de hæreſi: is enim ad DD. Inquiſitores eſſet remittendus, lib. 4. n. 294.

Epiſcopus Braſilienſis *circa communicationem ſuarum facultatum.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt facultates Pontificias ſibi ſpecialiter conceſſas alteri communicare, lib. 4. à num. 482. vel in totum, vel in partem, lib. 4. n. 498. exceptis illis, quæ requirunt Ordinem Epiſcopalem, vel non ſine ſacrorum oleorum uſu exercentur, lib. 4. n. 483. Communicationem à ſe factam poteſt iterum revocare, lib. 4. num. 500. Communicare poteſt quovis tempore vitæ ſuæ, lib. 4. num. 498. ſed præſertim tempore ſui obitus, lib. 4. n. 501.

Communicare non poteſt perſonis laicis, lib. 4. n. 491. Nec perſonis in Minoribus, Subdiaconatu, aut Diaconatu conſtitutis, lib. 4. n. 491. ſed ſolis Sacerdotibus communicare poteſt, lib. 4. n. 492. etiam Regularibus, lib. 4. n. 504. uni tantum, vel multis ſimul, lib. 4. n. 495. dummodo delegandus, vel delegandi ab Epiſcopo judicentur idonei, lib. 4. n. 494. Et intra ipſorum Diœceſes exiſtant, lib. 4. n. 497.

Communicare non poteſt ad plures, quam decem annos in ipſis facultatibus præſcriptos, lib. 4. n. 570. Unde facultatum communicatio expirat, finito decennio in illis præſcripto, lib. 4. n. 575. Quamvis delegati de induſtria negligant Sedem Apoſtolicam de Epiſcoporum obitu certiorem facere. Ibid.

Epiſcopus Braſilienſis *circa eſum carnium.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare ſuper eſu carnium in diebus jejunii, lib. 4. num. 421. Non ſolum

lum in jejunis infra annum, v. g. vigiliarum, quatuor temporum, &c. lib. 4. n. 422. ſed etiam in jejuniis Quadrageſimæ, lib. 4. n. 424. A' potiori poteſt diſpenſare in diebus infra annum, in quibus non jejunamus, ſed ſolum à carnibus abſtinemus, ut in ſextis feriis, ſabbatis per annum, & diebus Rogationum, lib. 4. num. 423. Immò & in Dominicis Quadrageſimæ, lib. 4. n. 425. Reliquà vide verb. Diſpenſandum in eſu carnium.

Epiſcopus Braſilienſis *circa homicidium.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare in homicidio voluntario non ſolum ad Ordines ſacros, & illorum uſum, ſed etiam ad obtinenda, & retinenda beneficia eccleſiaſtica ſimplicia, vel curata, lib. 1. num. 218. Dummodo ex tali diſpenſatione ſcandalum non oriatur, lib. 1. num. 217. Reliqua vide verb. Homicidium.

Epiſcopus Braſilienſis *circa illegitimos diſpenſandos.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare cum illegitimis ad ſacros Ordines, lib. 1. n. 187. Quin & ad beneficia curata, & dignitates eccleſiaſticas, lib. 1. n. 188. Reliqua vide verb. Illegitimi.

Epiſcopus Braſilienſis *circa impedimenta matrimonii diſpenſanda.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare in omnibus matrimonii impedimentis, in quibus poteſt Epiſcopus de jure communi, lib. 2 à n. 32. Vide ſupra verb. Epiſcopus *circa impedimenta matrimonii diſpenſanda.*

Præterea ex facultatibus Pontificiis ſibi ſpecialiter conceſſis poteſt Epiſcopus Braſilenſis diſpenſare in impedimentis matrimonii cum quibuſcumque perſonis.

Primò, in 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſimplici, lib. 2. num. 170. & 141.

Secundò, in 3. conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſimplici, lib. 2. num. 171.

Tertiò, in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus miſtim conjunctis, lib. 2. n. 172. & 141.

Quartò, in 4. conſanguinitatis, & affinitatis ſimplici, & in 3. & 4. gradibus miſtim conjunctis, etiam poſt contracta ſcienter, vel ignoranter matrimonia, ſi copulâ exinde ſubſecutâ conſummata fuerint talia matrimonia, lib. 2. n. 143.

Quintò, in 4. conſanguinitatis, & affinitatis ſimplici, & in 3. & 4. gradibus miſtim conjunctis, etiam poſt contracta ſcienter, vel ignoranter matrimonia, licet copulâ exinde ſubſecutâ conſummata non fuerint talia matrimonia, lib. 2. à n. 247.

Sextò, in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus miſtim conjunctis, quamvis tales gradus ſint multiplicati, lib. 2. n. 193.

Septimò, in 2. 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus miſtim conjunctis, lib. 2. n. 173. & 195.

Octavò, in 2. 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus miſtim conjunctis, quamvis tales gradus ſint multiplicati, lib. 2. n. 195.

Nonò, prædicta omnia poteſt Braſiliæ Epiſcopus cum quibusvis perſonis tum quoad matrimonia præterita, tùm quoad futura, lib. 2. n. 174.

Decimò, cum his verò, qui ab hæreſi, vel infidelitate convertuntur ad fidem Catholicam, etiam poteſt diſpenſare in 2. ſolo conſanguinitatis, & affinitatis gradu, ſed quoad matrimonia præterita tantum, minime verò quoad futura, lib. 2. num. 175. & 176.

Undecimò, poteſt diſpenſare in impedimento publicæ honeſtatis, juſtis ex ſponſalibus proveniente, lib. 2. n. 505. Et licet in impedimento publicæ honeſtatis, quod ex matrimonio rato provenit, diſpenſare non poſſit ex ſexta facultate Pontificia ſibi conceſſa præciſè, lib. 2. n. 508.

Duodecimò, poteſt tamen aliundè, nempe ex alio privilegio ipſi conceſſo, diſpenſare etiam in impedimento publicæ honeſtatis, quod ex matrimonio rato provenit, lib. 2. n. 141.

Decimo tertio, diſpenſare poteſt in impedimento criminis quocumque mo-

do commiſſi, dummodo non intervenerit machinatio mortis cum effectu, lib. 2. num. 534. 540. 142. & 145.

Decimo quarto, in impedimento cognationis ſpiritualis, præterquam inter levantem, & levatum, lib. 2. à num. 627.

Decimo quinto, in omnibus prædictis caſibus, tum quando diſpenſatur cum illis, qui ab hæreſi, vel infidelitate convertuntur ad fidem Catholicam, tum etiam quando diſpenſatur cum quibuſcumque aliis perſonis, poteſt Braſiliæ Epiſcopus prolem inde ſuſceptam, vel ſuſcipiendam declarare legitimam, lib. 2. num. 144 & 177.

Decimo ſexto, diſpenſare poteſt cum gentilibus, & infidelibus, plures uxores habentibus, ut poſt converſionem, & baptiſmum, quam ex illis maluerint, ſi ipſa etiam fidelis fiat, retinere poſſint, niſi prima voluerit converti, lib. 2. à n. 677.

Epiſcopus Braſilienſis *circa impedimenta matrimonii diſpenſanda cum neophytis.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare in impedimentis matrimonii cum neophytis.

Primò in 2. ſolo conſanguinitatis, & affinitatis gradu, etiam quoad futura matrimonia, lib. 2. n. 203.

Secundò non poteſt diſpenſare cum neophytis in 2. conſanguinitatis gradu miſtim cum 1. lib 2. à n. 215.

Tertiò, poteſt diſpenſare cum neophytis in 1. gradu, etiam rectæ lineæ affinitatis, ex copula illicita reſultantis, in occultis tamen, & in foro conſcientiæ tantum, ac urgentibus juſtis cauſis, lib. 2. n. 216.

Quartò, poteſt diſpenſare cum neophytis in impedimento cognationis ſpiritualis ortæ ex baptiſmo, & confirmatione, etiam inter levantem, & levatum, lib. 2. n. 219.

Quintò, poteſt diſpenſare cum neophytis in impedimento cognationis legalis ortæ ex adoptione. Ibid.

Sextò, poteſt diſpenſare cum neophytis in impedimento publicæ honeſtatis, ſive ex ſponſalibus, ſive etiam ex matrimonio rato proveniat. Ibid.

Septimò, poteſt diſpenſare cum neophytis in impedimento criminis, etiam morte ſecuta ex machinatione, quoad matrimonia præterita, lib. 2. à num. 546. minime verò in ordine ad matrimonia futura, lib. 2. n. 550.

Octavò, aliquando prædicta omnia poteſt Epiſcopus Braſilienſis ſe ſolo, lib. 2. à n. 235.

Nonò, in quibus tamen locis, & ſub quibus limitationibus, lib. 2. n. 236. & 239.

Decimò, quandiu id poſſit Epiſcopus Braſilienſis ſe ſolo, lib. 2. à num. 237.

Undecimò, in omnibus prædictis matrimoniis denuò celebratis, aut revalidatis prolem antecedenter ſuſceptam poteſt legitimam declarare, ac decernere, lib. 2. n. 220.

Duodecimò, ſub quibus tamen limitationibus prædicta omnia poſſit Braſiliæ Epiſcopus, lib. 2. à n. 204.

Epiſcopus Braſilienſis *circa indulgentias.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt largiri ter in anno indulgentiam plenariam contritis, confeſſis, ac ſacra communione refectis, lib 3. num. 162. Hanc facultatem largiendi ter in anno indulgentiam plenariam poteſt perſonis idoneis communicare, lib. 3. n. 163. Poteſt Epiſcopus Braſilienſis in omnibus, & ſingulis locis propriæ Diœceſis ter in anno indulgentiam plenariam largiri contritis, confeſſis, ac ſacra communione refectis, lib. 3. num. 164. Et hoc tribus anni diebus quibuscumque, ſive ii ſint continui, ſive interpolati, ſive fixi, ſive vagi, lib. 3. n. 165. Pro tali indulgentia concedenda congruentius eſt dies fixos ſtatuere, lib. 3. n. 166.

Qui in hac Sancti Sebaſtiani Civitate bis tantum lucratus eſt prædictam indulgentiam, poteſt eam tertiò lucrari in Civitate D. Pauli, lib. 3. num. 168. Qui in hac Sancti Sebaſtiani Civitate ter conatus eſt indulgentiam lucrari, adhuc poteſt in Civitate D. Pauli ter conari eamdem indulgentiam

tiam

tiam conſequi, lib. 3. num. 169. Qui verò in hac Sancti Sebaſtiani Civitate jam vere ter lucratus eſt indulgentiam, nequit illam poſtea in Civitate D. Pauli iterum lucrari, lib. 3. n. 170.

Prædictam indulgentiam lucrari poſſunt omnes Chriſti fideles tam Braſiliæ incolæ, quam advenæ, & peregrini, tam ſubditi, quam non ſubditi, atque etiam Regulares exempti, lib. 3. n. 172. Immò ipſe Epiſcopus Braſilienſis eamdem indulgentiam ſibi lucrari poteſt, lib. 3. n. 173.

Ad prædictam indulgentiam lucrandam requiritur primò contritio, lib. 3. n. 174. Sufficit tamen attritio vera, & ſupernaturalis. Ibid.

Requiritur ſecundò confeſſio valida, lib. 3. n. 176. non tamen generalis totius vitæ, lib. 3. n. 194.

Requiritur tertiò communio, lib. 3. n. 179. non tamen ſufficit communio ſacrilega, lib. 3. n. 180.

Requiritur quartò ſtatus gratiæ, lib. 3. num. 181.

Requiritur quintò contritio, confeſſio, & communio, non diſtributive, ſed conjunctive, lib. 3. n. 182. Ad prædictam indulgentiam lucrandam conſultius eſt habere intentionem actualem, vel virtualem, lib. 3. n. 192.

Sufficit ad prædictam indulgentiam lucrandam confeſſio, & communio, quibus ſatisfit præcepto annuæ confeſſionis, & communionis, ſi tempore Quadrageſimæ promulgetur talis indulgentia, lib. 3. n. 193. Occaſione indulgentiæ plenariæ ſicut non ſunt imponendæ pœnitentiæ graves, ita non ſunt omittendæ leves, præſertim ſi ſint medicinales, lib. 3. num. 195.

Epiſcopus Braſilienſis *circa indulgentiam quadraginta horarum.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt indicere orationem 40. horarum cum indulgentia plenaria, lib. 3. num. 395. & hoc in Eccleſia, quam maluerit, lib 3. n. 396. Hanc indulgentiam in oratione 40. horarum ter in anno non ſolum in hac Civitate Fluminenſi, ſed etiam in quolibet oppido intra fines Diœceſis indicere poteſt, lib. 3. n. 397. & quibuscumque diebus infra annum ipſius Epiſcopi arbitrio, lib. 3. n. 398.

Ad lucrandam indulgentiam 40. horarum, quam Epiſcopus Braſilienſis indicere poteſt, non aliæ requiruntur conditiones, quam illæ, quæ requiruntur ad conſequendam indulgentiam Bacchanalium, lib. 3. n. 394. Vide Indulgentia. Sacramentum.

Epiſcopus Braſilienſis *circa interſtitia diſpenſanda.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare in interſtitiis ad Ordines ſuſcipiendos, lib. 1. à num. 72. Quæ cauſæ ſufficiant, ut Epiſcopus Braſilienſis diſpenſet in interſtitiis ad Ordines, lib. 1. à n. 94. Reliqua vide verb. Diſpenſare in interſtitiis.

Epiſcopus Braſilienſis *circa irregularitatem diſpenſandam.* Epiſcopus Braſilienſis, exceptis bigamia vera, & homicidio voluntario, poteſt diſpenſare in omnibus irregularibus in jure expreſſis; aut ex delicto publico provenientibus, ad quas diſpenſandas juriſdictionem ordinariam non habet, lib. 1. n. 179. Atque etiam in duabus prædictis irregularitatibus, quæ ex homicidio voluntario, & bigamia vera proveniunt, ſi præciſa neceſſitas operariorum fuerit, lib. 1. num. 210. Reliqua vide verb. Irregularitas.

Epiſcopus Braſilienſis *circa lacticinia diſpenſanda.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare ſuper eſu ovorum, & lacticiniorum in diebus jejunii, ſi neceſſaria ſit diſpenſatio, lib. 4. à num. 438. Diſpenſatus ad edenda ova, & lacticinia, non cenſetur diſpenſatus ad edendas carnes, lib 4. num. 441. Reliqua vide verb. Lacticinia. Sagimen. Lardum.

Epiſcopus Braſilienſis *circa libros prohibitos.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt retinere, ac legere libros hæreticorum, vel infidelium, de eorum religione tractantes, & alios quomodolibet prohibitos, quibusdam exceptis, ad effectum eos impugnandi, lib. 4. num. 79. non tamen poteſt illos retinere, aut legere curioſitatis gratia,

lib. 4. n. 80. Sicut non poteſt licentiam dare, ut famulus legat, & ipſe audiat, ſi famulus intelligat linguam, in qua ſcriptus eſt liber, lib. 4. num. 82. Secus, ſi famulus non intelligat, lib. 4. n. 81. Nunquam tamen in primo caſu cenſuram incurrit Epiſcopus Braſilienſis, lib. 4. num. 83.

Præcipere non poteſt ſuis famulis, ut libros quomodolibet prohibitos apud ſe teneant, quin famuli ipſi incurrant excommunicationem, lib. 4. num. 84. Item non poteſt concedere, ut alter teneat, aut legat libros prohibitos, etiam ad effectum eos impugnandi, lib. 4. num. 85. multoque minus opera Caroli Molinei, Nicolai Macchiavelli, & libros de Aſtrologia judiciaria principaliter, vel incidenter, vel aliàs quovis modo de ea tractantes, lib. 4. n. 87. nec libros, quos ipſe Epiſcopus tenere, & legere poteſt, in alias provincias mittere poteſt, lib. 4. num. 89. poteſt tamen illos retinere, ac legere ad effectum eos impugnandi, etiam poſt elapſum decennium prioris conceſſionis, donec novam conceſſionem, quam de more jam petit, expectat, lib. 4. à n. 90. Reliqua vide verb. Liber.

Epiſcopus Braſilienſis *circa Miſſam.* Epiſcopus Braſilienſis celebrando Miſſam de Requiem in quocumque loco, & altari, & diebus in indulto aſſignatis, poteſt liberare animas à pœnis Purgatorii, lib. 3. n. 461. Per unam Miſſam de Requiem in prædictis diebus celebratam una tantum anima liberatur, lib. 3. n. 463. Feria ſecunda, in qua fit de ſemiduplici, non cenſetur impedita ad legendam Miſſam de Requiem in ordine ad liberandas animas à pœnis Purgatorii, lib. 3. n. 471. etiam in ordine ad hunc effectum dici poteſt ab iiſdem Epiſcopis Braſilienſibus Miſſa de Requiem feria ſecunda, & tertia, in quibus fit officium duplex ad libitum, lib. 3. num. 474. Hoc etiam fieri poteſt in feriis privilegiatis, in quibus non fit de feſtis duplicibus, ut ſunt feria ſecunda, & tertia maioris hebdomadæ, lib. 3. n. 486. V. quod dicitur, n. 494.

Epiſcopus Braſilienſis *circa Miſſam celebrandam.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt celebrare bis in die, lib. 4. à n. 252. per horam, & dimidiam, aut duas circiter horas ante Solis ortum, lib. 4. num. 263. ſimiliter poſt meridiem, lib. 4. à n. 265. Ut per tale tempus celebret, non requiritur cauſa gravis, ſed ſufficit quælibet cauſa aliquo modo rationabilis, lib. 4. num. 269. Poteſt celebrare ſine Miniſtro, ſeu Acolytho, lib. 4. num. 271. Tunc verò potius debet ſibi ipſi reſpondere, quam fœminam adhibere pro Miniſtro, ſeu Acolytho. Ibid. Neque ad celebrandum ſine Miniſtro requiritur cauſa gravis, ſed ſufficit cauſa cujuſcumque conſiderationis, lib. 4. n. 272.

Poteſt celebrare in loco publico, & campo aperto, dummodo locus ſit decenter ornatus, lib. 4. n. 273. item in cavernis montium, catacumbis, cryptis, aut aliis quibuſcumque locis ſubterraneis, dummodo talia loca ſint decenter ornata, lib. 4. n. 274. Ut celebret in prædictis locis, non requiritur gravis neceſſitas, ſed ſufficit quæcumque rationabilis cauſa, lib. 4. à n. 275.

Celebrare poteſt in petra Aræ etiam in dubio, an ſit enormiter fracta, lib. 4. n. 279. & licet in petra Aræ non ſint reliquiæ Sanctorum, lib. 4. n. 280. etiam præſentibus hæreticis, ſchiſmaticis, infidelibus, atque excommunicatis etiam vitandis, ſi aliter celebrare non poſſit, lib. 4. à n. 281. Licentiam dare poteſt celebrandi bis in die, concurrentibus ſolum illis cauſis, quæ ad id communiter approbantur, lib. 4. n. 286.

Epiſcopus Braſilienſis *circa Officium divinum.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt recitare Roſarium, vel alias preces loco Officii divini, lib. 4. num. 350. aut loco totius Officii, aut cujuſque illius partis, lib. 4. num. 363. Reliqua vide verb. Officium divinum.

Epiſcopus Braſilienſis *circa olea benedi-*
cenda.

cenda. Epiſcopus Braſilienſis habet facultatem conficiendi olea ſacra cum paucioribus Sacerdotibus, quam duodecim, lib. 3. num. 14. Deficientibus Sacerdotibus ſæcularibus poteſt olea ſacra benedicere cum regularibus, lib. 3. n. 15. Eidem conceditur facultas benedicendi olea ſacra extra diem Cœnæ Domini, lib. 3. n. 16. & hoc in quocumque die tam feſto, quam non feſto, lib. 3. num. 17. Vide Neceſſitas.

Epiſcopus Braſilienſis *circa Ordines conferendos.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt Ordines conferre extra Tempora, lib. 1. n. 91. & non ſervatis interſtitiis, lib. 1. à num. 72. Reliqua vide verbo Ordo.

Epiſcopus Braſilienſis *circa paramenta benedicenda.* Epiſcopo Braſilienſi conceditur facultas delegandi poteſtatem benedicendi paramenta, & alia utenſilia ad ſacrificium Miſſæ neceſſaria non ſolum abſque limitatione perſonarum, lib. 3. n. 80. ſed etiam abſque limitatione temporis, lib. 3. num. 81.

Epiſcopus Braſilienſis *circa Parochias providendas.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt ſuis Parochiis præficere regulares, eisque ſuos deputare Vicarios, lib. 4. num. 128. tum reſpectu parochiæ non collatæ, lib. 4 num. 129. tum etiam reſpectu Parochiæ collatæ, quæ ſit exigui redditus, lib. 4. num. 130. non autem reſpectu Parochiæ collatæ, cujus redditus ſint pingues, lib. 4. à n. 131. Reliqua vide verb. Regularis.

Epiſcopus Braſilienſis *circa perſonas ordinandas.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare cum ſuis ſubditis in temporibus, & interſtitiis ad Ordines, lib. 1. n. 91. & 120. Poteſt etiam diſpenſare cum regularibus, lib. 1. n. 122. Atque etiam cum illis, qui ab Ordinario ſuo dimiſſorias præſentant, in quibus Epiſcopus rogatur, ut cum dimiſſis diſpenſet, lib 1. n. 124. Reliqua vide verb. Diſpenſatio in interſtitiis quoad perſonas.

Epiſcopus Braſilienſis *circa reconciliationem Eccleſiæ.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt ſimplici Sacerdoti delegare poteſtatem reconciliandi Eccleſias conſecratas, lib. 3. n. 110. & cœmeteria etiam conſecrara, lib. 3. num. 154. Sufficit abſentia Epiſcopi Braſilienſis ultra duas dietas, ut ſimplex Sacerdos delegatus poſſit Eccleſiam conſecratam reconciliare aqua à ſe ſolemniter benedicta, lib. 3. n. 121. Etiam ſufficit mors Epiſcopi Braſilienſis, ſi ſuperſit, cui facultates ipſe communicaſſet, dum vixit, lib. 3. n. 122.

Epiſcopus Braſilienſis *circa ſimoniam diſpenſandam.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare in ſimonia publica, lib. 1. n. 356. Etiam retentis beneficiis, ſi ſimonia non ſit realis, lib. 1. n. 357. aut licet ſit realis, dummodo ſit occulta, lib. 1. n. 358. Reliqua vide verb. Simonia.

Epiſcopus Braſilienſis *circa Tempora diſpenſanda.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt diſpenſare in Temporibus ad Ordines, lib. 1. n. 91. Ut diſpenſet in Temporibus, eadem cauſa ſufficit, quæ ſufficit, ut diſpenſet in interſtitiis, lib. 1 n. 93. Quæ autem cauſa ſufficiat, ut diſpenſet in interſtitiis, lib 1. à n. 94. Reliqua vide verb. Diſpenſare in interſtitiis.

Epiſcopus Braſilienſis *circa veſtes induendas.* Epiſcopus Braſilienſis veſtibus ſæcularibus uti poteſt, lib. 4. n. 344. in quibus caſibus. Ibid.

Epiſcopus Braſilienſis *circa vota commutanda, & diſpenſanda.* Epiſcopus Braſilienſis poteſt commutare, vel diſpenſare tria vota peregrinationis Hyeroſolimitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ, lib. 1. n. 299. Item vota ſimplicia caſtitatis, & religionis, lib. 1. n. 301. Reliqua vide verb. Votum.

Epiſcopus Braſilienſis *circa uſum ſuarum facultatum.* Epiſcopus Braſilienſis tenetur gratis, & ſine ulla mercede facultates Pontificias exercere, lib. 4. n. 523. Ad idem tenentur Epiſcoporum delegati, lib. 4. n. 524. Nihilominus, ſi Epiſcopus, vel ejus delegatus non jam gratis, ſed ſub ali-

qua

qua mercede facultates Pontificias exercerent, adhuc gratiæ ab ipſis factæ eſſent validæ, lib. 4. n. 347. Notarius, & alii Officiales non tenentur inſtrumenta authentica pro gratiis expediendis gratis conficere, lib. 4. n. 526.

Epiſcopus Braſilienſis nec licite, nec valide poteſt facultates Pontificias exercere extra fines ſuæ Diœceſis, lib. 4. à num. 529 nec etiam cum ſuis ſubditis, qui exiſtant extra fines ſuæ Diœceſis, lib. 4 num. 535.

At verò intra fines ſuæ Diœceſis poteſt facultates exercere etiam cum ſubditis alienis, lib. 4 à n. 532. Si perſonæ, cum quibus facultates exercentur, intra propriam Epiſcopi Diœceſim exiſtant, poteſt Epiſcopus cum illis facultates exercere, quamvis ipſe Epiſcopus exiſtat extra fines propriæ Diœceſis, lib. 4. à num. 536. Reliqua vide verb. Epiſcopus Braſilienſis circa communicationem ſuarum facultatum.

Eſus. carnium.

Eſus carnium. V. Carnium eſus.

Euchariſtia.

Euchariſtia miniſtranda eſt damnatis ad mortem per modum Viatici, & quando. V. Damnatis ad mortem.

Examen.

Examen Parochorum. V. Parochus.

Examinatores.

Examinatores Synodales tenentur Epiſcopo declarare, quis ex examinatis dignior ſit, lib. 4. n. 99. Deſignantur à Tridentino tamquam advocati, & inſtrumenta rationalia, quibus mediantibus maiorem examinatorum idoneitatem agonoſcat Epiſcopus, lib. 4. n. 101. Sunt Epiſcopi conſultores non liberi, ſed neceſſarii ad eligendos digniores Parochos, lib. 4. n. 106. V. Dignior.

Excommunicatio.

Excommunicatio, quæ eſt quædam cenſura, ſeu pœna eccleſiaſtica, dividitur in maiorem, & minorem, lib. 4 n. 239. Excommunicatio minor eſt una tantum, & ſolum incurritur, cum quis communicat cum excommunicato vitando. Ibid. Privat tantum uſu paſſivo, ſeu receptione Sacramentorum, lib. 4. num. 240. Sic peccaret mortaliter qui hac excommunicatione irretitus aliquod ſuſciperet Sacramentum. Ibid.

Excommunicatio maior multipliciter incurritur, ſicut multipliciter fertur tum à jure, tum ab homine, lib. 4. num. 239, Privat uſu activo, & paſſivo Sacramentorum, communibus Eccleſia ſuffragiis, &c. lib. 4. num. 241. Exceptis quinque caſibus. 1. in caſu utilitatis ſive ſpititualis, ſive temporalis. 2. in caſu legis matrimonialis. 3. in caſu ſubjectionis. 4. in caſu ignorantiæ juris, vel facti. 5. in caſu neceſſitatis ſive animæ, ſive corporis, qui caſus hoc verſu comprehenduntur: *Utile, lex, humilis, res, ignorata, neceſſe.*

Excommunicationis abſolutio, quando licentia abſolvendi per internuntium fuit petita, & à ſuperiore jam conceſſa, licet nuntius nondum redierit, eſt valida, lib. 1. n. 22. Uſus tamen talis licentiæ ante acceptam de illa notitiam, quamvis ſit validus, eſt temerarius, adeoque illicitus. Ibid.

Excommunicatio Papæ reſervata abſolvi poteſt à Braſiliæ Epiſcopis, lib. 2. n. 137. Excommunicatio incurritur ab his, qui in gradibus prohibitis matrimonium contrahunt, niſi ignorantia juris, aut facti excuſet, lib. 2. num. 352 Hæc tamen excommunicatio abſolvi poteſt ab eo, à quo dicti contrahentes diſpenſari poſſunt, lib. 2. à n. 354. Reliqua vide verb. Bulla Cœnæ.

Excommunicatus.

Excommunicatus excōmunicatione maiori dividitur in toleratum, & non toleratum, ſeu vitandum, lib. 4. num. 242. Cum excommunicato tolerato poſſumus communicare tam in rebus ſacris, quam in politicis. Ibid. Ipſis verò excommunicatis toleratis prohibetur ſub mortali divinis Officiis intereſſe, & cum aliis fidelibus communicare in divinis, lib. 4. n. 244.

At

At verò excommunicatum non toleratum tenemur vitare, unde dicitur vitandus, lib. 4. num. 343. Duo tantum ſunt excommunicati vitandi, 1. notorius Clerici percuſſor. 2. quivis nominatim excommunicatus, & ſpecialiter denuntiatus. Ibid. Excommunicato vitando non licet Miſſam audire, nec divinis Officiis intereſſe, nec cum aliis fidelibus communicare in divinis, lib. 4. num. 245. Quid agendum, ſi excommunicatus vitandus ingrediatur ad Miſſam audiendam, lib. 4. à n. 246. Vide Miſſa.

Epiſcopus Braſilienſis poteſt excommunicatis in articulo mortis indulgentiam plenariam concedere, ſi non ſint pertinaces, lib. 3. n. 348.

Exercitium facultatum.

Exercitium facultatum duplex eſt, alterum activum, paſſivum alterum, lib. 4. n. 541. Exercitium facultatum activum datur, quando Epiſcopus in gratiam alicujus facultates exercet, lib. 4. n. 542. Exercitium facultatum paſſivum tunc datur, quando gratia ab Epiſcopo facta recipitur, ſeu in actum reducitur. Ibid. Exercitium facultatum expirat, finito decennio in iiſdem præſcripto, lib. 4. n. 570. Reliqua vide verb. Epiſcopus Braſilienſis circa uſum ſuarum facultatum.

Extrema unctio.

Extrema unctio eſt verum, & proprium Sacramentum novæ legis, lib. 3 num. 41. Solus Sacerdos poteſt illam miniſtrare, lib 3. n. 42. Proprius tamen Miniſter illius eſt ſolus Parochus, lib. 3 n. 42. Hic tenetur ex juſtitia, & ſub mortali extremam unctionem miniſtrare, ſi ægrotus illam petat, lib. 3. num. 43. immò in caſu neceſſitatis ſine ſuperpelliceo, & ſtola, lib. 3. n. 44. Etiam illam miniſtrare debet, quamvis ægrotus non petat, nec ullo ſenſu tunc utatur, lib. 3. n. 45. Ægrotus, qui caret organo ſenſuum, ungi debet in partibus proximioribus organo, quod non habet, lib. 3. n. 46.

Hujus ſacramenti capaces ſunt muti, ſurdi, & cœci à nativitate, lib. 3. n. 47. Ad illius valorem ſufficit, ſi unum oculum, unam manum, &c. inungat Sacerdos, lib. 3. n. 50. Eâdem durante infirmitate, ſi varietur morbi ſtatus, ita ut æger dicatur incidere in novum periculum, iterari poteſt, lib. 3. num. 51.

Quinque unctiones in locis quinque ſenſuum ita ſunt de neceſſitate ſacramenti, ut nulla illarum per ſe ſumpta verum ſacramentum, etiam partiale, conſtituat, lib. 3. num. 52. in praxi tamen tutum eſt, ut urgente articuli mortis neceſſitate, poſſint ſub conditione unus oculus, una manus, &c. velociter ungi ſine forma crucis, & ſub una tantum forma omnes complectente, lib. 3. n. 53.

Ad valorem hujus ſacramenti non requiritur de neceſſitate ſacramenti, quod oleum ſit eo anno benedictum, lib. 3. num. 55. Requiritur tamen de neceſſitate præcepti, lib. 3. num. 55. Siquis non habeat oleum hoc anno benedictum, & adhibeat oleum anno præterito benedictum, non peccat, lib. 3. n. 55. Si anno nondum finito timeatur defecturum oleum benedictum, tunc poteſt affundi guttatim oleum non benedictum, ita tamen, ut quod de novo affunditur, ſit ſemper minus benedicto, lib. 3. n. 56.

In caſu neceſſitatis pro extrema unctione miniſtranda uti licet chriſmate, lib. 3. n. 57. Hujus ſacramenti nonnulli effectus habentur, lib. 3. n. 59. Poteſt eſſe validum, & informe, ita ut recedente fictione, cauſet gratiam, lib. 3. n. 60.

F

FACULTAS.

FACULTAS idem ſonat, ac facilitas agendi, lib. 1. n. 3. Variæ facultates Braſiliæ Epiſcopis conceduntur, lib. 1. à n. 1. in bonum ſpirituale Braſilienſium, lib. 1. n. 3. Quam ob cauſam concedantur, lib. 1. n. 4. Ad juriſdictionem ordinariam Epiſcopo-

coporum pleraque non pertinent, lib. 1. n. 5. & 6. In his tamen, quæ de jure poſſunt Epiſcopi, ſemper aliquid ſpeciale operantur, lib. 1. num. 7. & 8. Valent quoad eſſentiam à die datæ, id eſt à die, quo Romæ conceduntur, & expediuntur, lib. 1. à n. 16. Quoad uſum verò, & exercitium valent à die, quo ad Braſiliam perveniunt, & ad manus Epiſcoporum, lib. 1. à n. 30. Valent, ſive Epiſcopus ſupplicet, & acceptet per ſe, ſive per alium, lib. 1. n. 19. idque ante notitiam conceſſionis, lib. 1. num. 20. & quamvis poſt ſui conceſſionem naufragium faciant, aut in via aliter pereant, lib. 1. n. 25. Quod verum eſt tam pro foro interno, quam externo, lib. 1. num. 26. Non expirant morte concedentis, lib. 1. à n. 55. & lib. 4. n. 555. Nec morte illius, cui conceduntur, lib. 1. n. 59. & lib. 4. num. 558. Quæ de jure non competunt Epiſcopis, non tranſeunt in Capitulum, Sede vacante, lib. 1. n. 61. Quæ verò Epiſcopis de jure competunt, tranſeunt in Capitulum, Sede vacante, lib. 1. n. 63. Illis uti poſſunt Epiſcopi intra fines ſuæ Diœceſis etiam cum peregrinis, exteris, & advenis, etiam Religioſis, lib. 1. à n. 9.

Facultate diſpenſandi conceſſa, ſi nulla fiat exceptio, veniunt omnia, lib. 2. n. 196. & 344.

Facultatum communicatio.

Facultatum communicatio. V. Communicatio facultatum. Et Epiſcopus Braſilienſis circa communicationem ſuarum facultatum.

Facultatum uſus.

Facultatum uſus. V. Epiſcopus Braſilienſis circa uſum ſuarum facultatum.

Famulus.

Famulus, qui juſſu domini legit libros hæreticorum hæreſim continentium, aut de Religione tractantium, incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, lib. 4. n. 52.

Feria.

Feria ſecunda, in qua fit de ſemiduplici, non cenſetur impedita ad legendam Miſſam de Requiem in ordine ad effectum liberandi animas à Purgatorii pœnis, lib. 3. n. 471. etiam in ordine ad eumdem effectum dici poteſt Miſſa de Requiem ab Epiſcopis Braſilienſibus feria ſecunda, & tertia, in quibus fit Officium duplex ad libitum, lib. 3. n. 474. Feriis privilegiatis, in quibus non fit de feſtis duplicibus, ut ſunt feria ſecunda, & tertia maioris hebdomadæ, dici poteſt ab iiſdem Miſſa de Requiem, lib. 3. n. 486. V. quod dicitur, n. 494.

Feſti dies.

Feſti dies, quibus ex indulto Apoſtolico Ordines conferri poſſunt extra Tempora, & non ſervatis interſtitiis, ſunt omnes dies Dominici, & feſti de præcepto in foro, lib. 1. n. 142. Sufficit, quod ſit dies feſtus in Diœceſi, in qua Ordines conferuntur, lib. 1. num. 143. Pro Regularibus ordinandis ſufficit, ſi in eorum monaſterio, aut Religione celebretur feſtum. Ibid. Poſſunt Ordines conferri etiam diebus feſtis, qui tales ſunt in choro tantum, lib. 1. à n. 145. Dies feſti debent eſſe interpolati, minime verò continui, niſi ex ſpeciali privilegio, lib. 1. à n. 160. Religioſi Societatis JESU ordinari poſſunt tribus diebus feſtis etiam continuis, lib. 1. n. 161. In hoc privilegio non communicant alii Religioſi. Ibid. Ut Religioſi Societatis JESU ordinentur tribus diebus feſtis etiam continuis, ſufficit, quod ſint dies feſti in choro tantum, lib. 1. n. 163. & 164.

Fides.

Profeſſio fidei Chriſtianæ, lib. 3. num. 334. V. Apoſtaſia à fide.

Formula.

Formula conficiendi petitiones pro diſpenſationibus matrimonii impetrandis, lib. 2. à n. 386.

Formula, & praxis hæretici cum Eccleſia Catholica reconciliandi, lib. 3. num. 329.

S. Franciſcus Xaverius.

S. Franciſcus Xaverius. V. Officium, & Recito.

GRA-

G

GRADUS.

GRADUS conſanguinitatis ſimplices, lib. 2. n. 181. Gradus conſanguinitatis miſti, lib. 2. à n. 186. Gradus remotior trahit ad ſe, & imbibit propinquiorem, lib. 2. n. 209. Excipe, ſi gradus propinquior fuerit primus, lib. 2. n. 210. Primus enim gradus niſi exprimatur in diſpenſatione petenda, diſpenſatio erit nulla, lib. 2. n. 192.

Quartus conſanguinitatis gradus miſtim cum quinto non indiget diſpenſatione, lib. 2. n. 191. & 372. In diſpenſatione petenda tum gradus remotior, tum propinquior exprimi debent, lib. 2. n. 368. Hinc non valet diſpenſatio, ſi unius tantum gradus ſimplicis mentio fiat, cum tamen ſit duplicatus, lib. 2. n. 369.

Gratia.

Gratia ſtatim valet, ubi primum fit, & acceptatur, lib. 1. n. 18. Ut dicatur facta, ſufficit dicere: *Fiat*, lib. 1. n. 25. Dicitur tamen informis ante literarum expeditionem, lib. 1. n. 27.

Gratia ſpecialiter conceſſa aliquid amplius de novo confert, quam de jure poteſt Epiſcopus, lib. 1. n. 7. & 265. lib. 4. n. 254. & 365.

Generalis.

Generalis. V. Benedicere. Paramenta.

Gymnaſia.

Gymnaſia Societatis JESU qui frequentant, multas poſſunt lucrari indulgentias, lib. 3. n. 198.

H

HÆRESIS.

HÆRESIS definitur: Error voluntarius, & pertinax contra aliquam doctrinam, & veritatem fidei Chriſtianæ in eo, qui fidem recepit, lib. 3. n. 200. Diſtinguitur ab apoſtaſia à fide in eo, quod ſit contraria alicui tantum veritati fidei Chriſtianæ, lib. 3. n. 204.

Dividitur in formalem, & materialem, lib. 3. n. 209. Hæreſis formalis dividitur in mentalem, ſeu pure internam, & in externam ſimul, & internam, lib. 3. n. 210. Hæreſis externa dividitur in eam, quæ eſt omnino manifeſta per ſe, ſed occulta per accidens, lib. 3. n. 211. Hæreſis ſecundum ſententiam probabilem differt ſpecie ab apoſtaſia à fide, lib. 3. n. 214. Secundum aliam ſententiam etiam probabilem ſolum differt ſecundum magis, & minus. Ibid.

Hæreticus internus, ſimul & externus, qui verbo, aut ſigno per ſe manifeſtat hæreſim, incurrit excommunicationem primo Canone Bullæ Cœnæ latam, lib. 3. n. 231. Ad hæreſim internam manifeſtandam requiritur primò, quod ſignum externum ſit completum, & integrum, lib. 3. n. 232. Requiritur ſecundò, quod ſignum externum ex ſe ſit peccatum grave in materia hæreſis, lib. 3. n. 233.

Hinc ſequitur primò excommunicationem Bullæ Cœnæ non incurrere hæreticum internum, qui ſuam hæreſim internam manifeſtat verbo, aut ſigno, quod ex ſe non eſt peccatum grave, lib. 3. n. 234.

Sequitur ſecundò, & à fortiori illam non incurrere, qui nec verbo, nec ſigno aliquo externo hæreſim manifeſtat, lib. 3. n. 235. Etiam non incurrit prædictam excommunicationem hæreticus internus, ſimul & externus, ſed occultus per accidens, lib. 3. n. 236.

Epiſcopi de jure non poſſunt abſolvere ab hæreſi, quam incurrunt hæretici, apoſtatæ à fide, & ſchiſmatici, ſi illorum hæreſis ſit publica, lib. 3. num. 237. Idem dicendum de Prælatis Regularibus per ordinem ad Sæculares, ſive illorum hæreſis ſit publica, ſive pet accidens occulta, lib. 3. n. 238. Probabile tamen eſt, poſſe Epiſcopos poſt Bullam Cœnæ ex vi facultatis à Tridentino ipſis conceſſæ abſolvere

ſolvere ab hæreſi, & aliis criminibus occultis, lib. 3. num. 246.

Epiſcopus Braſilienſis poteſt abſolvere ab hæreſi tam occulta, quam publica, lib. 3. n. 255. Hæc facultas extenditur primò ad omnes perſonas eccleſiaſticas tam ſæculares, quam regulares, lib. 3. n. 258. Extenditur ſecundò ad omnes perſonas laicas tam ſæculares, quam regulares, lib. 3. n. 260. & hoc etiam ignorantibus, aut etiam invitis Superioribus regularibus, lib. 3. n. 262. Si Epiſcopus Braſilienſis incidat in hæreſim, poteſt alteri dare facultatem, ut ipſum Epiſcopum abſolvat, lib. 3. num. 263 V. Epiſcopus Braſilienſis circa abſolutionem hæreſis, &c.

Epiſcopus Braſilienſis poteſt concedere indulgentiam plenariam primò converſis ab hæreſi, lib. 3. n. 322. Ut hæc indulgentia conſequatur, ſolum requiritur converſio ab hæreſi, lib. 3. n. 324.

Hæreticus.

Hæreticus, qui metu compulſus aliquod opus externum faceret, v. g. idolis thurificando, dummodo nullum errorem haberet in intellectu, non eſſet vere, & proprie hæreticus, nec pro foro interno incurreret pœnas hæreticis impoſitas, lib. 3. n. 200.

Catechumenus, qui jam in Chriſtum credidit, & fidem recepit, non tamen baptiſmum in re, ſi aliquem fidei articulum neget, in foro interno, & apud Deum reputatur hæreticus, lib. 3. n. 207. non tamen in foro externo, & apud homines, lib. 3. num. 208. Omnis hæreticus eſt ſchiſmaticus, non tamen è contra, lib. 3. n. 216. Hæreticus variis ſubjacet pœnis temporalibus, & ſpiritualibus, lib. 3. num. 219. Quænam ſint hæ pœnæ. V. Pœna.

Hæreticus internus, ſimul & externus, qui verbo, aut ſigno per ſe manifeſtat hæreſim, incurrit excommunicationem in Canone primo Bullæ Cœnæ latam, lib. 3. n. 231. Epiſcopi de jure non poſſunt abſolvere ab hæreſi, quam incurrunt hæretici, ſi ſit publica, lib. 3. n. 237. Idem dicendum de Prælatis Regularibus per ordinem ad hæreticos ſæculares, ſive illorum hæreſis ſit publica, ſive occulta per accidens, lib. 3. n. 238. In articulo mortis poteſt hæreticus abſolvi à quocumque Sacerdote, lib. 3. num. 247. Si in articulo mortis adſit Sacerdos habens requiſita ad abſolvendum ab hæreſi, adhuc hæreticus poteſt abſolvi tum valide, tum licite à quocumque ſimplici Sacerdote, lib. 3 n. 248. Praxis, & formula hæretici cum Eccleſia Catholica reconciliandi, lib. 3. n. 329. Hæreticis non poteſt Epiſcopus Braſilienſis concedere indulgentiam plenariam in articulo mortis, lib. 3. num, 347.

Homicidium.

Homicidium voluntarium, cui annexa eſt irregularitas, diverſimode uſurpartur, lib. 1. à n. 213. In eo poſſunt diſpenſare Braſiliæ Epiſcopi non ſolum ad ſacros Ordines, & illorum uſum, ſed etiam ad obtinenda, & retinenda beneficia eccleſiaſtica ſimplicia, vel curata, lib. 1. num. 218. Dummodo ex tali diſpenſatione ſcandalum non oriatur, lib. 1, num. 217. Quandò verò ſcandalum non oriatur. V. Scandalum.

A' potiori poſſunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in homicidio caſuali, lib. 1. n. 219. Quod tamen, ut irregularitatem pariat, debet eſſe aliquo modo culpabile, lib. 1. n. 216. Poſſunt etiam diſpenſare in irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis, lib. 1. num. 220. Item cum judice, teſtibus, & aliis, qui concurrunt ad mortem, atque etiam cum milite, qui in bello juſto alios occidit. Ibid. In homicidio facto cauſa propriæ defenſionis, quamvis excedatur moderamen inculpatæ tutelæ, lib. 1. n. 221. Et in mutilatione gravi alicujus membri principalis. Ibid.

Siquis duo homicidia patravit, & de primo jam fuit diſpenſatus, impetratio diſpenſationis pro ſecundo homicidio non valet, niſi fiat mentio diſpenſatione jam data pro primo, lib. 1. num. 230. Qui occidit Presbyterum,

rum, & in petenda diſpenſatione ſolum dicit, ſe occidiſſe hominem, probabiliter manet diſpenſatus, lib. 1. num. 231. Cum omnibus perſonis, quæ ſint intra fines propriæ Diœceſis, poteſt Braſiliæ Epiſcopus diſpenſare in præfatis caſibus, lib. 1. n. 232.

Si Epiſcopus diſpenſationem injuſte neget, poteſt ejus ſubditus ad Metropolitanum appellare, & ab eo diſpenſari, lib. 1. n. 233. Diſpenſatio irregularitatis non habet determinata verba, nec certam aliquam formam, lib. 1. num. 235.

Honeſtas.

Honeſtas eſt propinquitas perſonarum orta ex ſponſalibus, vi cujus ex inſtructione Eccleſiæ neuter ſponſorum valide contrahit cum conſanguineis alterius, lib. 2. n. 486. Tum ex ſponſalibus juſtis, tum ex matrimonio rato, non tamen conſummato, reſultat, lib. 2. n. 489. Item ex matrimonio rato, licet invalido quacumque ex cauſa, præterquam ex defectu conſenſus, lib. 2. n. 491. Orta ex ſponſalibus validis (ex invalidis enim non oritur) dirimit uſque ad primum gradum tantummodo, lib. 2. num. 492. Comprehendit conſanguineos alterius ſponſi etiam illegitimos, lib. 2. n. 493. Orta verò ex matrimonio rato extenditur uſque ad quartum gradum, lib. 2. n. 494. Durat etiam poſt mortem alterius ſponſi, lib. 2. num. 495. & 498. Sponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis non perit, lib. 2. à n. 496

In impedimento honeſtatis quis poſſit diſpenſare. V. Diſpenſare in Braſilia. Epiſcopus Braſilienſis.

Hora.

Hora celebrandi Miſſam incipit ante auroram, & quando, lib. 4. num. 207. Niſi prævaleat conſuetudo in contrarium, tunc enim inchoari poteſt Miſſa multo ante auroram, lib. 4. num. 210. & 212. Quandiu durat Miſſa ſolemnis poſt meridiem, celebrari poſſunt Miſſæ privatæ, lib. 4. n. 213. V. Miſſa. Oratio 40. horarum.

I

JACARE'.

JACARE' V. Carnium eſus.

SS. MM. Japponenſes.

De SS. MM. Japponenſibus, nempe Joanne, Didaco, & Paulo, recitant die 5. Februarii ſub ritu duplici maiori Patres Societatis JESU, lib. 3. num. 533.

Jejunium.

Jejunium nomen habet à quodam inteſtino, quod fermè vacuum eſt, lib. 4. n. 367. Metaphoricè ſumptum accipitur pro abſtinentia à vitiis. Ibid. Strictè ſumptum dividitur in naturale, & eccleſiaſticum, lib. 4. n. 369. Naturale definitur: Perfectiſſima abſtinentia ab omni cibo. & potu. Ibid. Non eſt de præcepto divino, ſed de ſolo jure eccleſiaſtico, lib. 4. num. 371.

Datur etiam jejunium, quod dicitur juris naturalis, & eſt illud, quod ratio naturalis præſcribit, ut v g. quando eſcam corpori ſubtrahimus, ut animæ imperanti promptius obediat, lib. 4. n. 370.

Jejunium eccleſiaſticum definitur: Voluntaria abſtinentia à cibo juxta præſcriptum Eccleſiæ, vel receptam conſuetudinem, lib. 4. n. 372.

Datur etiam jejunium, quod dicitur juris eccleſiaſtici, & eſt illud, quod Eccleſia præcipit, ut quando præcipit jejunium naturale ante communionem, ſeu Euchariſtiæ ſumptionem, lib. 4. n. 371.

Ad jejunium eccleſiaſticum tria requiruntur, lib. 4. n. 373. Requiritur 1. abſtinentia à carnibus. Ibid. Requiritur 2. unica comeſtio. Ibid. Requiritur 3. hora. certa comeſtionis. Ibid. Jejunii dies, lib. 4. à num. 374. Jejunium Quadrageſimæ non eſt de præcepto divino, lib. 4. n. 375.

In jejunio poteſt diſpenſare Summus Pontifex. lib. 4. n. 415. Cum cauſa, vel ſine illa, lib. 4. n. 413. Cum cau-

ſa diſpenſat tum valide, tum licite. Ibid. Sine cauſa adhuc diſpenſat valide, non tamen licite. Ibid. In jejunio diſpenſatus etiam ſine cauſa, licite utitur diſpenſatione ſibi facta, lib. 4. num. 417.

In jejuniis peculiaribus cujuſcumque Diœceſis poteſt ejus Epiſcopus diſpenſare, lib. 3. n. 418. Atque etiam in jejunio juris communis, data rationabili cauſa, lib. 4. n. 419. minime verò, ſi non detur rationabilis cauſa, lib. 4. num. 418.

Qui frangit jejunium comedendo carnes, unum probabiliter committit peccatum, lib. 4. n. 438. Unde non tenetur aperire in confeſſione modum, quo jejunium violavit. Ibid.

S. Ignatius.

V. Officium, & Recito.

Ignorantes.

Ignorantes reſervationem medicinalem, illam incurrunt, lib. 3. n. 284. Aliter dicendum de ignorantibus reſervationem pœnalem, lib. 3. n. 285. Quamvis ignorantes non incurrant cenſuram, nihilominus incurrunt reſervationem ab Epiſcopo factam, lib. 3. num. 286. At contraria ſententia eſt probabilior. Ibidem.

Iguana.

Iguana. V. Carnium eſus.

Illegitimi.

Illegitimi ſunt irregulares, ſed ab Epiſcopo diſpenſabiles ad Ordines minores, & beneficium ſimplex, lib. 1. n. 184. Diſpenſati ad Ordines minores non manent diſpenſati ad beneficium ſimplex, lib. 1. n. 193. Si ſint occulti, probabiliter ſunt ab Epiſcopo diſpenſabiles ad ſacros Ordines, lib. 1. num. 185.

Cum illegitimis poteſt Papa diſpenſare ad omnes ſacros Ordines, Epiſcopatus, Dignitates, & beneficia curata, lib. 1. n. 186. Cum illis etiam poſſunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare ad ſacros Ordines, lib. 1. n. 187. Poſſunt etiam cum iiſdem diſpenſare ad beneficia curata, & Dignitates eccleſiaſticas, lib. 1. n. 188. Quamvis illegitimus eſſet Religioſus, ſi Braſiliæ Epiſcopus eum vellet alicui ſuæ Parochiæ præficere, lib. 1. n. 192.

Illegitimus diſpenſatus ad ſacros Ordines, & beneficium ſimplex non manet diſpenſatus ad beneficium curatum, lib. 1. n. 194. Sicuti ſi diſpenſetur ad unum tantum beneficium curatum, non manet diſpenſatus ad plura. Ibid. Secus, ſi diſpenſetur ad beneficium curatum in communi. Ibid.

Illiterati.

Illiterati ſunt in duplici differentia: alii enim ſunt, qui nec legere ſciunt, alii verò, quamvis legere ſcient, adhuc tamen non habent, quantum doctrinæ requiritur, lib. 1. n. 196. Priores ita ſunt irregulares, ut meritò dubitetur, an in eorum irregularitate poſſit Papa diſpenſare. Ibid. Circa poſteriorum irregularitates mitius agunt Authores; alii enim affirmant, alii negant eſſe irregulares, lib. 1. n. 197.

Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare in omni irregularitate ex defectu ſcientiæ, qui ſit contra Canones eccleſiaſticos, lib. 1. n. 198. Maximè ſi illiteratus ſit Religioſus, lib. 1. n. 199. Minus enim ſcientiæ ad Ordines ſufficit regulari, quam ſæculari. Ibid. & num. 200.

Impedimentum.

Impedimentum phyſicum, v. g. infirmitas, qua Epiſcopus Braſilienſis ita detinetur, ut impotens ſit aquam benedicere, ſufficit, ut ſimplex Sacerdos poſſit Eccleſiam conſecratam reconciliare aqua à ſe benedicta, lib. 3. n. 123. Ad hoc ipſum ſufficit impedimentum morale, quo Epiſcopus Braſilienſis redditur moraliter impotens aquam benedicere, lib. 3. num. 124.

Impedimenta matrimonii.

Impedimenta matrimonii ſunt inhabilitas perſonarum, illud contrahere volentium, à jure naturali, vel eccleſiaſtico proveniens, lib. 2. num. 4. Impedimenta matrimonii alia ſunt dirimentia, alia verò impedientia, lib. 2. à num. 4. Impedimenta matrimonii dirimentia, præter defectum conſenſus, his verſibus comprehenduntur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultûs Diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta verò matrimonii, quæ illud tantum impediunt, & illicitum reddunt, his carminibus continentur.

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriarum,
Atque Catechiſmus, Crimen, Sponſalia, Votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Cognatio legalis eſt propinquitas perſonarum, proveniens ex adoptione perfecta, lib. 2. n. 9. Dirimit uſque ad 4. gradum inter adoptantem, & adoptatum, ejusque deſcendentes. Ib. Dividitur in paternitatem, fraternitatem, & affinitatem, lib. 2. n. 11.

Cognatio ſpiritualis, quæ à jure eccleſiaſtico oritur inter perſonas aliquas ratione Baptiſmi, & Confirmationis, dirimit matrimonium inter baptizantem, & baptizatum, hujusque patrem, & matrem, lib. 2. n. 15.

Cognatio carnalis eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite proximo deſcendentium, dirimitque uſque ad 4. gradum lineæ transverſæ incluſivè. Quoad 1. gradum fortaſſis jure maturæ, quoad reliquos verò tres, ſolo jure eccleſiaſtico, lib. 2. n. 16. Pro cognatione carnali dignoſcenda traduntur regulæ, lib. 2. à n. 17. Ejus deſcribuntur lineæ, lib. 2. à n. 19. Ejuſdem exponuntur nomina, lib. 2. à n. 20.

Triplex eſt Crimen: Primum eſt homicidium conjugis ab altero conjuge, & alio tertio, ſive phyſice, ſive moraliter perfectum, eo conſilio, ut poſtea inter ſe matrimonium contrahant, lib. 2. n. 22.

Secundum eſt adulterium, quando duo carnaliter ſe cognoſcunt, vivente alterius conjuge, & vel matrimonium contrahunt de præſenti, vel ſaltem dant fidem de ineundo poſt mortem conjugis, lib. 2. n. 23.

Tertium crimen eſt raptus, per quem perſona cum violentia abducitur matrimonii ineundi cauſa, lib. 2. num. 24. Durat hoc impedimentum, quandiu rapta in poteſtate raptoris exiſtit. Ibid.

Cultûs diſparitas eſt diverſitas religionis v. g. inter fidelem, & infidelem, lib. 2. n. 25. Dirimit inter baptizatum, & non baptizatum. Ibid. Inter baptizatos verò, licet diverſæ religionis, ſolum impedit, lib. 2. n. 26.

Honeſtas eſt juſtitia publicæ honeſtatis, ob quam nemo poteſt contrahere cum conſanguineis illius, cum qua contraxit ſponſalia, vel matrimonium ratum, lib. 2. n. 27. Orta ex ſponſalibus dirimit uſque ad ſecundum gradum: uſque ad quartum verò orta ex matrimonio rato. Ibid.

Affinitas eſt propinquitas perſonarum orta ex copula carnali, ſive licita, ſive illicita, lib. 2. n. 28. Orta ex copula licita dirimit uſque ad quartum gradum incluſivè; orta verò ex copula illicita uſque ad ſecundum tantùm. Ibid. Deſcribuntur affinitatis gradus, lib. 2. à n. 29. Ejuſdem nomina exponuntur, lib. 2. à num. 30. In impedimentis matrimonii quis poſſit diſpenſare. V. Diſpenſare. Epiſcopus.

Inceſtus.

Inceſtus committitur, quando aliquis poſt matrimonium conſummatum rem habet cum conſanguineis uxoris ſuæ, aut è contra uſque ad 4. gradum incluſive, lib. 2. n. 568. Non privat jure petendi debitum conjugale, niſi uſque ad 2. gradum, lib. 2. n. 569. Inceſtûs excommunicationem incurrit qui cum conſanguinea, vel affine

ſine copulam habet, & poſtea cum eâdem matrimonium contrahit, lib. 2. n. 353. Sic inceſtuoſus ab eo poteſt abſolvi, à quo poteſt diſpenſari ad contrahendum, lib. 2. num. 354. & 355.

Indi.

Indi utriuſque Indiæ tam Orientalis, quam Occidentalis, Jappones, Sinæ, & alterius cujuscumque transmarinæ nationis homines oriundi, & naturales, in ordine ad privilegia neopyhtorum participanda, pro neophytis reputantur, lib. 2. n. 255.

Sunt diſpenſabiles in quibuscumque conſanguinitatis, & affinitatis gradibus jure divino non prohibitis, primo excepto: & in omnibus aliis impedimentis, & attinentiis, ſeu conjunctionibus, in quibus neophyti ſunt diſpenſabiles, lib. 2. n. 252. V. Neophytus.

Tertius, & quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus apud illos ſunt extincti, lib. 2. à n. 296. Excipiuntur tertius, & quartus conſanguinitatis gradus, ſi ſint in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, lib. 2. num. 297. Non tamen excipiuntur tertius, & quartus gradus, quamvis ſint in linea recta affinitatis, lib. 2. n. 298.

In tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradibus miſtim conjuncti, quamvis aliunde ſint etiam conjuncti in 1. vel 2. gradu, non indigent diſpenſatione ad matrimonium contrahendum, lib. 2. n. 299. Quandiu extra regiones ultramarinas exiſtunt, privilegiis ultramarinis gaudent, lib. 2. n. 289. Licet extra regiones ultramarinas nati ſint, cum in Braſiliam veniunt, pro neophytis reputari debent, lib. 2. n. 291. V. Neophytus, & Miſſio.

Indulgentia.

Indulgētia definitur: Remiſſio pœnæ temporalis pro actualibus peccatis debitæ extra ſacramentum facta ex theſauri Eccleſiæ diſpenſatione, lib. 2. n. 140. Dividitur primò in perſonalem, realem, & localem, lib. 3. n. 145. Quælibet ex his ſubdividitur in totalem, & partialem, lib. 3. n. 146. Quænam ſit indulgentia totalis, lib. 3. n. 146. Totalis aliquando dicitur plena, aliquandò plenaria, & aliquandò pleniſſima, lib. 3. n. 147. Nullum tamen datur diſcrimen inter has indulgentias, lib. 3. n. 148. Inter unam, & aliam indulgētiam plenariam etiam nullum eſt diſcrimen, lib. 3. n. 149. Poteſt quis obtinere indulgentiam plenariam, & nihilominus ei ſupereſſe pœna in Purgatorio luenda, lib. 3. n. 150. Quænam ſit indulgentia partialis, lib. 3. n. 151.

Ex jure divino ſolus Summus Pontifex poteſt concedere indulgentias, lib. 3. num. 153. Ab illo poteſtatem habent Epiſcopi concedendi indulgentias, lib. 3. num. 154. Solus Summus Pontifex poteſt concedere omnes indulgentias tam partiales, quam totales, lib. 3. n. 155. Immò ſolus ille primario plenarias concedit, & perpetuas, lib. 3. n. 157.

In dedicatione Eccleſiæ poteſt Epiſcopus indulgentiam unius anni concedere, lib. 3. n. 158. Etiam in illius anniverſario, vel aliàs, quando placuerit, indulgentiam 40. dierum, lib. 3. n. 158. Hoc ultimum poſſunt etiam Archiepiſcopi in tota ſua Provincia, & ſuffraganeorum Diœceſibus, quamvis non ſint in actu viſitationis, lib. 3. n. 159.

Si Archiepiſcopi, aut Epiſcopi ampliorem indulgentiam concedant, quam illis permiſſum eſt, ſolum quoad exceſſum irrita eſt conceſſio, lib. 3. n. 160. Non ſolum ſuis ſubditis, & extra ſuum territorium, ſed etiam regularibus exemptis poſſunt indulgentias concedere, lib. 3. n. 161.

Plures ſunt indulgentiæ propriæ ſcholarium, qui gymnaſia Societatis JESU frequentant; lib. 3. num. 198. Plures etiam cōmunes tam ſcholaribus, quam non ſcholaribus, qui Eccleſias Societatis in Braſilia viſitant. Ibid.

Indulgentiam plenariam poteſt Epiſcopus Braſilienſis concedere primò converſis ab hæreſi, lib. 3. n. 322. Ad illam lucrandam ſolum requiritur converſio ab hæreſi, lib. 3. num. 324.

Etiam poteſt concedere prædictam indulgentiam primò converſis à Paganiſmo, Judaiſmo, & Turciſmo, lib. 3. n. 326. Indulgentiam plenariam in articulo mortis poteſt Epiſcopus Braſilienſis concedere omnibus fidelibus Chriſtianis, lib. 3. n. 345. Non tamen hæreticis, apoſtatis, & ſchiſmaticis, lib. 3. n. 347. Poteſt etiam prædictam indulgentiam in articulo mortis concedere primò excommunicatis, ſi non ſint pertinaces, lib. 3. n. 348. Secundò regularibus, lib. 3. n. 353. Tertiò abſentibus, lib. 3. n. 354. Non requiritur petitio moribundi, ut ei concedatur indulgentia plenaria in articulo mortis, lib. 3. n. 357. Ipſe Epiſcopus Braſilienſis in articulo mortis conſtitutus poteſt ſibi indulgentiam plenariam applicare, lib. 3. n. 359.

In quolibet mortis articulo ſive vero, ſive præſumpto, poteſt Epiſcopus Braſilienſis prædictam indulgentiam concedere, lib. 3. num. 361. ac etiam in mortis periculo, lib. 3. n. 366. Illi, qui ſæpe incidit in mortis periculum, & ſæpe convaluit, toties poteſt indulgentiam concedere, lib. 3. n. 367. Poteſt quis in mortis articulo indulgentias plenarias obtinere, & nihilominus ei ſupereſſe pœnam in Purgatorio luendam, lib. 3. n. 368. Ad indulgentiam in mortis articulo lucrandam requiritur confeſſio ſacramentalis, lib. 3. num. 369. vel ſaltem contritio, ſi moribundus confiteri non poteſt, lib. 3. n. 370.

nIdulgentia duplex eſt, alia per modum abſolutionis, & alia per modum ſolutionis, lib. 3. n. 419. Indulgentia defuncto applicata illi juxta ſententiam probabilem infallibiliter prodeſt, lib. 3. num 424. Tres conditiones requiruntur ex parte offerentis, ut illa profit, lib. 3. num. 425. Quænam verò conditiones requirantur ex parte animæ, n. 430. Miſſa de Requiem, cui annexa eſt Indulgentia plenaria, magis prodeſt defuncto, quam Miſſa, cui non eſt annexa talis indulgentia, lib. 3. n. 448.

Indulgentia, quæ in triduo Bacchanalium conceditur in Eccleſiis Societatis, eſt una ex certiſſimis, quæ concedi ſolent, lib. 3. n. 384. Eſt etiam plenaria, lib. 3. n. 385. Non eſt applicabilis pro animabus Purgatorii. Ibid. Requiritur primò ad hanc indulgentiam lucrandam confeſſio, & communio, lib. 3. num. 386. Requiritur ſecundò, ut orationi 40. horarum in Eccleſiis Societatis per aliquod temporis ſpatium devotè interſit, & ibi piæ ad Deum preces effundantur, lib. 3. n. 387. Requiritur tertiò, ut iſtiusn odi preces ad Deum effuſæ aut expreſſe fiant pro Chriſtianorum Principum concordia, aut ſaltem in confuſo pro intentione, quam habuit Pontifex, qui talem indulgentiam conceſſit, lib. 3. n. 388. Sufficiunt tamen quælibet preces vel mentales, vel vocales, lib. 3. n. 389. Qui vocaliter orat pro hac indulgentia lucranda, debet ad minimum quinquies Pater noſter, & Ave Maria recitare, lib. 3. num. 390. Pro tali indulgentia lucranda ſufficit, quod unus tantum homo oret, lib 3. n. 391.

Epiſcopus Braſilienſis poteſt indicere orationem 40. horarum cum indulgentia plenaria, lib. 3. num. 395. & hoc in Eccleſia, quam maluerit, lib. 3. n. 396. non ſolum in hac Civitate Fluminenſi, ſed etiam in quolibet oppido intra fines Diœceſis, lib. 3. n. 397. & quibuſcumque anni diebus ipſius Epiſcopi arbitrio, lib. 3. n. 398. Ut quis hanc indulgentiam acquirat, debet Eccleſiam, in qua indicitur oratio 40. horarum, viſitare, & ibi orare contritus, confeſſus, & communicatus, lib. 3. n. 399 Non tamen requiritur, quod confeſſio, & communio fiant in eadem Eccleſia, lib. 3. n. 400. Prædictam indulgentiam poſſunt lucrari omnes tam ſubditi, quam non ſubditi Epiſcopi, lib. 3. n. 404. Etiamipſe Epiſcopus Braſilienſis, dummodo ſervet ea, quæ ſervari debent, lib. 3. n. 405.

Indulgentſa alicui Eccleſiæ, vel pio loco conceſſa ad ſeptennium ita accipienda eſt, in intelligatur duratura ad

ad ſeptem annos integros, & completos, quamvis tale ſeptennium interrumpatur per annum jubilæi, quo ſuſpenduntur omnes indulgentiæ, lib. 1. num. 35.

Infamia.

Infamia ſequenda fœminæ ex copula habita eſt ſufficiens cauſa ad diſpenſationem concedendam, lib. 2. num. 375. Quando allegatur infamia ſequenda fœminæ, & ſimul copula habita, quamvis copula non fuiſſet habita, ſi tamen ſequatur infamia fœminæ, valebit diſpenſatio, lib. 2. n. 378. V. Cauſa. Copula.

Infantes.

Infantes ante uſum rationis convenienter confirmantur in locis, quò Epiſcopus raro accedit, lib. 3. n. 34.

Infidelis.

Infidelis an ex copula tempore infidelitatis habita affinitatem contrahat, lib. 2. n. 385. An contrahat ſponſalia. V. Sponſalia.

Infidelis (non baptizatus) baptizans, vel ſuſcipiens filium fidelis, cum nullo contrahit cognationem ſpiritualem, lib. 2. n. 621. Nec licèt infidelis ipſe poſtea baptizetur, lib. 2. n. 623. Infidelis verò baptizatus, v. g. hæreticus baptizans, vel ſuſcipiens, tum cum perſona baptizata, vel ſuſcepta, tum cum ejus parentibus contrahit cognationem ſpiritualem, lib. 2. n. 622. V. Cognatio ſpiritualis.

Matrimonium ratum infidelium eſt jure naturæ diſſolubile, lib. 2. n. 671. Matrimonium verò conſummatum infidelium, quamvis ſit jure divino indiſſolubile, lib. 2. n. 672. eſt tamen diſſolubile ex diſpenſatione divina, & in bonum fidei, primò, ſi conjux infidelis ideò nolit habitare cum converſo, quia converſus eſt, lib. 2. n. 673. Secundò, ſi ex conjugis infidelis contubernio immineat converſo periculum perverſionis Ibid. Tertiò, ſi conjux infidelis, quamvis habitare velit cum converſo, non tamen ſine injuria Creatoris. Ibid. Quamquam licèt conjux infidelis velit habitare cum converſo, non tamen ſine injuriæ creatoris. Ibid. Quamvis licèt conjux infidelis velit habitare cum converſo ſine injuria Creatoris, id jam hodie non permittitur, lib. 2. n. 687.

Matrimonium infidelium poſt baptiſmum probabiliter ſit ſacramentum gratiæ collativum, lib. 2. n. 676. Infidelis non poteſt plures habere uxores, lib. 2. n. 683. Sola prima uxor infidelium pro legitima habetur, lib. 2. à n. 678. Pro prima uxore infidelis non ſemper intelligitur, quæ fuit prior tempore, ſed quæ ſit prior jure, lib. 2. n. 682. Poſtquam conjuges infideles convertuntur, & baptizantur, non licet alteri ab altero diſcedere, lib. 2. n. 685. Hinc non eſt opus, ut coram Parocho, & teſtibus de novo contrahant, lib. 2. n. 686. Nec tenentur benedictiones Eccleſiæ recipere, licet optime facerent, ſi eas reciperent. Ibid. Quando converſus ſecundam, vel tertiam fœminam retinere mallet, quàm primam, ſi matrimonium cum prima contractum tempore infidelitatis fuiſſet validum, tunc debet poni novus conſenſus ad matrimonium celebrandum, lib. 2. n. 688. & in facie Eccleſiæ celebrari debet, lib. 2. n. 690. Si verò matrimonium cum prima contractum tempore infidelitatis irritum fuiſſet, tunc converſus dupliciter ſe gerere poteſt, primò, retinendo eam, cum qua valide contraxit tempore infidelitatis, dummodo ipſa etiam fidelis fiat, ſive ſit ſecunda, ſive tertia, lib. 2. n. 691. Secundò, ponendo novum conſenſum, ſi alteram retinere malit, ex ſuppoſitione tamen, quod prima nolit converti. Ibid. Si matrimonium fuiſſet validum cum ſecunda, vel tertia, non verò cum prima, poteſt converſus retinere illam, cum qua matrimonium fuit validum tempore infidelitatis, dummodo ipſa convertatur, prætermiſſa omnino prima, licet ipſa velit converti, lib. 2. n. 692.

Æthiopes infideles, qui ex Africa, & Aſia, eorumve Inſulis in Braſiliam transportantur: & ſimiliter Indi, qui intra Braſiliam à propriis pagis in op-

pida

pida Chriſtianorum abducuntur, poſſunt poſt ſuſceptum baptiſmum, etiam ſuperſtite conjuge infideli, & ejus conſenſu minimè requiſito, nec reſponſo ejus expectato, cum quovis fideli, aliàs tamen rite contrahere, & in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eis carnali copula conſummatis, quoad vixerint, licite remanere, lib. 2. n. 694. Idque, licet priores conjuges infideles poſt contractum ſecundum matrimonium ad fidem convertantur, aut oſtendant ſe juſte impeditos fuiſſe ad declarandam ſuam voluntatem, lib. 2. n. 695.

Infirmus.

Infirmus, qui eſt in jejunio naturali, poteſt communicare in quacumque hora diei, etiam poſt meridiem, lib. 4. n. 301. Si commodè poſſit Viaticum ſumere jejunus, ad id tenetur, lib. 4. n. 302. Aliàs non jejunus ut ſatisfaciat præcepto divino; lib. 4. n. 330. Durante eadem infirmitate, & mortis periculo, poteſt pluries Viaticum ſumere etiam non jejunus, lib. 4. n. 303. Singulis diebus ſecundum aliquos, lib. 4. à num. 306. Secundum verò ſententiam, in quam inclinamus, poſt duos dies, lib. 4. à num. 310. ita ut qui ſumpſit Viaticum feria ſecunda non jejunus, poſſit illud iterum ſumere feria quinta non jejunus, lib. 4. n. 312. & 317. Quando autem permitti poſſit infirmo non jejuno ſumere Viaticum ſingulis diebus, lib. 4. n 313. Quod viget, licet infirmus expectare poſſet jejunus per unam, vel alteram horam poſt mediam noctem, lib. 4. n. 314. Qui mane Miſſam dixit, vel ſacram Euchariſtiam ſumpſit, ſi poſt prandium incidat in mortis articulum, tenetur iterùm communicare per modum Viatici, lib. 4. à n. 320. Dummodo prudenter timeatur eodem die moriturus, vel quod alio die non futurus ſit potens communicare, lib. 4. num. 332. Non tenetur tamen bis ſummere Viaticum, durante eadem infirmitate, & mortis periculo, licet poſt primam ſumptionem incidat in mortale, lib. 4. n. 316.

Inquiſitores.

Inquiſitores circa libros prohibitos. V. Liber.

Intentio.

Intentio actualis quænam ſit, lib. 3. n. 185. Quænam virtualis, lib. 3. num. 186. Quænam habitualis, lib. 3. num. 187. Quænam tandem interpretativa, lib. 3. n. 188. Pro indulgentia lucranda, quam Epiſcopus Braſilienſis ter in anno largiri poteſt, conſultius eſt habere intentionem actualem, vel virtualem, lib. 3. n. 192.

Interſtitia.

Interſtitia ſunt illa temporis intervalla, quæ currunt ab uno Ordine ad alium ſuſcipiendum, lib. 1. n. 71. Ab uno autem Ordine ad alium ſuſcipiendum currere debet unus annus. Ibid. Annus hic non computatur naturaliter, ſed more eccleſiaſtico nempè, à jejunio quatuor Temporum hujus præſentis anni uſque ad ſimile jejunium anni ſequentis. Ibid. Qui ordinatur non ſervatis interſtitiis, quamvis non incurrat ſuſpenſionem, nec irregularitatem, graviter tamen peccat, lib. 1. n. 81. Pro interſtitiis diſpenſandis. V. Diſpenſatio in interſtitiis.

S. Joſeph.

S. Joſeph Officium. V. Patrocinium.

Irregularitas.

Irregularitas dicitur ab *In*, & *Regula*; & idem eſt, ac ſine regula, lib. 1. n. 166. Eſt impedimentum canonicum ex facto, vel defectu proveniens, quo quis ad Eccleſiaſticos Ordines promoveri, & jam promotus in iiſdem miniſtrare prohibetur, lib. 1. num. 167. Differt ab Excommunicatione, Suſpenſione, & Interdicto, lib. 1. num. 169. Dividitur primò in eam, quæ eſt ex delicto, & in eam, quæ eſt ex defectu, lib. 1. num. 170.

Secundò, in totalem, & partialem. Totalis eſt, quæ omni ordine ſuſcipiendo, & ſuſcepti exercitio privat. Partialis verò, quæ aliquo tantum Ordinis miniſterio privat. Ibid. Irregularitas tum ex delicto, tum ex defectu multipliciter contrahitur, lib. 1. n. 171. & 172.

In omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, poſſunt Epiſcopi diſpenſare de jure, lib. 1. n. 178.
Braſiliæ verò Epiſcopi, exceptis bigamia vera, & homicidio voluntario, poſſunt diſpenſare in omnibus irregularitatibus in jure expreſſis, aut ex delicto publico provenientibus, ad quarum diſpenſationes jurisdictionem ordinariam non habent Epiſcopi, lib. 1. à n. 179. In omnibus irregularitatibus, in quibus poteſt Epiſcopus diſpenſare cum ſuis ſubditis, poteſt etiam dare facultatem alteri, ut diſpenſet ſecum ipſo, lib. 1. n. 234.
Pluribus irregularitatibus irretitus, totidem indiget diſpenſationibus, lib. 1. num. 195. Sive irregularitates ſint ejuſdem generis, v. g. ob homicidium ſæpius patratum, ſive diverſi generis, v. g. ob homicidium, & bigamiam. Ibid.
Irregularitas ex bigamia V. Bigamia.
Irregularitas ex homicidio. V. Homicidium.
Irregularitas ex defectu natalium. V. Illegitimi.
Irregularitas ex defectu ſcientiæ. V. Illiterati.
Irregularitas quæcumque, præterquam contracta ex bigamia vera, aut homicidio voluntario, aliàs quam in bello contra infideles perpetrato, diſpenſari poteſt à Braſiliæ Epiſcopis lib. 2. num. 138. Diſpenſari poteſt à Braſiliæ Epiſcopis, ut ad omnes ſacros Ordines, etiam Presbyteratus, promoveri, & iiſdem jam ſuſceptis uti poſſint irregulares, lib. 2. num. 139. Item, ut recipiant, & retineant quæcumque beneficia etiam curata, Canonicatus, Præbendas, Dignitates, & alia officia etiam in Cathedralibus Metropolitanis, dummodo canonice conferantur, aut collata ſint, lib. 2. num. 140.
Non incurritur irretgularitas, ſi ſacramentum Confirmationis iteretur, lib. 3. num. 33. Incurritur ab hæretico, lib. 3. num. 225. Etiam incurritur ab apoſtata à fide, lib. 3. num. 229.

Judaiſmus.

Judaiſmus. V. Miſſio.

Jus.

Jus petendi debitum conjugale eſt quædam proprietas, ſeu paſſio, quæ ex natura matrimonii reſultat, lib. 2. n. 554. Amitti poteſt perſeverante matrimonio, lib. 2. n. 555. In impedimento petendi debitum conjugale poteſt Epiſcopus diſpenſare primò, cum quis voto caſtitatis ligatus ad nuptias tranſiit, lib. 2. n. 601. Secundò, cum poſt matrimonium jam contractum alter conjux abſque alterius licentia vovit caſtitatem, lib. 2. n. 602. Tertiò, quando de alterius licentia alter ſolus vovit. Ibid. Quartò, quando uterque ſine alterius licentia. Ibid. Quintò, quando uterque ſeorſim de alterius licentia, non tamen per modum contractus. Ibid. Sextò, quando uterque de mutua licentia per modum contractus continentiam vovit. Ibid. Septimò, quamvis conjugati matrimonium nondum conſummaſſent, lib. 2. num. 603. Octavò, quamvis petitio debiti interdicta ſit ratione affinitatis, quam conjux contraxit cum altero conjuge per copulam illicitam cum ejus conſanguinea, lib. 2. num. 604. Nonò, quando conjux cum altero conjuge contraxit cognationem ſpiritualem, lib. 2. n. 605. Decimò, quocumque modo, & toties quoties amittatur jus petendi debitum conjugale, lib. 2. n. 606. & 607. V. Debitum conjugale.

L

LACERTUS.

LACERTUS, braſilicè, *Teyugaçû*, V. Carnium eſus.

Lacticinia.

Lacticinia dicuntur lac, caſeus, butyrum, & quicumque cibus ex lacte confectus, lib. 4. num. 405. Item ova quæcumque ſive gallinarum, ſive qua-

quarumque aliarum avium, etiam illa, quæ intra ipſas aves reperiuntur adhuc hærentia in racemo, lib. 4. n. 406. Excipiuntur ova teſtudinum, quæ pro piſcibus habentur, cum ova ſequantur naturam animalium, quorum ſunt ova. Ibid.

Lacticinia prohibentur in jejuniis Quadrageſimæ, lib. 4. n. 408. Sub veniali tantum, lib. 4. n. 409. In jejuniis extra Quadrageſimam, & aliis diebus infra annum, in quibus ſolum præcipitur abſtinentia à carnibus, non prohibentur lacticinia, lib. 4. num. 407. Nec in Dominicis Quadrageſimæ, lib. 4. n. 411.

Ab illorum abſtinentia etiam in jejuniis Quadrageſimæ excuſantur 1. coloni cujuſcumque territorii, ubi ex conſuetudine legitime introducta edi ſolent, lib. 4. num. 412. ut in Braſilia, lib. 4. num. 413. Excuſantur 2. valide pauperes, & ſimiliter agricolæ, qui aliud commode non habent, lib. 4. n. 414. V. Jejunium.

Laicus.

Laicus nec ex commiſſione Pontificis poteſt miniſtrare ſacramentum Confirmationis, lib. 3. n. 28. Etiam non poteſt miniſtrare ſacramentum Extremæ Unctionis, lib. 3. num. 42.

Lardum.

Lardum porcinum, ſeu ſagimen, vulgò *manteiga*, *unto*, ou *banha de porco*, comedere poſſunt Paulopolitani in quibuſcumque diebus jejunii, lib. 4. à n. 448. Illud tamen non poſſunt comedere pro obſonio, vulgò *conduto*, lib. 4. n. 455. Idem intelligitur de omnibus oppidis mediterraneis ad Auſtrum verſus, vulgò de *ſerra acima*, lib. 4. n. 457. Quamvis gubernia, & diſtrictus Paulopolitanus in poſterum dividantur, & fiant inter ſe independentia, lib. 4. n. 458.

Lectio.

Lectio librorum prohibitornm quibus pœnis ſubjaceat. V. Pœna. Lectio librorum hæreticorum hæreſim continentium, aut de Religione tractantium qualiter prohibeatur. V. Liber.

Leuca.

Leuca Braſilica ex quatuor millibus paſſuum conſtat, lib. 2. n. 233.

Liber.

Libri hæreticorum juſte ab Eccleſia damnantur, lib. 4. à num. 7. Etiam gentiles prohibebant libros ſuis ſectis contrarios, lib. 4. n. 8. Liber hæreticus ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ prohibitus debet eſſe liber hominis hæretici proprie talis, lib. 4. num 9. Non requiritur tamen, quod ejus Author ſit ab Eccleſia damnatus ut hæreticus, ſed ſufficit primò, ſi conſtet Authorem libri eſſe hæreticum, lib. 4. num. 14. Sufficit ſecundò, ſi unam tantum hæreſim contineat, quamvis de alio tractet, lib. 4. num. 15. Sufficit tertiò, quod liber ſit manuſcriptus, lib. 4. n. 16.

Sub excommunicatione Bullæ Cœnæ probabiliter non prohibetur brevis ſcriptura, ut oratio, concio, quæſtio, aut epiſtola hominis hæretici, lib. 4. n. 18. Multoque minus liber infidelium, gentilium, aut Maurorum, quamvis hæreſim, aut errorem contra fidem contineat, lib. 4. num. 10. Nec liber hominis Catholici, quamvis in eo inſerti ſint errores hæretici, lib. 4. n. 11. Aut quamvis hæreſes contineat, quas Catholicus ob inſcitiam, vel ignorantiam dixit, lib. 4. num. 12. Nec etiam licet annotationes, & ſcholia hæreticorum contineat, lib. 4. num. 13. Nihilominus liber infidelium, aut hominis Catholici, cui aliquis error ſit inſertus, ſub aliis pœnis prohibetur, lib. 4. n. 19.

Libri hæreticorum de Religione tractantes, qui ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ prohibentur, ſunt primò, qui divinam Scripturam, vel partem ejus exponunt, quique totam Theologiam, vel partem explanant, lib. 4. n. 20. Sunt ſecundò, qui de virtute Religionis ſpeciatim tractant, hoc eſt de cultu Deo, ac Sanctis exhibendo, de Clericis, de Monachis, de Prælatis, de viſibili, & inviſibili Eccleſia, lib. 4. n. 21. Sunt tertiò,

qui de moribus Chriſtianis, non politicis tantum tractant, ut v. g. de conſcientiæ quæſtionibus, lib. 4. n. 22. Sunt quartò, qui licet ex profeſſo de Religione non tractent, ſed de aliis rebus, ita tamen notabiliter de Religione tractant, ut arbitrio prudentis cenſeatur ex profeſſo, & non obiter de Religione tractare, lib. 4. num. 23.

Libri de Aſtrologia judiciaria tractantes qualiter prohibeantur, lib. 4. n. 24. Per libros de Aſtrologia judiciaria tractantes intelliguntur primò, qui ex aſpectibus, ſitu, & motibus aſtrorum, eventus à libero arbitrio pendentes prædicere, vel effectus occultos præſentes, & præteritos revevelare intendunt, lib. 4. n. 27. Intelliguntur ſecundò libri, in quibus tractatur de effectibus naturalibus, qui caſus fortuiti appellantur, v. g. quod naviganti in Braſiliam naves hoſtiles occurrent, lib. 4. n. 31.

Intelliguntur tertiò libri, qui de Aſtrologia judiciaria agunt, quamvis eorum Authores poſt latum judicium proteſtentur ſe id non dicere tamquam certum, ſed tamquam probabile, lib. 4. n. 32.

Intelliguntur quartò libri, quorum Authores futura libera prænuntiant, eſtò interius credant ſuum judicium non eſſe certum, ſed tantum probabile, lib. 4. n. 33. Nihilominus ſub libris de Aſtrologia judiciaria tractantibus non comprehenduntur qui res, & effectus naturales ex cauſis naturalibus prædicunt, ut v. g. ex motu, & aſpectu ſtellarum futuras eclipſes, pluviam, ſiccitatem, ventos, &c. lib. 4. à n. 35.

Librorum hæreticorum hæreſim continentium, aut de Religione tractantium lectio ſcienter facta ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ prohibetur, lib. 4. num. 38. Idque quamvis à libro hæreſim expungas, lib. 4. n. 41. Nec requiritur, quod rem lectam verbis proferas, ſed ſufficit, ſi oculis, & mente ſcripta percurras, lib. 4. num. 42. Requiritur tamen, ut intelligas, quod legis, lib. 4. n. 43. Lectio libri hæretici, qui hæreſim continet, aut de Religione tractat, etiam Authori ipſius libri prohibetur ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ, lib. 4. n. 44. Sufficit, quod talis liber hæreſim contineat, aut de Religione tractet disjunctivè, lib. 4. n. 45.

Ab incurrenda tamen excommunicatione Bullæ Cœnæ excuſantur primò, qui hæreticorum libros hæreſim continentes, aut de Religione tractantes cum ignorantia legunt, lib. 4. n. 34. Sive legentes ignorent libros hæreſim continere, aut de Religione tractare: ſive ignorent libros eſſe hæreticorum, quamvis ſciant hæreſim continere, aut de Religione tractare, lib. 4. n. 40.

Excuſantur ſecundò, qui legunt hæreticorum libros, qui nec hæreſim continent, nec de Religione tractant, lib. 4. n. 46.

Excuſantur tertiò, qui Authoris Catholici libros legunt, licet in illis inſerti ſint errores alicujus hæretici, atque etiam licet in talibus libris ſolum ſententiæ, & errores hæreticorum legantur, & præcipua intentio legentium ſit errores hæreticorum ſcire, & cognoſcere, lib. 4. n. 47.

Excuſantur quartò, qui libros hæreticorum hæreſim continentes, aut de Religione tractantes memoriter recitant, lib. 4. n. 51.

Excuſantur quintò, qui prædictos libros legere audiunt, quamvis ad legendum induxiſſent, lib. 4. n. 50. Non excuſatur tamen, qui legit, ut alter audiat, lib. 4. n. 52.

In legendis libris hæreticis datur parvitas materiæ excuſans ab incurſione cenſuræ, lib. 4. num. 54. Talis eſt v. g. Præfatio, Proœmium, Epiſtola ad Lectorem, Index libri, lib. 4. n. 56.

Librorum hæreticorum hæreſim continentium, de Religione tractantium, retentio ſcienter facta prohibetur ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ, lib. 4. num. 57. Sive libri ſint tui, ſive alieni, ſive apud te, ſive apud alium reti-

retineas, lib. 4. n. 59. Unde prædicta excommunicatione ligantur Bibliopolæ, & Aromatarii, qui ſimiles libros retinent, quamvis ſcripti ſint in lingua, quam ipſi non intelligunt, lib. 4. n. 60. Ipſemet hæreticus ſi librum ſuum retineat, incurrit cenſuram Bullæ Cœnæ, lib. 4. num. 61. Præter illam, quam incurrit, quia hæreticus. Ibid.

Ad incurrendam cenſuram Bullæ Cœnæ ſufficit, quod pars alicujus libri ex prædictis retineatur, lib. 4. num. 62. Sive ea pars libri hæreſim contineat, ſive non. Ibid. Dummodo pars libri non ſit parva, tunc enim excuſaris, lib. 4. num. 56. & 67. non tamen excuſaris, quamvis tales libros retineas ſub prætextu eos impugnandi, & ſine periculo perverſionis, lib. 4. n. 63.

Ab incurrenda tamen cenſura contra retinentes lata excuſat primò ignorantia vel prohibitionis, vel excommunicationis, lib. 4. n. 58.

Excuſat ſecundò parvitas temporis in retinendo, lib. 4. n. 64. Quamvis retinere inciperes cum animo retinendi per longum tempus, lib. 4. num. 66.

Excuſat tertiò talium librorum combuſtio, lib. 4. n. 68. Licet qui tales libros manu propria combureret, & non traderet DD. Inquiſitoribus, adhuc aliam excommunicationem incurret, lib. 4. n. 69.

Prohibitio legendi, & retinendi hæreticorum libros, hæreſim continentes, aut de Religione tractantes, comprehendit quaſcumque perſonas quacumque dignitate, ſive Eccleſiaſtica, ſive ſæculari fulgentes, exceptis DD. Inquiſitoribus, lib. 4. à n. 71. Hinc legendi, & retinendi prædictos libros licentiam dare non poſſunt DD. Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, lib. 4. n. 73. Immò nec DD. Inquiſitores, niſi ad id expreſſam habeant facultatem, lib. 4. num. 74. Nec etiam Capitulum Cardinalium, Sede vacante, niſi tam grave, & evidens periculum immineat, ut omnibus, & ſingulis Cardinalibus videatur ei celeriter occurrendum, lib. 4. n. 76. Nihilominus DD. Inquiſitores, ſi libri hæreſim non contineant, nec de Religione tractent, quamvis ſint libri hæreticorum, licentiam dare poſſunt eos legendi, lib. 4. num. 77. Etiam Epiſcopis conceditur facultas legendi libros prohibitos, hæreſim non continentes, nec de Religione tractantes, eſtò cum limitatione, nempe, non libros quomodolibet prohibitos, ſed ſolum prohibitos ſecundum quid; hoc eſt ſuſpenſos uſque ad ſui correctionem, lib. 4. n. 78.

Quid Braſiliæ Epiſcopus poſſit circa retentionem, & lectionem librorum prohibitorum? V. Epiſcopus Braſilienſis circa libros prohibitos.

Licentia.

Quando conceditur licentia ad abſolvendum à cenſura Pontifici reſervata, etiam cenſetur conceſſa ad abſolvendum à peccato; & è contra, lib. 3. n. 285. Aliter dicendum de cenſura Epiſcopo reſervata, lib. 3. num. 286.

Loca.

Braſiliæ coloni non ſunt ex locis, ubi ſanctum Officium exercetur, lib. 3. n. 286. Qui Braſiliam conveniunt cauſa v. g. mercaturæ exercendæ, & ibi habitare incipiunt animo permanendi in perpetuum, vel ſaltem per maiorem anni partem, non cenſentur ex locis, ubi ſanctum Officium exercetur, lib. 3. n. 267. Idem dicendum non ſolum de illis, qui ex Africa, illiusque Inſulis ad Braſiliam appellunt, etiam per breve tempus, lib. 3. n. 268. Sed etiam de illis, qui ex Aſia, illiusque Inſulis Braſiliæ applicant, lib. 3. num. 269. Etiam non cenſentur ex locis, ubi ſanctum Officium exercetur, quoad effectum privilegii fruendi, qui in claſſe annua, vel in navigio ſolitario ex Luſitania venit animo non permanendi in Braſilia, lib. 3. n. 270.

Loyos.

Loyos, ſeu Canonici S. Joannis Euangeliſtæ præfici poſſunt Parochiis Braſilienſi-

ſilienſibus, lib. 4. num. 133.

Lucrari indulgentias.

Lucrari indulgentias. V. Indulgentia. Epiſcopus Braſilienſis.

S. Ludovicus.

S. Ludovicus Gonzaga Societatis JESU. V. Aloyſius.

M

MACHINATIO.

MACHINATIO mortis cum effectu inter conjuges eſt impedimentum dirimens matrimonii, lib. 2. n. 518. V. Crimen.

Maius.

Maius cui licet, licet etiam minus in eodem ordine, lib. 1. n. 252.

Mala fides.

Mala fides datur, quando ſponſi, qui contrahere volunt, non ſolum ſciunt ſe habere impedimentum; ſed etiam ſciunt tale impedimentum eſſe dirimens, lib. 2. n. 87.

Mamalucos.

Mamalucos. V. Mixti, vulgò Mamalucos.

Manatti.

Manati. V. Carnium eſus.

Mancipia.

Mancipia in Braſilia à reſervatis Epiſcopalibus eximuntur, lib. 2. num. 303.

Matrimonium.

Matrimonium eſt conjunctio maritalis viri, & fœminæ inter legitimas perſonas, cauſativa gratiæ, & individuam vitæ ſocietatem retinens, lib. 2. n. 2. Matrimonium ratum inter fideles eſt à Papa diſſolubile per diſpenſationem, lib. 2. n. 667. Affinitatem non parit, lib. 2. num. 490. & 510. Niſi initiativè, quatenus eſt initium actus conjugalis, lib. 2. num. 490.

Matrimonium conſummatum inter fideles eſt diſſolubile quoad torum, lib. 2. n. 668. Minime verò quoad vinculum, lib. 2. n. 669.

In impedimentis matrimonii quis diſpenſet. V. Diſpenſare. Epiſcopus. Matrimonium inter infideles V. Infidelis.

Matrimonium valet, cui ſimplex Sacerdos interſit poſt petitam à ſe, mediantibus literis, aut procuratore, & conceſſam à Parocho, vel Ordinario licentiam aſſiſtendi, licet de tali conceſſione nondum factus ſit certus, lib. 1. num. 21. Secus, ſi dictam licentiam nullo modo petierit. Ibid.

Meridies.

Meridies, ſeu medius dies eſt punctum illud temporis, in quo Sol altius elevatur reſpectu noſtri, & radiis ſuis perpendiculariter nos ferit, lib. 4. n. 211. Non accipitur mathematicè, ſed moraliter, & cum aliqua latitudine. Ibid.

Metropolitanus.

Metropolitanus poteſt diſpenſare, quando ejus ſuffraganeus diſpenſationem injuſte negat, lib. 1. n. 233. & lib. 2. num. 484.

Miniſter.

Miniſter ordinarius Confirmationis eſt ſolus Epiſcopus, lib. 3. n. 26. Proprius Extremæ Unctionis eſt ſolus Parochus, lib. 3. n. 42.

Minus.

Minus, quod in maiori includitur, conceſſum cenſetur, conceſſo maiori, lib. 1. n. 253.

Minuta.

Minuta, ut vocant, ſeu inteſtina, & extremitates pecorum eduntur in Caſtella, ejusque dominiis in ſabbatis per annum, lib. 4. num. 381.

Miſſa.

Miſſa eſt ſatisfactoria pro animabus Purgatorii, lib. 3. num. 435. eſt etiam impetratoria, lib. 3. num. 436. Illius valor prodeſt animabus Purgatorii non ſolum ex opere operato, lib. 3. num. 439. ſed etiam ex opere operantis, lib. 3. num. 441. Magis prodeſt defunctis ex opere operato, quam Miſſa de die, lib. 3. num. 446. Aliter dicendum ex opere operantis, lib. 3. n. 447. Miſſa de Requiem, cui annexa eſt indulgentia plenaria, magis pro-

prodeſt defunctis, quam Miſſa, cui non eſt annexa indulgentia, lib. 3. num. 448. Epiſcopus, dum iter facit, poteſt in quocumque decenti loco Miſſam celebrare in altari portatili, lib. 3. num. 455. Immò facere celebrare. Ibid. Et hoc ex ſola commoditate, lib. 3. num. 457.

Epiſcopus Braſilienſis celebrando Miſſam de Requiem feria ſecunda, & tertia cujuſcumque hebdomadæ in quocumque decenti loco, & altari portatili, poteſt liberare animas à Purgatorii pœnis, lib. 3. n. 461. Per unam Miſſam in prædictis diebus celebratam una tantum anima liberatur, lib. 3. n. 463. Feria ſecunda, in qua ſit de ſemiduplici, non cenſetur impedita ad legendam Miſſam de Requiem quoad effectum liberandi animas à Purgatorii pœnis, lib. 3. num. 471. Etiam quoad hunc effectum dici poteſt Miſſa de Requiem feria ſecunda, & tertia, in quibus ſit Officium duplex ad libitum, lib. 3. num. 474. Immò feriis privilegiatis, in quibus non ſit de feſtis duplicibus, ut ſunt feria ſecunda, & tertia maioris hebdomadæ, lib. 3. num. 486. Vid. tamen ibid. n 494.

Poſt primam Miſſam cantatam in nocte Nativitatis Domini non poſſunt aliæ duæ Miſſæ immediatè celebrari, lib. 3. num. 495. Aliter dicendum de Miſſis privatis, lib. 3. n. 501. Quando duo, vel plures Sancti eodem die concurrunt in Kalendario, & unus eorum elevatur ad ritum duplicem, non ſunt ſeparandi in Miſſa, & Officio. lib. 3. n. 507.

Miſſa celebrari debet à ſimplici Sacerdote, lib. 4. num. 165. Ad minimum in quatuor anni præcipuis ſolemnitatibus, nempè in die Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & in Aſſumptione B. V. Mariæ, lib. 4. num. 172. Præter hos dies etiam à ſimplici Sacerdote celebrari debet in die feſto, ſi non adſit alius, qui celebret, lib. 4. num. 173 & 175. Quando autem plures adſunt Sacerdotes ſimplices, quis eorum teneatur Miſſam celebrare, lib. 4. num. 174. Celebrari debet à Parocho per ſe, vel per alium ſingulis Dominicis, & feſtis diebus, in quibus Parochiani tenentur Miſſam audire, lib. 4. num. 178. Quibus verò caſibus extra prædictos dies à Parocho celebranda ſit Miſſa, lib. 4. n. 179.

Secluſo die Nativitatis Domini, non licet, niſi ſemel in die, celebrari, lib. 4. num. 182. Si tamen neceſſitas ſuadeat, poterit bis in die celebrari, lib. 4. n. 184. Immò ter, quater, & pluries, ſi neceſſitas urgeat, lib. 4. num. 185. Nec requiritur maior neceſſitas ad celebrandum ter, quater, & pluries, quam ad celebrandum bis in die, lib. 4. num. 187. Proponuntur varii caſus, in quibus licet celebrari bis in die, lib. 4. à num. 190. Quo autem modo id etiam permitti poſſit in diebus ferialibus, lib. 4. n. 189. Sacerdos tamen, qui bis in die aut pluries celebrat, debet purificatorium ſumere in ultima Miſſa, lib. 4. n. 189. §. Hoc unum ſupereſt. Calix, qui prima Miſſa non fuit purificatus, quando eadem die celebratur in diverſis locis, ferri debet à loco primæ celebrationis ad locum, quo iterum celebrabitur, aut aſſervari in ſacrario, aut ablui, & ablutio in piſcinam projici, lib. 4. n. 204.

Sacerdos, qui ſine legitima cauſa Miſſam iteraret, puniri poteſt ad arbitrium Epiſcopi, lib. 4. num. 293. & num. 295. vel ſola pœna pecuniaria, lib. 4. n. 296. vel pœna partim pecuniaria, & partim corporali, ſeu ſpirituali, lib. 4. n. 297. Excipitur Sacerdos ſæcularis, ſi ex Miſſæ iteratione, & aliis circumſtantiis eſſet ſuſpectus de hæreſi; talis enim ad DD. Inquiſitores eſſet remittendus, lib. 4. num. 294.

Miſſa inchoari poteſt ante auroram, & quando, lib. 4. num. 207. Niſi prævaleat conſuetudo in contrarium, tunc enim inchoari poterit multò ante auroram, lib. 4. num. 210. & 212. Quandiu durat Miſſa ſolemnis poſt meridiem, celebrari poſſunt miſ-

ſæ

ſæ privatæ, lib. 4. num. 213. Si urgeat neceſſitas miniſtrandi Viatici, inchoari poteſt poſt meridiem uſque ad horam tertiam, lib. 4. num. 214. Quod aliqui extendunt ad totum diem, dummodo celebraturus pro Viatico miniſtrando ſit jejunus, lib. 4. n. 215.

Itinerantes poſſunt celebrare per duas, vel tres horas poſt meridiem, lib. 4. num. 216. Celebrare debent in locis divino cultui deputatis, lib. 4. num. 217. Peccarent mortaliter qui ſine neceſſitate extra talia loca celebrarent, lib. 4. n. 218. Secus, ſi urgeat neceſſitas celebrandi extra talia loca, dummodo celebretur in loco decenti, lib. 4. num. 219.

De jure eccleſiaſtico requiritur Acolythus, ſeu miniſter, qui inſerviat celebranti, lib. 4. num. 221. Hinc peccaret lethaliter qui abſque neceſſitate celebraret ſine miniſtro, lib. 4. num. 223. Aliter in caſu neceſſitatis, lib. 4. num. 224. Qui caſus non conſideratur in defectu miniſtri, ſed in neceſſitate conficiendi Viatici, aut ſatisfaciendi præcepto audiendi Miſſam in die feſto, lib. 4. num. 225. Non licet fœminam adhibere pro miniſtro, lib. 4. num. 226. nequidem in caſu neceſſitatis, lib. 4. n. 227. in caſu enim neceſſitatis potius debet Sacerdos ſibi ipſi reſpondere, Ibid.

Miſſæ non debet aſſiſtere infidelis, ſeu paganus, aut non baptizatus, lib. 4. num. 238. Nec hæreticus, ſchiſmaticus, aut aliàs excommunicatus, lib. 4. à num. 239. Quid agendum, ſi excommunicatus vitandus Eccleſiam ingrediatur, & inſiſtat Miſſam audire, ita ut nolit ab Eccleſia egredi, lib. 4. à n. 246. Quo puncto relinquenda ſit Miſſa, ſi jam ſit inchoata, cum ad illam audiendam concurrit excommunicatus vitandus, lib. 4. à n. 249. V. Anima.

Qualiter Miſſam celebrare poſſit Braſiliæ Epiſcopus. V. Epiſcopus Braſilienſis circa Miſſam celebrandam.

Habenti privilegium celebrandi per duas horas ante ortum ſolis, ſi concedatur privilegium celebrandi per horas ante ortum ſolis, celebrare poteſt per tres horas ante ortum ſolis, lib. lib. 1. n. 265.

Miſſam audiens.

Miſſam audiens in die feſto, licet ignoret eſſe diem feſtum, ſatisfacit præcepto audiendi Miſſam, lib. 4. num. 326. & 328.

Miſſio.

Nomine miſſionum veniunt 1. Miſſiones Europææ, præſertim Germanicæ, ubi impune graſſantur hæreſes, lib. 3. n. 275.

Veniunt 2. Miſſiones Braſilicæ, ſi in illis impune graſſentur hæreſes, lib. 3. n. 276.

Veniunt 3. Miſſiones Braſilicæ, ſi in illis impune graſſetur Paganiſmus, aut Judaismus, lib. 3. n. 277.

Veniunt 4. Miſſiones Braſilicæ, ſi in illis impune graſſetur Turciſmus, lib. 3. num. 278.

Nomine miſſionum non veniunt oppida illa, ſeu pagi, in quibus Indi ab infantia baptizati vivunt ſub Parochis Sæcularibus, vel Regularibus, lib. 3. n. 279.

Miſtiços.

Miſtiços. V. Mixti, vulgò Miſtiços.

Mixti.

Mixti, qui nullum ſanguinem Europæum habent, ſed ſolo ſanguine Indico, vel Æthiopico mixtim conſtant, in ordine ad privilegia neophytis reputantur, lib. 2. n. 256. & 304.

Omnes, & quicumque mixti, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici plus habent, quam quartam partem, in ordine ad privilegia neophytorum participanda, pro neophytis reputantur, lib. 2. n. 263.

Quælibet portio ſanguinis Indici, vel Æthiopici moraliter perceptibilis ultra quartam partem ſufficit, ut quis pro neophyto habeatur, lib. 2. num. 266. Sic trigeſima ſecunda portio ſanguinis Indici, vel Æthiopici ultra quartam partem, illi tamen addita, & unita, adhuc eſt portio notabilis, & moraliter perceptibilis, ut quis pro neophyto habeatur, lib. 2. n. 268.

Mixti ex Europæis deſcendentes, & dif-

diſpenſabiles tamquam neophyti, lib. 2. à n. 278. Sub titul. Elenchus mixtorum ex Europæis deſcendentium.
Mixti ex Æthiopibus deſcendentes, & diſpenſabiles tamquam neophyti, lib. 2. à num. 278. Sub titul. Elenchus mixtorum ex Æthiopibus deſcendentium.
Mixti ex Indis deſcendentes, & diſpenſabiles tamquam neophyti, lib. 2. à num. 278. Sub titul. Elenchus primus mixtorum ex Indis provenientium. Elenchus ſecundus. Elenchus tertius. Elenchus quartus.
Mixti ſunt diſpenſabiles in quibuscumque conſanguinitatis, & affinitatis gradibus, jure divino non prohibitis, primo excepto, & in omnibus aliis impedimentis, & attinentiis, ſeu conjunctionibus, in quibus neophyti ſunt diſpenſabiles, lib. 2. num. 252. V. Neophytus.
Tertius, & quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus apud mixtos ſunt extincti, lib. 2. n. 304. 305. & 316. Excipitur 3. & 4. conſanguinitatis gradus, ſi ſint in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, lib. 2. num. 297. Non tamen excipitur tertius, & quartus gradus, quamvis ſint in linea recta affinitatis, lib. 2. n. 298.
Mixti in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus invicem conjuncti, quamvis aliunde ſint etiam conjuncti in 1. vel 2. gradu, non indigent diſpenſatione ad matrimonium contrahendum, lib. 2. num. 299.
Mixti quandiu extra regiones transmarinas exiſtunt, privilegiis transmarinis gaudent, lib. 2. n. 289.
Mixti quamvis extra regiones transmarinas nati ſint, cum in Braſiliam veniunt, pro neophytis ſunt habendi, lib. 2. n. 291.
Mixti, vulgò *Mulatos*, ſtricte ſunt illi, qui ex Europæo puro, & Æthiopiſſa pura, aut vice verſa, naſcuntur, lib. 2. n. 279.
Mixti, vulgò *Mamalucos*, proprie appellantur, qui ex Europæo puro, & Inda pura, aut vice verſa, naſcuntur, lib. 2. n. 280.
Mixti, vulgò *Coribócas*, vocantur ii, qui ex Æthiope puro, & Inda pura, aut vice verſa, naſcuntur, lib. 2. num. 281.
Mixti, vugò *Miſtiços*, intelliguntur, qui ex mixto, vulgò *Mulato*, & ex Æthiopiſſa pura, aut vice verſa, naſcuntur, lib. 2. n. 282.
Mixti, vulgò *Mulatos*, *Mamalucos*, *Coribócas*, *& Miſtiços*, aliquando uſurpantur large, ſicque minus apte ad diſcernēdum illorum ſanguinem neophyticum, lib. 2. n. 283.
Mixti, vulgò *Quarterones*, dicuntur illi, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici quartam partem habent, lib. 2. num. 259. & 260. Pro neophytis non habentur, lib. 2. num. 258. & 262.
Mixti, vulgò *Puchuelos*, dicuntur, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici octavam partem habent, ſeu dimidium unius quartæ partis, lib. 2. num. 259. & 260. Pro nephytis non habentur, lib. 2. n. 258. & 261.
Mixti, vulgò *Semipuchuelos*, ſunt illi, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici decimam ſextam partem habent, ſeu dimidium octavæ, lib. 2 num. 259. Pro neophytis non habentur, lib. 2. num. 261.

Monaſteria.

MonaſteriaReligioſorum in OppidoSanctorum, & Civitate Paulopolitana numerantur quatuor, lib. 1. n. 109. Totidem numerantur in Civitate Fluminenſi, lib. 1. n. 110.

Moribundus.

Non requiritur petitio moribundi, ut ei ab Epiſcopo Braſilienſi concedatur in articulo mortis indulgentia plenaria, lib. 3. n. 357. Ut moribundus in mortis articulo indulgentiam lucretur, requiritur in illo ſaltem contritio, ſi confiteri non poterit, lib. 3. num. 370.
Moribundus, qui poſt ultimam confeſſionem de præcepto incidit in mortale, tenetur iterum confiteri, lib. 4. num. 326. V. Infirmus. Viaticum.

Mors.

In articulo mortis poteſt Epiſcopus Braſilienſis indulgentiam plenariam conce-

cedere, lib. 3. num. 345. & hoc omnibus fidelibus Chriſtianis. Ibid. non tamen Hæreticis, Apoſtatis, & Schiſmaticis, lib. 3. n. 347. Etiam poteſt prædictam indulgentiam in mortis articulo concedere primò excommunicatis, ſi non ſint pertinaces, lib. 3. n. 348. Secundò, Regularibus, lib. 3. n. 353. Tertiò, abſentibus, lib. 3. n. 354. Non requiritur petitio moribundi, ut ei in mortis articulo concedatur talis indulgentia, lib. 3. n. 357. Ipſe Epiſcopus Braſilienſis in mortis articulo conſtitutus poteſt ſibi prædictam indulgentiam applicare, lib. 3. num. 359.

Articulus mortis duplex eſt, verus alter, alter præſumptus, lib. 3. num. 360. In quolibet ex his poteſt indulgentia concedi, lib. 3. num. 361. Periculum mortis, & mortis articulus, ſi ſtricte ſumantur, differunt inter ſe, lib. 3. num. 363. Ad indulgentiam in mortis articulo lucrandam requiritur confeſſio ſacramentalis, lib. 3. num. 369. vel ſaltem contritio, ſi moribundus confiteri non poterit, lib. 3. n. 370.

In articulo mortis poteſt hæreticus abſolvi à quocumque Sacerdote, lib. 3. num. 247. Si in articulo mortis adſit Sacerdos habens requiſita ad abſolvendum ab hæreſi, adhuc pœnitens poteſt ſimplici Sacerdoti confiteri, & ab illo tum valide, tum licite abſolvi, lib. 3. n. 248.

Mulatos.

Mulatos. V. Mixti, vulgò Mulatos.

N

NATIVITAS.

IN nocte Nativitatis Domini poſt primam Miſſam cantatam non poſſunt aliæ duæ Miſſæ immediate celebrari, lib. 3. n. 495. Aliter dicendum de Miſſis privatis, lib. 3. num. 501.

Neceſſitas.

Neceſſitas Eccleſiæ ad diſpenſandum in interſtitiis pro ordinibus conferendis datur 1. quando Ordinandus habet beneficium, cui inſervire debet, lib. 1. num. 84. Datur ſecundo, quando deſunt Miniſtri, qui ſolitis officiis ſatisfaciant. Ibid. Datur tertiò, quando ordinandus ſtudiis vacat, lib. 1. n. 85. Datur quartò, ſi ætas ordinandi ſit provecta, lib. 1. num. 86.

Ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent in interſtitiis ad Subdiaconatum, minor neceſſitas ſufficit, quam communiter requiritur, lib. 1. num. 94. Ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent in interſtitiis ad Presbyteratum, ſufficit ſola neceſſitas, lib. 1. n. 99. Hujuſmodi verò neceſſitas commenſuranda eſt à numero Sacerdotum, qui per totam Diœceſim exiſtunt, lib. 1. à n. 101.

Neceſſitas urgens facit eſſe probabile quod aliàs non judicaretur tale, lib. 2. n. 92. Neceſſitas urgens, ut Epiſcopus diſpenſet in impedimentis matrimonii, cenſetur adeſſe, quando conjuges etiam divites ſeparari non poſſunt ſine ſcandalo, aut gravi incommodo; ſi autem maneant conjuncti, donec Papa, vel ejus delegatus diſpenſet, verſabuntur in periculo incontinentiæ, lib. 2. n. 100.

Neceſſitas conficiendi Olea ſacra extra diem Cœnæ Domini urget 1. ſi Epiſcopus ſit legitime impeditus, v. g. ob ægritudinem, lib. 3. n. 19. Urget 2. ſi in die Cœnæ Domini deficiat balſamum, vel oleum olivarum, lib. 3. num. 20.

Urget 3. ſi Epiſcopus à Cathedrali abſens ſit, v. g. Diœceſim viſitando, lib. 3. n. 21.

Urget 4. ſi deficiant omnino Sacerdotes, qui tali functioni adeſſe poſſint, lib. 3. num. 22.

Urget 5. quælibet neceſſitas, quæ in poſterum occurret phyſica, vel moralis, ſi judicio prudentum talis reputetur, lib. 3. n. 23.

Neceſſitas celebrandi bis in die, ſi detur, celebrari poterit, lib. 4. n. 184. Immò ter, quater, & pluries in die cele-

celebrari poterit, ſi neceſſitas ſuadeat, lib. 4. n. 185. Nec ad celebrandum ter, quater, & pluries in die requiritur maior neceſſitas, quam ad celebrandum bis in die, lib. 4. num. 187. Proponuntur varii caſus, in quibus licet celebrare bis in die, lib. 4. à num. 190.

Neophytus.

Neophytus dicitur quaſi novus in fide: à *Neos* novum, & à *Phytos* fides, lib. 2. num. 248. Secundum jus commune reputatur quis neophytus uſque ad decennium, niſi aliud Epiſcopus interim determinet; decennio enim poſt baptiſmum elapſo, neophytus eſſe deſinit, lib. 2. n. 249.

At verò ſecundum jus particulare, & in ordine ad privilegia Indica participanda nomine neophytorum intelliguntur omnes oriundi, ſeu naturales omnium tam Orientalium, quam Occidentalium partium, & regionum: immò etiamſi Æthiopes, Angolani, vel quarumvis aliarum tranſmarinarum regionum, etiamſi Chriſtianorum filii, & in infantia baptizati, vel etiam inter ſe, vel cum Europæis mixtim progeniti ſint, qui mixti vocantur, dummodo certas conditiones habeant, lib. 2. n. 251.

Tertius, & quartus conſanguinitatis, & affinitatis gradus apud neophytos ſunt extincti, lib. 2. n. 296. 300. 305. & 316.

Hinc neophytus in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſimplici, vel mixto invicem conjunctus, non indiget diſpenſatione ad matrimonium contrahendum, lib. 2. n. 296. 300. & 305.

Excipitur 3. & quartus conſanguinitatis gradus, ſi ſint in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, lib. 2. num. 297.

Non tamen excipitur 3. & 4. gradus, quamvis ſint in linea recta, affinitatis, lib. 2. n. 298.

Neophytus in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis gradibus mixtim conjunctus, quamvis aliunde ſit etiam conjunctus in 1. vel 2. gradu, non indiget diſpenſatione ad matrimonium contrahendum, lib. 2. n. 299.

Neophytus eſt diſpenſabilis in 2. ſolo conſanguinitatis, & affinitatis gradu, etiam quoad futura matrimonia, lib. 2. n. 203.

Non verò eſt diſpenſabilis in 2. conſanguinitatis, & affinitatis gradu mixtim cum primo, lib. 2. num. 215.

Eſt diſpenſabilis tertiò in 1. gradu etiam rectæ lineæ affinitatis ex copula illicita reſultantis, in occultis tamen, & in foro conſcientiæ tantum, ac urgentibus juſtis cauſis, lib. 2. num. 216.

Eſt diſpenſabilis quartò, in impedimento cognationis ſpiritualis ortæ ex Baptiſmo, & Confirmatione, & inter levantem, & levatum, lib. 2. n. 219.

Eſt diſpenſabilis quintò, in impedimento cognationis legalis ortæ ex adoptione. Ibid.

Eſt diſpenſabilis ſextò, in impedimento publicæ honeſtatis ortæ ex ſponſalibus, atque etiam ex matrimonio rato. Ibid.

Ex diſpenſabilis ſeptimò, in impedimento criminis, etiam morte ſecuta ex machinatione, quoad matrimonia præterita, lib. 2. à num. 546. minime verò quoad matrimonia futura, lib. 2. num. 550.

Ut cum neophytis diſpenſetur, ſufficit quod unus contrahentium ſit neophytus, lib. 2. num. 285. Non tamen ſufficit, quod unus contrahentium ſit mixtus, vulgò *Quarteirão*, & altera ſit mixta, vulgò *Quarteirôa*, ut ambo ſimul ſumpti diſpenſentur tamquam neophyti, lib. 2. n. 288. Neophytus, qui extra regiones ultramarinas exiſtit, privilegiis ultramarinis gaudet, lib. 2. n. 289. V. Æthiopes, Indi, Mixti.

Nobilitas.

Nobilitas aut provenit ex genere, aut ex honoribus, & virtute, aut ex Principis privilegio, lib. 2. n. 411.

Nobilitas ex genere reperitur in Ducibus, Marchionibus, Comitibus, &c. lib. 2. n. 412.

Nobilitas ex honoribus, & virtute conceditur

ceditur Doctoribus eximiis, & omnibus illis, qui officia poſſederunt, quæ non niſi nobilibus conferri ſolent, lib. 2. n. 413.

Nobilitas ex privilegio conſideratur in illis, qui licet aliàs nobiles non ſint, tamen ex ſpeciali Principis gratia inter nobiles cooptantur, lib. 2. num. 414.

Ad probandam Oratorum nobilitatem in ordine ad diſpenſationem matrimonii obtinendam quælibet ex prædictis nobilitatibus ſufficit, lib. 2. à n. 415.

Nomina.

Nomina conſanguinitatis, lib. 2. à num. 20.

Nomina affinitatis, lib. 2. à n. 30.

Notum.

Notum aliud eſt tale notorietate juris, & aliud notorietate facti, lib. 3. num. 297.

O

OBREPTICIA.

OBREPTICIA diſpenſatio ea dicitur, pro cujus impetratione allegatur falſitas, qua cognita, diſpenſatio non eſſet concedenda, lib. 2. num. 360. Subrepticia verò, pro cujus impetratione tacetur veritas alioquin exprimenda. Ibid.

Occaſio.

Occaſio inſtituendi orationem 40. horarum, lib. 3. n. 373. Etiam per occaſionem anni ſancti non eſt prætermittendum in Eccleſiis Societatis jubilæum 40. horarum, lib. 3. n. 378. Idem dicendum de jubilæo in Dominicis menſium, lib. 3. n. 379.

Occidentalium partium.

Nomine *Occidentalium partium* intelliguntur omnes Regiones, & Inſulæ, quæ ultra Inſulas Fortunatas, & eas, quas Tertiarias appellant, Occidentem verſus, ad Regem Catholicum, vel ad Regem Portugalliæ ſpectant, ſive jure dominii, ſive conquiſtæ, ſive comercii, & navigationis, lib. 2. n. 253.

Occultum.

Quid, & quotuplex ſit occultum, lib. 3. num. 296.

Officium.

Sanctum Officium. V. Epiſcopus Braſilienſis circa abſolutionem hæreſis, &c.

Quando duo, vel plures Sancti eodem die concurrunt in Kalendario, & unus eorum elevatur ad ritum duplicem, non ſunt ſeparandi in Officio, & Miſſa, lib. 3. n. 507. De S. Ignatio, & S. Xaverio, de quibus intra annum ex Indulto Apoſtolico ſingulis hebdomadis recitamus officium, etiam recitari poteſt in vigiliis, feriis quatuor Temporum, & Rogationum, lib. 3. num. 529. Idem poſſunt Patres Societatis in India, & Braſilia intra Adventum, & Quadrageſimam, lib. 3. num. 532.

Officium divinum.

Epiſcopus Braſilienſis poteſt recitare Roſarium, vel alias preces loco Officii divini, lib. 4. n. 350. Loco totius Officii, vel cujuſcumque ejus partis, lib. 4. num. 363. Non qui totum Officium recitare non poteſt, adhuc tenetur ad Horas, quas poteſt. Ibid. Sive Epiſcopus Breviarium ſecum deferre non poſſit, ſive aliunde ſit legitime impeditus, lib. 4. n. 350. Quando cenſeatur Epiſcopus legitime impeditus, lib. 4. à n. 362. Quod Epiſcopus poteſt ſecum ipſo, poteſt etiam cum aliis, lib. 4. n. 364.

Ab Officio divino recitando excuſatur primò, qui eſt moraliter impotens recitare, lib. 4. n. 356. Secundò, qui inculpabiliter Breviarium non habet, lib. 4. n. 357. Niſi talis totum Officium, vel magnam ejus partem memoriter ſciat, tunc enim teneri ad recitandum quod memoriter ſcit, docent nonnulli. Ibid.

Tertiò, qui eſt graviter infirmus, lib. 4. n. 358. Quartò, qui tertiana, aut quartana febri laborat, ſi ex recitatione Horarum veroſimiliter credat aliquam ſibi moleſtiam ſuperventuram, lib. 4. n. 359. Quamvis bonam diei partem confabulationibus expen-

pendat, aut libros recreationis cauſa legat, lib. 4. n. 360. aut etiam quamvis prius Miſſam celebret, quam recitet. Ibid.

Olea ſacra.

Olea ſacra ſunt tria, aliud Infirmorum, aliud ad ſanctum Chriſma, & aliud Catechumenorum, lib. 3. n. 2. Oleum Infirmorum benedicitur ab Epiſcopo cum cæremoniis, quæ in Pontificali Romano præſcribuntur, lib. 3. n. 3. & juxta ſententiam probabilem benedici poteſt à ſimplici Sacerdote, lib. 3. num. 3. Oleum ad ſanctum Chriſma conficitur ex balſamo, & oleo, lib. 3. num. 4. Oleum Catechumenorum, quod etiam dicitur Puerorum, eſt oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum cum cæremoniis, &c. lib. 3. num. 12. Tria olea ſacra benedicuntur ab Epiſcopo feria quinta in Cœna Domini, lib. 3. n. 13.

Epiſcopus Braſilienſis poteſt ſacra olea benedicere cum paucioribus Sacerdotibus, quam duodecim, lib. 3. n. 14. Et deficientibus Sacerdotibus, cum Sacerdotibus Regularibus, lib. 3. n. 15. Non ſolum extra diem Cœnæ Domini, ſi neceſſitas urgeat, lib. 3. num. 16. Sed etiam in die tam feſto, quam non feſto, lib. 3. num. 17. V. Extrema Unctio. Confirmatio.

Opera.

Pia opera fidelium juvant animas defunctorum per modum ſuffragii, lib. 3. num. 418.

Oratio.

Quæ fuerit occaſio inſtituendi orationem 40. horarum, lib. 3. num. 373. Primus illius inſtitutor, lib. 3. num. 374. Etiam per occaſionem anni ſancti non eſt prætermittenda in Eccleſiis Societatis oratio 40. horarum, lib. 3. n. 378. V. Epiſcopus Braſilienſis circa indulgentiam in oratione 40. horarum. Indulgentia. Sacramentum.

Ordinarius.

Nomine *Ordinarii* venit Capitulum, Sede vacante, lib. 2. n. 222.

Ordo.

Ordo eſt ſacramentum, quo traditur poteſtas circa Euchariſtiam rite adminiſtrandam, lib. 1. num. 65.

Ordines ſunt ſeptem, videlicet Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, lib. 1. n. 66. Ordo enim Epiſcopalis, an ſit diſtinctus à numeratis, controvertitur, lib. 1. n. 67. Tonſura non eſt Ordo, lib. 1. n. 66. Dari poteſt quocumque die, hora, & loco. Ibid. Ordines minores conferri poſſunt in quibuſcũque Dominicis, aut feſtis diebus, lib. 1. n. 70. Item abſque Miſſa, & à non jejuno. Ibid. Quinimmò veſpere cujuſcumque ſextæ feriæ, quæ ſit proxima ſabbato ordinationis peragendæ, vel etiam feria quarta quatuor Temporum. Ibid.

Ordines minores, attento jure Tridentini, non omnes uno die conferri poſſunt, lib. 1. num. 72. Si tamen conſuetudo ſit, omnes Ordines minores, & ſimul Tonſura eodem die conferri poſſunt, lib. 1. num. 73. Nihilominus, ſiquis uno, eodemque die omnes Ordines minores, vel Tonſuram cum minoribus reciperet, ubi non eſſet conſuetudo, non ideo incurreret irregularitatem, lib. 1. num. 74. Stando jure communi, dari nequeunt uno die Ordines minores, & ſimul Subdiaconatus, lib. 1. num. 75. Stando verò conſuetudini, in quibuſdam Diœceſibus dari poſſunt, lib. 1. n. 76. Duo ſacri Ordines eodem die nequaquam dari poſſunt, lib. 1. num. 77. Hinc ſiquis eodem die duos ſacros Ordines ſuſciperet, ſuſpenderetur ipſo facto ab exercitio ultimi Ordinis ſecundum aliquos, utriuſque verò Ordinis ſecundum alios. Ibid. Nec etiam dari poteſt unus Ordo ſacer ſabbato, & alius Ordo ſacer ſequenti Dominica, etiam continuato jejunio, lib. 1. num. 78. Permittitur Epiſcopis, ut vel partem ordinationis differant, vel ordinationes omnes ſabbato faciendas ad ſequentem Dominicam transferant ex cauſa rationabili, lib. 1. num. 80. Debent tamen ordinans, & ordinandi jejunium ſabbati præcedentis continuare, lib. 1. num. 81. Ætas ad Ordines. V. Ætas,

Ætas, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.

Orientalium partium.

Nomine *Orientalium partium* intelliguntur omnes Regiones, & Inſulæ, quæ ultra Mauritaniam verſus Auſtrum, & Orientem ad Regem Portugalliæ ſive jure dominii, ſive conquiſtæ, ſive commercii, & navigationis pertinent, lib. 2. n. 253.

P

PAGANISMUS.

PAGANISMUS. V. Miſſio.

Paramenta.

Paramenta eccleſiaſtica, & alia utenſilia ad ſacrificium Miſſæ neceſſaria poſſunt ab Epiſcopo benedici, lib. 3. n. 64. & à Simplici Saceadote ex delegatione Epiſcopi, lib. 3. num. 66. Idem poſſunt Abbates, qui jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habent, & Prælati Regulares, tam Generales, quam Provinciales, lib. 3. num. 69. Idem etiam poſſunt Rectores Collegiorum Societatis, & Domorum Præpoſiti, lib. 3. num. 70. Et hoc non ſolum ad uſum ſuarum Eccleſiarum, ſed etiam aliarum quarumcumque, lib. 3. n. 73.

Prædictam facultatem benedicendi paramenta poſſunt ſuperiores Regulares delegare non ſolum ſuis ſubditis, lib. 3. n. 74. ſed etiam alicui Sacerdoti non ſubdito, lib. 3. n. 75.

Facultas delegandi poteſtatem benedicendi paramenta conceditur Epiſcopis Braſilienſibus abſque limitatione perſonarum, lib. 3. n. 80. & abſque limitatione temporis, lib. 3. n. 81.

Parochia.

Parochia eſt locus, in quo degit populus alicui Eccleſiæ deputatus intra certos fines, non minus, quam decem domibus, ſeu familiis diſtinctis conſtans, lib. 4. num. 95. Dividitur in collatam, & non collatam, lib. 4. num. 126. Non collata in Braſilia eſt, cui nulla congrua portio annuatim ſolvitur ex patrimonio Regio. Ibid. Collata verò, cui certa congrua portio annuatim ſolvitur ex patrimonio Regio. Ibid. Rurſus dividitur collata in eam, cujus redditus ſunt pingues, & in eam, cujus redditus non ſunt pingues, ſed exigui, lib. 4. n. 127.

Parochus.

Parochus eſt Sacerdos, qui authoritate Epiſcopi alicui Eccleſiæ præficitur, ut populo ſacramenta miniſtret, lib. 4. num. 94. Vicem gerit Epiſcopi, qui totius Diœceſis eſt Parochus, lib. 4. n. 96. V. Vicarius.

Parochus etiam collatus, ſi notus ſit ejus ſcientiæ defectus, aut præcedat rumor de ejus imperitia, vel errore in ſacramentis miniſtrandis, poteſt ad novum examen revocari, lib. 4. n. 154. Vel etiam quando probabiliter judicatur eſſe inſufficiens, vel quia ſtudio non vacavit, vel quia ſcientiam, quam prius habebat, perdidit, lib. 4. num. 155. Idque tam in actu viſitationis Epiſcopalis, quam extra, lib. 4. à n. 156. Omnes verò Parochi unius integræ Diœceſis nullo modo poſſunt ad novum examen revocari, lib. 4. à num. 141. V. Epiſcopus.

Parochus tenetur Miſſam celebrare per ſe, vel per alium ſingulis Dominicis, & feſtis diebus, in quibus ejus Parochiani tenentur Miſſam audire, lib. 4. num. 178. Quibus verò caſibus extra prædictos dies teneatur celebrare, lib. 4. n. 179.

Solus Parochus eſt Miniſter proprius Sacramenti Extremæ Unctionis, lib. 3. n. 42. Hic tenetur ex juſtitia, & ſub mortali Extremam Unctionem miniſtrare, ſi ægrotus illam petat, lib. 3. num. 43. V. Extrema Unctio.

Parvitas.

Parvitas materiæ admittitur in legendis libris hæreticis, lib. 4. num. 54. Sic legi poteſt citra incurſionem cenſuræ in Bulla Cœnæ latæ, v. g. Proœmium, Præfatio, Epiſtola ad lectorem, & Index libri hæretici, lib. 4. num. 56.

Sic etiam datur parvitas temporis in reten-

tentione libri hæretici, ut v. g. unus, vel alter dies, lib. 4. num. 64. Sicut datur in retentione rei alienæ, lib. 4. num. 65. Non incurris cenſuram, ſi librum hæreticum per breve tempus retineas, quamvis retinere incipias cum animo retinendi per longum tempus, lib. 4. n. 66.

Parvitas materiæ etiam admittitur in celebratione Miſſæ tum ante auroram, lib. 4. n. 208. tum poſt meridiem, lib. 4. n. 212.

Paſſus.

Ducenta millia paſſuum quinquaginta leucas Braſilicas important, lib. 2. n. 233.

Patres deputati.

Patres Societatis JESU deputati ad diſpenſandum cum neophytis in impedimentis matrimonii poſſunt cum illis diſpenſare etiam in judiciali foro.

Primò, in 2. ſolo conſanguinitatis, & affinitatis gradu etiam quoad futura matrimonia, lib. 2. n. 203.

Secundò, poſſunt probabiliter diſpenſare in 2. conſanguinitatis, & affinitatis gradu mixtim cum primo, lib. 2. à n. 208.

Tertiò, poſſunt diſpenſare in 1. gradu, etiam rectæ lineæ affinitatis, ex copula illicita reſultantis, in occultis tamen, & in foro conſcientiæ tantum, ac urgentibus juſtis cauſis, lib. 2. n. 216.

Quartò, poſſunt diſpenſare in impedimento cognationis ſpiritualis ortæ ex Baptiſmo, & Confirmatione etiam inter levantem, & levatum, lib. 2. num. 219.

Quintò, poſſunt diſpenſare in impedimento cognationis legalis ortæ ex adoptione. Ibid.

Sextò, poſſunt diſpenſare in impedimento publicæ honeſtatis, ſive ex ſponſalibus, ſive etiam ex matrimonio rato impedimentum proveniat. Ibid.

Septimò, poſſunt diſpenſare in impedimento criminis, etiam morte ſecuta ex machinatione, quoad matrimonia præterita, lib. 2. à num. 546. Minime verò in ordine ad matrimonia futura, lib. 2. n. 550.

Octavò, in omnibus prædictis matrimoniis denuò celebratis, aut revalidatis prolem antecedenter ſuſceptam poſſunt legitimam declarare, ac decernere, lib. 2. n. 220.

Nonò, ubi non adſunt Ordinarii, vel ultra duas dietas juxta Conſtitut. Pauli III. editam exiſtunt, poſſunt prædicti Patres diſpenſare ſe ſolis in omnibus præfatis impedimentis, lib. 2. n. 203. & 242.

Decimò, ubi verò adſunt Ordinarii, vel intra duas dietas præfatas exiſtunt, tenentur dicti Patres diſpenſare una cum DD. Ordinariis, lib. 2 num. 203.

Undecimò, Patres deputati ad diſpenſandum cum neophytis ita ſunt aſſeſſores, & adjutores DD. Epiſcoporum, ut ſine talium Patrum conſenſu, ubi eorum copia haberi poteſt, invalida ſit diſpenſatio Epiſcopalis, lib. 2. à num. 204.

Patrocinium.

De Patrocinio S. Joſeph Dominica tertia poſt Paſcha ſub ritu duplici, ſub ritu verò ſemiduplici ſemel in menſe poſſunt recitare Patres Societatis JESU Aſſiſtentiæ Luſitaniæ, lib. 3. n. 533.

Paulopolitani.

Paulopolitani in Braſilia poſſunt comedere in quibuscumque diebus jejunii ſagimen, ſeu lardum porcinum, vulgò *manteiga*, *unto*, ou *banha de porco*, lib. 4. n. 448. Illo tamen uti non poſſunt pro obſonio, vulgò *conduto*, lib. 4. n. 455. Nomine *Paulopolitani* intelliguntur omnia Oppida mediterranea ad Auſtrum verſus, vulgò *de Serra acima*, lib. 4. num. 457. quamvis Gubernia, & Diſtrictus Paulopolitani in poſterum dividantur, & fiant invicem independentia, lib. 4. n. 458.

Peccatum.

Sub reſervatione alicujus peccati non comprehenduntur actiones leves externæ, quamvis ex affectu mortali procedant, lib. 3. n. 287. Peccata venialia, aut mortalia jam confeſſa non reſervantur, ſed reſervari poſſunt à Pontifice, lib. 3. n. 288.

Pere-

Peregrini.

Cum peregrinis poſſunt Braſiliæ Epiſcopi facultates Pontificias exercere, lib. 1. à n. 9.

V. Epiſcopus Braſilienſis circa abſolutionem à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis.

Periculum.

Periculum mortis, & mortis articulus non differunt inter ſe, lib. 3. n. 363. In mortis periculo poteſt Epiſcopus Braſilienſis indulgentiam plenariam concedere, lib. 3. num. 366. V. Indulgentia.

Petitiones.

Petitiones pro diſpenſationibus matrimonii impetrandis qualiter fieri debeant, lib. 2. à n. 386.

Petra Aræ.

In petra Aræ conſecranda debent reponi reliquiæ Sanctorum, lib. 4. n. 232. Non tamen de ſubſtantia ejus conſecrationis, lib. 4. num. 233. Unde non peccat, qui illam conſecrat ſine reliquiis Sanctorum, dummodo abſit contemptus, lib. 4. num. 235. Celebrans non tenetur explorare, an in petra Aræ ſint reliquiæ Sanctorum, lib. 4. n. 236. In petra Aræ enormiter fracta non licet celebrare, lib. 4. n. 230. Illa verò petra Aræ dicitur enormiter fracta, quæ in reſiduo calicem, & hoſtiam non capit, lib. 4. n. 231. V. Altare.

Pœna.

Variis pœnis tam temporalibus, quam ſpiritualibus ſubjacet hæreticus, lib. 3. num. 219. Prima pœna temporalis, cui ſubjacet hæreticus, eſt confiſcatio omnium bonorum, lib. 3. num. 219. Secunda eſt inhabilitas, ob quam fit inhabilis ad omnes honores, dignitates, & officia, lib. 3. num. 220. Ad hanc pœnam reducitur portatio illius habitus, vulgò *San Benito*, lib. 3. n. 220. Tertia eſt pœna perpetua carceris, lib 3 num. 222. Quarta eſt pœna mortis, lib. 3. num. 223.

Prima pœna ſpiritualis, cui ſubjacet hæreticus, eſt excommunicatio Summo Pontifici reſervata, lib. 3. num. 224. Secunda eſt irregularitas, lib. 3. num. 225. Tertia eſt privatio poteſtati ſpiritualis, non Ordinis, ſed juriſdictionis, lib. 3. num. 226. Quarta eſt privatio beneficiorum, & officiorum rite acquiſitorum, & inhabilitas ad alia obtinenda, lib. 3. n. 227. Quinta eſt privatio ſepulturæ, lib. 3. n. 228.

Iiſdem pœnis, quibus ſubjacet hæreticus, ſubjacet etiam Apoſtata à fide, lib. 3. num. 229. Schiſmaticus etiam ſubjacet pluribus pœnis, quæ numerantur lib. 3. num. 230.

Pœna corporalis, eſtò levis, ſemper eſt gravior pœna pecuniaria, lib. 4. n. 297.

Pœnæ ſtatutæ contra libros hæreticorum, lib. 4. à n. 2.

Pœnitentia.

Extra Sacramentum Pœnitentiæ poſſunt Epiſcopi Braſilienſes abſolvere ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, lib. 3. n. 305. Non tamen Presbyteri Societatis JESU in Braſilia, lib. 3. n. 3. n. 312.

Polygamia.

Polygamia jure divino naturali eſt prohibita, lib. 2. n. 283. In polygamia aliquando diſpenſatum cum Judæis, lib. 2. num. 684. Cum gentibus nunquam. Ibid.

Pollutio Eccleſiæ.

Pollutio Eccleſiæ. V Eccleſia.

Pontifex.

Pontifex poteſt concedere ſimplici Sacerdoti facultatem reconciliandi Eccleſias conſecratas, lib. 3. num 107. Solus ille jure divino poteſt indulgentias concedere, lib. 3. num. 153. Ab illo habent Epiſcopi poteſtatem concedendi indulgentias, lib. 3. num. 154. Poteſt concedere omnes indulgentias tam partiales, quam totales, lib. 3. n. 155. Immò ſolus ille primario plenarias concedit, & perpetuas, lib. 3. n. 157. De facto non reſervat peccatum veniale, aut mortale rite, & jam confeſſum, ſed poteſt illud reſervare, lib. 3. n. 288.

Portio.

Portio ſanguinis Indici, vel Æthiopici ſuf-

ſufficiens ad conſtituendum neophytum diſpenſabilem, lib. 2. num. 263. 266. & 268.

Præceptum.

Præceptum maius, v. g. Divinum, præponderat minori, v. g. humano, lib. 4. num. 342.

Prælati.

Prælati. V. Benedicere. Paramenta. Prælati Regulares. V. Regularis.

Presbyteratus.

Presbyteratus ut conferatur non ſervatis interſtitiis, requiritur de jure neceſſitas ſimul, & utilitas Eccleſiæ, lib. 1. n. 89.

Ut à Braſiliæ Epiſcopis conferatur extra Tempora, & non ſervatis interſtitiis, ſufficit ſola neceſſitas Eccleſiæ, lib. 1. num. 99. Neceſſitas hujuſmodi commenſurari debet à numero Sacerdotum, qui per totam Diœceſim exiſtunt, lib. 1. à n. 101. Ad Presbyteratum requiritur 25. annus, lib. 1. num. 239. Sufficit, quod prædictus annus ſit inceptus, lib. 1. n. 240.

Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare in uno ætatis anno ad Presbyteratum, lib. 1. num. 251. Ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent in uno ætatis anno ad Presbyteratum, requiritur operariorum penuria, lib. 1. num 258. Cum aliunde diſpenſato in uno ætatis anno poſſunt Braſiliæ Epiſcopi diſpenſare in alio ætatis anno, ita ut taliter ordinandus ad ordines ſuſcipiendos accedat diſpenſatus in duplici ætatis anno, lib. 1. à n. 263. An verò ſiquis ſabbato ſancto naſceretur anno, in quo Paſcha die 10. Aprilis caderet, poſſet, decurſis 24. annis, eodem die ſabbati ordinari, ſi in illo anno Paſcha incideret die 10. Martii, lib. 1. num. 245.

Praxis.

Praxis, & formula hæretici cum Eccleſia Catholica reconciliandi, lib. 3. num. 329.

Praxis vigeſimæ quartæ facultatis Pontificiæ, Braſiliæ Epiſcopis conceſſæ, lib. 4. n. 299.

Preces.

Preces, de quibus agit 26. facultas Pontificia, accipiuntur de vocalibus, lib. 4. n. 352. Poſſunt eſſe breviores Roſario, in cujus locum ſubrogantur ad arbitrium Epiſcopi, lib. 4. n. 361.

Privilegia.

Privilegia Societatis ultramarinæ. V. Societas JESU.

Privilegium.

Privilegium *adinſtar* eſt illud, quod ad imitationem alterius conceditur, lib. 2. n. 328. Privilegii communicatio eſt adæquata participatio gratiæ alteri conceſſæ, quamvis ea adæquatio non exprimatur, lib. 2. n. 324. Privilegia neophytorum, quamvis non ſint perpetua, numquam tamen ceſſant, nec interrumpuntur, lib. 2. n. 356.

In omnibus privilegiis, quæ in Bulla Pii IV. continentur, & Dominis Archiepiſcopis, & Epiſcopis transmarinis, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubjectis, conceduntur, ſuccedit Capitulum Braſilienſe, Sede vacante, lib. 2. num. 108. Ejuſdem Bullæ privilegia competunt etiam Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis transmarinis, Sereniſſimo Portugalliæ Regi ſubjectis, quorum Eccleſiæ de novo fundantur, lib. 2. à num. 125. Recenſentur Bullæ privilegia, lib. 2. à n. 137.

Privilegium, quod nemini nocet, & eſt in favorem cauſæ piæ, eſt amplè interpretandum, lib. 1. n. 49.

Profeſſio.

Profeſſio Fidei Catholicæ, lib. 3. num. 334.

Proles.

Proles illegitima quando poſſit pro legitima declarari à Braſiliæ Epiſcopis, lib. 2. n. 144. 177. & 220.

Provincialis.

Provincialis. V. Benedicere. Paramenta.

Puchuelos.

Puchuelos dicuntur illi, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici octavam partem habent, ſeu dimidium unius quarræ partis, lib. 2. n. 259. & 260. Pro neophytis non habentur, lib. 2. num. 258. & 261.

Purgatorium.

Quid ſit Purgatorium ? lib. 3. n. 407. Ubi exiſtat? lib. 3. num. 408. Quid animæ in Purgatorio detentæ patiantur? lib. 3. n. 409. Non torquentur à dæmonibus in Purgatorio, lib. 3. n. 410. Ibi juvari poſſunt à fidelibus, lib. 3. n. 417. Eas juvant per modum ſuffragii pia fidelium opera, lib. 3. num. 418. Indulgentia, quæ in triduo Bacchanalium lucratur, non eſt applicabilis pro animabus Purgatorii, lib. 3. num. 385.

Purificatorium.

Purificatorium ſemper ſumi debet in ultima Miſſa, quando pluries celebratur in eadem die, lib. 4. num. 189. §. Hoc unum ſupereſt.

Q

QUADRAGESIMA.

QUADRAGESIMÆ jejunium non eſt de præcepto divino, lib. 4. num. 375.

Quadraginta.

Quadraginta. V. Oratio. 40. horarum. Indulgentia.

Quarterones.

Quarterones dicuntur illi, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici quartam partem habent, lib. 2. num. 259. & 260. Pro neophytis non habentur, lib. 2. num. 258. & 262.

R

RAPTUS.

RAPTUS datur, quando perſona cum violentia abducitur matrimonii ineundi cauſa, lib. 2. n. 24. Impedit matrimonium, quandiu rapta in poteſtate raptoris exiſtit, lib. 2. n. 24. & 644. Raptor ante matrimonium celebrandum debet ab excommunicatione abſolvi, lib. 2. n. 645. Quando petitur diſpenſatio pro alio impedimento cum mentione raptus, tunc ad illum, à quo petitur diſpenſatio pertinet abſolutio excommunicationis, lib. 2. n. 646.

Si fœmina tantum ſit rapta libidinis exercendæ cauſa, non incurritur impedimentum raptus, lib. 2. n. 647. Quod tamen, ut incurratur, ſufficit violentia moralis per minas, & metum gravem, lib. 2. num. 649. Sed requiritur abductio de loco in locum. Ibid.

Si unus mandet, & alius rapiat, ſolus mandans incurrit impedimentum. Ib. Idque licet ignoret impedimentum tali crimini eſſe annexum, lib. 2. n. 654. Sive rapta ſit meretrix, ſive vidua, lib. 2. num. 650. Impedimentum non incurrit fœmina virum rapiens, lib. 2. num. 252.

In inpedimento raptus diſpenſare non poſſunt Braſiliæ Epiſcopi, quandiu rapta in poteſtate raptoris exiſtit, lib. 2. num. 657. Quid Braſiliæ Epiſcopis concedatur circa impedimentum raptus, lib. 2. à n. 658.

Quamvis diſpenſatio matrimonialis fiat, quin in diſpenſatione inferatur tenor facultatum, nec exprimatur tempus, ad quod fuerint conceſſæ, valet diſpenſatio, lib. 2. num. 661. Cur Epiſcopis præcipiatur, ut in diſpenſationibus matrimonii faciendis inſeratur tenor facultatum, & exprimatur tempus, ad quod fuerint conceſſæ, lib. 2. à n. 662. Praxis diſpenſandi cum tenore facultatum, & expreſſione temporis, ad quod fuerint conceſſæ, lib. 2. à n. 663. V. Impedimenta matrimonii.

Recito.

De ſanctis, de quibus in hoc Fluminenſi Collegio Societatis JESU ex privilegio Pontificio recitamus, nimirum ob eorum reliquias inſignes, recitare poſſunt Religioſi, qui ſunt extra Collegium, ad illud tamen pertinent, lib. 3. n. 514. De Sanctis Ignatio, & Xaverio, de quibus intra annum ſingulis hebdomadis recitamus, etiam recitari poteſt in vigiliis, feriis quatuor Temporum, & Rogationum, lib. 3. num. 529. Hoc ipſum poſſumus in India,

India, & Braſilia intra Adventum, & Quadrageſimam, lib. 3. n. 532.

Reconciliatio Eccleſiæ.

Reconciliatio Eccleſiæ. V. Eccleſia. Cœmeterium.

Rectores.

Rectores Collegiorum Societatis, & Domorum Præpoſiti poſſunt benedicere paramenta Eccleſiaſtica, & alia utenſilia ad ſacrificium Miſſæ neceſſaria, lib. 3. n. 70. Hanc facultatem poſſunt delegare non ſolum ſuis ſubditis, lib. 3. num. 74. ſed etiam cuicumque Sacerdoti non ſubdito, lib. 3. n. 75.

Regularis.

Regularis inſtitui poteſt Vicarius, lib. 4. n. 124. Ex diſpenſatione Pontificia etiam inſtitui poteſt Vicarius Parochiæ ſæcularis, lib. 4. n. 125. A' Braſiliæ Epiſcopis aſſumi poteſt in Vicarium Parochiæ non collatæ, lib. 4. n. 129. atque etiam Parochiæ collatæ, quæ ſit exigui redditus, lib. 4. num. 130. minime verò Eccleſiæ collatæ, cujus redditus ſunt pingues, lib. 4. à num. 131.

Ut Regularis aſſumatur in Vicarium, requiritur primò defectus Sacerdotum ſæcularium, lib. 4. n. 134. Unde deducitur, Regulares non aſſumi in Vicarios perpetuos, lib. 4. n. 137.

Requiritur ſecundò licentia, ſeu conſenſus ſuperiorum Regularium, lib. 4. n. 135. Non tamen requiritur examen Synodale, lib. 4. n. 138.

Cum Sacerdotibus Regularibus, deficientibus Sæcularibus, poteſt Epiſcopus Braſilienſis olea benedicere, lib. 3. num. 15. Prælatus Regularis poteſt benedicere paramenta eccleſiaſtica, lib. 3. n. 69. & 70. poteſt etiam hanc facultatem delegare non ſolum ſuis ſubditis Regularibus, lib. 3. num. 74. ſed etiam cuilibet Sacerdoti non ſubdito, etiam ſæculari, lib. 3. num. 75.

Qui ex privilegio poteſt reconciliare Eccleſias ſuas conſecratas, poteſt etiam reconciliare cœmeteria conſecrata, lib. 3. n. 175.

Regularis exemptus poteſt lucrari indulgentiam, quam Epiſcopus Braſilienſis ter in anno largiri poteſt contritis, confeſſis, ac ſacra communione refectis, lib. 3. n. 172. Poteſt etiam lucrari indulgentiam, quam Epiſcopus Braſilienſis in oratione 40. horarum indicit, lib. 3. num. 404. atque etiam indulgentiam plenariam in articulo mortis conceſſam ab Epiſcopo Braſilienſi, lib. 3. n. 353.

Regularis tam Eccleſiaſticus, quam laicus per Epiſcopum Braſilienſem abſolvi poteſt ab hæreſi, apoſtaſia à fide, & à ſchiſmate, ſive hæc crimina ſint occulta, ſive publica, lib. 3. n. 258. & 260. & hoc etiam ignorantibus, aut etiam invitis ſuperioribus Regularibus, lib. 3. n. 262. Regularis poteſt per Epiſcopum Braſilienſem, vel ejus delegatum abſolvi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, lib. 3. n. 307.

Regulares verò non poſſunt abſolvere ab excommunicatione, quam incurrunt hæretici, apoſtatæ à fide, & ſchiſmatici, ſive illorum hæreſis ſit publica, ſive occulta per accidens, lib. 3. n. 238.

Relapſi.

Epiſcopi Braſilienſes non poſſunt abſolvere eos, qui judicialiter abjurarunt, & poſt judicialem abjurationem in hæreſim, apoſtaſiam à fide, & ſchiſma fuerunt relapſi, ſi iſti nati ſint, ubi puniuntur hæreſes, v. g. in Portugallia, lib. 3. n. 271. Aliter dicendum, ſi nati ſint, ubi non puniuntur hæreſes, v. g. in Anglia, lib. 3. num. 272. Hæc tamen abſolutio danda eſt in foro ſolo interno, & conſcientiæ, lib. 3. n. 273.

Reliquiæ.

Reliquiæ Sanctorum debent de more poni in conſecratione petræ Aræ, lib. 4. num. 232. Non autem de ſubſtantia ejus conſecrationis, lib. 4. num. 233. Sic non peccat, qui altare ſive fixum, ſive portatile conſecrat ſine reliquiis Sanctorum, modo abſit contemptus, lib. 4. n. 235. Unde non tenetur Celebrans explorare, an in altari ſint reliquiæ Sanctorum, lib. 4.

num. 236. V. Altare. Collegium, & Recito.

Reſervare.

Pontifex de facto non reſervat peccatum veniale, & mortale jam confeſſum, ſed poteſt illud reſervare, lib. 3. num. 288. V. Reſervatio. Caſus reſervati.

Reſervati caſus.

Reſervati Sedi Apoſtolicæ. V. Caſus reſervati.

Reſervati in Braſilia. V. Appendix pro caſibus in Braſilia reſervatis, lib. 4. à num. 186.

Reſervatio.

Reſervatio definitur: Reſtrictio jurisdictionis à legitimo ſuperiore inducta Confeſſariis, per quam ipſi non valeant aliqua peccata ſacramentaliter abſolvere, lib. 3. n. 281. Dividitur in pœnalem, & medicinalem lib. 3. n. 282. medicinalis etiam ignorantes ligat, lib. 3. num. 284. non ita pœnalis, lib. 3. n. 285. Si ignorantes non incurrant cenſuram, non incurrunt reſervationem ab Epiſcopo factam, lib. 3. n. 286.

Sub reſervatione alicujus delicti non comprehenduntur actiones leves externæ, quamvis ex affectu mortali interno procedant, lib. 3. num. 287. Liber manet à reſervatione, qui habens reſervatum tam intra, quam extra Bullam Cœnæ, & confitens Epiſcopo Braſilienſi, vel ejus delegato, nullam ex oblivione de tali reſervato mentionem facit, lib. 3. n. 303. Idem dicendum, ſi alicui ex prædictis confiteatur, quamvis faciat confeſſionem nullam, lib. 3. num. 204.

Reſervatorum abſolutio, quando licentia abſolvendi per internuntium fuit petita, & à ſuperiore jam conceſſa, licet nuntius nondum redierit, eſt valida, lib. 1. n. 22. Uſus tamen talis licentiæ, ante acceptam de illa notitiam, eſt temerarius, adeoque illicitus. Ibid.

A quibuscumque excommunicationis, ſuſpenſionis, aliisque ſententiis, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis Papæ reſervatis poſſunt Braſiliæ Epiſcopi abſolvere tam per ſe, quam per alios, lib. 2. num. 137. Item à caſibus intra Bullam Cœnæ contentis, ſemel in vita, & ſemel in morte: ab aliis verò extra Bullam Cœnæ reſervatis, toties, quoties. Ibid.

Reſponſum.

Reſponſum ſacræ Congregationis de Propaganda Fide circa intellectum ſextæ facultatis Pontificiæ, Braſiliæ Epiſcopis conceſſæ, lib. 2. n. 168. Aliud reſponſum ejuſdem S. Congregat. circa privilegium Jeſuitis conceſſum pro neophytis diſpenſandis, lib. 2. num. 179.

Reſtitutio.

Non datur obligatio reſtituendi pretium ſimoniace receptum pro Sacramentorum adminiſtratione, lib. 1. n. 344. niſi pretium excedat congruam ſuſtentationem miniſtri, tunc enim reſtitui debet exceſſus. Ibid. Etiam reſtitui non debet pretium ſimoniace acceptum pro Sacramentalibus permanentibus, qualia ſunt Agnus Dei, Coronæ benedictæ, & hujuſmodi, lib. 1. n. 345. ſi ex talium datione aliquod incommodum, vel damnum patiaris corporale, vel ſpirituale. Ibid. Spiritualia, ut Profeſſio Religioſa, & Sacramenrorum ſuſceptio, pro quibus datum eſt pretium, non reſtituuntur, lib. 1. n. 346.

Reſtitui tamen debent beneficia ſimoniace obtenta, & fructus ex eis percepti, lib. 1. num. 347. Idem dicendum de pretio ſimoniace recepto pro præſentatione, collatione, vel confirmatione beneficii, lib. 1. n. 348. Cui reſtitui debeant ſimoniace accepta, lib. 1. à n. 349.

Retentio.

Retentio librorum hæreticorum hæreſim continentium, aut de Religione tractantium, qualiter prohibeatur. V. Liber.

Retentio rei alienæ admittit parvitatem temporis, lib. 4. n. 65.

Roſarium.

Roſarium quid ſit, lib. 4. n. 359.

S

SACERDOS.

Simplex Sacerdos poteſt benedicere oleum Infirmorum, lib. 3. n. 3. Sacerdotes ſunt Epiſcopo neceſſarii ad Chriſma conſecrandum, lib. 3. num. 10. Cum paucioribus Sacerdotibus, quam duodecim, conceditur Epiſcopis Braſilienſibus olea ſacra conficere, lib. 3. n. 14. immò, deficientibus Sacerdotibus Sæcularibus, cum Regularibus, lib. 3. n. 15.

Ex commiſſione Pontificis poteſt ſimplex Sacerdos Confirmationem miniſtrare, lib. 3. num. 27. non tamen ex commiſſione Epiſcopi, lib. 3. n. 28. Quilibet Sacerdos, licet excommunicatus, vel degradatus, valide miniſtrat extremam unctionem, lib. 3. n. 42. In cauſa, quo Sacerdos non habeat oleum eo anno benedictum, & adhibeat oleum anno præterito benedictum, non peccat, lib. 3. n. 55.

Simplex Sacerdos ex delegatione Epiſcopi poteſt benedicere paramenta eccleſiaſtica, lib. 3. n. 66. Cuilibet Sacerdoti poteſt ſuperior Regularis delegare facultatem benedicendi prædicta paramenta, lib. 3. num. 74 & 75. Huic tamen non poteſt Epiſcopus Braſilienſis delegare facultatem conſecrandi calices, patenas, &c. lib. 3. n. 83. Solum Eccleſia benedicta reconciliari poteſt per ſimplicem Sacedotem, lib 3. n. 97. Idem dicendum de cœmeterio etiam benedicto, lib. 3. num. 97. Ad hoc non requiritur licentia Epiſcopi de jure, lib. 3. n. 98. Requiritur tamen de facto, lib. 3. n. 99. Sufficit, quod aqua cum qua à ſimplici Sacerdote reconciliatur Eccleſia non conſecrata, ſit ab illo benedicta, lib. 3. n. 10.

Simplici Sacerdoti non poteſt Epiſcopus delegare reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ, lib. 3. num. 104. poteſt tamen Summus Pontifex lib. 3. num. 107. Summus Pontifex poteſt concedere facultatem Epiſcopis delegandi ſimplici Sacerdoti poteſtatem, quam de jure habent Epiſcopi reconciliandi Eccleſias conſecratas, lib. 3. n. 108.

Simplici Sacerdoti poteſt Epiſcopus Braſilienſis delegare facultatem reconciliandi Eccleſias conſecratas, lib. 3. n. 110. Aqua, cum qua ſimplex Sacerdos ex delegatione Epiſcopi Braſilienſis Eccleſiam conſecratam reconciliat, extra caſum neceſſitatis debet eſſe ab Epiſcopo benedicta, lib. 3. n. 114. aliter dicendum in caſu neceſſitatis, lib. 3. num. 115. in caſu enim neceſſitatis poteſt eſſe ab ipſo ſimplici Sacerdote, non communiter, ſed ſolemniter benedicta, lib. 3. num. 118.

Ut ſimplex Sacerdos delegatus Eccleſiam conſecratam reconciliare poſſit aqua à ſe ipſo ſolemniter benedicta; ſufficit 1. abſentia Epiſcopi ultra duas dietas, lib. 3. num. 121. Sufficit 2. mors Epiſcopi, caſu, quo ſuperſit, cui facultates ſuas ipſe communicaſſet, dum vixit, lib. 3. n. 122. Sufficit 3. quodcumque impedimentum phyſicum, v. g. infirmitas, qua Epiſcopus ita detinetur, ut impotens ſit aquam benedicere, lib. 3. num. 123. Sufficit 4. quodcumque impedimentum morale, quo Epiſcopus reddatur moraliter impotens aquam benedicere, lib. 3. n. 124.

Per ſimplicem Sacerdotem communi tantum benedictione reconciliari poteſt cœmeterium benedictum, lib. 3. num. 132. at per eumdem ex delegatione Epiſcopi Braſilienſis reconciliari poteſt cœmeterium conſecratum, lib. 3. n. 134.

A' quocumque Sacerdote poteſt hæreticus in articulo mortis abſolvi, lib. 3. n. 247. Etiamſi in articulo mortis adſit Sacerdos habens requiſita ad abſolvendum ab hæreſi, adhuc poteſt pœnitens confiteri ſimplici Sacerdoti, & ab illo tum valide, tum licite abſolvi, lib. 3. n. 248.

A' quocumque Sacerdote approbato poteſt abſolvi, qui habens reſervatum tam intra, quam extra Bullam Cœnæ,

næ, & confitens Epiſcopo Braſilienſi, vel ejus delegato, nullam ex oblivione de tali reſervato mentionem facit, lib. 3. n. 303. Idem dicendum, ſi alicui ex prædictis confiteatur, quamvis faciat confeſſionem nullam, lib. 3. num. 304.

Sacerdos tenetur aliquoties celebrare ſub mortali, lib. 4. num. 165. Saltem in quatuor anni præcipuis feſtivitatibus, nempe in die Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & in Aſſumptione B. V. Mariæ, lib. 4. n. 172. Præter hos dies tenetur etiam celebrare in die feſto, ſi non adſit alius, qui celebret, lib. 4. n. 173. & 175. Quando autem plures adſunt Sacerdotes, quis eorum teneatur celebrare, lib. 4. n. 174.

Sacerdos autem, qui eſt Parochus, tenetur per ſe, vel per alios celebrare ſingulis Dominicis, & feſtis diebus, in quibus Parochiani tenentur Miſſam audire, lib. 4. n. 178. Extra prædictos dies quando teneatur Parochus celebrare, lib. 4. n. 179.

Sacerdos, qui ratione Capellaniæ, vel Beneficii tenetur quotidie celebrare, nec mortaliter peccat, ſi aliquando à ſuo munere abſtineat ex cauſa, nec tenetur per alium ſuæ obligationi ſatisfacere, lib. 4. n. 180.

Secluſo die Nativitatis Domini, non poteſt, niſi ſemel in die, celebrare, lib. 4. num. 182. Si tamen neceſſitas ſuadeat, poterit bis in die celebrare, lib. 4. num. 184. Immò ter, quater, & pluries, ſi neceſſitas urgeat, lib. 4. n. 185. Nec requiritur maior neceſſitas ad celebrandum ter, quater, aut pluries, quam ad celebrandum bis in die, lib. 4. n. 187. Proponuntur varii caſus, in quibus poteſt celebrare bis in die, lib. 4. à n. 190. Quo autem modo id etiam permitti poſſit diebus ferialibus, lib. 4. n. 179. Si tamen bis in die, aut pluries celebret, debet purificatorium ſumere in ultima Miſſa, lib. 4. num. 189. verſ. Hoc unum ſupereſt.

Quando eadem die celebrat in diverſis locis, calix, qui prima Miſſa non fuit purificatus, ferri debet à loco primæ celebrationis ad locum, quo iterum celebrabitur, aut aſſervari in ſacrario, aut ablui, & ablutio projici in piſcinam, lib. 4. n. 204. Sacerdos non tenetur explorare, an in altari, in quo celebrat, ſint reliquiæ Sanctorum, lib. 4. n. 236.

Sacerdos, qui ſine legitima cauſa Miſſam iteraret, puniri poteſt ad arbitrium Epiſcopi Braſilienſis, lib. 4. n. 295. vel pœna ſolum pecuniaria, lib. 4. n. 296. vel pœna partim pecuniaria, & partim corporali, ſeu ſpirituali, lib. 4. n. 297.

Excipitur ſecundò Sacerdos ſæcularis, qui ſine legitima cauſa Miſſam iteraret, & ex aliis circumſtantiis fieret ſuſpectus de hæreſi; is enim ad DD. Inquiſitores eſſet remittendus, lib. 4. num. 294.

Sacerdos in caſu neceſſitatis poteſt celebrare extra Eccleſiam in quocumque loco publico, & campo aperto, dummodo locus ſit honeſtus, & decenter ornatus, lib. 4. num. 275. Sive neceſſitas ſit conficiendi Viaticum pro infirmo communicando, ſive communicandi infirmum, qui longa ægritudine detinetur, dummodo ægritudo non ſit habitualis, lib. 4. num. 277.

Ss. Sacramentum.

Ss. Sacramentum debet exponi in eadem Eccleſia, ubi indicitur oratio 40. horarum, lib. 3. n. 401. Si non timeatur periculum ſacrilegii, lib. 3. num. 402. quod de facto non timetur, lib. 3. num. 403. V. Confirmatio. Extrema Unctio. Pœnitentia.

Sagimen.

Sagimen, ſeu lardum porcinum, vulgò *manteiga*, *unto*, ou *banha de porco*, comedere poſſunt Paulopolitani in diebus jejunii, lib. 4. à n. 448. Illud tamen non poſſunt comedere pro obſonio, vulgò *conduto*, lib. 4. num. 455. Item omnia oppida mediterranea ad Auſtrum verſus, vulgò, *de Serra acima*, lib. 4. num. 457. Quamvis gubernia, & diſtrictus Paulopolitanus in poſterum dividantur, & fiant in-

invicem independentia, lib. 4. num. 458.

San Benito.

San Benito reducitur ad pœnam inter temporales, quibus ſubjacet hæreticus, lib. 3. num. 220. Illius etymon, lib. 3. n. 221.

Sancti.

Sancti. V. Collegium, & Recito.

Saracenus.

Saracenus ultra Mauritaniam natus pro neophyto eſt habendus, lib. 2. num. 292. Secus, ſi intra Mauritaniam natus ſit, lib. 2. num. 293. niſi ejus parentes, vel avi ultra Mauritaniam fuiſſent nati, lib. 2. num. 294. Quid agendum cum Saraceno intra Mauritaniam nato, lib. 2. n. 295.

Scandalum.

Scandalum non oritur ex diſpenſatione homicidii voluntarii, quod alibi eſt publicum, hìc verò, ubi diſpenſatur, occultum, lib. 1. n. 223. Scandalum oritur ex diſpenſatione cum Paulopolitanis, qui ad capiendos Indos proficiſcuntur, & in eis capiendis nonnullos occidunt, lib. 1. num. 228. V. Homicidium voluntarium.

Sedes.

Caſus Sedi Apoſtolicæ reſervati. V. Caſus reſervati.

Semipuchuelos.

Semipuchuelos, qui ex *Puchuelos* naſcuntur, dicuntur illi, qui ſanguinis Indici, vel Æthiopici decimam ſextam partem habent, ſeu dimidium octavæ, lib. 2. n. 259.

Pro neophytis non habentur, lib. 2. n. 261.

Septennium.

Septennium, & ſeptem anni per ordinem ad indulgentias, quomodo differant, lib. 1. n. 36.

Series.

Series cognationis ſpiritualis ex Baptiſmo, & Confirmatione reſultans, lib. 2. n. 641. in fine.

Servus.

Servus non fit liber, niſi pro tempore, quo de ſua libertate fit certus, lib. 1. n. 23. Servus manumiſſus tenetur ad jus patronatus. Ibid.

Schiſma.

Schiſma definitur: Voluntaria ſeparatio ab unitate Eccleſiæ, lib. 3. num. 216. Ab illo poteſt Epiſcopus Braſilienſis abſolvere, ſive ſit occultum, ſive publicum, lib. 3. n. 255.

Hæc poteſtas extenditur 1. ad omnes perſonas Eccleſiaſticas, tam Sæculares, quam Regulares, lib. 3. num. 258. Extenditur 2. ad omnes perſonas laicas, tam Sæculares, quam Regulares, lib. 3. n. 260. Et hoc etiam ignorantibus, aut etiam ſuperioribus Regularibus, lib. 3. n. 262. Si Epiſcopus Braſilienſis incidat in ſchiſma, poteſt alteri dare facultatem, ut ipſum Epiſcopum abſolvat, lib. 3. num. 263.

Schiſmatici.

Omnis hæreticus eſt ſchiſmaticus, non tamen è contra, metaphyſice loquendo, lib. 3. n. 216. moraliter loquendo ſemper Schiſmaticus habet aliquam hæreſim conjunctam, lib. 3. n. 217. Shiſmaticus pluribus ſubjacet pœnis, lib. 3. num. 230. quænam hæ ſint? V. Pœna.

Epiſcopi de jure non poſſunt abſolvere ab hæreſi, quam incurrunt ſchiſmatici, ſi ſit publica, lib. 3. num. 237. Idem dicendum de Prælatis Regularibus per ordinem ad ſæculares, lib. 3. num. 238. V. Epiſcopus Braſilienſis circa abſolutionem hæreſis, &c.

Epiſcopus Braſilienſis non poteſt concedere indulgentiam plenariam ſchiſmaticis in mortis articulo conſtitutis, lib. 3. n. 347.

Scholaris.

Scholaris, qui Societatis JESU gymnaſia frequentat, multas poteſt lucrari indulgentias, lib. 3. n. 198.

Simonia.

Simonia nomen habet à Simone Mago, lib. 1. n. 327. Definitur: Studioſa voluntas vendendi, aut emendi pretio temporali aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, lib. 1. n. 325. Eſt peccatum contra virtutem Religionis, lib. 1. n. 327. Semper eſt peccatum grave, etiam in parvitate materiæ. Ibid.

Divi-

Dividitur 1. in eam, quæ eſt juris naturalis Divini, & in eam, quæ eſt juris poſitivi Eccleſiaſtici, lib. 1. num. 328.

Secundò, in mentalem, conventionalem, & realem, lib. 1. n. 330. Rurſus conventionalis duplex eſt, altera pure conventionalis, altera conventionalis non pure, lib. 1. n. 331. Sub conventionali, & reali continentur ſimonia ficta, & confidentialis, lib. 1. num. 332. Confidentialis committitur tum à renuntiante, tum à providente beneficium, lib. 1. n. 333. A' renuntiante tripliciter, 1. per acceſſum, 2. per regreſſum, 3. per ingreſſum, lib. 1. n. 333. & 334. A' providente multipliciter committitur, lib. 1. n. 335.

Nulla incurritur pœna ipſo jure lata, niſi ob ſimoniam in tribus caſibus commiſſam, nempe in Ordine, beneficio, & Religionis ingreſſu, lib. 1. n. 337. Quibus pœnis ſubjaceant ſimoniaci ex Religionis ingreſſu, lib. 1. n. 338. Quas pœnas incurrant Ordines ſimoniace dantes, & ſuſcipientes, lib. 1. n. 339. & 340. Quomodo puniantur dantes, & recipientes ſimoniace beneficium, lib. 1. num. 342. Simoniæ confidentialis numerantur pœnæ, lib. 1. n. 343.

Non datur obligatio reſtituendi pretium ſimoniace receptum pro Sacramentorum adminiſtratione, lib. 1. n. 344. Niſi excedat congruam ſuſtētationem Miniſtri; tunc enim reſtitui debet exceſſus. Ibid. Etiam reſtitui non debet pretium acceptum pro Sacramentalibus permanentibus, qualia ſunt Agnus Dei, Coronæ benedictæ, & hujuſmodi, lib. 1. n. 345. Præſertim ſi ex talium datione aliquod incommodum, vel damnum patiaris corporale, vel ſpirituale. Ibid. Spiritualia, ut Profeſſio Religioſa, & Sacramentorum ſuſceptio, pro quibus datum eſt pretium, non reſtituuntur, lib. 1. num. 346.

Rnſtitui debent beneficia ſimoniace obtenta, & fructus ex eis percepti, lib. 1. num. 347. Idem dicendum de pretio ſimoniace recepto pro præſentatione, collatione, vel confirmatione beneficii, lib. 1. n. 348. Cui reſtitui debeant ſimoniace recepta, lib. 1. à n. 349.

In ſimonia occulta poſſunt Epiſcopi abſolvere, & diſpenſare de jure, lib. 1. num. 353. Secus in ſimonia publica, lib. 1. n. 352. Cum ſimoniaco occulto, ut ſine nova collatione retineat beneficium, poteſt Epiſcopus diſpenſare, lib. 1. num. 354. Idem à potiori dicendum per ordinem ad diverſa beneficia, lib. 1. num. 355. Quamvis Epiſcopus, qui diſpenſat, fuiſſet complex in eadem ſimonia. Ibid. Ad diſpenſandum in pœnis ſimoniæ nulla præſcribitur forma. Ibid.

In ſimonia publica poſſunt diſpenſare Braſiliæ Epiſcopi, lib. 1. num. 356. Etiam retentis beneficiis, ſi ſimonia non ſit realis, lib. 1. num. 357. Aut quamvis ſit realis, dummodo ſit occulta, lib. 1. num. 358. At in ſimonia reali, & publica diſpenſare nequeunt Braſiliæ Epiſcopi, niſi dimiſſis beneficiis, lib. 1. num. 359. Excipe, ſi beneficia fuerint Parochialia, & non ſint, qui Parochiis præfici poſſint; tunc enim adhuc poſſunt diſpenſare in ſimonia etiam reali, & publica, retentis beneficiis, lib. 1. n. 368. Poſſunt etiam diſpenſare ſecum ipſis, ſi aliquid ſimoniace recepiſſent pro conferendis ordinibus, beneficiis, aut hujuſmodi, lib. 1. n. 369. Beneficia hic accipi debent proprie, lib 1. n. 364. Tales non ſunt Capellaniæ, & Vicariæ ad nutum amovibiles Ibid. Poſſunt diſpenſare ſuper fructibus male perceptis ex beneficio ſimoniace obtento; & quomodo? lib. 1. à n. 356.

Diſpenſatus in ſimonia reali poſt dimiſſionem beneficii ſimoniace obtenti non manet privatus aliis beneficiis rite obtentis, lib. 1. n. 360. Nec inhabilis ad alia beneficia in poſterum obtinenda, lib. 1. n. 361. Unde poterit ad idem beneficium dimiſſum redire, lib. 1. num. 362.

Socie-

Societas JESU.

Societas JESU habet privilegium, ut ejus Religioſi ordinari poſſint tribus diebus feſtis etiam continuis, lib. 1. n. 161. In hoc privilegio non communicant alii Religioſi. Ibid. Ut Religioſi Societatis JESU ordinentur tribus diebus feſtis etiam continuis, ſufficit, quod ſint dies feſti in choro tantum, lib. 1. num. 163. & 164. Non debent ab Epiſcopis examinari de cantu, & aliis cæremoniis Eccleſiaſticis ad Ordines ſuſcipiendos requiſitis, lib. 1. n. 161. & 201.

Societas JESU transmarina habet privilegium diſpenſandi cum neophytis in quibuscumque conſanguinitatis, & affinitatis gradibus, jure divino non prohibitis, primo excepto; & in omnibus aliis impedimentis, & attinentiis, ſeu conjunctionibus, in quibus neophytus eſt diſpenſabilis, lib. 2. à n. 203. V. Patres Deputati.

Illis, qui Societatis JESU gymnaſia frequentant, propriæ indulgentiæ conceduntur, lib. 3. n. 198. etiam multæ ſunt indulgentiæ, quæ tam ſcholaribus, quam non ſcholaribus conceduntur in Eccleſiis Societatis JESU in Braſilia, lib. 3. n. 198.

Societati JESU transmarinæ conceditur poſſe abſolvere ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis etiam in Bulla Cœnæ contentis, lib. 3. num. 310. Hæc facultas extenditur ad omnes Presbyteros ejuſdem Societatis tam in Occidentali, quam Orientali India, lib. 3. n. 311. Cæterum reſtricta eſt ad loca, ubi non eſt Inquiſitionis Tribunal, nec Ordinarius intra duas dietas; lib. 3. n. 311. Hac tamen facultate uti non poſſunt prædicti Presbyteri in abſentia, nec extra Sacramentum Pœnitentiæ, ſicut Epiſcopus Braſilienſis, lib. 3. n. 312. Dubium tamen eſt, an quando conceditur facultas Religioſo Societatis ad abſolvendum ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, intelligatur conceſſa facultas abſolvendi ab hæreſi, lib. 3. à n. 314. Per novam promulgationem Bullæ in Cœna Domini non revocatur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, lib. 3. n. 318.

Societati JESU conceditur jubilæum 40. horarum, lib. 3. n. 375. Hoc jubilæum non eſt prætermittendum in Eccleſiis Societatis, nequidem per occaſionem anni ſancti, lib. 3. num. 478. Idem dicendum de jubilæo in Dominicis cujuscumque menſis, lib. 3. num. 379. Breve, in quo Societati conceditur jubilæum 40. horarum, lib. 3. n. 376. In quo verò conceditur jubilæum in Dominicis cujuscumque menſis, lib. 3. num. 383. Indulgentia, quæ in triduo Bacchanalium conceditur in Eccleſiis Societatis, eſt una ex certiſſimis, quæ concedi ſolent, lib. 3. num. 384. Eſt plenaria, non tamen applicabilis pro animabus Purgatorii, lib. 3. num. 385. V. Collegium. Recito.

Societas JESU habet privilegium concedendi perſonis dignis facultatem legendi libros infidelium, ac hæreticorum, & quoscumque alios prohibitos, & damnatos, ad effectum dumtaxat hujusmodi libros, vel hæreſes, & errores in eis contentos confutandi, lib. 4. n. 92.

Habet privilegium celebrandi bis in die in diverſis locis, lib. 4. n. 262.

Habet privilegium celebrandi à duabus horis poſt mediam noctem uſque ad horam tertiam poſt meridiem, lib. 4. num. 270.

Habet privilegium, ut ejus RR. PP. Provinciales, & reliqui ſuperiores de illorum licentia poſſint conſecrare Calices, Patenas, & Altaria portatilia, ſi non adſit Epiſcopus, lib. 4. à num. 485.

Sponſalia.

Sponſalia per verba de futuro nullam certam formam habent, lib. 2. n. 487. Vel fiunt nude, ut cum inter ſponſos datur ſimplex promiſſio matrimonii, vel fiunt, arrhis intervenientibus, lib. 2. num. 488. Durant etiam poſt mortem alterius ſponſi, lib. 2. n. 495. & 498. Diſſolvuntur, ſi accedat mutuus utriuſque ſponſi conſenſus, lib. 2. à num. 496.

496. Nec per poſteriora ſponſalia, nec per matrimonium ratum diſſolvuntur priora ſponſalia, lib. 2. num. 499. & 500.

Si Titius ſponſalia celebraſſet cum Berta, & poſtea cum ejus matre, vel ſorore matrimonium contraxiſſet, & conſummaſſet; nec cum Berta, nec cum ejus matre, vel ſorore valide contrahere poſſet, lib. 2. num. 501. Ex ſponſalibus tempore infidelitatis contractis non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis, lib. 2. num. 502. Quot modis ſponſalia ſint invalida, lib. 2. à n. 504.

Subdiaconatus.

Subdiaconatus, & ſimul Ordines Minores dari nequeunt uno die, ſtando juri communi, lib. 1. n. 75. Stando verò conſuetudini, in quibusdam Diœceſibus dari poſſunt, lib. 3. num. 76. Duo ſacri Ordines eodem die nequaquam dari poſſunt, lib. 1. n. 77. Hinc ſiquis eodem die duos ſacros Ordines reciperet, ſuſpenderetur ipſo facto ab exercitio ultimi Ordinis ſecundum aliquos, utriuſque verò Ordinis ſecundum alios. Ibid. Nec etiam dari poteſt unus Ordo ſacer ſabbato, & alius Ordo ſacer ſequenti Dominica, etiam continuato jejunio, lib. 1. n. 78.

Ad Subdiaconatum requiritur 22. annus, lib. 1. num. 239. Sufficit, quod prædictus annus ſit inceptus, lib. 1. num. 240. Braſiliæ Epiſcopi poſſunt diſpenſare in uno ætatis anno ad Subdiaconatum, lib. 1. n. 251. Ut Braſiliæ Epiſcopi diſpenſent in uno ætatis anno ad Subdiaconatum, requiritur operariorum penuria, lib. 1. n. 258.

Subreptitia.

Subreptitia diſpenſatio ea dicitur, pro cujus impetratione tacetur veritas alioquin exprimenda, lib. 2. n. 360. Obreptitia verò, pro cujus impetratione allegatur falſitas, qua cognita, diſpenſatio non fuiſſet concedenda. Ibid.

Suffragium.

Suffragium idem eſt, atque auxilium oblatum ab uno fideli pro alio, lib. 3. n. 411. Quatuor ſunt genera ſuffragiorum, lib. 3. n. 413. Quodnam ex his ſit utilius defunctis? lib. 3. num. 414. Præter hæc ſuffragia dari poſſunt indulgentiæ, quibus animæ in Purgatorio detentæ juventur, lib. 3. n. 415. Animas defunctorum per modum ſuffragii juvant pia fidelium opera, lib. 3. num. 418. Tres conditiones requiruntur ex parte offerentis, ut ſuffragia proſint defunctis, lib. 3. num. 425. Quænam verò conditiones requirantur ex parte animæ, lib. 3. n. 430. Suffragia alia ſunt ex opere operato, & alia ex opere operantis, lib. 3. num. 433. Miſſa magis prodeſt defunctis, quam alia ſuffragia, lib. 3. n. 445. V. Miſſa.

Suſpenſio.

Suſpenſio, & quæcumque pœna eccleſiaſtica Papæ reſervata tolli poteſt à Braſiliæ Epiſcopis, lib. 2. n. 137.

Suſpenſus.

Suſpenſus manet ab exercitio ultimi Ordinis ſecundum aliquos, utriuſque verò Ordinis ſecundum alios, qui uno die duos ſacros Ordines ſuſcipit, lib. 1. n. 77.

T

TEMPORA.

TEMPORA ſunt feria quarta, ſexta, & ſabbatum poſt feſtum Exaltationis S. Crucis, poſt diem Cinerum, poſt Pentecoſten, & poſt feſtum S. Luciæ, lib. 1. n. 69. Temporum ſabbatis æquiparantur ſabbata ante Dominicam Paſſionis, & Paſchæ, in quibus etiam celebrari poſſunt Ordinationes. Ibid.

Braſiliæ Epiſcopi poſſunt Ordines conferre extra Tempora, lib. 1. n. 91. Ut Braſiliæ Epiſcopi Ordines conferant extra Tempora, ſufficit eadem cauſa, quæ ſufficit ad diſpenſandum in interſtitiis, lib. 1. n. 93. Quæ autem cauſa ſufficiat ad diſpenſandum in interſtitiis? V. Diſpenſatio in interſtitiis.

Tem-

Tempus.

Tempus celebrandi Miſſam incipit ante auroram, & quando? lib. 4. num. 207. Niſi prævaleat conſuetudo in contrarium, tunc enim inchoari poteſt Miſſa multo ante auroram, lib. 4. n. 210. & 212. Quandiu durat Miſſa ſolemnis poſt meridiem, celebrari poſſunt Miſſæ privatæ, lib. 4. num. 213. V. Miſſa.

Theſaurus.

Theſaurus Eccleſiæ eſt cumulus infinitus ex ſatisfactionibus Chriſti Domini, B. Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum conſtans, lib. 3. n. 156.

Tonſura.

Tonſura non eſt Ordo, ſed diſpoſitio ad Ordines, lib. 1. n. 66. Dari poteſt quocumque die, hora, & loco. Ibid. Non tamen ante uſum rationis, lib. 1. num. 237. Sed poſt ſeptennium completum, lib. 1. n. 238.

Triduum.

Triduum. V. Indulgentia. Oratio 40. horarum. Societas JESU.

Turciſmus.

Turciſmus. V. Miſſio.

V

VALENTIA.

IN Regno Valentiæ in Hiſpania extat privilegium, ſeu conſuetudo celebrandi bis in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, lib. 4. n. 181.

Veſtes.

Veſtes Epiſcopales quid ſignificent, lib. 4. num. 349. Veſtibus ſæcularibus uti poteſt Braſiliæ Epiſcopus, lib. 4. n. 347. Quibus caſibus? Ibid.

Viaticum.

Viaticum aliquando per accidens confert primam gratiam, lib. 4. n. 199. Si Sacerdos nondum hoſtiam conſumpſiſſet, & admoneretur de neceſſitate infirmi, tunc particulam ſuæ hoſtiæ ſervare deberet pro infirmo communicando per modum Viatici, lib. 4. n. 195. Quod aliqui extendunt ad caſum devotionis. Ibid.

Viaticum ſumi poteſt in quacumque hora diei poſt meridiem, ſi infirmus ſit jejunus, lib. 4. num. 301. Deinde, quando commode fieri poteſt, ſemper ſumi debet ab infirmo jejuno, lib. 4. num. 302. Alioquin ſumi debet ab infirmo etiam non jejuno, lib. 4. n. 322. Pluries ſumi poteſt ab infirmo non jejuno, durante eadem infirmitate, & mortis periculo, lib. 4. n. 303. nempe, ſingulis diebus juxta probabile, lib. 4. n. 306. juxta verò probabilius poſt duos dies, lib. 4. à num. 310. ita ut qui ſumpſit Viaticum feria ſecunda non jejunus, poſſit illud iterum ſumere feria quinta non jejunus, lib. 4. num. 312. & 317. Quando autem permitti poſſit infirmo non jejuno ſumere Viaticum ſingulis diebus? lib. 4. num. 313. quod viget, licet infirmus expectare poſſet jejunus per unam, vel alteram horam poſt mediam noctem, lib. 4. num. 314. Qui mane Miſſam dixit, vel ſacram Euchariſtiam ſumpſit, ſi poſt prandium incidat in mortis articulum, tenetur iterum communicare per modum Viatici, lib. 4. à num. 320. Dummodo prudenter timeatur eodem die moriturus, vel quod alio die non futurus ſit potens communicare, lib. 4. num. 332. Non tenetur tamen bis ſumere Viaticum, durante eadem infirmitate, & mortis periculo, quamvis poſt primam ſumptionem incidat in mortale, lib. 4. num. 316.

Viaticum miniſtrandum eſt damnatis ad mortem, & quando? V. Damnatis ad mortem.

Vicaria.

Vicaria. V. Parochia.

Vicarius.

Vicarius, & Parochus ſunt ſynonyma, lib. 4. n. 96. Vicarius dicitur ab eo, quod vicem gerat Epiſcopi, qui totius Diœceſis Paſtor eſt, lib. 4. num. 96. Aut eſt perpetuus, aut temporarius, lib. 4. num. 97. Temporarius eſt amovibilis ad nutum Epiſcopi, & Vicariæ præfici poteſt ſine oppoſito-

rum concurſu, & examine Synodali, lib. 4. num. 97. Perpetuus verò, ſeu collatus, ut aiunt, Eccleſiæ præficitur, prævio oppoſitorum concurſu, & examine Synodali. Ibid.

Regularis inſtitui poteſt Vicarius, lib. 4. num. 124. ex diſpenſatione Pontificia etiam Parochiæ ſæcularis, lib. 4. num. 125. V. Parochus.

Vinum.

Vinum modicæ aquæ mixtum, licet non ſit omnino purum, tamen valori conſecrationis non officit, lib. 2. n. 313.

Unctio.

Unctio. V. Extrema Unctio.

Votum.

Votum eſt voluntaria, & deliberata promiſſio Deo facta de meliori bono, lib. 1. n. 282. Differt à propoſito exequendi rem honeſtam in obſequium Dei, lib. 1. num. 283. Dividitur 1. in ſolemne, & ſimplex, lib. 1. n. 284. 2. in reſervatum, & non reſervatum, lib. 1. num. 285. 3. in abſolutum, & conditionatum, lib. 1. n. 286. 4. in reale, perſonale, & mixtum, lib. 1. n. 287. Datur etiam votum, quod dicitur commune, ſeu neceſſarium, & ſingulare, ſeu liberum, lib. 1. num. 288.

Diſpenſatio voti eſt integra obligationis ipſius voti ablatio, nomine Dei facta ex rationabili cauſa, lib. 1. n. 289. Commutatio voti eſt mutatio illius operis, quod voto promiſſum fuit, in aliud opus, manente eadem obligatione, lib. 1. n. 290. Conceſſa poteſtate diſpenſandi, intelligitur conceſſa poteſtas commutandi, lib. 1. n. 292. Non è contra, lib. 1. num. 291.

De jure poſſunt Epiſcopi diſpenſare, & commutare vota, quæ non ſint reſervata, lib. 1. n. 293. Extenditur hæc poteſtas ad vota de non petenda diſpenſatione, aut commutatione, lib. 1. n. 294. Item ad vota jurata, & juramenta ſoli Deo facta, lib. 1. num. 295. Vota commutari poſſunt extra confeſſionem. Ibid. Modus, & forma commutandi, lib. 1. n. 296.

Braſiliæ Epiſcopi poſſunt commutare vota in alia pia opera temporaria, lib. 1. n. 297. & 298. Poſſunt etiam diſpenſare, & commutare tria vota Peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ, lib. 1. num. 299. Item poſſunt diſpenſare in votis ſimplicibus Caſtitatis, & Religionis, lib. 1. n. 301.

Vota Caſtitatis, & Religionis ut ſint reſervata Pontifici, debent eſſe abſoluta, perfecta, & in nullo deficientia, lib. 1. n. 302. Eorum reſervatio ita eſt benigne interpretanda, ut non niſi raro juriſdictionem ordinariam Epiſcoporum excedat, data rationabili cauſa, lib. 1. n. 304. & 305.

Proclivitas in luxuriam eſt rationabilis cauſa diſpenſandi in voto Caſtitatis, & Religionis, lib. 1. n. 306. Tametſi ea proclivitas ſuperveniſſet poſt emiſſum utrumque votum. Ibid.

Datur etiam rationabilis cauſa diſpenſandi in voto caſtitatis 1. ſi uterque conjux ante, vel poſt conſummatum matrimonium, cum animo tamen habitandi ſimul, voviſſent ex mutuo conſenſu, & contractu irrevocabili, quo ceſſiſſent jure ſuo, lib. 1. num. 309.

2. Siquis in gravi periculo, aut infirmitate voviſſet caſtitatem, addendo, vel etiam non addendo, ſi evaſero, ſi convaluero, lib. 1. num. 310. & 312. Maxime cum ejuſmodi votum ſit conditionatum, nec tranſeat in abſolutum, aut reſervatum, etiam poſt impletam conditionem. Ibid.

Idem dic de ſimili voto Religionis, lib. 1. n. 311. 3. Si ille, qui vovit caſtitatem, eſſet morti proximus, & niſi fœminam duceret, relinqueret filios illegitimos, lib. 1. n. 313.

4. Si ſequatur infamia puellæ, orta ex frequenti ingreſſu alicujus viri in domum patris ejus, lib. 1. n. 314.

Diſpenſatus in voto caſtitatis ad effectum ineundi matrimonium, mortua uxore, iterum obligatur voto, nec ſecundas nuptias inire poteſt, lib. 1. num. 307. Et peccat contra votum caſtitatis, ſi pollutionem, aut rem habeat cum fœmina extra matrimonium,

nium, lib. 1. num. 308.
Ad votum Religionis quod attinet, datur rationabilis cauſa diſpenſandi 1. ſi v oventi in ipſius voti executione ſuperveniat magna difficultas, lib. 1. n. 315. Ut in eo, qui vovit Religionem, & voti executionem per multos annos fere uſque ad ſenectutem diſtulit: & in eo, qui vovit Religionem Minimorum, Carthuſianorum, aut Dominicanorum, in quibus à carnibus abſtinetur, & poſtea factus fuit ita debilis ſtomachi, ut dubium ſit, an dictam abſtinentiam ferre valeat, lib. 2. n. 316. 2. Si detur neceſſitas conſervandæ progeniei alicujus familiæ nobiliſſimæ, partim diſpenſabitur, & partim commutabitur votum Religionis, lib. 1. à num. 317.
Non eſt cauſa ſufficiens diſpenſandi in voto Religionis, quamvis vovens conferat magnam pecuniæ ſummam, lib. 1. num. 320. Niſi ea applicetur alicui templo reſtaurando, aut hujuſmodi. Ibid. Ad diſpenſandum in votis Caſtitatis, & Religionis non requiritur certitudo, ſed ſufficit prudens dubium in rationabilitate cauſæ, lib. 1. à n. 321.

Uſus facultatum.

Uſus facultatum duplex eſt, alter activus, paſſivus alter, lib. 4. num. 542. Uſus facultatum activus datur, quando Epiſcopus v. g. diſpenſat. Ibid. Uſus facultatum paſſivus tunc datur, cum quis v. g. diſpenſatur. Ibid. Uſus facultatum expirat finitio decennio in ipſis præſcripto, lib. 4. n. 570. V. Epiſcopus Braſilienſis circa uſum ſuarum facultatum.

Utenſilia.

Utenſilia ad ſacrificium Miſſæ neceſſaria. V. Benedicere. Paramenta.

Utilitas.

Utilitas Eccleſiæ ad diſpenſandum in interſtitiis pro Ordinibus conferendis tunc adeſſe putatur, quando præſumitur obſequium aptius eſſe præſtandum, lib. 1. n. 87. v. g. ſi ordinandus ſit in ſacra Theologia Doctor, vel aliàs vir doctus, & probus, ex cujus ordinatione ornamentum ſtatus Eccleſiaſtici, & futurum Eccleſiæ ſervitium ſperari poſſit. Ibid.

X

XAVERIUS.

XAVERIUS. V. Officium, & Recito.

Z

ZELUS.

ZELUS animarum in Miſſionariis Braſilienſibus aliquando facit, ut piratæ hæretici ad fidem Catholicam convertantur, lib. 4. num. 345.

FINIS.

07539

STUDIOSO LECTORI
monitum neceſſarium.

NEceſſe duxi ob incuriam primi typographi, & forſan etiam ob imperitiam ſui correctoris multa recudere, & alia etiam errata notabiliora in hac pagina exhibere, & alia omittere, quæ facile in legendo emendabis, & maxime circa interpunctionem dictionum. Roga igitur, ut benigne condones typographo, ejusque correctori, non Authori tam præclari operis, qui è Braſilia tranſmiſit ad nos hujus exemplar diligenter correctum, ac perſpicuè ſcriptum. Vale.

Pagina	*Paragraphus*	*Erratum*	*Correctum*
44	208	adultero	adulterio
65	319	ſit	ſi
Ibi.	320	obſequi	obſequii
103	column. 1.	alius	aliàs
129	221	pio	pro
153	318	virii	varii
179	434	diſpenſas	diſpenſans
191	431	ſupple *ut*	ut vitricus
205	540	concedit	concedi
254	128	muſſivo	muſivo
258	158	generales	generale
Ibi	159	poſce	poſſe
278	260	decimus	decimis
280	265	eſte	eſt
Ibi	266	habet	habeat
	Ibi	altos	alios
299	column. 2. in medio	ubi	ibi
303	355	potatur	ponatur
381	319	excipit	excipitur
389	269	mortaliter	moraliter
394	288	ſupple *ſi*	ſi urgeat
395	293	puniri	punire
400	313	obſtinere	abſtinere
439	496	poſſet	poſſe
404	330	cenſerit	cenſeri
448	547	Diœceſi	Diœceſis
477	125	animalis	animalia
	ibi	qua	quæ

CA749
M357b
1-SIZE